Est. 29
tab 2ª
nº 11

SINGVLARIA

THEOLOGIÆ

MORALIS

AD SEPTEM ECCLESIÆ SACRAMENTA.

ACCESSIT AD CELEBRIORA

Christiani Orbis Iubilæa Appendix.

AVCTORE ANTONIO DE

Quintanadueñas é Societate IESV.

TOMVS PRIMVS:


EXCELLENTISSIMO PRINCIPI,

Eminentißimo Præſuli D. D. AVGVSTINO

SPINOLÆ *S. R. E. Cardinali, Archiepiſcopo*

Hiſpalenſi.

de la libreria del Coll.º de la Comp.ª de Jhs de Soria




BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

Cum Gratia, & Privilegio, HISPALI, Typis Franciſci de Lyra.

Anno MDC.XLV.

Dr. Diego Sanz de Montes



EXCELLENTISSIMO PRINCIPI, EMINENTISSIMO DOMINO D. AVGVSTINO SPINOLÆ, S. R. Eccleſiæ Cardinali; Hiſpalenſi Archiepiſcopo:



VI niſi Sponſo, Sponſæ ornatus, & diuitiæ ſacrandæ, vel potius tradendæ? Catholicæ Eccleſiæ, Eccleſiæ HISPALENSIS, qui ditiores ornatus, quæ pretioſiores diuitiæ, quám SACRAMENTORVM gloria, ditiſſimus ſapientiæ, & ſcientiæ Dei Theſaurus, qui *de latere in Cruce pendentis lancea percuſſo, cum Eccleſiam ſibi deſponſauit, profluxit*, vt Auguſtinus Hipponenſis Antiſtes loquebatur? Cui ergo, Eminentiſſime Præſul, huius gloriæ illuſtratio, huius Theſauri ſplendor, niſi tibi ſacranda, digniſſimo tantæ Hiſpalenſis Eccleſiæ Sponſo. *Sicut enim*, verbis vtor Euariſti Pontificis, & Martyris, *Chriſto coniuncta Sponſa eſt, ideſt Eccleſia, ſic Epiſcopis iunguntur Eccleſiæ.* Noſtra igitur Hiſpalenſis Eccleſia, vel potius tua, velut Heſperiæ Regina, ac tanti viri SPONSA cum iam iam à dextris tuis lætabunda adſtet, in veſtitu deaurato, circumdata varietate, te iterum, ac iterum contemplata, ac in tui amore flagrans, meritó omnium auribus intonat: *Dilectus meus Candidus, & Rubicundus electus ex millibus*. Vbi te ſanè adumbrans, ſic vertit, ac explicat doctiſſimus Interpres: *Quæ magis expreſſa, & omnium oculis viua & ſpirans imago, quàm Eccleſiæ Princeps, idemq; Sponſus? Animi Candore, innocentia morum, ingenij ſuauitate Candidiſſimus: atq; idem ipſe Rubens clariſſimo Sanguine, ſacra fulgens purpura, ardens charitate, & diuini amoris zelo, virtutum omnium ſtudio accenſus.* Hæc ille olim Præſuli ſuo: Hæc ego hodie tibi, Hiſpalenſis Præſul.

S. Aug to. 9 in Ioan.

Euariſtus, 1. epiſt. 2. ad Epiſc. Ægypti, & affertur cauſa 7 q. 1.

Cant. 5.

Ioannes de Pineda Prælec in id Cãtic. 5. ad D. Ferdinandũ Niñum Hiſpal. Archiepiſc.

Quot quot in tanti PRINCIPIS, ac SPONSI Candore, ac Rubore nitent pretioſiſſima. *Enim vero*, vt cum Nazianzeno profari incipiam, cum de nobiliſſimo Ceſareæ Archiepiſcopo loquebatur, *Enim verò*, inquã, & inquit, *Si te genere, ac generis ſplendore gloriari perſpicerem, tuorum Heroum Catalogus appareret, ac ne hiſtorijs quidem hac parte cederemus, nomine ſuperiores futuri, quod rebus ipſis, quarum multi teſtes ſunt, ornaremus: multas enim nobis narrationes ex Paterno latere Pontus ſuppeditat. Quorum nam autem & militaria imperia, & populorum gubernationes, & in aulis potentia, & authoritas, ac præterea opes, & excelſi throni, & publici honoris, ac ſermonum ſplendores, vel plures, vel maiores extiterunt?* Hæc omnia ille de ſuo Præſule, Baſilio: Quam apté tibi, Clariſſimé Princeps, & Præſul. Tuos, Sanguine, Potentia, Armis, Triumphis, Dignitatibus, Muneribus Progenitores, ac Conſanguineos teſtor: Præclariſſimos nempé SPINOLAS, Guidos, Albertos, Philippos, Opicinios, Girardos, Zacharias, Fredericos, & alios SPINOLÆ proſapiæ decus, & ornamentum; quorum gloriam æternitati traditam Petrus Bizarus, Vbertus Phioleta, Auguſtinus Iuſtinianus, Antonius Sanderus, Eminentiſſ. Cardinalis Bentiuolo,

Naziãzenus orat. 10. funebri. de S. Baſilio.

Bizarus, p. 988. & 995. Phioleta anno 1102. Iuſtinian. hiſt. an. 1518. Sãderus de dic. in Exeq. D. Alberti an. 1621. Bentiuolus ad Cardin. Borghenſ.

§ &

& alij Scriptores meminere. Qui quidē etſi deeſſent; Excellētiſſimus Dux S. Seuerini, Marchio Venafri, Sexti, & Balbaſium D. D. AMBROSIVS DE ESPINOLA Parens tuus *Antiquiſſimam, celeberrimam, laudatiſſimam familiam tuam*, ſic eam Petrus Bizarus appellat; & armis, quibus pro Catholico Hiſpaniarum Rege in Belgijs felicitèr inuigilauit, & grauiſſimis curis, quibus pro ipſo prudentér incubuit; fatis, ſuperq; illuſtraſſet. Teſtis eſt Oſtenda, teſtis Antuerpia, teſtis Oldeſalia, Linga, Vvathēdunca, Cracauia, Lohemium, Grolla, Resberca, aliæq; Urbes, & Oppida, quæ aut expugnauit acriter dimicando, aut eò deſperationis adegit, vt manus dederit ſupplices inimicus, & arcem, quam defendere ſe poſſe deſperabat, ſponte tradiderit. Sic egregius Encomiaſtes tuus. *Quid ſi paterno generi*, verbis proſequor Nazianzeni, *materni generis ſplendorem opponimus*; Nobiliſſimæ nempè, ac præexcelentiſſimæ Feminæ D. D. IOANNÆ BASADONE, cuius virtutes, ſicut & tuorum Progenitorū facinora proclamet ſilentium; eſt enim hoc præconium magnitudinis, ac fidus maieſtatis interpers.

P. Caſpar Sanchez. De dicat. ad libros Regum.

Ad ſublimiorem aſcendamus gloriam, quam ad cæleſtis Sponſæ thalamum electus ex millibus aſcendens, aſſecutus eſt. Felix DERTVSANA ECCLESIA, quæ te tuis ſacris, primiſq, nuptijs promeruit Sponſum: GRANATENSIS felicior, quæ in ſecundis tecum aſſociata. Feliciſſima COMPOSTELLA quæ talem poſtea Principem amplexatus, ac veneratus virum. Quám excelſas diuitias, quám pretioſa dona, quámquè ditia munera in harum Eccleſiarum cultum, ornatumq; cumulaſti? Qua ſollicitudine, prudentia, & amore has tuas Sponſas, earumq; Liberos cuſtodiſti, gubernaſti perfeciſti? Tui Cleri, ac Populi mores ad rectam normam compoſiti: divini cultus in tuis Prouincijs ſplendor, Synodus Compoſtellæ celebrata, Scientiarum, ac virtutum omnium progreſſus, Omnes denique harum vrbium, & Prouinciarum Incolæ, fideliſsimi teſtes ſunt, à quibus cum inclyto Antiochiæ Præſule, & Martyre Ignatio meritó conclamaris: *Divini Verbi Miniſter, Scientiæ Cuſtos, Mediator inter Deum, & homines, pietatis Magiſter; poſt Deum Pater, Princeps, & Dux, Rex, Dinaſta, aeniq; terrenus Deus poſt Deū.* Ita ab Jgnatio dignus Antiſtes deſcribitur: ita etiam, & tu: necnō à Nazianzeno in Præſule Athanaſio deſcriberis: *Vita ſublimis erat, verùm animo humilis, atq; ea quidem virtute, vt nemo ad eam adſpirare poſſet, cæterum ea comitate, vt ad eius congreſſum facilis omnibus aditus pateret, ad miſerationem propenſus, ſermone iucundus, moribus iucundior facie Angelicus, animo magis Angelicus; increpatio paternā charitatem, & laudatio imperio dignam gravitatem obtinerent; vtraq; verò ſapientiæ laudem conſequeretur.*

Ignat. ep. ad Trallian.

Nazi. orat. 22. de Atha.

Hæc iam, iam auguſtiori omine pluſquam feliciſsima experitur HISPALENSIS Metropolis; dum enim te propitio ſydere Præſulem, Patrem, ac Principem ſuum venerata, te velut olim Metropolis Alexandrina Baſilium, omnibus omnia factum, venerata eſt. *Egentes* te, præclariſsime Antiſtes, experitur [verba ſunt Nazianzeni de ſuo Baſilio] *Curam, & Præſidium, Virgines Pronubum; quæ matrimonij iugo conſtrictæ ſunt, Moderatorem; qui ſolitariam vitam agunt Excitatorem, & Erectorem; qui in ſodalitio viuunt Legislatorem, ſimplices Deductorem, ſpeculationi dediti Theologum, hilares Frænum calamitoſi Conſolatorem, canities Baculum, iuuentus Pedagogum, paupertas Largitorem, diuitiæ Diſpenſatorem, viduæ Patronum, pupilli Patrem, pauperes pauperū Studioſum, peregrini Hoſpitalē, fratres Fratrem amantem, ægrotantes Medicum ſani valetudinis Cuſtodem, omnes denique, eum, qui omnia omnibus factus eſt, vt omnes lucrifaciat.* Hæc de Alexandrino Antiſtite Nazianzenus: Hæc & Hiſpalis de ſuo Antiſtite.

Nazi. orat. funeb. 20. de Baſil.

Quid

Quid ſi tuam memorem in Myſteriorum Dei diſpenſatione curam; aptiſsimos ad Eccleſiaſtica munia Miniſtros eligendo, eorum ſtudia mirificé excitando; iuuenum animos ad ea, ac ad virtutes promouendo; ſapienteſq; ac dignos viros præmijs, ac muneribus afficiẽdo? Jucundius ſané ac veriùs tibi, ó Hiſpalenſis Præſul, accinam quod Principi ſuo Hiſpalenſi Traiano Plinius accinebat: *Quid vitam*, inquit, *quid mores iuuentutis, quàm principaliter informas! Quem honorem dicendi Magiſtris; quam dignationem ſapientiæ Doctoribus habes! Sub te ſpiritum, & ſanguinem, & patriam receperunt ſtudia: tu artes in complexu, oculis, auribus habes: præſtas enim quæcumq; præcipiunt, tantúmq; illas diligis, quantùm ab illis probaris*

Plinius Panegyric. ad Traian.

Hæc cum ita veriſſimè perceperim, has meas qualeſcumque ſtudiorum lucubrationes ſub ſinu, ſub amplexu tuo, vt in clariorem lucem prodeant, recondere ſtatui. Tibi, vt ſupremo huius Prouinciæ Antiſtiti, & Parocho, cæleſtiũ Myſteriorum Diſpenſatori egregio, aptiſsimos Parochos, Diſpenſatores, ac Miniſtros Sponſæ tuæ ſemper ita expetenti, hæc *Singularia Moralis Theologiæ*: ad egregié procreandos, inſtituendos, perficiendosq; Eccleſiæ tuæ Miniſtros, ad Sacramentorum perfectam adminiſtrationem exequendum, iuxta ſacros, ac ſingulares huius Diœceſis Canones ſpectantia, ſacrare decreui. Pungent forſan aliquos velut ſpinæ horum Singularium nouæ, ſingulares, ac communi ſenſui oppugnãtes plurimæ ſententiæ, quas non fedare tantùm, ſed eradicare etiam conabuntur. Aſt tuorum ſtemmatum, ſeu Familiæ SPINOLÆ LILIVM inter has ſpinas inſertum; illas nõ tuebitur ſolùm, ſed & decorabit: *Lilium vtiq;*, inquit Bernardus, *Spinas illuſtrare, & venuſtare nõ ceſſat candore proprio*. Pignus ſuſcipe hoc Societatis noſtræ tot, tantiſq; beneficijs tibi deuinctæ, & ſi tãto Principe impar, Excellentiſſime Princeps. Ardentiori, quo ſemper te cordis affectu proſecuta eſt hæc Jeſuadum proles: modó proſequitur, proſequetur ſemper; Cæleſteq; ſine intermiſſione deprecabitur Numen, *Feruore Spiritus Sancti ita te Eccleſiæ tuæ Gubernatorem exiſtere, vt naufragij detrimenta non ſentiat*, Egregium Encomium, quo Beatiſſimus Pontifex Simplicius inclytum Archiepiſcopum Hiſpalenſem Zenonem decoravit, cùm per annos circiter 463. Apoſtolicæ Sedis Legatione fulciuit. Vtinam Sanctiſſimos prædeceſſores tuos, Pios, Carpophoros, Laureanos, Leandros, Iſidoros, Sabinos, Maximos, Honoratos & eximiæ prælationis veſtigijs inſequaris, & cæleſtis gloriæ diademate cõſequaris, & vt verbis Felicis Papæ III. alium alloquutus olim Hiſpalenſem Antiſtitem, te alloquar: *Ita Chriſti gratia redundes, vt inter mundi turbines Gubernator Eccleſiæ præcipuus appareas*. Sic faxit Deus, Eminentiſſime Præſul, valeas, & feliciſsimé vivas.

Argote Noũ bilatorio fol. 240.

Ber. ſer. 48. in Cant.

Simplicius P. ep. 1. ad Zeno. Arch. Hiſpal.

Felix III. ep. 7. ad Arch. Hiſpal.

Tuæ Dominationis Eminentiſſ.
Obſequentiſsimus *Antonius de Quintanadueñas.*

Cenſura doctiſſimi, ac Reuerendiſſimi Patris Ioannis Diaz Morquecho ex ſacra B. Mariæ de Mercede Familia.

SVpremi, Regaliſq; Senatus iuſui obtemperans; volumen, cui Titulus; *Singularia Moralis Theologiæ ad Septem Eccleſiæ Sacramenta*, imponitur, cuiq; adnectuntur, *Ad celebriora Chriſtiani Orbis Iubilæa* Tractatus varij, Authore Reuerendo P. Antonio de Quintanadueñas è Societate IESV, vidi, & perlegi. In illo Theſaurus abſconditus, quo ſopiti excitentur; præclari Theologi diteſcant, & Doctiores maioris ſapientiæ diuitias accumulent, inuenitur. In illo novum Ambroſiæ ferculum, & Nectaris poculum ſubtili ingenio propinatur. *His enim doctrinæ cibis* (vt cum Euſebio loquar) *reficitur anima, his delitijs ſaturatur, & pingueſcit intelligentia.* Deniq; iſta Singularia Moralis Theologiæ, ſunt ſingularis eruditionis, tam nouitate, aut ſingularitate aſſertionum, quam maturiori (vt tanti Authoris) iudicio deprompta, ſecuriori doctrina firmata, & grauiſsimorum Patrum copia fulcita. Quandó non Ieſuita proles, hos tàm locupletes fructus parturiuit? Nullatenus vacuum nomen IESVS in illa extitit Familia, vt de aliquibus Veteris Teſtamenti aiebat Bernardus: *Illa enim vocabula in illis, nec lucent, nec paſcunt, nec medentur, ſicut in noſtro Ieſu.* Verba ſunt Bernardi. At veró in Societatis *Ieſu* palmitibus nonita, ſed frondes flores, & flores fructus vbertimos parturiunt; ſicut in noſtro *Ieſu*, lucent in verbis, paſcunt in exemplis, & languores animæ ſuis medentur ſcriptis. Nihil incongruum noſtræ fidei, & conſcientiæ ſecuritati inveni: prælo poteſt mandari, & vtinam quàm citius ad morum profectus feliciter, in lucem Author iſte, & alia opera edat. Matriti in Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Cœnobio Calceatorum, kalendis Octobris anno 1644.

Euſeb. dom. 20. poſt Pentecoſt.

Ber. ſer. 15. in Cant.

Cenſura Domini Ioannis Martinez de Amaya, Doctoris in ſacra Theologia eximij.

DE mandato Domini Doctoris D. Chriſtophori de Mantilla Prouiſoris, & Generalis Vicarij totius Archiepiſcopatus Hiſpalenſis, legi, & recognoui librum, cuius titulus eſt: *Singularia Moralis Theologiæ ad Septẽ Eccleſiæ Sacramenta, cum appendice ad celebriora Chriſtiani Orbis Iubilæa*, Authore R. P. Antonio de Quintanadueñas è Societate IESV. Opus ſingulare, & præclarum mihi viſum eſt, in quo erudite & accuratè diſcutit Author ſingulares caſus, & difficultates, quæ in adminiſtratione & receptione Sacramentorum occurrere poſſunt: maxima cum prudentia, & dexteritate eligit opiniones Iuri Canonico, Conſtitutionibus Apoſtolicis, Sanctorum Patrum, & Doctorum placitis magis conſentaneas, cum claritate, ſoliditate, & vbertate doctrinæ. Quare gratum fore exiſtimo Sapientibus, vtpote proprio ingenio, & labore concinatum, non tranſcriptũ ab alijs. Et ita inter tot præclaras lucubrationes, quæ quotidie prodeunt circa Theologiam Moralem, in pretio futurum exiſtimo viris doctis, non ſolum Theologis, ſed etiam Iuriſprudẽtibus, & vtiliſsimum his, qui curam animarũ gerunt. Nihil in eo reperi, quod Fidei Chriſtianæ, Catholicis & pijs moribus conſonum non ſit, imo digniſsimum prælo ad communem vtilitatem, & diſciplinam. Sic ſentio, in Sacrario Sanctæ Eccleſiæ Hiſpalenſis 5. Idus Iulij, anno Domini 1644.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Bætica.

EGo Petrus de Auiles Præpoſitus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Bœtica, poteſtate ad hoc mihi facta à R. Admodum P. N. Mutio Vitelleſchi Præpoſito Generali Societatis IESV, facultatem facio, vt opus inſcriptum: *Singularia Moralis Theologiæ ad Septem Eccleſiæ Sacramenta*, cum Appendice *ad celebriora Chriſtiani Orbis Iubilæa*, Auctore P. Antonio de Quintanadueñas noſtræ Societatis Theologo; & eiuſdẽ Societatis grauium, doctorũq; virorum iudicio approbatum, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo officij noſtri munitas, ac Secretarij noſtri teſtimonio firmatas dedimus, Malacæ in noſtro D. Sebaſtiani Collegio die 2. Auguſti, anno 1644.

Petrus de Auiles. *Felicianus de Figueroa Secretarius.*

Facultas Ordinarij Hiſpalenſis.

DOctor Chriſtophorus de Mantilla Prouiſor, & Vicarius Generalis huius Hiſpalenſis Diœceſis ab Eminentiſsimo D. D. Gaſpare de Borja, et Velaſco, S. R. E. Cardinali, ac Hiſpalenſi Archiepiſcopo; facultatem concedo, vt typis mandetur Liber inſcriptus: *Singularia Moralis Theologiæ ad Septem Eccleſiæ Sacramenta, cum Appendice ad celebriora Chriſtiani Orbis Iubilæa*, à P. Antonio de Quintanadueñas è Societate IESV compoſitus. Hiſpali 2. die Iulij. Anno 1644.

Summa Priuilegij Regis Catholici.

REx Catholicus Philippus IIII. ſinguiari priuilegio ſanxit, ne quis per vniuerſos Regnorum ſuorũ fines intra decem annos, à die finitæ impreſsionis computandos imprimat, ſeu typis excudendum curet, & venalem habeat Librum, qui inſcribitur: *Singularia Moralis Theologiæ ad Septem Eccleſiæ Sacramenta, cum Appendice ad celebriora Chriſtiani Orbis Iubilæa*; Authore Antonio de Quintanadueñas è Societate IESV, abſq; ipſius Authoris permiſſu, qui ſecus faxit præter librorum, et Typographiæ inſtrumẽtorum confiſcationem, quinquaginta millia marapetinorum illatione mulctabitur; vti latiùs patet in litteris datis Matriti die 25. Nouembris 1644.

OPERIS INSCRIPTIO, ET DISPOSITIO.



INGVLARIA Moralis Theologiæ *has meas qualescumque lucubrationes, vel ut verius loquar, horas subsecivas inscribens; Singulares, inauditas, novissimas & Disputationes offerre, & Decisiones proferre non provocari solùm, sed cogi videor.* Inscriptio *enim, seu* Nomẽ, *vt Isidorus* l. 1. Ætym. *loquitur*, est quasi Notamen, quod nobis vocabulo suo res notas efficiat. *Ast in has sanè non redigi angustias, tum* Singulariũ *nomenclatio: tũ Sapientium exemplar persuadent. Singulare enim, seu casus Singularis, vt ad plurale oppositus sæpe in Iure, sæpissime in Doctoribus accipitur. Consulatur quæso Rebuffus* in l. 122. de verb. signif.

Hac forsan usurpatione sapientissimi Iuris prudentiæ viri sua Opera Singularia Iuris *inscripsere; cum tamen in eis antiquas, vulgares, communes, prævias quæ tam in Iure, quam in Doctoribus vel omnes, vel ferè omnes quæstiones discutiant, ac sententias in lucem edant. Hi, qui quidem sublimi sapientiæ laude suo in ævo, utroque laureati iure floruerunt, sunt satis Iuris peritis noti, Ludovicus Pontanus, Matheus Mathesilanus, Henricus Boverius, Franciscus Cremensis, Petrus Geraldus de Petra Sancta, Antonius Corsetus, Hypolitus à Marsilijs, Guillermus de Ludo, Suarius de Mantua, Patavinus Amanellus, Ioannes Antonius Trigona, Bartolus de Saxo Ferrato, Aloysius de Albertis, alijque plures, quos longum esset recensere.*

Sed hercle ad aliam propriorem, ac dilucidiorem usurpationem in huius operis inscriptione adspiravi: Singularia enim Theologiæ Moralis, has meas Disputationes, & Decisiones inscribens, non antiquas, non vulgares, non prævias, non tritas luci tradere intendi, sed Singulares, speciales, ac novas, iuxta significationem, quam Iurisperiti a l. Singularia ff. si certum petatur huic nomini Singulare *tribuunt. Singulares igitur Disputationes, & Decisiones intendo, casus in primis quam plurimos in hoc volumine proponens à nullo usque modò, nec levissimè adumbratos;* In mensa enim Sapientis, *ut Carthusianus* init. l. 2. sent. *sapienter indicavit* nova semper fercula proponi debent; *immo & veteribus hæc anteponenda, ut Christus Scriptores docuit cum dixit* Omnis scriba doctus similis est Patri familias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera: *ubi Augustinus* l. 20. de civit cap. 4 Nova, *inquit* ponenda sunt priùs, quæ ut firmius probemus, assumemus, & vetera.

Alius item ex his Decisionibus à Doctoribus antea adumbratas edere nunc fateor, sed sanè levissimè illi has attigere, ego verò noviter ex professo discutio, iuris authoritate fulcio, rationum pondere stabilio; similiterque alias pervolvo, quæ & si in sapientium ore versabantur, numquam authoritate, & ratione discussæ lucem viderunt, clarissimaque hoc volumine fruentur novis resolutionibus adauctæ: Pigri enim est in genij cõtentum esse ijs, quæ ab alijs sunt inventa: *aiebat Quintilianus* l. 10. inst. cap. 2. *addebatq; Philo Iudæus* l. 1. de vir. Moys. Præclara ingenia multa novant circa scientias; Anima enim benè nata præceptis obviam sese offerens, à se ipsa magis, quàm a Magistris adiuvatur.

Alias denique disputationes propono à pluribus ex professo agitatas, sed ab eorum vestigijs segregatus vulgares defero sententias; Rectius arbitrans, *ut cum Plinio* l. 1. Epist. ad Tacitum *loquar*, in tanta re ratione magis, quam authoritate superari. *Cum* Nulli, *verbis utor Theodoreti* l. 1. de curand. Græc. affect. mihi meorum magis parendum esse, quam rationi existimem, quę consultanti mihi optima videatur, *Veneror sanè antiquos Doctores, sed sic veneror:* Vt temporum nostrorum ingenia non despiciam: neque enim quasi lassa, & effæta natura iam nil laudabile *parit, ut sentiebat Columela* præf. l. 1. *Sic veneror, ut non impellar eorum vestigia sequi, tritamque semper incedere per viam sine rationis excussione; nam ut rectè Seneca* l. de vita beata: Tritissima quæque via, & celeberrima, maximè decipit: nihil ergo est magis præstandum: quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed qua itur. *Hinc prudenter l. 1. §. sed nec, C. de vetere iure enucl. suos monebat Imperator Iustinianus Iudices:* Neque ex multitudine Authorum quod melius, & æquius est iudicato: cum possit unius forsan, & deterioris scientiæ, & maiores in aliqua parte superare. *Quod quidẽ principem locum obtinet in hac Moralis Theologiæ disciplina: de qua liceat profferre quod Tullius l. 3. de Offic. de Platonica Academia:* Nobis, *inquit* nostra Academia licentiam dat, ut quodcumque maximè probabile occurrat id nostro iure liceat defendere.

Scopus autem horũ Singulariũ prolixas controversias texere, integrũ de Sacramẽtis opus edere, prorsus abhorret: Sic enim eorum Essentiam, Materiam, Formam, Subiectum, Dispositionem, Ministrum, plurimaque alia inculcare adigeretur, quibus tum veteres, tum neoterici Doctores scatent: quod quidem, laboriosum erit potius, verbis utor Polibij, quàm utile, aut subtile: non enim expedit, ut de his, quæ prius à multis recte dicta sunt, iterum sermo habeatur. *Singulares ergo, ac magna ex parte novas aut speciales ad septem Sacramenta spectantes, praxique nimis prævias Disputationes, & Sententias prodam. Ad has stabiliendas, roborandas, dilucidandas, utriusque iuris principijs, ac legibus, Conciliorum statutis, Pontificum indultis, & decretis, Doctorum assertis, Theologorumque doctrinis utor: sic enim, non aliter*

ter præſtiturum, qui Auctoris nomen, & dignitatẽ aſſequi meretur, Seraphicus Doctor his verbis in prologo ſentent. ſapienter demonſtravit: Aliquis, *inquit*; ſcribit alienam materiam nihil addendo: vel mutando, & iſte merè dicitur Scriptor; Aliquis ſcribit aliena, addendo, ſed non de ſuo, iſte Cõpilator dicitur. Aliquis ſcribit & aliena, & ſua; ſed aliena tamquam principalia, & ſua tanquam annexa ad evidentiam, & iſte dicitur Cõmentator. Aliquis ſcribit & ſua, & aliena, ſua tanquam principalia, aliena tanquam annexa ad confirmationem, & iſte debet dici Auctor.

Singularia hæc rectum Sacramentorum tramitem à Baptiſmo ad Matrimonium ſequuntur. Ordinis Sacramento de Celebratione Miſſarum, ac Horarum Recitatione Tractatus non incongrue adnecti ſapiens quis iudicabit: ſicut & Pœnitentiæ adnectimus Appendicem celebriora Chriſtiani Orbis Iubilæa amplectentem; in quibus Clavium poteſtatem, pœnaque a culpa in Pœnitentia condonata dimanantis veniam venemur. Brevitati ita ſtudeo; vt forſan huic operi illud Auſonij Galli in Paulino *accomodare liceat.*

Brevius nihil eſt, nec plenius iſtis
Quæ firmata probant: aut infirmata reclinant;

Potius rationibus, quã Doctoribus ſententiæ noſtræ, & ſcatent, & nituntur: tũ qui plures ab alijs non agitatæ, tum quia aliæ à pluribus exploſæ. Et mihi ſanè Expoſitio ratione facta ſemper potior eſt illa, quę fit quacumq; authoritate *vt Henricus* ar. 16 ſum. theol. q. 8 *ſentiebat. Hoc noſtrorũ Singularium opus: Hic huius voluminis labor eſt:* Ad cuiuſcũque igitur manus devenerit, *verbis utor Moyſis Ægiptij lib.* 1. op⁹ hoc, ſi invenerit in eo illud quod vult, det gratias Deo; Quod ſi nihil utilitatis inveneritin eo: reputet ac ſi non eſſet liber compoſitus.

Errata ſic corrige in Singularibus.

Tractatu I. Singul. 4. n. 7. Partibus: partubus. Sing. 2. n. 6. horum, hi. Sing. 3. n. 7. ſufficere, adde, aſſerunt. Sing. 5. n. 4. ob obſtre. ab. n. 6. partibus: partubus. n. 7. Imperium, impium. n, 12. vitiorum, virorum. Sing. 6. Abni ijs comititti, ab ijs committi ni. Sing. 7. n. 5. vllitatis, nullitatis. Sing. 8, n. 1. pręcipium, præcipuum. Sing. 9. n. 7. ſed immeritò cum hi non expreſsé, & meritò cum hi expreſsè. Sing. 11 n. 7. in aliqua eſt, dele, eſt. Sing. 16. Dulti, Adulti. Sing. 18. n. 4. ab neceſſit, ob. Sing. 23. n. 7. obtinedæ, obtinendæ. n. 9. exequit, exequi. *Tract.* II. Sing. 12. n. 6. Baptizti, Baptizati. *Tract.* III. Sing. 1. n. 3. amplins, amplius. Sing. 3. n. 2. Carnalibui, carnalibus. Sing. 6. n. 5. viero, vero. Sing. 9. n. 2. facultatã, facultatem. Sing. 14. n. 5. emanatum, emananti. Sing. 15. n. obtinerunt, obtinuerũt. Sing. 21. n. 3. obſolvi, abſolvi. Sing. 26. n. 5. indiſtinctim, indiſtinctè. Sing. 28 n. 5. præficitur, perficitur. *Tract.* IV. Sing. 3. n. 10. oblitum, oblitus ibi, dicens, dicit. Sing. 4. n. 2. Navarria, Navarri. Sing. 8. n. 2. deſerri, deferri. ibi ſuſtitinere, ſuſtinere. Sing, 10. n. 2. quod, quoad. Sing. 11. n. 2. in VIII in VII. Sing. 12. n. 5. abeſſet, abeſſe. Sing. 13. n. 2. alia, aliam. Sing. 15. n. 4. morti, morte. *Tract.* V. Sing. 7. n. 3. aut minim. ut. *Tract.* VI. Sing. 8. n. 12. p. 149. infra, intra. Sin. 9 n. 8. addiſcerint, addidicerint. Sing. 20. n. 8. beneficiam. beneficium. Sin. 21. n. 4. precox ingenij, ingenio. *Tract.* VII. Sing. 1. n. 4. obſervat, obſervare. Sing. 2. n. 1. Grenenſis, Gienenſis. Sing. 4. n. 9. pro Canonizati, Canonizatis. Sing. 12. n. 9. celebra, celebrat. Sing. 21. n. 3. 1623. 1624. Sing. 26. n. 5. deniſque, denique Sing. 28. n. 6. & 7. fruſtum, fruſtrum. Sing. 29. in titulo: An ſi in Cathedrali vel, Et. Sing. 31. n. 1. informitantibus, infirmitatibus. Sing 33. n. 1. Eccleſij, Eccleſijs. n. 5. indul tia. indulti. Sing. 34. n. 2. contingerit, contigerit. Sing. 35. n. 6. ea, eam. Sing. 36. n. 5. unquem, unguem. ibi. pirorum Virum, piorum Virorum. Sing. 38. n. 1. Tutrlis, Futilis. Sing. 41. n. 3. præcipui, præcipuis. Sing. ult. n. 2. tum Cathedralis tum, dele hoc: nam legendum; Archiaconi particularium locorum. *Tract.* VIII. Sing. 2. n. 1. Dei ſequentis, adde, vel potius proprij. Sing. 14. n. 11. conſenſum, conſonũ. Sing. 5. n. 1. ſeniunt, ſentiunt. n. 11. præferentis, proferẽtis. Sing. 12. n. 7. necnon, nec nos. Sing, 18. in tit. & n. 3. & 15. Abitillo, Abico. Sin. 19. nullam, nullum. *Tract.* IX. producentur, producuntur. Sing. 9. n. 3. illud effectum, illum.

Errata ſic corrige in Appendice.

Tract. I. 1. dub. 1. n. 3. Euchuariſtiæ, Euchariſtię. d. 3. n. 1. appellanit, appellavit. d. 10. n. 5. non interpretana, interpretanda. d. 12. & ſeq, Numerum dubiorum 13. 14. 14. corrige 12. 13. 14. d. 14. n. 4. p. 88. 2. S. Thomas S. Thoma. n. 7. p. 285. quiumſuique, quibuſcumque. d. 17. n. 2. cum panis, campanis. ibi. Canonici, autem & Clerici, Canonicis, & Clericis. d. ult. n. 2. finitra, finita. *Tract.* 4. Societatis, Societati. d. 10. n. 5. non adſit, dele non. d. 17. n. 7. iam, eam. *Tract.* VI. fol. 331. titulo. d. 6. 7. *Tract.* VII. d. 1. n. 1. dubium, rudium. d. 2. n. 3. Tract. 4. dic. 3. d. 7. n. 4. perfectum, profectum. d. 9. n. 5. Tract. 4. dic. 3. *Tract.* VIII. Excoramunicationis, Excommunicat. d. 4. n. 2. poſſidenſis, poſſidentis. d. 11. n. 4. Tract. 8. dic. 7. d. 14. n. 5. p. 361. initio, dele, tus & capax, &c. uſque eſt capax. *Tract.* IX. d. 1. n. 2. imaginibus, imagines. ibi. inveniantur, inveniuntur. fol. 370. Dubium Vlt. IV. d. 6. n. 7. effationem, eflationem. d. ult. n. 6. ingentias tum quia iamen. indulgentia eam. Conſule ommiſſa fol. 377.

IN-

INDEX
TRACTATVVM, SINGVLARIVM, ET DVBIORVM,

Quæ in hoc primo volumine cõtinentur.

AD BAPTISMVM.

Singularium Tractatus primus.

SINGVLARE I.

QVID conſulendum, ſi Parochus, aut Obſtetrix fateantur, ſe ex pluribus, quos baptizavèrant, circa aliquos ſibi omnino ignotos baptizandi intentionem nõ habuiſſe? fol. 1.

II. An in ſententia aſſerente, Deum ſupplere perverſam baptizantis intentionem, cum ea baptizati iterum baptizari debeant? 4.

III. Vtrum Omnes Infantes, & Adulti à Paganis, Iudæis Sarracenis, aut Hæreticis baptizati, iterum baptizandi ſint ſub conditione? 6.

IV. An ita dubitari, aut præſumi poſſit de baptiſmis collatis à Parocho, vel Obſtetrice ex Hebræorum, aut Sarracenorum ſanguine ortis, ut omnes iterari poſſint ſub conditione? 8.

V. Vtrum Omnes Infantes à parentibus, cognatis, obſtetricibus, vel ab alijs laicis, viris, aut feminis ob mortis periculum, aut aliam cauſam domi, vel alibi baptizati, baptizari iterum poſſint, & debeant ſub conditione? 9.

VI. Vtrum Parochi teneantur ſub mortali diligenter inquirere de valore baptiſmi eorum, qui domi ab Obſtetricib⁹ vel ab alijs baptizati ad Eccleſiam deferuntur? 12.

VII. Qualis, & quanta debeat eſſe Parochi inquiſitio de baptiſmo eorum, qui domi iam baptizati, ad Eccleſiam deferuntur? 13.

VIII. Cum quædam nobilis femina crebris, vehementibuſque ſcrupulis de ſui baptiſmi valore hęſitaret, licèt leviſſimo dubij, aut ſuſpicionis fundamento, quæſitum eſt, an baptizari iterum poſſet ſub conditione? 14.

IX. An infans inter Catholicos expoſitus ad Eccleſię, vel alicuius domus vas, ſcriptum habens collo appenſum, baptizatum eſſe teſtificans, ſit ſub conditione baptizandus? 16.

X. Quid facere debeant Epiſcopus, Sacerdos, aut Confeſſarius ita dubij de ſuo baptiſmo, ut iterari ſub conditione neceſſarium ſit? 19.

XI. Quid præſtare debeant, ij, qui Ordines ab Epiſcopo, & abſolutionem ſacramentalem perceperunt à Confeſſario de ſuo baptiſmo dubijs? 21.

XII. Quidam Religioſus profeſſus de ſui baptiſmi valore verè dubius, rogavit, an Religionem poſſet deſerere, aut teneretur profeſſionem ratificare; & an valida extitiſſent acta ipſi⁹, & Subditi, & Prælati? 25.

VIII. Vtrum Dubius de ſuo baptiſmo teneatur ſub mortali a dubio hoc ſe expedire, & baptiſmũ ſub cõditione recipere; quam primùm ei de uero dubio conſtet? 24.

XIV. Vtrum Parochi, Parentes, & Domini ſub gravi culpa teneantur baptiſmum conditionatum procurare ſubditis, filijs, & ſervis de primo baptiſmo verè dubijs? 25.

XV. Quo modo diſponendus ſit Adultus recepturus conditionalem, vel abſolutum baptiſmum circa Intentionem, & Notitiam illius? Vbi de baptiſmo Æthiopum, aut Nigrorum, qui veniunt ex Guinæa, Angola, & alijs Provincijs. 27.

XVI. Vtrum Dolor de peccatis, & illorum Confeſſio in conditionato Adulti baptiſmo requirantur? 28.

XVII. Quæ praxis obſervanda ſit in adminiſtratione baptiſmi cõditionalis tã Puerorũ, quam Adultorum circa Tempus, Locum, & Miniſtrum. 29.

XVIII. Quæ praxis obſervanda circa Patrinum, Ritus, & Conditionem in baptiſmi cõditionalis adminiſtratione. 30.

XIX. Parochus quidam invalide adminiſtravit pluribus annis baptiſmum: interrogatum eſt, an cum gravi temporalium bonorum; famæ, & vitæ detrimento teneretur hoc ita propalare, ut baptiſmi omnes iterari poſſent? 31.

XX. Qualis, & Quanta ſit futura neceſſitas, ut infantes licitè domi baptizentur? 32

XXI. Quinam ſint Regum, & Principum Liberi, qui domi ſine cauſa, licitè baptizari poſſunt? 33.

XXII. An lethalis culpa ſit baptizare aqua non benedicta in Baptiſmo ſolemni? 34.

XXIII. Sarracenus ad ultimum ſupplicium Hiſpali damnatus, converſus eſt ad catholicam fidem; quæſitum fuit, an baptiſmus ſuſcipiendus foret iuxta patibulum, vel antea, ut Euchariſtia ei miniſtraretur? 35.

XXIV. An lethaliter peccaret qui puerum rationis impotem ad Suſceptoris munus in baptiſmo obeundùm offerret, ac Parochus, qui eum admitteret? Vbi de Nominibus in baptismo imponendis? 37.

Vltim. An liceat, ac deceat Religioſos omnes tam Mendicantes, quàm non Mendicantes, Sanctimoniales etiam, Infantes è ſacro fonte abſque licentia, & culpa ulla ſuſcipere. 39.

AD CONFIRMATIONEM,

Singularium Tractatus ſecundus.

Sing. I. Vtr. Confirmandus Doctrinam Chriſtianam ſcire, aut ſaltèm Sacramentum ab ipſo percipiendum percipere teneatur? 41.

II. Vtrum Capitaliter plectendis Confirmationem adminiſtrari oporteat: ubi an etiam alijs Moribundis? 42.

III. Cum Chriſma deficeret, Epiſcopus quidam Confirmandos inungebat Oleo Infirmorum: dubitatum eſt an Sacramentum teneret; uel illud itera re neceſſum ſit? 43.

IV. Vtrum Liceat Matrimonium inire, Profeſſionem in Religione emittere, aut Euchariſtiam, alia ve Sacramenta ſuſcipere, vel miniſtrare ante Confirmationis ſuſceptionem? 44.

V. Vtrum Ex privilegio aliquo valeant Regulares Confirmationis Sacramentum modó miniſtrare; ubi an etiam Ordines minores valeant conferre? 45.

VI. Practicæ obſervationes circa adminiſtrationem Confirmationis, quæ fieri valet a Regularibus in novo Orbe: Vbi adnotantur alja circa uſum privilegiorum in Indiarum, & Infidelium Provincijs. 47.

VII. An ſi non Confirmatus in Confirmatione Patrini munus obiret, lethaliter peccaret; ubi an cognationem ſpiritualem contraheret? 48.

VIII. Vtrum Omnes Regulares, Moniales etiam, poſſint ſine veniali culpa, ac etiam ſine ulla cauſa Adultos, vel Infantes in Confirmatione ſuſcipere? 49

IX. An Sacramentum Confirmationis virtutem habeat ſupernaturalem ad morbos expellendos. Dæmoneſque abigendos: illiuſque Chriſmate ad hos fines uti liceat? 50

X. Quando expédiat, ut Confirmandis Nomina in Confirmatione mutentur? 51.

XI. Vtrum Teneantur Parochi ſcribere nomina eorum, qui in ſua paræcia Cõ firmãtur, & Confirmandos ſuſcipiunt; vbi an baptiſmum adminiſtrantes ad id etiam graviter obligentur? 51.

XII. An Confirmationis, & Baptiſmi Libri plenam Fidem, aut probationem in utroque foro faciant? Vbi de alijs ſimilibus Libris, 52.

XIII. Vtrum Cuicumque in aliena paræcia, aut Oppido, vel etiam in aliêna Diœceſi Confirmari liceat? 53.

Vltim. An ſine ulla neceſſitate, ac culpa idem poſſit eſſe Patrinus eiuſdem in Baptiſmo, & in Confirmatione, vel plurium in eodem veſpere, aut mane? 54.

AD POENITENTIAM,

Singularium Tractatus tertius.

Singul. I. Caſus in Hiſpalenſi Diœceſi, ac ſimul in alijs reſervati, breviſſimè exponuntur. Vbi quid in illis ſub *Excommunicationis maioris* voce reſervetur? 55.

II. Quid in Hiſpalenſi, ac in alia quacumque Diœceſi reſervetur ſub verbis, *Juramenti, & Homicidij voluntarij*? 56.

III. Quid ſub nomine *Sacrilegij*, reſervetur in Hiſpalenſi, ac in quacumque aliâ Diœceſi? 57.

IV. Quid ſub nomine *Sortilegij* reſervetur in Hiſpalẽſi, ac in alijs Diœceſibus. 59.

V. Quid reſervetur in Hiſpalenſi Diœceſi, vel in quacumque alia ſub hoc verbo, *Matrimonio Clandeſtino*? 60.

VI. Quid in verbis illis, *Vſuras, y Renuevos*, reſervetur in Hiſpalenſi, ac in alijs Diœceſibus? 61

VII. Quid continéatur ſub his reſervationis verbis, *Diezmos retenidos*? 62.
VIII. Vtrum quodcũque peccatum mortale externum circa materiam caſuum reſervatorum in quacumque Diœceſi, cadat ſub reſervationem? 63.
IX. Vtrum Parochi reſpectu ſuorum Parochianorum, & Confeſſores Ordinarij reſpectu Regularium ſui conventus valeant ſine nova Prælatorum facultate abſolvere a caſibus reſervatis? 64.
X. Vtr. Expediat, vel ſaltim liceat facultatem generalem concedi Parochis, ut in ſua parochia, & Confeſſoribus aſſignatis pro Regularibus, ut in ſuo monaſterio, vel aliquibus perſonis particularibus, ut in Diœceſi, vel Religione, abſolvant à reſervatis? 65.
XI. Practicæ, & ſelectę obſervationes nes pro Regularium, nec non Sæcularium Confeſſoribus quoad caſus reſervatos. 66.
XII. Selectæ aliæ obſervationes quoad caſus reſervatos proponuntur. 68.
XIII. Practicæ, & ſelectæ obſervationes pro Regularium [nec non Sæcularium] Prælatis quoad caſus reſervatos. 69.
XIV. Vtr. Ex Tridentino, alio ve decreto ante SS. D. N. Vrbanum VIII. edito ablata ſit Regularibus poteſtas abſoluendi Sęculares à caſibus Epiſcopo reſervatis? 71.
XV. Vtr. Extet aliquod decretum SS. D. N. Vrbani VIII. prohibens Regularibus abſolutionem à caſibus Epiſcopo reſervatis ex vi ſuorum privilegiorum? 72.
XVI. Ex Bullis Pontificijs ante Tridentinũ conceſſis facultas Regularium ad abſolvendum â caſibus Epiſcopo reſervatis: extante etiam decreto SS. D. N. Vrbani VIII. adſtruitur. 73.
XVII. Ex alijs Pontificijs Indultis poſt Tridentinum editis prædicta Regularium poteſtas ſtabilitur. 74.
XVIII. Vtr. Regulares virtute Cruciatæ abſolui poſſint à peccatis mortalibus non reſervatis? 75.
XIX. Quam poteſtatem habeant Confeſſores deputati in domibus Societatis Ieſu pro audiendis Noſtrorum confeſſionibus; ubi quam etiam habeant Confeſſores Ordinarij aliorum Regularium reſpectu illorum? 78.
XX. An, & Quando prohibeãtur Confeſſores Societatis Ieſu abſolvere Noſtros, & Externos excommunicatos nominatim, aut generaliter ab homine? 80.
XXI. Selectę Adnotationes circa abſolutionem Regularium, & Sæcularium, à prædicta excommunicatione: nec non circa facultates noſtrorum Confeſſariorum. 81.
XXII. Quam poteſtatem habeant Confeſſarij noſtrorum, & aliorum Regularium in ordine ad abſolutionem ſuorum à ſuſpenſione, & interdicto: ac ad diſpenſandum cum eis in irregularitate, vel in Eccleſiaſticis præceptis, & legibus? 82.
XXIII. Quam poteſtatem habeant Confeſſores Superiorum in Societate Ieſu, & in alijs Religionibus circa abſolutionẽ â reſervatis: nec non â cenſuris? 84.
XXIV. An Confeſſores Superiorum in Societate Ieſu, ac alijs Religionibus poſſint cum ipſis diſpenſare in Ieiunijs, Horis canonicis, & alijs Eccleſiaſticis præceptis? 86.
XXV. Vtr. Confeſſores Regulares, vel Sæculares approbati generaliter ab Epiſcopo Diœcetano pro hominum, & feminarum confeſſionibus, poſſint ſine ipſius ſpeciali licentia audire confeſſiones Monialium ipſi Epiſcopo, aut Regularibus ſubiectarum? Vbi alia de his Monialium Confeſſoribus. 87.
XXVI. Vtrum Moniales Regularibus, vel Epiſcopo ſubiectę abſolvi poſſint a caſibus Pontifici, & Ordinario, aut etiam in ſua Religione, vel monaſterio reſervatis? Vbi de earum Confeſſoribus extraordinarijs. 88.
XXVII. Quid exequi valeat, vel teneatur Iudex, cum Reus admortem damnatus ſacramentalem Confeſſionem facere non vult? 89.
XXVIII. Quæ peccata confiteri debet, qui iam Adultus ſub conditione baptizatus fuit ob primi baptiſmi dubium: & quomodo hic abſolvendus? 91.
vlt. Quando obliget ſtatutum Synodi Hiſpalenſis de non ſubſcribenda ſchedula confeſſionis, quam quis non audivit? 92.

AD EVCHARISTIAM,

Singularium Tractatus quartus.

Sing. Vtrum Culpa lethalis ſit Lampadem coram SS. Euchariſtię Tabernaculo accenſam non conſervari: Et cuius ſit hęc obligatio? 93.
ii. Vtrum Liceat intra Monialium chorum, vel clauſuram Euchariſtiam perpetuò conſervari, aut per unum, vel alterum diem collocari? 94.

III. Vtrum Liceat Monialium Capellano intra clauſuram ingredi ad miniſtrandum Euchariſtiam Moniali ægrotanti quoties eam petierit: etiam ſi quotidie petat? 95.

IV. An requiratur ſtatus gratiæ in eo, qui Euchariſtiam populo ſolemniter manifeſtat, aut publicè in proceſſionibus defert, ſeu ob aliquam cauſam Euchariſtię pyxidem, aut Species Sacramentales extra Sacrificium immediatè tangit? 97.

V. Vtrum Sub mortali teneantur omnes Sacerdotes Sæculares, vel Regulares Euchariſtiam accipere de manu proprij Parochi, vel Prælati, Feria V. in Cæna Domini? 99.

VI. Vtrum In die Paraſceves Clericis, vel Laicis Euchariſtiam accipere in Eccleſijs ętiam Regularium: vel in Sabbato ſancto liceat? 100.

VII. An, & quando teneatur Parochus Euchariſtiam miniſtrare Infirmo in lecto iacenti, non pro viatico, ſed pro ſua deuotione illam petenti? 102.

VIII. Vtrum Teneatur Parochus deferre Euchariſtiam Moribundo, ſi timeat eam nō poſſe illi adminiſtrare, niſi valde feſtinet? 104. (*Numerus VIII. bis poſitus fuit ob errorem.*)

VIII. Vtrum Parochus deferens Euchariſtiam Infirmo longe diſtanti poſſit vehi equo: & an Laicus eam deferre tunc valeat? 105.

IX. Vtrum Sacerdos in Societate Iesu profeſſionem ſolemnem in die Nativitatis Dominicæ emittens, ac de manu Prælati Communionem more laici accipiens, poſtea eadem die ſemel aut bis celebrare poſſit, vel è cōtra, priùs Communicare: Et an aliquando id liceat? 105.

X. An Sacerdos ob Cōmunionem laicam, & celebrationem deinde factam accuſari poſſit apud S. Inquiſitionis Tribunal: illudque de hoc crimine cognoſcat? 107.

XI. Petrus Euchariſtiam pro viatico accepit in Dominica Palmarum; intra illos 15. dies convaluit; dubitatū eſt, an in illis teneatur iterum communicare ut præcepto annuæ Cōmunionis ſatisfaciat? 107.

XII. Vtrum Parochus valeat abſque ulla prorſus cauſa concedere ſibi ſubdito, ut Euchariſtiam recipiat in quacūque, etiā Regularium, vel alterius oppidi Eccleſia, aut Oratorio; ſicque præcepto annuę Communionis ſatisfaciat? 109.

XIII. Vtrum Reo ad mortem damnato, ad ipſum ſuplicij diem Euchariſtiæ ſuſceptionem; data opera, differenti, Iudex in ſequentem diem ſententię executionem differre teneatur? 111.

XIV. Vtrum Reo ad mortem damnato omnibus diebus à ſententię denuntiatio ne uſque ad illius executionem labentibus expediat, vel liceat Euchariſtiā miniſtrari; ſive ſit ieiunus, ſive non? 113.

XV. An dētur aliqui caſus, in quib⁹ iudex non teneatur Reis ad mortem damnatis tempus concedere, ut ſacram Euchariſtiam ante ſupplicium percipiāt? 115.

Vlt. Cum quis ad patibulum duceretur, Sacerdos ad eum acceſſit ferens in pectore abſconſam ſacram Euchariſtiam, parva pixide incluſam, & illam manifeſtavit, ac Reus amplexatus eſt Sacerdotē oſtendentem: dubitatum fuit, an ille à ſupplicio liberandus ſit, Eccleſiæque tradendus? 117.

AD EXTREMAM VNCTIONEM,

Singularium Tractatus Quintus.

Sing. I. Vtrum Olei nō benedicti additio, ſeu cum benedicto admixtio, quæ in aliquibus Diœceſibus fieri ſolet: materiam præbeat ſufficientem pro Extrema unctione adminiſtranda? 119.

II. Vtrum Sub gravi culpa teneantur locorum Ordinarij materiam certam providere Extremæ Vnctioni Olei quantitatem ita ad integrum annum ſufficientem conſecrantes, vel conſecrari facientes, ut nullam, vel exiguam addi Olei nō benedicti ſit opus, vel exigua additio ſufficiat? 121.

III. Quibus Sæcularibus licitè valeant Regulares Extremę Vnctionis Sacramentum adminiſtrare? Vbi de adminiſtratione Viatici. 122.

IV. Practicæ Adnotatiōnes circa privilegia conceſſa Regularibus quoad Extremę Vnctionis, nec non Euchariſtiæ adminiſtrationem. 123

V. An Lethalis culpa ſit ſine lumine ad ęgros ſacrum Extremę Vnctionis Oleū deferri, & ſine eo, vel veſtibus, & ſolemnitate miniſtrari? 124.

VI. Vtrum Femina Sacerdoti Extremam Vnctiōnem conferenti miniſtrare, ſeu reſpondere valeat? 125.

VII. Parochus quidam initiò cuiuſcumque morbi Infirmum ungebat, ut ſe ab hac cura expediret; interrogatum eſt, an hic validè, & licitè hoc Sacramentum adminiſtraverit? 126.

VIII. Vtrum Peccet mortaliter Parochus, qui data opera nollet Extremam Vnctio-

tionẽm Infirmo adminiſtrare, niſi cum iam ſenſibus eſt deſtitutus, ipſiuſque omnino deſperata eſt ſalus? 127.

IX. Vtrum Parocho liceat domi ſacrum Extremæ Vnctionis Oleum cuſtodire, ut cõmodiùs ex ea ad Ægrotos noctu deferat, vel ne Eccleſiã adire ſit op⁹? 128.

Vlt. Vtrum Liceat Parocho ſacrum Extremæ Vnctionis Oleum ad Infirmos mittere; ut eo ungãtur, ſicque ſanitatem recuperent? 128.

AD ORDINEM,

Singularium Tractatus ſextus.

Sing. 1. Quomodo conferendus ſit Ordo Sacerdotalis, vel quilibet alius ijs, qui ob probabile dubium de valore ſui baptiſmi, illum ſub conditione iterum ſuſceperunt? 129.

II. Quidam Epiſcopus de ſui baptiſmi valore veré dubius, ſciſcitatus eſt; Quomodo Ordinem Epiſcopalem, & alios revalidare valeat? 130.

III. Quid exequi teneatur Epiſcopus de ſuo baptiſmus dubius, circa eos, quibus ſacramenta Ordinis, Confirmationis, & Pænitentiæ adminiſtravit? 131.

IV. Vtrum Capitulum, Sede-Vacante, poſſit infra annum concedere litteras dimiſſorias ad accipiendam primam Tonſuram, etiàm ſi beneficium, aut Capellania non ſit conferenda? 132.

V. Quinam ex Sæcularibus Ordinari valeant ab Epiſcopo, cui Capitulum intra primum vocationis annum facultatem conceſſit, ut in vacanti Eccleſia Ordines celebret? 133.

VI. Dum ad Ordines generales examinarentur mortuus eſt Epiſcopus feria VI. quatuorum Temporum: rogatum eſt, an Capitulum Sede-Vacante poſſet tunc cõcedere licentiam Epiſcopo Titulari, vel alterius Diœceſis, ut ſabbato ſequenti Ordines celebret? 134.

VII. Quinam ex Sæcularibus Ordinari valeãt in caſu præcedentis Singularis? 136.

VIII. Vtrum in caſu propoſito Sedis-Vacantis poſſent Ordinari omnes Regulares, etiam non examinati ante mortem Epiſcopi? 137.

IX. Vtrum Examinatoribus liceat ad Sacros Ordines approbare Regularem, ſeu Sæcularem latinæ lingũę prorſus ignarũ, qui omnium Ordinum miniſteria exercere rectè ſciat, & valeat? 140.

X. Quæ intelligẽtia latinæ linguæ ſufficiat, ut quis ſacris initietur. 141.

XI. Vtrum Inferior intelligentia latinę lingũę exigatur in Regulari, quàm in Sæculari, Minoribus, vel Sacris Ordinibus initiando? 142.

XII. Vtrum Epiſcopus, vel Pontifex diſpẽſare valeãt, ut Sacris, aut Minoribus Ordinibus initietur Regularis, vel Sæcularis latinæ linguæ, vel eorum, quę ad Ordines ſpectant, prorſus ignarus? 144.

XIII. Vtrum Epiſcopus diſpenſare valeat, ut ſacris initietur Secularis, vel Regularibus linguæ latinę prorſus ignarus: in Ordinum verò functionibus, diviniſque Officijs celebrãdis valdè ſtrenuus? 145.

XIV. Practicæ Adnotationes pro Prælatis, ac Examinatoribus, quoad examen Ordinandorum rectè exequendum. 146.

XV. Vtrum Simoniam committat Examinator approbãs ad Ordinem illitteratũ pecunia, aut munerum pretio? 148.

XVI. Petrus in latina lingua parùm verſatus Ioannem ſubrogavit, ut ficto nomine pro ſe eramen ad ſacros Ordines ſubiret; & approbato Ioanne pro Petro, immediatè ante Ordinis receptionem Confeſſori hoc propalavit: dubitatum eſt, an abſolvi poſſit, vel quid ei conſulendum? 150.

XVII. Vtrum Sub mortali teneantur ſacris initiandi Euchariſtiam ſumere in Miſſa, in qua Ordines ſuſcipiunt: vel an hi, & qui minores Ordines ſuſcepturi ſũt; teneantur confiteri? 151.

XVIII. Petrus ab Ordinario Hiſpalenſi litteras dimiſſorias obtinuit, ut ſacros Ordines ab Epiſcopo Gaditano ſtatutis à Iure temporibus ſuſciperet, ille poſtea á Nuntio licentiam eſt adeptus, ut â quocumque Antiſtite extra tempora initiaretur: interrogatur, an licuerit hac facultate uti ſine nova Ordinarij Hiſpalenſis licentia? 151.

XIX. Granatenſis Ordinarius litteras dimiſſorias conceſſit Ioanni, ut ab Epiſcopo Giẽnenſi ſacros Ordines acciperet: ille verò eos ab Epiſcopo Cordubenſi accepit; dubitatũ eſt, an hoc liceret? 153.

XX. An, & Quomodo qui nondum decimum quartum annum attigit, poſſit obtinere Capellaniam, quæ verè ſit Beneficium Eccleſiaſticum? 154.

XXI. An puer ſeptẽnio non completo prima Tonſura poſſit initiari? 156.

DE CELEBRATIONE MISSARVM,

Singularium Tractatus ſeptimus.

Sing. 1. Vtrum Epiſcopus, aut locorum Ordinarius poſſit abſque novo Sedis Apoſtolicæ

tolicæ decrêto cum Miſſa, & Officio divino in ſua Diœceſi Sanctos celebrare, quos in eorum Canonizationis indultis Pontifex celebrandos concedit. 157.

II. An Sacræ Rituum Congregationis decretum extet, celebrationem horum Canonizatorum prohibens? Vbi nonnulla circa illam adnotantur. 158.

III. Vtrum De quocumque Sancto Canonizato: etiam ſi in Kalendario non ſit deſcriptus, neque in ſpeciali Bulla detur facultas ad illius celebrationem; dummodò ſit in Martyrologio Romano, poſſit Miſſa votiva celebrari? 160.

IV. Vtrum Iuxta Miſſalis Rubricas, & Sacræ Congregationis decretum, de quocumque Canonizato, etiam in Kalendario non exiſtenti, Miſſa uotiva dici poſſit? Vbi alia circa ipſius cultum adnotantur? 161.

V. Vtrum De Beatificato poſſit Miſſa votiva dici â quocumque Sacerdote, & Pontificia ab Epiſcopo; nec non fieri in ipſius honorem Proceſſio ſolemnis in aliqua Eccleſia, vel oppido? 162.

VI. An, & Quomodo de SS. Confeſſoribꝰ, & Martyribus Societatis Ieſu in ipſorũ feſtivitatibus Miſſam celebrare, & Officium recitare liceat ipſis Societatis, & aliorum Ordinum Regularibus; nec nõ Sæcularibus Sacerdotibus? 163.

VII. Quo ritu, loco, die, & quibus circũſtantijs, & perſonis celebrare & recitare liceat de his, & alijs Sanctis Canonizatis. & Beatificatis? Vbi de horum, & ſimilium cultu. 164.

VIII. Vtrum Quælibet particularis Eccleſia tam Sęcularium, quàm Regularium poſſit quottanis celebrare cum Miſſa, & divino Officio diem ipſius Dedicationis, etiam ſi conſecrata non ſit? 167.

IX. Vtrum Quelibet Hiſpaniæ Eccleſia abſque nova Sedis Apoſtolicæ, aut ſacræ Rituum Congregationis conſultatione, & facultate, poſſit ſuarum Diœceſum Sanctos Naturales cum Miſſa, & Officio celebrare? 169.

X. V. Hiſpaniæ Eccleſiæ poſſint cum Miſſa, & Officio celebrare de aliquo Sancto ſui Regni Naturali, ſi hic neque in Kalendario, neque in Romano Martyrologio exiſtat, nequé ipſius extet Canonizationis indultum? 170.

XI. Quem Canonizationis gradum obtinere debet Sanctus Hiſpaniæ Naturalis, in Martyrologio non deſcriptus, ut de ipſo celebrari poſſit: & an de Beatificatis tantùm? 171.

XII. Quinam Sancti appellentur, & verè ſint Hiſpanię Naturales, ut ipſos cũ Miſſa, & Officio Hiſpaniæ Eccleſiæ celebrare valeant? 172.

XIII. Alij Tituli, ex quibus Sancti Naturales Hiſpaniæ conſtituuntur: ut illius Eccleſiæ de illis cum Miſſa, & Officio divino celebrare valeant. 174.

XIV. Ex quibus teſtimonijs cognoſcendus, credendus ve ſit alicuius Diœceſis Naturalis aliquis Sanctus, ut de ipſo cum Officio, & Miſſa celebretur? Vbi quam fidem faciãt Martyrologia, Breviaria, Epitaphia, Inſcriptiones, Scripturæ, & Libri antiqui. 176.

XV. Vtr. Sufficiat teſtimonium unius tantùm Hiſtoriographi, aut Scriptoris aſſerentis, aliquem *Sanctum* alicuius Diœceſis Naturalem eſſe, ut de eo in ea cum Miſſa, & divino Officio celebretur? 178.

XVII. An ob teſtimonium alicuius, vel aliquorum Scriptorũ negantium aliquem Sanctum alicuius Diœceſis eſſe Naturalem, de hoc in ea celebrari nequeat? 180.

XVIII. Quam fidem faciant Hiſtoriographi de Rebus Hiſpaniæ: ij pręcipuè, ex quibus Sanctos Hiſpaniæ Naturales eſſe probatur, ut in ea de ipſis cum Miſſa, & divino Officio celebretur? 182.

XIX. Cui competat Sanctos Diœceſũ quarumcumq; Naturales eſſe declarare, & eos admittere, ut de eis cum Miſſa, & divino Officio celebretur? 183.

XX. Quinam Ritus concedendus ſit Sanctis Naturalibus Hiſpaniæ: & an hic mutari poſſit ab Epiſcopis? 183.

XXI. Vtr. Omnes Sacerdotes Sæculares, Hiſpaniæ Incolæ teneantur celebrare, & recitare de Sanctis Naturalibus ſuę Diœceſis, & de Singularibus illius Feſtivitatibus? 185.

XXII. Vtr. Regulares in Hiſpania teneantur celebrare, & recitare de Sanctis Naturalibus, & Feſtivitatibus proprijs ſuæ Diœceſis? 186.

XXIII. Vtr. Regulares in Hiſpania habentes monaſteria poſſint celebrare cũ Miſſa, & Officio divino feſtivitates Sanctorum Naturalium, ubi reſident? 188.

XXIV. Vtr. Sacerdotes Hiſpani, tam Sæculares, quam Regulares extra Hiſpaniam morantes, poſſint celebrare, & recitare de Sanctis Naturalibus ſuæ Diœceſis in Hiſpania, deque eius proprijs ſolemnitatibus? 190.

XXV. Quę Regna, vel Provinciæ ſub nomine Hiſpaniæ comprehendantur, ut de Sanctis Hiſpaniæ Naturalibus celebrare va-

valeant? 190.
XXVI. Vtr. In Bętica celebrari poſſit de Sancto, aut Feſtivitate pro Regno Caſtellæ ſolum conceſſa? 192.
XXVII. Quomodo Hiſpaniæ Eccleſię, & aliæ celebrare poſſint de Sanctis, quorũ Reliquias habent: & V. poſſint ſi hi Sãcti Beatificati ſint tantùm? 193.
XXVIII. Animadverſiones pro celebratione Sanctorum, quorum Reliquiæ in aliqua Eccleſia poſſidentur. 195.
XXIX. An ſi in Catedrali, & in alia eiuſdem Vrbis Eccleſia duę inſignes extent Reliquæ Sanctorum, qui eodem die ſimul ſimplici ritu in Breviario celebrantur, poſſint in diverſis celebrari diebus? 196.
XXX. Quid in prędictis obſervandum, ſi Sancti, quorum Reliquę poſſidentur, ſemiduplici, vel duplici ritu ſimul celebrentur, & quid ſi illæ ſint eiuſdem Sãcti? 197.
XXXI. An ſi in facultate celebrandi Sacrũ in privatæ domus Oratorio aſſignetur Civitas, poſſit privilegiatus extra illam privilegio uti? 198.
XXXII. Practicæ obſervationes circa celebrationem Miſſarum in privatis Oratorijs. 200.
XXXIII. Obſervationes aliæ circa celebrationem Miſſarum in privatis Oratorijs: Vbi de privilegio Cruciatæ circa Oratoria. 201.
XXXIV. Practicæ Adnotationes circa Regularium privilegia ad Altaria, & Oratoria erigenda, in quibus Miſſa celebretur. 203.
XXXV. Vtr. Sacerdotes in Hiſpania teneantur in Miſſis dicere Collectam: *Et Famulos tuos?* 204.
XXXVI. Quæ Perſonæ, & cum quibus circunſtantijs nominandæ ſunt in hac Collecta: *Et Famulos tuos*; & an liceat, quidquam ei addere? 206.
XXXVII. Quam Miſſam dicturus Sacerdos, qui diei, vel Sancti propriam in Miſſali non invenit? 207.
XXXVIII. An, & quando liceat, aut expediat Nominibus proprijs Sanctorum, de quibus celebratur, Cognomina addere in Miſſę Sacrificio? 207.
XXXIX. Vtr. Peccaret moraliter Sacerdos qui Prophetias ſemper omitteret in Miſſis quatuor Temporum, vel Sequentiam in Feſtis, aut pro his Miſſas alias diceret? 209.
XL. Vtr. Miſſa Hebdomadę Sanctæ, in quibus legitur Paſſio Domini poſſint ſine illà celebrari, dicta ſolùm poſtrema parte, quę Evangelij loco reponitur, vel pro his Miſſis alias votivas dicere liceat? 210.
XLI. Ad quem in Cathedralibus Eccleſijs ſpectet, mortuo, abſente, vel impedito, aut nolente Epiſcopo, ſolemnem pedum ablutionem Feria V. in Cæna Domini facere, & ad quem in alijs Eccleſijs? 211.
XLII. Vtr. Coadiutor Decani in ipſius abſentia prædictam pedum ablutionem, ſimileſque functiones, quæ Epiſcopo, & ipſius loco Decano competunt, exercere valeat? 212.
Vlt. Cui competat hæc ſolemnis pedum ablutio in Eccleſijs Cathedralibus, ſi Epiſcopus, Decanus, aut eorum Coadiutores nolint, vel non valeant eam exequi? 213.

De Recitatione Horarvm.

Singularium Tractatus octavus.

Sing. I: Vtr. Poſſint Epiſcopi pro ſuis Diœceſibus, & Regulares Prælati pro ſuis Religionibus Officia propria Sanctorũ, quos celebrant, condere, ut ea a ſibi ſubditis, ſine Sedis Apoſtolicæ approbatione recitentur? 215.
II. Vtr. In Matutinis vigiliæ Nocturnæ pluſquam per triginta horas inter ſe ſine iuſta cauſa, abſque lethali culpa diuidi poſſint, & ita Recitantes divino Officio, ac præcepto ſatisfacere valeant? 216.
III. Vtr. Lectiones a Matutinis dividi poſſint à Pſalmorum recitatione per quodcumque temporis ſpatium? 218.
IV. Vtr. Sacerdos Hiſpanus Regis Hiſpani Subditus, & extra eius Regna commorans, poſſit uti Bulla Cõpoſitionis quoad fructus beneficiorum ex omiſſione Horarum Canonicarum reſtituendos? 218.
V. Vtr. Italus habens beneficium in Hiſpania, & in Italia commorans, vel ipſe, aut Hiſpanus habens beneficium in Italia, & in Hiſpania commorãs, poſſint uti Bulla Compoſitionis quoad fructus ſuorum beneficiorum reſtituendos ex omiſſione Horarum iniuſtè adquiſitos? 221.
VI. An reſtituere teneatur Capellanus non recitans, ſi alius pro ipſo recitet; vel ſi ipſe ex bonis patrimonialibus Capellaniã erexit: vel recitet alio die penſum prætermiſſum? 223.
VII. An Sęcularis Sacerdos Monialium Capellanus licitè poſſit ſe in recitatione Horarum accommodare cum illis, recitans de Feſtivitatibus, & Sanctis, de qui-

quibus ipſæ ob ſpecialem ſuam profeſſionem recitant? 224.
VIII. Vtr. Sacerdos Sęcularis habens beneficium, vel capellaniam ſitam in Eccleſia Regularium, tam Fratrum, quàm Sororum, poſſit celebrare, & recitare de Sãctis, & Solemnitatibus illius Ordinis, in cuius Eccleſia habet beneficium? 127
IX. Vtr. Ille, qui ob errorem, aut oblivionem de Feſto duplici, vel ſemiduplici die proprio non recitavit, recitare poſſit de eo, primo die non impedito Officio novem lectionum? 229.
X. Quid facturus qui hodie recitavit de Feſto, de quo die ſequenti, vel ſequentibus recitaturus erat? 230.
VI. Vtr. In quintis ferijs poſſint Mendicantes, & qui illorum privilegijs fruuntur, Miſſam celebrare, & Officium recitare de auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento? 131.
XII. An recitare poſſint de Euchariſtia Regulares omnes, in quintis etiam ferijs Adventus, & Quadrageſimæ? 232.
XIII. An extet privilegium conceſſum Minoribus, & ijs, qui cum eis privilegiorũ communicatione fruuntur, Miſſam celebrandi, & divinum Officium recitandi de B. Virginis Conceptione in Sabbatis novem lectionum Officio non impeditis? 233.
XIV An in Sabbatis Adventus & Quadrageſimæ, nec non quatuor Temporum & Vigiliarum poſſint Regulares uti prædicto privilegio celebrandi, & recitandi de Conceptione B. Virginis. 134.
XV. An probabilis ſit opinio aſſerens, Sabbatis Adventus, & Quadrageſimæ poſſe Regulares recitare Officium immaculatę Conceptionis? 336.
XVI. Vtr. Omnes Moniales cuiuſcumque Ordinis, ſub Ordinariorum regimine viventes; poſſint uti privilegio recitandi quintis ferijs de Euchariſtia, & Sabbatis de immaculata Conceptione B. Virginis Mariæ: ubi an alijs privilegijs, Religionibus Mendicantibus conceſſis, fruantur? 238.
XVII. Vtr. Sacerdotes Sæculares ex Tertio S. Franciſci, Prædicatorum, Auguſtinienſium, & Carmelitarum Ordine, poſſint recitare Officium, & Miſſam celebrare de Immaculata Virginis Conceptione in Sabbatis, & de Euchariſtia in ferijs quintis, in quibus Regulares, Vbi an alijs eorum Ordinũ fruantur privilegijs? 240.
XVIII. Vtr. Sæculares in Sacris, portantes chordam S. Franciſci, vel corrigiam S. Auguſtini, aut habitum parvum [vulgo *Abitico*] Carmelitarum, aut S. Mariæ de Mercede; aut SS. Trinitatis, poſſint gaudere privilegio recitandi in quintis ferijs de Euchariſtia, & in Sabbatis de immaculata Conceptione: ubi an alijs horum Ordinum fruantur privilegijs, & indulgentijs? 241.
XIX. Vtr. Inſtitui valeat Capellania collativa, quæ verè ſit beneficium Eccleſiaſticum, ad integram Capellani ſuſtentationem ſufficiens, cum ea conditione â Fũdatore expreſſa, ut Capellanus non teneatur divinum Officiũ recitare? 242.
XX. Vtr. Epiſcopus teneatur; vel ſaltem poſſit admittere, & authoritate Eccleſiaſtica erigere prædictam Capellaniam ſine obligatione recitandi fundatã? 243.

Ad Matrimonivm,

Singularium Tractatus nonus.

Sing. I. Vtr. Ex privilegio aliquo valeant Regulares in impedimento occulto Affinitatis diſpenſare ad contrahendum, vel revalidandum matrimonium? 246.
II. Vtr. Poſt revocationem vivæ vocis Oraculorum poſſint Confeſſores Regulares diſpenſare ad petendum debitum cum eo, qui voto Caſtitatis ligatus, matrimonium contraxit, vel iam contracto votum emiſit? 247
III. Vtr. Sit revocatum privilegium olim conceſſum Regularibus ad diſpenſandum in petitione debiti coniugalis cum eo, qui Conſanguineam uxoris ſuę cognovit? 248.
IV. An Extet Bulla Pontificia concedens Regularibus prædictam facultatem? 249.
V. Quæ conditiones concurrere debent, ut qui Conſanguineam uxoris ſuę cognouit, diſpenſatione indigeat ad petendum debitum? 251.
VI. Alię conditiones, quæ concurrere debent, ut qui Conſanguineam uxoris ſuæ cognovit, diſpenſatione indigeat ad petendum debitum. 252.
VII. Quibus in caſibus liceat viro ab uxore ſua debitum abſque diſpenſatione petere, cum tamen Conſanguineam uxoris intra ſecundum gradum cognoverit? 254.
VIII. Vtr. Poſſint Regulares diſpenſare in petitione debiti coniugalis cum eo, qui ſpiritualem cognationem contraxit cũ propria uxore ob receptionem in Baptiſmo, aut in Confirmatione? 254

IX. Vtr. Requiratur ſpecialis cauſa in coniugato, qui votum caſtitatis emiſit, vel qui uxoris ſuæ conſanguineam cognovit, aut cognationem ſpiritualem contraxit, ut diſpenſetur cum eo ad petendum debitum? 256.

X. Practicæ obſervationes circa diſpenſationes dandas impeditis ob votum caſtitatis, vel cognationem ſpiritualem, vel inceſtus affinitatem ad petendum debitum. 256.

XI. An Confeſſor Sęcularis, vel Parochus poſſint diſpenſare in petitione debiti coniugalis cum impeditis ad petendum ob votum, affinitatem, aut cognationem ſpiritualem: & Quomodo cum his ſe gerere debeant? 257.

XII. Vtr. Coniugatus impeditus ad petitionem debiti ob votum, aut inceſtum, aut cognationem ſpiritualem, poſſit petere quoties vehementibus carnis ſtimulis agitatur: nè periculo exponatur in gravia luxuriæ peccata labendi? 259.

XIII. Quid ſentiendum de eo, qui falſis teſtibus à matrimonio ſolutus in Religione profeſſionem fecit, Sacerdoſque eſt initiatus? 261.

XIV. An in caſu antecedenti liceat Coniugato illi ad propriam uxorem redire, ut cohabitet cum illa, ſaltimque, ut debitum petat? 263.

XV. Vtr. in Hiſpalenſi, alia ve Diœceſi, in qua præcipitur, ſolemnitates Nuptiarum [vulgò velaciones] intra ſex menſes à celebratione matrimonij fieri, eas omittere, vel ultra hoc tempus differre, ſit culpa lethalis? 264.

AD PÆNITENT. SACRAMENT.

APPENDIX,

Celebriora Chriſtiani Orbis Iubilæa continens.

Ad Iubilæum Communionis generalis ſingulis menſibus in Societate IESV, ac in alijs Religionibus occurrens.

APPENDICIS TRACTATVS I.

Dub. I. QVOD Nomen, Quod Initium, Quæ Formula huius Iubilæi? 266.

II. Quomodo computandi ſunt Menſes pro Iubilæo iſto lucrando? 267.

III. Quid nomine Diei intelligendum ſit in hoc Iubilæo; & an neceſſario futurus ſit dies Dominicus? 268.

IV. An ubi ſunt plures domus Societatis, vel alterius Religionis lucretur in omnibus Iubilæum hoc? 269.

V. Vtr. In Eccleſijs Seminariorũ Societatis Ieſu celebrari poſſit hoc Iubilæũ? 271.

VI. Vtr. In Sacellis, Oratorijs, & Capellis domorum, aut Collegiorum noſtrorum poſſit fieri Communio ad lucrandum hoc Iubilæum? 272.

VII. Vtr. In Sacellis, aut Oratorijs noſtrarum villarum, ſeu prædiorum lucrari poſſit hoc Iubilęum? 273.

VIII. Quid ſub nomine Eccleſiæ Sæcularis, quæ aſſignari valet pro hoc Iubilæo lucrando, intelligatur? 274.

IX. Quæ obſervanda ſunt in aſſignatione Eccleſię ſæcularis pro iſto Iubilæo? 276.

X. A quo aſſignanda ſit Sæcularis Eccleſia pro hoc Iubilæo, cuius vè licentia, aut conſenſus requiratur? 277

XI. Vtr. Laici communicantes, & Sacerdotes celebrantes extra Societatis Ieſu, vel ſæculares deſignatas Eccleſias pro hoc Iubilæo, illud lucrentur; ſi in illis ſub illius intentione preces fundant? 278.

XII. Quæ circuſtantiæ ſervari debent in Confeſſione, & Communione pro hoc Iubilęo requiſitis; ubi & quæ pro alijs Iubilæis? 279.

XIII. Quę preces pro hoc, ac pro alijs Iubilæis expoſcantur? 280.

XIV. An, & quomodo poſſit hoc Iubilæũ applicari Animabus purgatorij? Vbi nõnulla pro harum indulgentijs adnotantur? 281.

XV. Vtr. Tempore Interdicti poſſint ſolemniter pulſari campanæ ad commonendum populum de hoc Iubilęo Communionis generalis? 283.

XVI. Rationibus in oppoſitum allatis ſatisfit, & nonnulla pro ſolemnitate huius, & ſimilium Iubilęorum, Euchariſtiæq; manifeſtatione, tempore Interdicti adnotantur. 285.

XVII. Praxis pro celebrando hoc, & ſimilibus Iubilæis tempore Interdicti, quoad campanarum pulſationem, & ſolemnitates, ac Euchariſtiæ manifeſtationẽ iuxta Societatis Ieſu, & aliarum Religionũ morem. 287

Vlt. Praxis pro Euchariſtia eo tempore, & & Iubilęo, ſolemniter in Sacrario recludenda. 288

Ad Ivbilævm 40. Horarvm.

Appendicis Tractatvs II.

Dub. I. Quænã huius Iubilęi formula? 289.
II. Quid circa Locum; Tempus, & Oratio nem huius Iubilæi ſentiendum ſit? 289.
III. A quo tempore incipiat, & in quo terminetur conceſſio huius Iubilæi? Ad illã clauſulam; *Præſentibus ad ſeptennium valituris?* 291
IV. V. Valeat prædictum Iubilæum ſi pro eodem tempore in eadem Eccleſia aliud extet iam conceſſum? Ad illam clauſulam: *Volumus autem, ut ſi aliàs Chriſti Fidelib⁹ in dicta Eccleſia præmiſſa peragentibus ali quam aliam indulgentiam perpetuo, vel ad tẽpus nondum elapſum duraturam, conceſſerimus, præſentes nullæ ſint.* 292.
V. Vtr. Pro huiuſmodi Iubilæorum expedi tione aliquid dare, vel accipere liceat? Ad illam clauſulam; *Volumus autem, quod ſi pro præſentatione, admiſſion-, vel publicatione præſentium aliquid, vel minimum detur, vel ſponte oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint re ipſa.* 293.

Ad Jubilæa pro Chriſti D. B. Uirginis, & Sanctorum Feſtivitatibus Conceſſa;

Appendicis Tractatvs III.

Dub. I. Quænam horum Iubilæorum formula? 295.
II. Quibus in Eccleſijs lucrari poſſint Fideles prædicta Iubilæa, vel ſimilia? 296.
III. A qua hora incipiat lucratio horum Iubileorum? Ad illam clauſulam, *A primis veſperis, uſque ad occaſum Solis* 297.
IV. Qua hora terminẽtur prędicta Iubilæa conceſſa uſque ad occaſum Solis? 298
V. An. ſi Feſtivitatis celebritas, à propio die extrahatur, & in alium transferatur in illum transferri valeat Iubilæum pro ipſa Feſtivitate conceſſum? 299.
VI. Quæ Notariorum requiratur Subſcriptio, ut huius Iubilęi, & aliorum Bullis fides adhibeatur? Ad illam verba; *Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, & manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ.* 301.
VII. Quiſnam dicatur in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutus, cuius ſigillo Iubilæorum indulta munienda ſunt? 302
VIII. Quo ſigillo, & quomodo munienda ſunt indulta prędicta Iubilæorum? 304.

Ad Jubilæa, ac Indulgentias Regularibus, eorumque Eccleſijs conceſſas:

Appendicis Tractatvs IV.

Dub. I. Quæ Iubilæa, ac Indulgentię Regularibus ſint á Pontificibus, & præſertim a Paulo V. conceſſæ? 305.
II. Practicæ obſervationes circa revocationem, ſeu reformationem prædictam: ubi plurima Inbilæa modò Religioſis conceſſa notantur. 207.
III. Vtr. Novitij, ac Religioſi Societàtis Ieſu poſt vota biennij fruãtur Iubilæis, & Indulgentijs, ac privilegijs pro ipſorum Religione conceſſis? 308.
IV. Vtr. Regulares itinerantes, vel extra clauſtra degentes fruantur Indulgentijs conceſſis Regularibus, & eorum Eccleſijs: ubi an ẽtiam alijs privilegijs gaudeant? 309.
V. Vtr. Religioſi facti Epiſcopi fruantur Indulgentijs, ac privilegijs ſuæ Religionis? 310.
VI. Vtr. A Religione Expulſi fruantur Iubilęis, & Indulgentijs pro Religione conceſſis, ubi an etiam alijs privilegijs fruantur? 311.
VII. Vtr. Apoſtatæ, & Fugitivi â Religione, lucrentur eius Iubilęa, & Indulgentias, ac privilegijs gaudeant? 412.
VIII. Quomodo detur communicatio in Iubilæis, & Indulgentijs inter Regulares, eorumque Eccleſias, ſiue eiuſdem, ſi ve diverſi Ordinis? 313.
IX. Communicatio Iubilæorum, & Indulgentiarum inter Regulares, ac eorum Eccleſias viſitantes ſtatuitur, & expenditur. 314.
X. Prædicta Iubilęorum communicatio ſtabilitur. 315
XI. Quæ Iubilæa, & Indulgentias poſſunt lucrari omnes Regulares ſine Bulla Cruciatæ: ubi quas etiã poſſint ſine illa lucrari Sæculares? 316.
XII. Vtr. Regulares valeant ſine Cruciata Indulgentias, & Iubilæa pro ſuis Eccleſijs, ac Monaſterijs, nec non univerſis Chriſti Fidelibus in generali conceſſa lucrari? 318.
XIII. Vtr. Omnes utriuſque ſexus Regulares poſſint in ſuis Eccleſijs lucrari omnia Iubilæa, & Indulgentias conceſſas pro omnibus totius Chriſtiani Orbis

Ec-

Ecclesijs, locis, ac stationibus? Vbi de revocatione Indulgentiarum facta a Paulo V. 320.

Vlt. Quæ obseruanda sunt in lucratione Iubilæorum omnium, dum ea Regulares in suis Ecclesijs lucrantur. 320.

Ad Iubilæum S. Mariæ de Angelis, Nuncupatum de Portiuncula.

Appendicis Tractatvs V.

Dub. I. Quis celebre Portiunculæ Iubilæum concessit: Quas diligentias requirat: Quibus in Ecclesijs Fratrum, & Sororum S. Francisci illud lucrentur Fideles? 322

II. Vtr. Tertiarij sæculares S. Francisci, S. Augustini, & aliorum Ordinum, vel qui eorum chordam, corrigeam, aut paruum scapularium, vulgo *Abitico*, portant, possint Portiunculæ Iubilæum in Ecclesijs aliorum Ordinũ lucrari: Et quoties hoc Iubilæum eadem die lucrari valeat, & pro Defunctis applicari? 323.

III. Vtr. Iubilæum hoc possint omnes Fideles lucrari in Ecclesijs Monialium, etiã Tertij Ordinis S. Francisci regulam profitentium: sub Ordinariorum verò, non Regularium obedientia, ac regimine viventium: Vbi an hæ, & aliæ Moniales gaudeant priuilegijs Regularium? 324.

Vlt. Oppositi fundamentis satisfit. 325.

Ad Iubilæa concessa visitantibus septem, vel quinque Altaria, aut Ecclesias,

Appendicis Tractatvs VI.

Dub. I. Quænam sit horum Iubilæorum forma? 326.

II. Quid sub nomine Ecclesiæ, quæ, vel cuius Altaria ad lucrandum hæc Iubilæa visitanda sunt, comprehendatur; Vbi an Oratoria? 326.

III. Quid nomine Altaris, quod visitandũ est ad lucrandas has indulgentias intelligatur? 328.

IV. Quæ, quot, & quomodo Altaria visitanda sunt ad lucrandas has Indulgentias? 329.

V. Vtr. Requiratur corporeus motus in Ecclesiæ visitatione: vel hęc fieri valeat ab Ecclesiæ ianua: vel interrumpi per aliquod tempus? 329.

VI. Quo tempore, quibus, & quo precum numero visitanda sunt Altaria ad lucrandum hæc Stationum Iubilæa, & quoties quisque ea lucrari valeat? 330.

VII. Quę Iubilæa, & Indulgentias lucrentur qui visitaverint septẽ Altaria in Ecclesia, cui concessum est prędictum indultum, & an eas pro Animabus purgatorij applicare valeant? 331.

Vlt. Quę Iubilæa, & Indulgentias lucrentur qui ex Bullæ Cruciatæ privilegio quinque Altaria visitaverint; & an eas Defunctis applicare possint? 332.

Ad Iubilæum Missionum Societatis Iesu;

Appendicis Tractatvs VII.

Dub. I. Quænam Missionum Societatis Iesu Origo, Vsus, Dignitas, Ministeria, & Fructus? 334.

II. Quęnam sit Iubilæi Missionum formula; & qualis eius promulgatio? 336

III. Quibus Religiosis ex Societate Iesu cõcedatur Iubilæum Missionũ: ubi an Fratres Scolastici, ac Temporales Coadiutores ad illas mitti possint, ac earum Iubilæum lucrari? 338.

IV. Qui Religiosi Societatis mitti dicantur ut Iubilæum lucrari possint? 339

V. An Religiosi omnes, Aduenæ, Peregrini, ac commorantes in suburbijs, villis, & alijs locis oppido, in quo missio fit adiacentibus illius Iubilæũ lucrentur? 340.

VI. Vtr. Missiones fieri possint intra Ciuitates, & Oppida, in quibus domos, aut Collegia habet Societas Iesu; in ijsque vim habeat Iubilęum hoc? 342.

VII. Quæ diligentiæ, & quo loco faciendæ sint ad lucrandum hoc Iubilæum Missionum? 343.

VIII. Quando incipiat, & finiatur hoc Iubilęum, & quoties lucrari valeat in eodem, vel diuersis locis? 344

IX. Quibus facultatibus, & priuilegijs præditi, ac uti debent pro Missionibus, earumque Iubilæo Operarij nostri? 345.

Vlt. Quas facultates à locorum Ordinarijs expoſcent Missionarij pro Missionibus obeundis; præcipue ad ratificandum matrimonia nulla: & quomodo hæc ratificanda? 346.

Ad Iubilæum Anni Sancti,

Appendicis Tractatvs VIII.

Dub. I. Quænam huius Iubilęi institutio, & ad Annum quinquagesimum, trigesimum tertium, & 25. reductio? 348.

II. Huius Iubilæi Formula edita â SS. D. N. Vrbano VIII. quoad ſuſpenſionem Facultatum, & indulgentiarum extra Romam. 349

III. Vtr. Vxores abſque virorum ſuorum conſenſu poſſint Romã adire ad lucrandum Iubilæum hoc: vel an illos comitari teneantur, ſi ipſi adeant? 350.

IV. Vtr. Religioſi abſque licentia ſuorum Superiorum poſſint Romam adire ad lucrandum Iubilæum hoc? 351.

V. A qua die, & hora Romæ incipiat Iubilæum hoc, & quouſque duret? 351

VI. Quibus ceremonijs hoc Iubilæum incipiat; Baſilicarumque portæ pro illo obtinendo aperiantur? 353

VII. Quæ, & Quotiès Eccleſiæ pro hoc Iubilæo obtinendo, Romæ ſunt viſitandæ? 353.

VIII. Quænam alia obſervanda pro hac Eccleſiarum viſitatione, alijſque diligentijs præſtandis; & an pluries hoc Iubilæũ obtineatur? 354.

IX. Vtr. Romam adire impediti Iubilæum hoc lucrentur? 355.

X. Vtr. Qui poſt ſuſceptum iter, ad Vrbem Romanam accedere non valuerunt, lucrati ſint Iubilæum hoc? 356.

XI. Vtr. Romæ ſuſpendantur omnes aliæ Indulgentiæ durante Iubilæi Anno Sãcto? 357.

XII. Quænam Iubilæa, & Indulgentiæ extra Romam in hoc Anno Sancto ſuſpẽdantur, & an etiam ſuſpendantur quoad impeditos Romam adire? 357.

XIII. Vtr. Indulgentiæ non plenariæ & ab Eccleſiaſticis Prælatis conceſſæ, ſeu concedendæ ſuſpendantur hoc Anno durante? 358.

XIV. Vtr. Suſpendantur in hoc Anno Sãcto indulgentiæ conceſſæ in Cruciata, & omnes aliæ directè, vel indirectè pro Defunctis conceſſæ; ubi de Iubilæo Cõmunionis generalis ſingulis menſibus occurrenti, quoad Defunctos? 359.

XV. Quando incurratur excommunicatio lata in Bullâ huius ſuſpenſionis contra publicantes hoc Anno alias indulgentias præter eas, quæ in ipſo Iubilæo conceduntur? 361.

XVI. Vtr. Suſpendatur per hoc Iubilæum facultas, quam habent Epiſcopi; & Regulares Prælati ad abſolvendum à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis? 362.

XVII. Vtr. Suſpendatur in hoc Iubilæo facultas, quam habent Regulares ex vi ſuorum privilegiorum ad abſolvendum Sæculares in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis? 363.

XVIII. Quouſque duret hæc Indultorum, & indulgentiarum ſuſpenſio? 364.

Vlt. Vtr. Hæc Suſpenſio promulgetur, & æquè duret quoad omnes Chriſti Fideles, tam Romam adeuntes, quam non adeuntes, aut adire impeditos? 364.

Ad Jubilæa pro mortis articulo, tam Sæcularibus, quam Regularibus conceſſa.

Tractatvs Nonvs.

Dub. I. Quænam communiter extent huiuſmodi Iubilæa? 366.

II. An in vero, vel in præſumpto mortis articulo, aut illius periculo hæc Iubilæa cõcedantur? 367.

III. V. Requiratur applicatio Cõfeſſoris, vel alterius ad hæc Iubilæa obtinenda? 368.

IV. Moribundi lucrẽtur omnia Iubilæa pro mortis articulo conceſſa: etiam ſi eorum non recordentur, aut illa ignorent: vel ſenſibus ſint deſtituti, aut ſine intentione opera iniuncta exequantur? 374.

V. Quid circa diligentias requiſitas ad lucrandum hæc Iubilæa ſèntiẽdum, & exe cutioni mandandum eſt? 371.

VII. Practicæ obſervationes circa Iubilæa, & Indulgentias conceſſas intra, & extra mortis articulum Granis, Crucibus, Imaginibus, Roſarijs, & Coronis benedictis? 372.

Vlt. Quæ ſint notanda circa Iubilæa conceſſa pro mortis articulo Confratribus, Religioſis, eorum Parentibus, aut Sæcularibus cum Religioſo habitu decedentibus? 374.

Corollarium. An prædicta obſervanda ſint in omnib⁹ alijs Iubilæis? Vbi ſpeciale Iubilæi, quod Hiſpali lucratur, exemplar proponitur, & breviſſimè expẽditur. 376

FINIS



AD BAPTISMVM,

PRIMVM ECCLESIÆ SACRAMENTVM,

SINGVLARIVM

TRACTATVS PRIMVS.

SINGVLARE I.

Quid conſulendum, ſi Parochus, aut Obſtetrix fateantur, ſe ex pluribus, quos baptizaverant, circa aliquos ſibi omnino ignotos, baptizandi intentionem non habuiſſe?

1 NON ſemel, aut iterum, ſed aliquoties hoc accidiſſe cognovi. Quidã enim Parochi, & Obſtetrices; hæ ex Sarracenorum, illi ex Hebræorum genere orti, iam conſcientiæ ſtimulis agitati, iam mortis periculo expoſiti, iã tortura preſſi, falſi ſunt, ex omnibus, quos per longum tempus, v g, decẽnium, baptizaverant; pluribus, quorum memoriã, aut nomen minimé tenebant, materiam, & formam Baptiſmi, abſque intentione baptizadi, immò poſitiva non baptizãdi, applicuiſſe. Hac de re ego olim Hiſpali conſultus, tunc reſpondi, quod modò reſpõdendum eſſe non dubito: omnes ſcilicet illos per totum illud tempus ab his Parochis, & Obſtetricibus baptizatos, iterum baptizãdos eſſe ſub conditione; ſive ij infantes, ſive adulti, immò & ſenes iam exiſtant: ijs dẽptis, quos cum intentione, ſive formali, ſive virtuali baptizatos eſſe poſt diligentem memoriæ inveſtigationem, quæ ſine dubio adhiberi debet, certò cognoſcatur.

2 Ad huius, & aliarum reſolutionũ examẽ, ac probationem ſupponendum eſt. 1. Baptiſmum, utpote ſacramentum characterem imprimens, iterandum non eſſe. Quod fide Catholica teneri, ex Florentino ſub Eugẽnio IV. Carthaginenſi III. *can.* 38. Trident. *ſeſſ.* 7. *de ſacr. cap.* 9. *& de Bapt. can* 11. docent Theologi cum S. Thoma 3. *p. q.* 66. *art.* 9. Hancq; iterationem ab initio naſcentis Eccleſiæ prohibitam eſſe conſtat ex lib. 6. *conſt. Apoſt. c.* 15. S. Cypriano *epiſt.* 6. *ad Iuli.* Tertul. *epiſt. de bapt.* Auguſt. *lib. de Fide ad Pet. cap.* 3. Iuſtino Martyre *q.* 14. *ad Orth.* Gregor. III. *epiſt.* 4. Vigilio. 1. *epiſt. ad Euch.* Zacharia *epiſt.* 2. & alijs Patribus, ac Pontificibus. Hinc rebaptizans ſit irregularis *cap.* 2. *Extra, de Apoſt.* & rebaptizatus ſimiliter. 1. *q.* 7. *c. Qui in qualibet*, & utrique ex iure civili pæna capitis decernitur, *l.* 2. *C. Ne ſanctum baptiſma iteretur*. Quæ penæ intelligẽdæ ſunt de rebaptizatione abſoluta, non coditionata iuxta dicenda Sing. 8.

3 Supponendum 2. Fide etiam Catholica haberi, intentionem baptizantis, requiri ad valorem baptiſmi. Sic ex Trid. *ſeſſ.* 7. *can.* 11. latiſſimè probant Petrus de Cabrera *tom.* 3. *in* 3. *p. q.* 64. *art.* 8. *diſp.* 5. & Vazquez *tom.* 2. *in* 3. *p. diſp.* 188. Nec audiendi ſunt Bartholomæus ab Angelis *exam. conf. de ſacram. dial.* 1. §. 31. (citans D. Thom. & Vigerium) Sylveſter *verb. baptiſ.* 7. *num*, 12. Tabiena *Bapt. num.* 9. Armilla *num.* 60. Alenſis, Gabriel,

& Durandus, apud Filiucium *tom.1 tract. 1. cap. 5. num.* 80. exiſtimantes, perverſam miniſtri intentionem, ſeu illius defectum ſuppleri â Deo, nõ quoad characterẽ, ſed quoad gratiam ſaltem in cõllatione Baptiſmi, & aliorum ſacramentorum præſtitam. Quod Gregorius de Valentia *tom. 4. diſput. 3. punt. 3.* Probabile cenſet: *Probabiliter*, ait, *arbitrantur Theologi, Deum in infantibus ſupplere defectum miniſtri, quando hic malitioſe ſubtrahit intentionem; & in adultis eundem defectum miniſtri ſuppleri per devotionem, & fidem ipſius ſuſcipientis.* Quam ſententiam Singulari ſequenti reijciendam omnino probabimus.

4 Supponendum eſt 3. Baptizandos, ſeu rebaptizandos eſſe omnes illos, dẽ quorũ baptiſmo certitudo non habeatur. Ad cuius certitudinis gradũ inveſtigandum, necnon huius, & aliarum reſolutionum probationes el lucidandas, quid hac de re in iure ſtatuatur proponere neceſſum eſt. Sic *cap. Placuit de conſecrat. diſt. 4. ex Concilio V. Carthag. c. 6. Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt per ætatem idonei de traditis ſibi ſacramentis reſpondere, abſque ullo ſcrupulo baptizandos eſſe, ne iſta trepidatio eos faciat ſacramentorum purgatione privari. Cap. cum itaque de conſecr. diſt. 4.* ex Leone Papa *ad Leonẽ Raven. Epiſc. epiſt. 35. cap. 1. Cum itaque Baptiſmi ſui nihil recordetur, qui regenerationis eſt cupidus, nec alter atteſtari de eo, qui ſciat conſecratum, nec ille, qui conſecratus, &c. indagate, utrum nemo penitus ſit, qui teſtimonio ſuo iuvare poſſit ignorantiam neſciẽtis, & cum conſtiterit hunc, qui baptiſmatis indiget ſacramẽto ſola inaniter ſuſpicione prohiberi, accedat intrepidus ad conſequendam gratiam; cuius in ſe nullum ſcit eſſe veſtigium: nec vereamur huic ſalutis ianuam aperire, quam numquam antea docetur ingreſſus.* Item ex ipſo *epiſt. 90. ad Ruſt. cap. 16.* & refertur *diſt. 4. in c. ſi nulla*, ibi. *Si nulla extent indicia inter propinquos, aut familiares, nulla inter clericos, aut vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizari fuiſſe doceantur: agendum eſt, ut renaſcantur; ne manifeſte pereant: in quibus, quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit ut videatur iteratum.* In VI. Sinodo *can.* 84. *Quoties non inveniuntur firmi teſtes, qui illos abſque ulla dubitatione baptizatos eſſe dicant, nec ipſi propter ætatem de tradito myſterio aptè reſpondere poſſint, debere baptizari.* Idem in Concilio Africano *c.* 39. Vvormacienſi *can.* 7. & alijs.

5 Supponendum 4. Omnes Doctores cõmuniter aſſerere ex prædictis teſtimonijs unicum ſaltém teſtem oculatum, & fide dignũ, de quo nulla ſuſpicio eſſe poſſit pernicioſi mendacij, neceſſarium eſſe, & hunc ſufficere, qui aſſeveret aliquem eſſe baptizatum, ut is iterum non baptizetur. Sic docent Paludanus *4. diſt. 6. q. 4.* Sotus *in 4. d. 3 q. unica, art. 9. ad 4.* S. Antoninus *3. p. tit. 14. cap. 13. §. 12.* Sylveſter *verb. Teſtis. q. 5.* Tabiena *Bapt. 5. n. 9.* Tur recremata, Hugo, & Gloſſa *in c. Parvulos de conſecr. diſt. 4.* Petrus de Ledeſma *c. 5. de Bapt. diſ. 2.* Suar. *to. 3. in 3. p. diſp. 22. ſect. 2.* Vazquez *tom. 2. in 3. p. d. 146. c. 3. n. 24.* Layman *l. 5. tr. 2. c. 5. n. 3.* Comitolus *l. 1. reſp. cap. 1. n. 4.* Iacobus Granado *tom. 5. in 3. p. cont. 4. de Bapt. tr. 1. diſp. 8.* Ioannes de la Cruz *ſum. dub. 3. de Bapt. conc. 2.* & eſt communis Doctorum: inter quos rectẽ notãt noſter Suarius, & Granado, quod tunc exigerentur plures teſtes, quando unus talis conditionis eſſet, ut nõ ſufficeret ad certitudinem moralem; & noſter Ildephonſus de Sandoval *tract. de Æthioph. inſtruct, l. 3. cap. 7. fol. 263.* ait, hoc intelligendum de Baptiſmo puerorum, non vero adultorum, ob ſingularem diſpoſitionem requiſitam ex parte baptizati in his, & non in illis.

6 His poſitis, probatur reſolutio. Nullus eſt, qui teſtificari poſſit aliquem horum in particulari (quorum baptiſmus cum debita intentione collatus poſt diligentem inveſtigationem ignoratur) baptizatum fuiſſe cum intentione: ergo debent ſub cõditione omnes hi baptizari. Antecedens eſt certũ; conſequẽtia manifeſta, cum neque ipſi baptizati, neq; qui baptiſmo adfuerunt teſtari poſſint: his enim conſtare non poteſt de intentione baptizantis, neque ipſe baptizans; cum fateatur nullomõdo meminiſſe, an his neceſſariam intentionem applicuerit, neque alius: cum ipſe baptizans nulli patefecerit ſuam intentionem, aut defectum illius reſpectu eorum, de quibus dubitat: ergo cum nullus ſit teſtis intentionis requiſitæ ad valorem baptiſmi; ac certum ſit pluribus materiam, & formam ſine intentione applicatas; nullus etiã eſt teſtis baptiſmi omnium horum; & ita iterari debet ex Canonico iure, unicum ſaltém expoſcente, ut non iteretur; immo firmos aut certiſſimos teſtes, ut expoſtulant VI. Synodus, & Carthaginenſis V. Item nulla extant indicia, ex quibus cognoſcatur, aut præſumatur hunc potius, quam illum ex omnibus prędictis cum intentione baptizatum eſſe, aut ſine illa; nec eſt maior ratio, quare credamus hunc, quam illum fuiſſe: ergo cum omnibus ſit neceſſarius ad ſalutem æternam baptiſmus, omnibus ſub cõditione iterandus eſt.

7 Probatur 2. Quia ex communi Theologorum conſenſu, quos n. 11. referemus, certitudine ſaltẽm morali conſtare debet de baptiſmo alicuius: ut non iteretur: igitur ſi hæc haberi nõ poſſit, ut nõ poteſt de baptiſmo horum

rum omnium; iterari neceſſum erit. Quod clariùs patebit, ſi certitudinis moralis naturam cognoſcamus. Hæc autem eſt, ut Ariſtoteles 1. & 2. *Æthic.* & S. Thomas *ibi lect.* 2. docent, *quædam exiſtimatio, qua putat homo hoc, vel illud eſſe verum, & ita ſicut ſibi repreſentatur, & ad illud, ſic exiſtimatum, movetur coniecturis, quæ in illo genere rerum hab ntur pro bonis, & veroſimilibus, vel movetur quibuſdam rationibus apparentibus*; Seu, ut alij aſſerũt: *ex l. 2. §. idem. ff. de aqua pluv. Eſt, quæ prudenti non ſinit prudenter formidare*, vel, *qua attentis circunſtantijs prudentis animus quieſcit*: aut ut à Thoma Sanchez *lib. 2. de Matrim. diſp. 45. n. 4.* deſcribitur eſt: *quæ virum prudentem attentis circunſtantijs occurrentibus certum redderet.*

8 At quis prudens prudenter exiſtimaret, animo quieſceret, aut certus redderetur de Petri, v.g. aut Pauli, aut Franciſci Baptiſmõ, ſi in omnibus dubitat, aut non recordatur baptizans, debitam intentionem in Baptiſmo conferendo habuiſſe; præſertim cũ hinc conſtet aliquos ex his non eſſe baptizatos: indeque nec leviſſimum ſignum ſit, hũc aut illum, & ſic de aliis omnibus in particulari, baptizatum eſſe? Et ſi ex his omnibus aliquis virum prudentem interrogaret: Numquid ego ritè baptizatus ſum: aut egeo iteratione Baptiſmi? Proculdubio ei reſponderet, ſe ſatis formidare, cum certus non eſſet, néque ſine revelatione poſſet: ergo neceſſariò ſinguli baptizari debent ſub cõditione.

9 Probatur 3. Quia iterandum eſſe Baptiſmum, quando dubium eſt de ipſius valore, non ſolum aſſeritur ab omnibus Theologis, ſed deffinitur ab Alexandro III. *cap. 2. de Bapt.* ſic: *De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmiſſis: Si baptizatus es, non te baptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Idem ſtatuitur in Catheciſmo Romano *cap. de Bapt.* & in Manuali *can. 8. de Bapt.* ergo cũ de unoquoque in particulari dubiũ ſit an illi adhibita fuerit debita intẽtio à Parocho: nullius enim in particulari certó recordatur, licèt in confuſo ſciat aliquos ſibi ignotos à ſe cum intentione baptizatos; Baptiſmus omnium eſt iterandus.

10 Adverte tamen dubiũ hoc tripliciter contingere. Aliud eſt negativum ſeu facti: quandõ ſcilicet nullæ ſunt rationes, quibus veriſimiliter probari poſſit Baptiſmus, aut contrarium eius: ut ſi reperiatur puer expoſitus ſine ullo teſtimoniò, de quo ignoratur an ſit natus ex parentibus infidelibus, aut fidelibus: & tunc ſine dubio iterandum eſſe docent Theologi, & ſtatuunt S. Leo Papa *ſup.* S. Gregorius III. *ep. 4. ad Bonif.* & *cap. parvulos cap. ſi nulla. ſup.* Aliud eſt dubium poſitivũ nõ de valore, ſed de Baptiſmo ipſo, ut præcedens negativum: & contingit quando utrinque ſunt probabiles coniecturę, quibus probari poſſit aliquem eſſe, aut non eſſe baptizatum: ſed neutrũ poteſt certitudine morali cõſtare. Atque in hoc caſu poſſe immó cõſultius eſſe ſub cõditione Baptiſmũ conferri, ſi cõiecturæ ſint á parte negativa, nemo dubitabit. Denique dubium aliud eſt, & præſentis caſus propriũ, quando conſtat aliquẽ fuiſſe baptizatum: incertũ tamen, aut dubiũ eſt, an Baptiſmus fuerit validus, aut quia deffuiſſe prudenter dubitatur intentio neceſſaria, vel materia, aut forma, aut applicatio harum ad ſubiectum capax: & hoc vocatur dubium iuris.

11 Igitur quoties hoc tertio modõ (ut in ſecundo dicebamus) dubiũ probabile, prudẽs, ſeu morale occurrit, utrum quis verè ſit baptizatus, debet iterum ſub conditione baptizari. Sic tenent Doctores communiter, Paludanus, Sotus, S. Antoninus, Tabiena, Ledeſma, Layman, Ioannes de la Cruz, Granado ſupracitati: ſic etiam Scotus *in 4. d. 3. q. 3.* Sylveſter *verb. Bapt. 4. q. 9.* Roſſella *num. 7.* Angelus *tit. 4.* Sà *n. 3.* Armilla *n. 43.* Comitolus *ſup. n. 4.* Vazquez *ſup. c. 4. n. 20.* Ægidius *de Bapt. q. 66. dub. 2. art. 9.* Becanus *de Bapt.* Valentia *diſp. 4. de Bapt. q. 14. punct. 4.* Sebaſtianus Epiſcopus Oxomenſis *ad q. 66. art 6.* Rodrig. *ſum. c. 1. n. 4.* Navarrus *c. 27. n. 426.* Molfeſius *de Bapt. c. 1. n. 43. & 81.* Bonacina *t. 1. d. 1. q. 1. n. 36* citans Vivaldum, Enriquez, Nugnum, & S. Thomam. Villalobos *de Bapt. n. 1. diff. 7.* Gaſpar Hurtado *diſp. 1. de Bapt. diff. 12.* Zambranus, ſeu noſter Didacus Alvarez *de caſib. occurr. in art. mort. dub. 1. a n. 1.* Sandoval *ſup. cap. 5. §. 1.* & plures alij.

12 Ratio eſt, quia ſi ille non baptizetur, graviſſimo ſe exponet periculo (ſi fortè baptizatus non fuit) æternæ damnationis; quia nullũ aliud ſacramentum poterit validè ſuſcipere; atque ita ſine contritione, & voto ſaltem baptiſmi nunquam iuſtificabitur, ſi adultus ſit: ſi verò infans ſolo Baptiſmo poteſt ſalutis ianua ei patere: ex alio capite conditione appoſita nulla fit iniuria ſacramento; quia abſolutè non iteratur, nam ut dicitur in *cap. veniens de Presbytero non baptizato*: *Non intelligitur iteratum quod ambigitur eſſe factum.* Et *cap. ſolemnitatis 1. diſt. 1. de conſecr. Talis trepidatio non facit reiterationem*: *quoniam non monſtratur eſſe iteratum quod neſcitur eſſe factum*; tum quia hãc [illegible] nalem adminiſtrationem nõ ſolùm hic [illegible] ſed neceſſariam omnino faciunt, & neceſſi[illegible]s maxima veri baptiſmi, & dubium morale antecedentis.

¶3 Quod verò in præſenti caſu dubium ſit verum, morale, prudẽs, ac probabile de baptiſmo omnium eorum, quibus in particulari intentionem applicuiſſe Parochus, aut Obſtetrix omnino ignorãt, aut non recordãtur, vel dubitant; licet ſciant aliquos ſibi ignotos baptizaſſe cum intentione debita; patet: quia dubium morale exiſtit, *quando intellectus pendet in æquilibrio in neutram partem potius inclinãs*: ut S. Thomas 3. *p. d.* 17. *q.* 1. *art.* 4. *corp.* Duran dus *ibi q.* 2. *ad* 2. Sylveſter *dub.* 1. S. Antonin. 1. *p. tit.* 3. *cap.* 10. §. 9. Cordova *lib.* 3. *quæſt.* 2. Sotus 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 3. Navarr. *cap. ſi quis autem. nu.* 12. & Thomas Sanch. *l.* 2. *de Matr. q.* 41. *num.* 2. docent; ſeu, ut explicat Comitolus *ſup.* *Tunc eſt verum dubium, cum mens noſtra ob paria rationum pondera in neutram partem propendet, ſed quaſi intecta compede progredi nequit*: aut ut loquitur Vazquez *num.* 22. *Quando pro utraque parte* (ſcilicet baptizatum eſſe, vel non eſſe) *tales ſunt conjecturæ, & indicia, ut intellectus ad neutram partem plenè convincatur, ſed omnino ſine aſſenſu maneat*; aut ut ait Sa ſup. *Quando anceps eſt animus poſt diligentiſsimam indagationem*: ſed hic in neutram partem inclinari, proponderare, nec convinci intellectum, ſed omnino ancipitem, & ſine aſſenſu manere neceſſum eſt; cum conſtet aliquos ex his eſſe baptizatos, alios non eſſe: & incertum, dubiumque ſit, quinam ſint baptizati, aut qui non ſint; & cum neque hi, neque illi dignoſci valeãt, nullius ſingularẽ baptiſmum verũ eſſe poſſumus aſſentiri, ſed circa omnes ſuſpenſos manere, & de omnibus dubium maximum habere: ſic igitur omnes baptizari debent ſub conditione. Vnde rectè Sotus *ſup. art.* 9. *ad* 4. *Dum præmiſſa ſolerti indagine neutri parti poſſit aſſentiri, ſed ſuſpenſus ſemper maneat animus, ſit ne baptizatus infans, nec ne, tunc res eſt dubia conditionalem baptizationem expoſtulans.* Idem docẽt Valentia, & Granado *ſup.*

SINGVLARE II.

An in ſententia aſſerente Deum ſupplere perverſam baptizantis intentionẽ, cum ea batipzati, iterũ baptizari debeant?

1 SINGVLARI antecedenti retulimus ſententiam aſſerentium, à Deo ſuppleri, cum abeſt, intentionem miniſtri; unde conditionalem baptizationem neceſſariam, immò licitã non eſſe: forſ[illegible] li Theologi Bartholomæus ab Ang[illegible] Sylveſter, Tabiena, Armilla, Zanardus, Angelus, Alenſis, Gabriel, Durandus, & alij hanc ſententiam amplectentes, voluerunt, ſuppleri à Deo intentionem, quoad deletionem peccati originalis, & infuſionem gratiæ, ne finis, qui eſt adeptio gratiæ ſanctificãtis, fruſtretur. At licet vera eſſet ſententia relata; adhuc licita, & neceſſaria eſſet iteratio baptiſmi; tum ad impreſſionem charateris baptiſmalis, qui nõ ſuppletur à Deo; tũ quia vix probabilitatem aliquam illi opinioni concedunt Doctores plures, immo illã meritò reijciunt, & oppoſitam, ut omnino certam, defendunt Filiucius 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 3. Sylvius in 3. *p. q.* 68. *art.* 2. *ad* 4. *arg.* Fernand. de Heredia *diſp. mixtis de ſacram. part.* 9. *dub. unico, num.* 17. Homobonus *de bonis examin. Eccleſ. part.* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *q.* 10. Naldus *ſumm. verb. ſacram. num.* 10. Enriq. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 3. Hurtado *de ſacr. diſp.* 4. *dif.* 4. & alij communiter. Probant, quia nulla lex, ſeu promiſſio Dei, aut ratio eſt, in qua fundetur hoc intentionis ſupplementum, & eam requiri de fide eſt.

2 Adhuc, etiam ſi probabilis, aut probabilior eſſet hæc opinio, iterandos eſſe huiuſmodi baptiſmos ſine dubio aſſerendum eſt; cum ſit communis Theologorum ſenſus iterandos fore ſub cõditione omnes eos, in quibus baptizans uſus eſt opinione probabili circa eſſentialia, v. g. circa formam; ut ſi baptizaret in nomine Chriſti: vel Genitoris, Geniti, & Procedẽtis ab utroque, & ſic de alijs formis dubijs: idem eſt circa materiam; ſi baptizet cum gutta aquæ, cum lixivio, glacie, rore, vel nive nondũ reſolutis; aut ſi baptizatur infans nõ in capite, pectore, aut ſcapulis; ſed in manu, pede, brachio, vel alia ſui corporis parte. Similiter ſi datur ſolũ probabilis applicatio materiæ, vel formæ, etiam in caſu neceſſitatis, aut aliorum eſſentialium, inter quæ intentio miniſtri eſt, iterandũ eſt ſacramentũ.

3 Hanc ſententiam docent Valẽtia *ſup. num.* 26. Ægidius *dub.* 1. *num.* 9. Layman, Suarez, Hurtado, Ledeſma *ſup.* Villalobos *num.* 3. *dif.* 3. Vazq. *num.* 26. Granado *num.* 7. Angles 1. *p. in* 4. *q.* 1. *de Bapt. art.* 5. *diff.* 1. Sotus *lect.* 1. *de Baptiſ.* Rodrig. *cap.* 25. Baconius *in* 4. *d.* 6. *q.* 2. *art.* 1. Zambranus *cap.* 1. *de Bapt. dub.* 1. *n.* 2. & eſt communis. Baptiſmi ergo hi iterandi ſunt; tum ob receptionẽ ſacramenti, quod extra controverſiam non recipitur ſine debita intentione, etiam in ſententia relata, & ad illud recipiendum præcepto divino tenemur: tum, quia etiam ſi in hac opinione reciperetur ſacramentum, & gratia peccatum originale delens, ex eo quod Deus ſuppleat de potentia abſoluta (ut notat Valentia *ſup. punct.* 3.) intentionem miniſtri; adhuc cum ſolùm opinionis certitudinem habeat, non

habet

habet eam, quæ deobligare poſſit à repetitione baptiſmi, & ita repetendus eſt; ne ſi forſan ſit falſa, ut communiter à Doctoribus exiſtimatur, ſic baptizatus æternæ damnationis periculo ſe exponat, dubiuſque ſem per maneat de ſui baptiſmi effectu; ſiquidem tot ſapientes dubitant de illo, & hoc dubiũ neceſſariò eſt annexum opinioni, quæ eſt aſſenſus unius partis non firmus, & certus, ſed cum alterius formidine, ut docent S. Antoninus 1. *p. tit.* 3. *cap.* 10. §. 9. Sylveſt. *verb. opinio.* Sotus, 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 9. Navarrus *cap. ſi quis autem. num.* 11. Cordova *q.* 2. & Thom. Sanch. *ſup.*

4 Sed ſi objcias; difficillimũ, immô & mora liter impoſſibile videri, omnes, & ſingulos, quos in caſu huius, & primi Singularis aſſeruimus, ob intentionis deffectum non fuiſſe validè baptizatos, iterum baptizari poſſe; cũ ſingulorum omnium meminiſſe non valeãt Parochus, aut Obſtetrix; plures præterea iam erunt per varia loca diſperſi, alij item Sacerdotes, aut matrimonio coniuncti, quibus, ſi baptiſmus iteretur, etiam ſacramenta Ordinis, & Matrimonij iteranda erunt, quod difficillimum eſt: quia ſcandalum maximum ſequeretur, & grave damnum ijs, qui ſine intentione baptizaſſe patefacerent: ergo cum hac difficultate, & incommodis hę baptiſmi repetitiones fieri non debẽt. R. His omnibus incommodis, & difficultatibus præferendam eſſe ſalutem ſpiritualem eorum, qui veré non ſunt baptizati, cum periculo ſe exponant, ſi adulti ſint, æternæ damnationis, ſi verô infantes decedant, vitam æternã amiſſuros certum ſit. De ijs verò, qui de ſuo baptiſmo dubij, pœnitentiæ, & matrimonij ſacramenta receperunt, infra Singulari 10. 11. & 12. necnon Tractatu 6. Singul. 1. 2. & 3. dicemus.

5 Si verò Parochus invalidè baptizans recordetur eorum, circa quos intentionem in baptiſmo detorſit, eos ſecretô admonere, & baptizare poterit, etiam ſi ſint plurimi, & magno ſibi labore ſtet. Si tamen aliquorum recordetur, non veró omnium, idem circa hos aliquos faciat. Si omnes ignorat, tunc Epiſcopo per confeſſorem, aut virum doctum ſub ſecreto nunciãdus eſt hic caſus; nec neceſſum erit, quod exprimat ex malitia, aut prava intentione, ſcienterve perpetraſſe; cũ ex ignorantia, negligentia, aut incuria potuerit id accidere, ac ſi utatur æquivocatione, ne ſe prodat, permittat dubios dicere, nõ expreſſa cauſa, ſi hoc ſatis ſit ad remedium, quod circunſtantiæ ſuadebũt. Epiſcopus verò publicare faciat inter Miſſarum ſolẽnia, aut alio modo, ſi neceſſum fuerit, omnes ab illo Parocho N. baptizatos, baptizari iterũ deberi ſub conditione. Præterea baptiſmi liber luſtrandus eſt, ut ex eo cognoſcantur qui ab eo Parocho ſint baptizati. Si verò de aliquibus dubitetur, an extra civitatem, ubi Parochus munus obiuit, degant; per Parochum ſui oppidi, vel per cognatos monendi ſunt. Si ſcandalum, ſeu perturbatio aliqua oriatur, non ideo ab his erit abſtinendum; cum neceſſe ſit, ut ſcandala veniant; & melius eſt cum illis, vel non baptizatos, vel de baptiſmo dubios ad vitam ingredi; quam ſine illis gehennæ periculo exponi. De obligatione Parochi ad manifeſtationem huius caſus, conſule Singulare 26.

6 Ex prędictis inferes, idem omnino aſſerendum eſſe, cum Parochus, aut Obſtetrix ex pluribus, quos baptizaverãt, aliquibus omnino ſibi ignotis; aquam roſaceam, ex herbis expreſſam, aut non naturalem, ſeu dubiã materiam, aut formam applicuiſſe fateantur: omnes enim iterum baptizandi ſub conditione ſunt, exceptis ijs, quos certò ſciret, rite baptizaſſe, poſt diligentem memoriæ excuſſionem. Similiter idem dicendum in ijs eventibus, quos non ſemel, ſed ſæpe accidiſſe colligitur ex noſtro Ildephonſo de Sandoval *lib.* 3. *inſtr. Æthiop. cap.* 2. & 3. Cum ſcilicet plures Æthiopes, ex S. Thomæ inſula, vel alijs Angolæ, ſeu Guineæ portibus adveniẽtes, ipſa in navi, aliove in loco ſimul baptizantur, aqua vel non omnes abluente, quia omnibus ſimul, non cuilibet ſingillatim diſperſa eſt; unde contingere poteſt, quod aliquorum capita non tingat, vel ſaltẽ non ſufficienter: aliquorum ſolum capillos abluat: præcipué cum horum ita ſint coacervati in magna ipſorum copia, ut ægrè aqua ad caput poſſit pervenire. Omnes igitur ij, excluſis illis, quos ſufficienter ablutos eſſe in particulari certò ſciatur; baptizari debent ſub conditione; cum non conſtet, quibuſnã ſufficiens ablutio adhibita ſit, & ita dubium ſit prudens de omnibus.

7 Sic etiam iterum baptizandi ſunt omnes pueri, qui, ut ſæpius accidiſſe teſtatur Sandoval *cap.* 6. ſimul cũ matribus Æthiopibus, aut in earum ulnis accubantes, baptizati ſunt, & ignoratur, aut dubitatur, an aqua abluerit matres ſolùm, vel etiam pueros; licèt inadvertentia ſit in cauſa. Et in univerſum, cum tam de pueris, quàm de adultis Æthiopibus baptizatis, eſt aliquod prudens dubium, omnes ſub conditione iterum ſunt baptizandi, etiã ſi aliquos omnino ignotos generaliter, & in confuſo rite baptizatos ſciatur; cum hi aſſignari nequeant in particulari. Quod rectè probant Sandoval *ſup. lib.* 3. *cap.* 7. & doctiſ

ſimus

ſimus noſter Didacus Ruiz de Montoya in inſtructione, quam pro baptizandis mancipijs, aut Æthiopibus ex varijs Provincijs, ad Hiſpaniam advenientibus, Archiepiſcopo Hiſpalenſi D. Petro de Caſtro & Quiñones obtulit. In his dubium non leve ſæpe oriri expertus ſum; an Æthiops baptizandus ad eum rationis uſum pervenerit, ut dētur conſenſus, cognitioque baptiſmi ad illius valorem in eo requiſita; vel ſi certò cognoſcitur uſu rationis tunc potiri, an cōſenſum, & cognitionem prædictā habuerit. In quocumq; ergo ex his dubijs baptizandi ſunt ſub conditione præfati Ethiopes. Et utinam ſingulis annis, vel ſaltem tertio quoque â Prælatis hi inquirirētur, præſertim qui de novo advenirent, ut de eorum baptiſmis per viros doctos examina fierent; quod maximè neceſſarium exiſtimo, præcipuè Hiſpali, Vlyſſippone, ac alijs urbibus, & locis, ad quæ appellere ſolent.

SINGVLARE III.

Vtrùm omnes infantes, & adulti à Paganis, Judæis, Sarracenis, aut Hæreticis baptizati, iterum baptizandi ſint ſub conditione?

1 VALIDVM eſſe baptiſmū ab his collatum, dummodo verā materiam, & formam ſervent, intendātque facere id, quod facit Eccleſia, deffinitur ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi, & Eugenio IV. in Florentino, *decreto fidei*, à Tridētino *ſeſſ. 7. ca. n. 4. de Bapt.* & latiſſimè probatur à Sebaſtiano Epiſcopo Oxomēſi *ad q. 66 art. 9.* Bellarmino *lib. 1. de Bapt. c. 7.* Vazquez *q. 67. d. 147. cap. 1.* ac alijs: & oppoſitum ſentire hæreſim eſſe ait Zanardus *de Bapt. c. 4.*

2 Deinde Communis Theologorum ſententia docet ab his baptizatos iterum baptizari non poſſe, etiam ſub conditione, dummodo ex alio capite non conſtet, aut probabiliter dubitetur aliquid eſſentiale Baptiſmo ab his collato defuiſſe; ſicut dicitur dubitari moraliter de Baptiſmo collato â fidelibus. Sic etiam hos non baptizandos iterum, ſtatuitur in *cap. Romanus*, & *cap. A quodam*, *cap. ſi qui*, *cap. quamvis*, *cap. ſolet etiam*, *cap. oſtenditur*, *c. hi de quibus de conſecrat. diſt. 4.* Idem *c. Arrianos cauſa. 1. quæſt. 1.* ac alijs locis, & in Concilio Vvormacienſi *can. 5.* & Conſtantinopolitano 3. *can. 95.* Videantur Bellarminus, & Vazquez *ſup.*

3 Nihilominus tenēdum omnino exiſtimo, omnes infantes, & adultos à prædictis baptizatos, licēt ex alio capite nō dubitetur de valore ſui baptiſmi, iterū baptizari poſſe, & deberi, ex hoc præciſé, quod ſint Pagani, aut Iudæi, Sarraceni, aut Hęretici, qui illis baptiſmum adminiſtrarunt. Probatur 1. Quia ut Baptiſmus validè adminiſtretur debet miniſter applicare materiam, & formam neceſſariam, ac habere intentionem baptizandi, ſeu faciendi id quod intendit Eccleſia, aut [quod idem eſt] ad quod fuit baptiſmus a Chriſto D. inſtitutus: ſed prudenter præſumi poteſt hos infideles in aliquo horum deficere: ergo ab his collatus iterari debet. Maior eſt certa, minor probatur, quia ſi Pagani, Iudæi, & Sarraceni ſint, negāt, vel odio proſequūtur Baptiſmum, & Eccleſiam; illiuſque ſacramenta, aut illorum inſtitutorē Chriſtū verè non agnoſcunt. Quomodo ergo, ſi prudentes ſimus, non ſit præſumendum, aut debitam materiam, vel formam, non applicuiſſe; aut veram intentionem faciendi, quod Eccleſia facit, & Chriſtus inſtituit non habuiſſe? Quomodo non verebimur prudēter, Baptiſmum ſibi aut ignotum, aut quid fictitium exiſtimatum infantibus rite contuliſſe?

4 Si Hæretici ſint, vix ullus reperietur ex quocumque hæreſum gremio, qui in aliquo ex eſſentialibus ad Baptiſmi valorem perniciosiſſimè non erret; iam enim neceſſitatem illius, effectum, & finem negant; iam ſanguinem, ignem, lac: cerviſiam, & vinum, ut Lutherus cenſuit, aliamve improportionatā materiam illi aſſignant: iam innumeras, omneſque invalidas formas inducunt, iam miniſtri intentionem tollunt, ſic Khemnitius, Calvinus, & Lutherus. Circa Trinitatis unitatem, & perſonas, quarum fide, nomine, & expreſſione confertur Baptiſmus, plures hæretici enormiter errarunt, ſicut & circa alia ipſius valori neceſſaria: ut videre licet apud Caſtrum *de hæreſ.* Paleotum *Elencho v. Baptiſ.* Enriq. *præem. de Bapt.* Bēirlinch. *theat. v. Bapt.* Zanardum *c. 7. de Bapt.* & Bellarminum *controv. de Bapt.* Ergo prudentiſſimē timeri, dubitari, & præſumi poteſt de his omnibus adminiſtraſſe validè baptiſmata omnia, eaque ſub conditione iteranda erunt.

5 Accedit experientia, qua compertum eſt aliquos hæreticos, ex Prædicantibus in Anglia præcipuè, aqua roſacea uti, dum baptizant nobilium proles; aut etiam aſpergere ſolas veſtes, ne eis moleſta ſit aqua frigida corpus contingens: alios formam Baptiſmi ex fede concionatoria pronuntiare, iubētes pueros ab alijs aqua aſpergi. Sic teſtatur noſter Ægidius *ad q. 66. de Bapt. art. 9. dub. 1. n. 96.* Plures ſubſtantialem formæ ſenſum mutāt, ut Arriani, Zingluiani, Marcitæ Priſcillianiſ-

tæ,

tæ, & alij apud Beierlinch. & Zanardum *ſup.* Cur igitur non iterabitur ab his collatus, ea ſola cauſa, quòd ab his collatus ſit? De Denterio Epiſcopo Arriano baptizaſſe *in nomine Patris per Filium in Spiritu S.* teſtatur Nicephorus *lib.16.cap.35.* & Sigonius *de Occid. Imper. lib.16.cap.510.* Plures filios Longobardorum ab hæreticis baptizatos baptizari iterum fecit S.Gregorius, ut conſtat ex *l.1.regiſt.ep.17.* vide ſimilia apud Berden *lib.7.cap.50.* & 57. & Bozium *de ſign.l.5. cap.2.* Egregie ſanè ad rem iſtam Concilium 1. Carthaginēſe in reſponſione Cæcilij: *una fides*, inquit, *unum baptiſma: non apud hæreticos, ubi ſpes nulla eſt, & fides falſa; ubi omnia per mendacium aguntur: ubi exorcizat dæmoniacus, ſacramentum interrogat, cuius os, & verba cancer emittunt: fidem dat infidelis, veniã peccatorum tribuit ſceleratus, & in nomine Chriſti tangit Antichriſtus, benedicit à Deo maledictus, vitam pollicetur mortuus. Quam rem fugere, ac unũ baptiſma tenere, quod ſoli Eccleſiæ à Deo conceſſum eſt.*

6 Probatur 2. Quia adhoc, ut fidem faciamus alicui deponenti de Baptiſmo alterius, debet eſſe teſtis oculatus, de quo nulla ſuſpicio poſsit eſſe pernicioſi mendacij; & ſi talis nõ eſt, poteſt iterari, ut ex Canonico iure, & communi Doctorum probavimus Singulari I. num. 4. & 5. ergo, ut fidem faciamus alicui aſſerenti, ſe ritè baptiſmum adminiſtraſſe, nulla ſuſpicio de illius adminiſtratione debet eſſe; ſed hęc non abeſt ab infidelibus, & hæreticis in adminiſtratione Baptiſmi, quia aut negant hunc, aut execrãtur, aut inutilem iudicant, aut pernicioſè circa materiam, formam, & alia illi eſſentialia errant: ergo ſufficiens fundamentum eſt, ut Baptiſmi omnes ab his collati ſub conditione iterentur.

7 Confirmatur ex ſententia Paludani *in 4. d.6.q.4.art.1.concl.2.* Soti *d.3.q.un.art.9.* Navarri *c.27.n.246.* S. Antonini 3. *p.tit.14.cap.13. §.12.* Sylveſtri *bapt.4.q.9.n.7.* Zambrani *de bapt.dub.5.n.2.* & aliorum aſſerentiũ, quod licèt ſufficiat, ut credatur quis baptizatus, teſtimonium ſaltém unius vetulæ benè examinatæ, nõ verò ſufficere, ſi teſtis ſit ſuſpectus in fide, & religione; & eos, qui hunc tantũmodo teſtem de ſuo baptiſmo habuerint, rebaptizandos eſſe ſub conditione: ergo nec ſufficiet tẽſtimonium aſſerentis, ſe rité baptizaſſe aliquem, cum baptizans non ſolum ſit ſuſpectus in fide, ſed à fide alienus, illi inimicus, & baptiſmi execrator, ut ſunt Pagani, Sarraceni, Hebræi, & plures Hæretici: ergo ſecuri de valore ſui baptiſmi eſſe nõ poſſunt ab his baptizati, & rebaptizari debent ſub conditione.

8 Probatur 3. ex ſententia Vazquèz *tom.2. in 3.p.dub.146.c.4.n.26.* Ochogaviæ *de bapt. q.11.n.8.* Hurtadi *diſp.1.de Bapt.diff.12.* & aliorum aſſerentium, pueros expoſitos inter Sarracenos, aut Iudæos, etiamſi teſtimonium aſſerant ſcriptum in charta, ſe baptizatos eſſe affirmans, adhuc baptizandos ſub conditione; quia cum ſit infidelium teſtimonium, fidem non facit, nec moralem certitudinem in rebus fidei, cuiusmodi eſt ſacramentorũ adminiſtratio: ergo nec fidem, nec certitudinem hanc faciet Iudæus, Sarracenus, Paganus, aut Hæreticus aſſeverãtes, ſe ritè Baptiſmum alicui contuliſſe. Immo etiam ſi Catholicus teſtis oculatus eſſet de Baptiſmo ab his collato, aquam naturalem videret infundi, corpus ſufficiẽtiſſimè ablui, verba formæ ſimul, & rectè proferri audiret; adhuc cũ gravis ſuſpicio eſſe poſſet de intentione baptizantis propter dicta; iterandus erit ſub conditione, ut patebit ex dicendis Singulari 5. Propter has, & ſimiles rationes olim in Belgio, ut teſtatur noſter Ægidius *ſup.n.69.* baptizabantur iterũ omnes ab hæreticis baptizati.

9 Teſtimonia autem, quæ ex iure Canonico afferuntur, ſtatuentia baptiſmos ã Paganis, Iudæis, Sarracenis, & Hæreticis collatos non eſſe iterandos, ſolùm conficiunt, quod ij validé poſſunt adminiſtrare hoc ſacramẽtum, illudque ab illis cũ debita materia, forma, & intentione collatum, validum exiſtere, ut ex ipſis teſtimonijs patet, ac ex definitione Florentini in decreto de Armenis cõſtat, ubi dicitur: *Miniſter huius ſacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare: in cauſa autem neceſſitatis non ſolùm Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam laicus, & mulier, immo, & Paganus, & hæreticus baptizare poteſt: dummodo formã ſervet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia.* Idem in Tridentino *ſeſ.6.* Nos autem dicimus, probabiliter dubitari, & prudenter præſumi poſſe hos omnes, cum baptizant, in aliquo eſſentiali; vel ignorantes, vel errantes malitioſè defficere, & ita omnes ab his baptizatos, iterum baptizari debere ſub conditione; ne forſan ſi rité baptizati non ſint, æternæ damnationis periculo ſe exponant.

10 Quod autem hoc dubium, aut ſuſpicio ſit ſufficiens ad iterationem, infra iterum patebit, & propter hæc forté Gregorius II. *epiſt. ad Bonifac. Epiſc.* ut refertur *cap. Quos à paganis de conſ. diſt.4.* ſic ait: *Quos à paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, ſi ita habetur, ut denuo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus.* Vbi notat Ægidius *q.67. de bapt. n.1.* baptizare iuſſiſſe, quia non ſervatus ritus Eccleſiæ, & Vazquez *ſup. c.2.n.6.* quia deffuit invocatio Trinitatis; et addit: *Et certè valde credibile eſt hunc, vel alium deffe-*

deffectum in baptiſmo illo fuiſſe, ob quem ſi baptizati etiam eſſent ab infidelibus, iterum baptizari deberent. Idem dici, aut præſumi poteſt de quocumque baptiſmo ab infidelibus, & hæreticis collato; licet deffectus non certò conſtet; ſicut in hoc certò non cõſtare colligitur ex Doctoribus. Id circo ſapienter Laurẽtius Beierlinch *Theat. verb. Bapt. §. de hæret.* ait: *Quia Hæretici detrectant communicare in ritu ſacramentorũ cum Catholicis, & nullo negotio reijciunt Eccleſia traditiones, ac rerum novitatem ſe ipſis ducibus uſi ſectantur, meritò illorum baptiſmus de nullitate ſuſpectus haberi debet. Vnde Synodus Provincialis Mechlimenſis in Belgio decrevit ab hæreticis baptizatos ſub conditione ſaltem eſſe baptizandos.*

SINGVLARE IV.

An ita dubitari, aut præſumi poſsit de Baptiſmis collatis à Parocho, vel Obſtetrice, ex Hebræorũ, aut Sarracenorum ſanguine ortis, ut omnes iterari poſsint ſub conditione?

1 SINGVLARES eventus, qui ad meas pervenere aures, hãc iam diu mihi excitaverunt quæſtionem. Audivi enim â fide dignis quendam Parochũ ex Hebræorum genere ortum, â ſacræ fidei Quæſitoribus (neſcio ob quæ indicia, aut cauſam) cõprehẽſum, torturæque ſuppoſitum, faſſum eſſe, ſe per decennium, in quo Parochi munus obierat, numquam intentionẽ baptizandi habuiſſe.

2 Similiter cognovi vetulam quãdam morti proximam confeſſario propalaſſe, ſe dum per viginti annos obſtetricis officium exerceret in quodam huius Hiſpalenſis Archiepiſcopatus oppido, circa nullũ infantem ex pluribus, quos ob neceſsitatis cauſam baptizaverat, baptizandi intentionem habuiſſe; immò baptiſmo oppoſitã ſemper conſervaſſe. Inter illius oppidi incolas divulgata hæc eſt Obſtetricis iam emortuæ confeſsio; ad hoc enim Confeſſarius illã adſtrinxit, illiq; licentiam propalandi ipſa dedit, rebaptizatique ſunt illi; qui aut ex memoria parentũ, aut cognatorum, nec non ex baptiſmi libris domi baptizati ab hac obſtetrice reperti ſunt. Ex quibus aliquos ego baptizare feci, & hodie plures extant, aliqui iam Sacerdotes, coniugati, aut Religioſi, qui ſicut baptiſmi iterationẽ procurarunt, debuerunt iterum ordines recipere, inire matrimonia, & profeſsionem facere, ut verè Sacerdotes, Religioſi, ac Eccleſiæ matrimonio cõiuncti forent. Hæc autem Obſtetrix erat ex Sarracenorum ſanguine: Moriſcham, ſeu Chriſtianam novam Hiſpani vocant.

3 Item in quadam Luſitaniæ urbe tres graviſſimi Eccleſiaſtici, alter Epiſcopi Vicari⁹, Decánus Capituli alter, & alius unius Eccleſiæ Parochus à ſacro Inquiſitionis Tribunali comprehenſi, faſſi ſunt ſe numquam baptizandi, conſecrandi, & abſolvendi intentionem habuiſſe; utpote ex Hebræorum ſanguine orti. Similia confeſſus eſt alius, qui per duodecim annos Parochi munus exercuit, deprehenſuſque eſt, ex eo quod Hoſtiã cum elevaret in Miſſæ ſacrificio Chriſti D. effigiei caput, terram verſus ſemper inclinaret. Sic à fide dignis audivi.

4 His, & ſimilibus caſibus ſuppoſitis; ſit cõcluſio: Quoties Parochus, vel Obſtetrix (idẽ dicendum de alijs, ſive Eccleſiaſticis, ſive ſæcularibus, ſive viris, ſive fæminis) ex Hebræorum, aut Sarracenorum genere orti, depravatæ conſuetudinis, aut vitæ, ſimulque de fidei puritate aliquomodo ſuſpecti, reperiuntur; de Baptiſmo ab ipſis collato ita dubitari, aut præſumi poteſt, ut ſub conditione repeti debeat. Hæc ſatis ſtabiliri, ac probari poſſet fundamentis antecedenti Singulari iactis, pro iteratione Baptiſmi à Iudæis, & Sarracenis adminiſtrati; cum enim hi ex genere, & ſanguinis ſui impulſu, ſeu naturali vi, Baptiſmum oderint, ac execrentur; hoc viperinum odium ſanguine ipſo in poſteros effudiſſe præſumi non temerè poteſt, iuxta illud quod rectè ad Phariſæos, ex antiquis Hebræis maximo odio Prophetas perſequentibus, ortos, Chriſtus Dominus *Matth. 23.* dixit: *Teſtimonio eſtis vobiſmet ipſis, quia filij eſtis eorum, qui Prophetas occiderunt, & vos implete menſuram Patrum veſtrorum, ſerpentes, genimina viperarum.* Vbi S. Thomas: *Filij eſtis eorum, quia habetis malitiam eorum.* S. Hyeronimus: *Sicut de viperis naſcuntur viperæ, ſic de homicidis Patribus vos nati eſtis homicidæ.* Origenes, Chriſoſtomus, & Anſelmus, qui in id *Matt. 23. Amen dico vobis venient hæc omnia ſuper generationem iſtam*, ait: *Non hos tantum præſentes dicit, ſed omnẽ generationem præſentem, & futuram: quia omnes ſunt una civitas diaboli, & unum corpus diaboli.*

5 Igitur quis ſapiens, non cenſebit, ſufficiẽs fundamentum eſſe ad dubitandum, vel ſaltém ad præſumendum, vel ſuſpicandum de modo baptizandi, & præcipué de intentionẽ baptiſmo neceſſaria, in Parocho, vel Obſtetrice ortis ex ijs, qui hoc ſacramentum (ſicut & alia) maximè abominati ſunt: tum aliunde timoratæ vitæ, & puræ fidei teſtimonium, quod hanc ſuſpicionem, aut timorem depellat, defficiat? Hic autem infectus ſanguis ad maiorum ſuorum veſtigia ſequenda in ve-

nis

nis fervens, & animum provocans [ut ipſi etiam in dignitate Epiſcopali conſtituti, & timoratâ conſcientiâ præditi falſi ſunt] morũq; diſſolutio, aut Eccleſiæ Romanæ fidei nullus amor, ne odiũ dicam, præſumptionẽ, ſuſpicionemq; generant ſufficiẽtem ad iterandum ſub conditione baptiſmum ab ipſis collatum: cum adhoc non ſolũ coniectura, aut ſuſpicio, ſed veſtigium etiam leve ſuſpiciònis ſufficiat, ut doctiſſimi Theologi docẽt. 8

6 Horum unũ, vel aliud teſtimonium proferam pro hac, & alijs huiuſmodi aſſertionibus. Suarez *tom. 3. in 3. p. d. 22. ſect. 2.* ait, iterum aliquem baptizandũ eſſe ſub conditione, *quando ſunt apparentia indicia ad credendum hominem non eſſe baptizatũ; & aliunde apparentes coniecturæ, quæ oppoſitum perſuadeãt, ſi coniecturæ verè efficiunt rem dubiam.* Reginaldus *l. 17. c. 7. n. 53.* ait, iterandũ ſub conditione baptiſmũ, *quando ſunt aliqua indicia ad ſuſpicandum aliquid de neceſſarijs baptiſmi eſſe omiſſum, aut eum, qui offertur, eſſe iam baptizatum; non tamen ſufficientia ad ferendum abſolutum iudicium.* Hurtado *diſp. 1. de Bapt. diff. 12.* ſic. *Quoties pro parte negativa ſive facti, ſive iuris eſt probabilis opinio, aut ſaltẽ eſt prudens, ſeu probabilis coniectura, aut ſuſpicio: quamvis pro parte affirmativa ſit prudens, ſeu probabilis opinio, ſeu indicium: tunc baptiſmus non eſt moraliter certus, & eſt prudens timor, ac proinde periculum manendi re ipſa abſq; baptiſmo.* Et addit, quod ad non rebaptizandum, *nulla debet eſſe prudens coniectura, nec ſuſpicio.* Quod in hoc caſu non levis adeſſet, omnibus patet.

7 Confirmatur itidem hæc præſumptio, aut ſuſpicio ex experientia, qua compertũ eſt in aliquibus Regnis, & præcipue in Valentiæ Regno, ut teſtatur Iacobus de Bleda *l. de expulſione Moriſchorum conſec. 11.* Moriſchos, & Moriſchas, ſuos infantes non baptizare, nec baptizari permittere. *Vnde*, inquit, *inhibentur Moriſchæ eſſe obſtetrices, & adeſſe partibus aliarũ Moriſcharum, obidque in omnibus eorũ oppidis ſunt obſtetrices Chriſtianæ deſignatæ, quæ quando vocãtur iam reperiunt Moriſchas peperiſſe: ſed tamen hoc celant, illis applaudentes: & maiora celant; nã Moriſcharum aſtu multi parvuli non baptizantur; & id circo unus plerumque parvulus ad deludẽdas Parochos baptiſmo offertur, & loco aliorum recenter natorum baptizatur.* Hæc ille: cũ antea dixiſſet, has omnes Moriſchas execrari baptiſmum, nullumq; ſuis infantibus præbere. Et licẽt Moriſchæ, obſtetrices, aut ex hoc genere quilibet laicus, vir, aut femina, bonè, quoad mores, apud omnes audirent, adhuc ab his baptizatos ob neceſſitatis cauſam, rebaptizari ſub conditione iudicarem, propter genus, & rationes ſequenti reſolutione proponendas. Hinc ipſe Bleda *ſup.* & Enriquez *c. 31. n. 1. lit. I*, Filios harum Moriſcharũ re baptizandos ſemper ſub cõditione aſſerũt.

8 Si verò Parochus, aut Sacerdos hoc ſanguine infecti, præclarum ſemper fidei, & vitæ teſtimoniũ præbuiſſent: tũc ſuſpicio hæc evaneſcere videtur. Optarem autẽ nec hos in Parochos, aut Confeſſores eligi.

SINGVLARE V.

V. Omnes infantes á parẽtibus, cognatis, obſtetricibus, vel ab alijs laicis, viris, aut feminis ob mortis periculum, aut aliam cauſam domi, vel alibi baptizati; baptizari iterum poſſint, & debeant ſub cõditione?

1 PLVRIVM Doctorum ſententia, & Parochorum praxis, hos abſolutè, & ſine diſtinctione baptizari non poſſe, etiam ſub conditione, docent. Sic Sotus *in 4. diſt. 3. q. unica*, Victoria *q. 36.* Alfonſus de Caſtro *l. 1. c. 7. de leg. pœnali.* Zerola *verb. irregularitas. §. 12.* Alij aſſerunt examinandos eſſe eos, qui baptizarunt: utrum legitima materia, & forma uſi ſint, intentionem habuerint, ac ſufficientem corporis partem ablue rint: & ſi rite feciſſe reperiantur, cæremonias tantũmodò ſupplendas eſſe; ſi verò deprehendatur ſaltem rationale dubiũ, an aliquid eſſentiale baptiſmo defuerit, tunc ſub ditione repetendum eſſe baptiſmum. Sic ſtatuitur in Catechiſmo Romano *p. 2. c. 2. §. 43.* in decretis Provinciæ Mediol. *tit. 25. de Bap. c. 31.* in Synod. Granat. ann. 1572. *tit. de Bap. n. 4.* & in alijs, docetur; à Soto *in 4. diſt. 3. q. un. ar. 9.* Ægidio *q. 66, ar. 9. dub. 1. n. 94.* Suar. *diſ. 31. ſect. 6.* Navarro *c. 27. n. 426.* Laiman *l. 5. c. 5. n. 3.* Merchantio *candelabro ſacram. trac. 2. de bapt. c. 2. q. 4.*

2 Ego cenſerem, omnes feré infantes, ob mortis periculum præcipuè, domi à parentibus, cognatis, obſtetricibus, alijsve laicis viris, aut feminis baptizatos, cõmuniter iterũ baptizandos eſſe ſub conditione. Probo. 1. auctoritate Paſtoralis Melchinenſis, quod ſic habet: *Si re diligenter requiſita dubium fuerit, utrum puer ſit baptizatus, vel ſi ſit baptizatus ab obſtetrice, ſub conditione baptizetur.* Et iterum: *Conditionalis baptizatio facienda eſt circa infantes, qui ab obſtetricibus baptizati eſſe referuntur.* Idẽ ſtatuitur in Synodo Iprenſi ſub Martino Rythovio *tit. 12. cap. 5.* Sic teſtatur Sylvius hanc ſententiam ſequens *in 3. p. S. Thom. Thom. quæſt. 66. art. 9. dub. 2. Et ſi qui baptizatum*, inquit, *domi ab Obſtetrice, poſtea ſub conditione baptizat, non ſit regularis; quæritur tamen*

an peccet, verius arbitramur non peccare; quia ſemper licet ea forma conditionata uti, quando eſt dubium de baptiſmo ritè collato: Quando autem Obſtetrices domi baptizarunt, ſemper eſt eiuſmodi dubium, ne vel ſubito neceſſitatis caſu turbatæ aliter quam referant, dixerint. Hæc vir doctiſſimus profeſſor Theologiæ in Academia Duerena. Idem docet Molanus ab ipſo citatus, *tract. 4. ſuæ pract. c. 3.* dicens: *Et ſi Obſtetrices aſſerant ſe baptizaſſe infantem, poteſt tamen cum in templũ defertur ſub uſitata conditione baptizari.*

3 Si igitur, iterũ baptizari poſſunt ſub conditione omnes infantes baptizati ab obſtetricibus, quæ examinatæ, & inſtructæ eſſe debent de modo baptizandi, ut decernitur in techiſmo Romano *p. 2. §. 4. c. 2.* & in omniũ Diœceſum Synodis, ac docetur à Soto, & Ægidio *ſup.* Suario *diſp. 31. ſect. 6.* & alijs cõmuniter (immo & teneri ſub mortali rectũ baptizandi ordinem ſcire aſſerunt Vivaldus *de miniſt bapt. n. 9.* Paludanus *in 4. diſt. 5. q. 2.* S. Antoninus *3. p. c. 13. §. 4.* Rodriguez, *ſum. c. 27.* Sà *verb. Bapt. n. 12.* Enriquez *c. 29.* Granado *tr. de Bap. d. 1. u. 7.* Navarrus *c. 22. n. 6.* & alij) à fortiori baptizandi iterum erunt infantes baptizati à parẽtibus, cognatis, alijſve feminis, & viris laicis, qui non ita inſtructi ſunt de baptizandi modo, & baptiſmi forma: nec ullam in huius ſacramẽti adminiſtratione experientiã habent, ut habent obſtetrices? & ſic Bartolus *in l. ſi quis, C. Ne Bapt. rei teret,* ait; *Bonum conſilium eſſe baptizare puerum ſub conditione, qui baptizatus eſt domi propter periculum mortis.*

Probatur 1. quia prudenter de omnibus 4 fere baptiſmis ab huiuſmodi perſonis in caſu neceſſitatis collatis, dubitare, aut ſuſpicari poſſumus; validè ne miniſtrentur; quia parentes, cognati, familiares, & alij partui aſſtantes, videntes periculum mortis, aut infantis, aut parturientis; huiuſve etiam vehemẽtiſſimos dolores, & clamores, in non levem turbatiõnem incidunt, quam augent famularum ſtrepitus, medicamentorum cura, & ſolicitudo, conſanguineorũ dolor, & ſæpius lachrymæ, ſuſpiria, aliæq; feminarum acclamationes, ac alia huiuſcemodi, quæ magnã attentionem impediunt in collatione baptiſmi neceſſariò adhibendam, ut rectè forma proferatur, & materia applicetur. Hinc ſapienter Sylvius *ſupra*: *Vt*, inquit, *parvulorum ſaluti conſulatur, ſecuriùs eſt, eos tametſi ob obſtetricibus domi baptizatos, poſtea baptizare ſub conditione; nec poteſt in iterationis crimẽ venire, quod factum eſſe omnino neſcitur, ut ait S. Leo Pap. ep. 37.*

Probatur 2. ex ignorantia, qua cõmuni- 5 ter præſumitur huiuſmodi laicos, viros, vel feminas laborare circa eſſentialia baptiſmi, aut baptizandi modum. In quodam Veneti dominij oppido teſtatus eſt Parochus Paulo Comitolo, ut ipſe refert *l. 1. reſp. c. 1. n. 7.* quod in ſua parœcia inter cẽtum vix unũ reperierit, qui baptizandi peritus eſſet; in quo caſu ipſe Comitolus cenſuit, omnes illius oppidi expoſitos infantes, etiam cum chirographo de ſuo baptiſmo teſtãte, rebaptizandos fore ſub conditione. Victoria *q. 36. de Bapt.* narrat, ſe preſente adductum fuiſſe puerum ad baptiſterium, alijs baptizatum eſſe aſſerentibus, alijs negantibus, quẽ Parochus ſub cõditione baptizavit. Civitate Xerecij in noſtra Bætica, reperta eſt quædam obſtetrix, etiam ex approbatis, quæ longo tempore ſic baptizavit: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & gratiæ Spiritus S.* Quæ res delata ad Archiepiſcopũ D. Petrũ de Caſtro & Quiñones, omnes ab hac baptizatos iterũ baptizari iuſſit; illaque officio privata fuit. Sic teſtatus P. Ioãnes Muñoz Provincialis olim huius noſtræ Provinciæ.

Plures baptiſmos ab huiuſmodi laicis col- 6 latos invalidos fuiſſe ex illorũ ignorãtia, experientia item, compertum eſt, cum interdũ materia uſi fuerint inepta, v. g. aqua roſacea, aut ex herbis odoriferis expreſſa, formaque ſimiliter non debita, dicentes: *Baptizo te in nomine Spiritus S. & Beatiſſimæ Virginis*, vel *in nomine Angelorum, & ſanctiſſimæ Trinitatis*, vel *Pater noſter*, vel *Ave Maria*, cum aquæ infuſione recitantes, vel *ego te offero ſanctiſſimæ Trinitati*, & his ſimilia. S. Bernardꝰ *ep. 34. ad Henric.* narrat quendam laicum ſuo tempore ex imperitia plurimos baptizaſſe, *in nomine Dei, & ſanctæ, ac vivificæ Crucis.* Et S. Vincentius refert *conc. 2. dominicæ 3. quadrageſimę*; quod cum Theologus quidã eximiã concionem habuiſſet, accedens quædam vetula manus ei exoſculata es dicens: *Benedicta ſit dies, in qua vos baptizavi in nomine S. Trinitatis, B. Mariæ Virginis, & omnium Angelorum.* Itaque ſe non baptizatum cognoſcens, denuo baptizari curavit. Quid ſimile accidiſſe cuidam Sacerdoti Societatis noſtræ in hac Bætica Provincia, & Marchionis de Priego filio à fide dignis audivi: & alios ſimiles caſus referre poteram, ex quibus horum laicorum ignorantiæ, & errores plures in hac materia apparerẽt, qui præcipuè reperti ſunt in feminis. utpote quæ partibus præſertim adſtant, naſcenteſque, aut recenter natos puèros ſtatim baptizant, timentes ne ſine baptiſmo illico pereant, periculumque mortis ſæpius excogitantes, cum nullum eſt.

Ob hanc forſatis cauſam, & mulierum ig- 7 norantiam in baptiſmo conferendo, ſeverè ipſis illius adminiſtrationem interdixit Cle-

mens

mens Romanus *l.* 3. *Conſt. c.* 9. dixit: *De mulieribus verò baptizantibus ſcitote, quæ hoc tentant, non mediocre periculum eas incurrere; quamobrem non hoc conſilium damus: periculoſum enim eſt, imo verò præter legem, & imperium.* Vbi S. Ponti fex nō damnat, ut invalidum baptiſmū à femina adminiſtratum ſub legitima materia, & intentione; validum enim eſſe definitur ab Vrbano II. *epiſt. ad Epiſc. Brixienſ.* & refertur 36. *q.* 3. nec ut illicitum in caſu ne 10 ceſſitatis: tunc enim licitum eſſe ſtatuitur à iure *c. Mulier. de conſ. diſt.* 4 & à Theologis defenditur *in* 4. *diſt.* 6. Sed periculoſum eſſe dicit, ob dubium, credo, quod de ſuo valore oriri poteſt, ex ignorantia mulieris illum conferentis. Vnde rectè Sylvius *ſup.* de baptiſmis ab Obſtetricibus collatis ait: *Experientia notum eſt multas in materia, vel forma errare, interdum verò per malitiam, quia ſunt ſortilegæ, vel ob aliud.* Ob illud periculum, & hanc experientiam ſapienter decretum eſt in Provincia Mediolanenſi, ut ex eius decretis *tit. de bapt. c.* 30. conſtat, quod Obſtetrix, quæ probata eſſe iubetur, *cum baptizat curet quoad fieri poteſt, ut duæ ſaltem mulieres, ac mater præſertim, ſi poteſt, teſtes præſentes adſint; qua in baptizando verba ab ea prolata audiant.*

8 His, alijſque allatis præcedentibus Singularibus conſonat Synod. Granatenſis, celebrata anno 1572. ſub ſapientiſſimo Archipiſc. D. Pedro Guerrero, qui Tridentinæ Synodo ad fuit, hancque poſt illam celebravit. Sic *tit. de bapt. n.* 4. habet: *Si aconteciere, que por abſencia del Cura, o de otro Sacerdote, alguna perſona ruſtica, idiota, o malicioſa, de quien con alguna probabilidad ſe pueda preſumir, que no guardò la forma devida, o no tuvo la intencion, que la S. Igleſia tiene, baptizare en caſa algũ infante, o adulto, mandamos al Cura, que informado deſto de los que ſe hallaron preſentes al baptiſmo, ſi uviere duda probable, le torne a echar agua, diziendo eſtas palabras: Si non es baptizatus,* &c.

9 Dixi in cōcluſione 1. *omnes ferè*, & nō omnes generaliter; quia poteſt eſſe Obſtetrix ita benè inſtructa, & diu experta in adminiſtratione baptiſmi, & his neceſsitatis, aut periculi caſibus ita aſſuefacta, ut nulla præſumptio, vel ſuſpicio haberi poſſit de baptiſmo rectè collato, aut de turbatione aliqua ipſi⁹. Quod de parentibus, cognatis, & alijs laicis difficilliùs præſumitur; cùm hi neq; ita inſtructi, neque aſſuefacti, nec experti ſint in huiuſmodi caſibus, ut turbatione aliqua præpeditis de recta baptiſmi adminiſtratione timere, aut ſuſpicari prudenter nō valeamus. Dixi 2. *ſi laicis viris, aut femmis*; quia ſi Parochus, aut alius Sacerdos expertus, aut ſapiens domi ob neceſſitatē baptizaret infantem, rebaptizandus hic non foret, cum ſciētia, & experientia horum, nullum prudenti ſuſpicioni, aut probabili dubio locum rejinquere videantur; ni aliqua ſpecialis circunſtantia occurriſſet in baptiſmo, quæ his tunc attentionē ſubripuiſſe, turbationemq; ingeſiſſe præſumeretur. Idē dicendū ſi baptizās, & ſi laic⁹, ſeu ſęcularis, eſſet verò vir ſapiēs, & in baptiſmi adminiſtratione expertus.

10 Sed obijces: 1. Sotum *ſupra*, & alios acriter reprehentes Parochos, infantes ab obſtētricibus ob neceſſitatem baptizatos, iterum ſub conditione baptizantes. R. 1. Hos DD. ſolùm reprehendere eos, qui univerſim, & indiſcriminatim omnes domi baptizatos, à quocumque baptizati ſint, rebaptizant: quod quidem digniſſimum reprehenſione exiſtimo iuxta limitationem poſitam. R. 2. Hanc reprehenſionē intelligi, ſi interim moralis certitudo adſit, legitimè infantes domi baptizatos fuiſſe, ut explicāt Layman *l.* 5. *trac.* 2. *c.* 5. *n.* 3. Suarez *diſp.* 31. *ſect.* 6. & Zambranus *de bapt. c.* 1. *dub.* 1. At frequenter, non adeſſe hanc certitudinem, ſed aliquale dubiū, præſumptionemque ſufficiētem allatæ rationes ſatis probant.

11 Obijcies 2. Sufficienter abſcinditur quælibet præſumptio, aut ſuſpicio de nullitate baptiſmi ab his collati, ſi Obſtetrices, vel aliæ perſonæ domi infantem baptizantes diligenter examinētur de illo: quomodo formam protulerint; qua aqua, & quam corporis partem abluerint, an ſimul cum aquæ infuſione verba pronunciarint, intentionēque neceſſariam habuerint; & ſi de his omnibus ſufficiētem reddiderint rationem, baptizari ſub cōditione infantes illicitum erit: cum iam certitudo moralis de baptiſmi valore ex hoc examine habeatur.

12 R. 1. Hæc omnia locum habere in Obſtetrice, Sacerdote, vel laico, in quibus propter ſcientiam, & experientiam nulla eſſet ſuſpicio turbationis in huiuſmodi eventibus: nō verò in alijs, de quibus prudenter timere, aut ſuſpicari poſſumus, eos tūc turbatos propter cauſas ſupra relatas; cū non ita ſapientes, & inſtructi ſint, in formæ verbis, vel alijs ad baptiſmi valorem neceſſarijs. Licet enim poſtea animo ſedato, & maxima cura, ac attentione, aut reflexione, nulla turbationis cauſa occurrente, rectè reſpondeant, & rationem reddant, quæ ſatisfaciat, adhuc certū non eſt, ſe ita baptizaſſe tunc; cū plura evenire poterant attentionem turbantia: ſæpius enim cōtigit aliquos notitia, quam omnino habent, nō rectè uti, aut interrogationibus, quas omnino callent, ſapienter nō ſatisfacere propter turbationem ex præſentia graviū

vitiorum, alijſve de cauſis ortam: & tamen poſtea de his interrogati, rectam de uſu, & interrogationibus rationē reddunt; & mirātur ſe ita in precedenti occaſione feciſſe aut reſpondiſſe. Tum, quia forſan obſtetrix, vel quivis alius formam debitā non protuliſſe cognoſcet, aut recordabitur; & ne dedecus ſubeat, officium amittat, aut ſeverè puniatur, baptiſmi defectum celat. Hinc ſapienter Sylvius *ſup.* ait: *Quando autem obſtetrices domi baptizarunt, ſemper eſt eiuſmodi dubium* (de baptiſmo ſcilicet rite collato) *ne vel ſubito neceſſitatis caſu turbatæ aliter, quam fecerant, dixerint; aut ſemel, & iterum deprehenſæ quod benè baptizarint, deinceps malitioſe errēt; ac nihilominus aſſerant, ſe more ſolito baptizaſſe.*

13 Mirè his omnibus conſonat Ægidius *q. 66. art. 9. n. 95.* dicens: *Nota tamen primo in quibuſdam Epiſcopatibus in libris Ritualibus, Paſtoribus præſcribi, ut baptizatos in neceſſitate ab obſtetricibus vulgò rebaptizent. Prælati autem interrogati, cur hoc ſtatuant; reſpondent: ſe hoc facere, quia ſæpe deprehendunt obſtetrices non ſatis firmiter, & certo callere rationem baptizandi; aut etiam ſi dum examinantur, benè reſpondeant, & videantur eam callere, tamen dum urget tale periculum prolis facilè turbari, ita ut poſtea vix ſciant, an legitimè baptizarint. Atq; ita ſemper aliquod ſubeſſe periculum, quod in re tanta maximi faciendum eſt, & ſufficiens videtur cauſa, ut poſſit proles ſub conditione rebaptizari.* Hęc ille, cui noviſſimè adhæret Leander de ſanctiſ. Sacram. *tom. 1. tr. 2. d. 3. q. 54.* quem poſt hæc ſcripta perlegi.

SINGVLARE VI.

V. Parochi teneātur ſub mortali diligenter inquirere de valore Baptiſmi eorum, qui domi ab obſtetricibus, vel ab alijs baptizati, ad Eccleſiam deferuntur?

1 MAXIMA ſanè reprehēſione dignos hac in re invenio plures Parochos, qui ſolùm interrogantes; an puer iam baptizatus ſit domi, nullumque examen de illius baptiſmo facientes: quis, quomodo, quibus verbis, qua aqua illum contulerit; baptizare deſinunt infantē, ommiſſaſq; cæremonias tantūmodò ſupplēt. In quo peccatum mortale abnijs cōmitti aliunde ſufficientem haberent notitiam de baptiſmi valore, nullo modo ambigo: ſicut etiam peccare lethaliter; ſi diligenter non inquirant de baptiſmi valore, quando aliquod illius dubium eſt, aut eſſe poteſt, docent Zambranus *de bapt, dub. 1. cap. 1. n. 10.* Grafis *de iregul. lib. 4. cap. 26, n. 60. & 61.* Rodriguez, *tomo. 1. ſum. cap. 25. n. 5.* qui ait, debere ſemper inquirere de eorum baptiſmo, qui in domo baptizantur. Idem docet Barboſa, *de officio Paroch. cap. 18. n. 37.* ac Victoria, *de bapt. q. 36.* et omnes hi aſſerunt, hanc inquiſitionem faciendam, cum obſtetrices baptizant.

2 Probatur hoc ex Canonico iure. *Cap. Placuit. Cap. Si nulla. Cap. Parvulos. Cap. Cum itaque de conſecrat. diſt. 4.* ubi præcipitur diligens inquiſitio de baptiſmi valore, cum de illo dubium eſt. Hoc verò non leve exiſtere; an ij, qui domi baptizantur, rité baptizati ſint, dū non conſtat de baptizante, & modo baptizandi, nemo dubitabit; ac probatum iā eſt: & Doctores omnes, Ægid. Sotus, Suarius, Navarrus, & Laiman *ſup. Sing. 5* & alij cū S. Thoma *3. p. q. 66.* docent, examinari deberi huiuſmodi baptiſmos. Sic etiam decernitur in Catechiſmo Romano *p. 2. cap. 2. §. 43.* in Sinodo Granatenſi anno 1572. celebrata. *tit. de bapt. n. 4.* & in decretis provinciæ Mediolanenſis. *tit de bapt. 25. cap. 31. ibi, Parochus verò, cum perquiret ex decreto noſtro, an infans baptizatus ſit, diligenter obſtetricē, & teſtes, etiam de verbis prolatis, interroget, ut ſic conſtet, an baptiſmi forma recte adhibita ſit, an verò ſecus; quam obrem oporteat infantē à ſe baptizari.* Cū ergo hæc decreta ſint in materia gravi, obligant ſub mortali Parochos, ad quos hęc cura pertinet.

3 Probatur ratione: quia res magni momenti hæc eſt; ſi enim ſine hac diligenti inquiſitione abſolutè baptizat Parochus, maximam irrogat iniuriam ſacramento; cum periculo ſe exponat illius materiam, & formam irritā faciendi: ac in irregularitatē incurrendi iure Canonico. *Cap. eos quos, de conſecrat. diſt. 4. Cap. ſecundo. extra. de Apoſtatis.* ſtatutam. Præterea ſe exponit periculo graviſſimum committendi peccatum, quod à Concilio Toletano. III. *Sacrilegum opus*: à Leone. I. *ep. 35. ad Epiſc. Raue. inexpiabile facinus* nominatur. Itē ſe exponit periculo excommunicationis in Toletano. III. & Lateranenſi ſub Innocentio III. *cap. 4.* latæ: immo & ſe ſubijcit capitis pœnæ impoſitæ iure civili. *l. 2. C. ne ſanct. Baptiſma iteretur*; adverſus rebaptizātes ſtabilitę.

4 Præterea, ſi Parochus non baptizat eum, qui domi baptizatus dicitur, æternæ damnationis periculo exponit infantem, qui forté baptizatus rité non eſt: cum ſaltem ſine baptiſmo in re ſuſcepto ſalvari non valeat ante rationis uſum: & poſt illum iam adultus alia ſacramenta validé ſuſcipere ſine illo, & iuſtificari ſine contritione, & voto baptiſmi nō poſſit. Ergo cum Parochus obligatus ſit, etiā ex iuſtitia, ad rectam ſacramentorum adminiſtrationem, ſub gravi culpa tenebitur præſ

tare

tare omnem diligentiã neceſſariã, ut baptiſmus, qui magis neceſſarius eſt, quã reliqua ſacramenta, ritè adminiſtretur, nullumque de ipſius valore extet dubium. Sicut extaret in his, qui à laicis domi baptizantur, ſi non fiat de illo dicta diligens inquiſitio, ut reſolutione antecedenti probavi.

SINGVLARE VII.

Qualis, & quãta debeat eſſe Parochi inquiſitio de baptiſmo eorum, qui domi iam baptizati, ad Eccleſiam deferuntur?

1 IN EVENTV hoc, & alijs, in quibus dubitatur de baptiſmi valore: ad illum inveſtigandum, antequam iteretur ſub conditione cenſeo primùm cum Soto. *in* 4. *diſt.* 3. *q. unica. art.* 9. Reginaldo. *l.* 27. *c.* 7. *n.* 14. & alijs, non eſſe opus diligẽtia exacta metaphyſicè, aut phyſicé: ſed ſufficere præſtare moralem, & prudentem: eam ſcilicet, quæ à viris prudentibus, & timoratis exhiberi ſolet in caſu gravi, aut in re magni momenti: ſicut à Tridentino diligens inquiſitio requiritur ad excutiendam conſcientiam, ut peccatorum mortalium quis recordetur ad ea confitenda, ut dicitur, *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. ibi: *Poſtquã diligenter ſe excuſerit. & can.* 7. *Peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habetur.* ubi D D. Navarrus, Valentia, Sotus, Vazquez, Zerola, Suarez, Enriquez, Reginaldus, Nugnus, Sayrus, & alij apud Bonacinam *de pœnit. q.* 5. *ſec.* 2. *p.* 2. *n.* 2. eam diligẽtiam, ſeu inquiſitionem adhibendã aiũt, quæ in negotio arduo à prudẽtibus adhiberetur.

2 Deinde addo, adhuc requiri maiorẽ diligentiã in baptiſmo inveſtigando, quã in cõſcientia excutienda: (præcipuè ſi is non iterandus eſſet) ob maiorem illius neceſſitatẽ, quam integritatis in confeſſione ſervandæ: maximè cum ad hanc paulò maior, quam mediocris diligentia in indagandis peccatis ſufficiat: quin ſufficiẽtem feciſſe iudicaretur qui omitteret moleſtiorem, etiã ſi alia occurrerent peccata eiuſdem ſpeciei cum ijs, quæ tunc in mentem venerant: ut Navarrus, Reginaldus, & alij DD. ſupra citati apud Bonacinam. *n.* 3, docent. Nec qui fragili memoria laboraret teneretur ea ſcribere, vel ſtatim, ac committit, confiteri, etiamſi prævideat fore, ut eorum obliviſcatur. Sic Enriquez, Conich, Reginald. Peſantius, Vazquez, Valẽtia, Suarez, Zerola, & alij apud Bonacinam *n.* 4.

3 Igitur, licet iuxta dicta, ad excutiendã cõſcientiam non ſit neceſſaria omnis diligentia moraliter poſſibilis: nihilominus ad cognoſcendũ valorem baptiſmi tanta requiritur, quãta poſſibilis eſt moraliter: nam cum hîc maioris momẽti, & neceſſitatis negotiũ agatur in ordine ad ſalutem conſequẽdam, potiori titulo erit omnino neceſſaria omnis diligentia moraliter poſſibilis: eo modo, quo à Doctoribus, apud Thomam Sanchez, *to.* 1. *ſum. lib.* 2. *cap.* 10. expoſcitur hæc ad deponendam conſcientiam dubiã de peccato gravi, vel vincendum dubium de aliquo debito. Immo maiorem etiam ego exhibendam iudicarem ad non iterandum baptiſmum dubium, quam quæ adhibenda eſt in inquirenda morte unius ex cõiugibus, ut alter poſſit nubere, vel ſi nupſit cohabitare cum coniũge. De qua diligentia, ſeu certitudine agunt Thomas Sanchez, Ponce, Vera-Cruz, & alij, cum de impedimento ligaminis.

4 De Baptiſmi porro inquiſitione, ſic Leo Papa. *epiſt. ad Epiſc. Raven.* ut refertur. *Cap. Cum itaque, de conſecrat. diſt.* 4. *Quoties talis perſona inciderit* [de cuius ſcilicet baptiſmo dubitetur] *ſolicita primùm examinatione diſcutite, & lõgo tempore (niſi fortè ſupremus finis immineat) inda gate, ut nemo penitus ſit, qui teſtimonio ſuo iuvare poſſit ignorantiam neſcientis.* De omnibus verò baptiſmis domi à laicis adminiſtratis prudẽs dubium ocurrere probavimus *Singula.* 5. Excuſabitur verò ab huiuſmodi exactiori inquiſitione & examine Parochus, ſi ſciat infantem domi baptizatũ eſſe ab obſtetrice, ſacerdote, vel laico, de quibus nullo modo dubitet ritè baptizaſſe: tum ob horum ſcientiam, & experiẽtiam ſibi notam, tum ob illorum examen ſæpius factum.

5 Eandem dictę exactiſſimæ diligentiæ neceſſitatem probo: nam ſemper, *Malo certiori occurrendum eſſe*, aſſerũt Doctores, & habetur. *Cap. invenis, de ſponſ. Cap. ſi quis autem. de pœnit.* certius, & maius malum eſt, non iterum baptizare in dubio, cum à baptiſmo ſalus æterna dependeat: quam irreverentia ſacramenti iterati, & hæc conditione, ac dubio qualicũq; excuſatur, & culpa vacat, ac pœna utroq; iure ſancita libera eſt: ergo, &c. Hoc rectè docet Vazquez *to.* 2. *in* 3. *p. di.* [illegible] *bapti. c.* 3. *& diſp.* 146. *c.* 4. *n.* 31. *Periculũ, ait, vertẽdi baptiſmum, quod videtur eſſe contra Relig. &c. minorem obligationẽ inducere, ut à repetitione abſtineamus; quam periculum ſalutis proximi, ut ei iterum concedamus: & ita maior ratio habenda eſt huius utilitatis proximi, quam religionis debitæ ſacramẽto; cum in remedium illius, ut finem, omnia ſacramenta, ut media inſtituta ſint.* Sic ille, etiam lõquẽs de repetitione abſoluta baptiſmi. Quid diceret ubi repetitioni conditio additur, cum per hanc nulla iniuria irrogetur ſacramento, dũ abſit contemptus, & quæcumq;

prudens

prudẽs præſumptio ſit nullitatis bapiſmi, & ita ad iterationem negandã maxima(quæ moraliter ſit poſſibilis)exhibenda eſt inqui ſitio, & procuranda eſt certitudo: non veró tanta diligẽtia requiritur, cum agitur de cõcedendo baptiſmo.

6 Hinc rectè noſter Didacus Ruiz de Montoia in relata inſtructione pro baptiſmo Æthiopũ, & mãcipiorum ex Guinæa, Angola, & alijs provincijs adveniẽtium, ſic ait. *n.* 15. *Si el examinador no pudiere averiguar coſa cierta, y quedare con alguna duda probable, aunque le parezca ſer mas probable, que eſtà baptizado, deve ſer baptizado ſub conditione.* & n. 16. *Advierta el examinador, que dexar de baptizar al que verdaderamente no eſtá baptizado, es de mayor peligro, que baptizar ſub conditione al que eſtá ya verdaderamẽte baptizado. Y por tãto, para determinar q̃ no ſe baptize no baſta el parecer de un examinador, ſino ſea menester, que otro vea ſi le parece lo miſmo: ſi concordaren ambos en que eſtà validamente baptizado, no ſe baptize, pero ſi deſcordaren, ſigaſe el pareçer del que dize ſe baptize ſub conditione.* Hæc ille.

7 Animadvertat tandem Parochus, quod ſi invenerit obſtetricẽ, aut laicum ignarum linguæ latinæ, qui formã latiné in baptiſmo ab illo ob neceſſitatem collato protulerit: prudenter ſuſpicari poterit eam non rectè prolatam, invalidèque baptizatũ eſſe infantem. Vnde recte monẽt Sãctus Antoninus. 3. *p. tit.* 14. *c.* 13. §. 4. Toletus. *lib.* 2. *cap.* 19. Sà *bap. n.* 12 Suarez. *d.* 12 *ſect.* 2. & alij, quod quando baptizat aliquis idiota, dicat formam vulgari ſermone, quia latino ſe exponit periculo errandi.

SINGVLARE. VIII.

Cum quædam Nobilis femina crebris, vehementibusque ſcrupulis diu de ſui baptiſmi valore hæſitaret, licet leviſſimo dubij, aut ſuſpicionis fundamento: quæſitum eſt, an baptizari iterum poſſet ſub conditione?

1 IVIc caſus ad me olim pervenit Hiſpali, & diligẽtem inquiſitionem de baptiſmi tẽpore, loco, ac miniſtro faciens, nullum inveni fundamentum, unde ſuſpicari, nec dum dubitari poſſe videretur de ipſius valore: cum á Parentibus Chriſtianis, & inter Chriſtianos hæc femina orta, à Parocho in Eccleſia fuerat baptizata, ut ex baptiſmi libro conſtabat. Nihilominus crebri, vehẽmenteſq; ſtimuli longiſſimo temporis intervallo, quinque ſcilicet, ut ſex annis feminã pupugerunt: quæ licet timoratæ cõſcientię, minimé in alijs rebus ſe ſcrupuloſe gerebat, in hac mœrore pene cõficiebatur, anxietatibus cruciabatur: nec oratione, aut frequẽti pœnitẽtiæ, & Euchariſtię perceptione nec cõſilio, & dictis ſapientium ſæpius repetitis, quod eſt præcipicuũ remedium contra ſcrupulos, ut docent Florentius. 1. *to. ſum. tit.* 3. *cap.* 10. §. 10. Gerſon. 3. *p. de remed. contra ſcrup. Alphab. lit. Q.* Cordova. *q.* 13. *init.* & alij, qui eſcere poterat: immò ſemper exiſtimabat ac audacter aſſerebat, ſe rité baptizatã non eſſe.

2 Viros Doctos hac de re conſului, omnes ferè baptiſmi iterationem, etiam conditionalem in hoc caſu denegandam docebant; unus concedendam cum formidine conſuluit, huius conſilio, qui apud me doctiſſimus ſemper, & meritò exiſtimat⁹, baptiſmus ſub conditione iteratus eſt, & ſtatim pacatus eſt feminæ animus, factaque eſt tranquillitas magna. Idem accidit cuidam noſtræ ſocietatis fratri, qui ex conſilio virorum ſapientiũ ſimili dubio, & ſcrupulis agitatus, baptiſmũ cõditionaliter recepit. Sic ipſe, qui adhuc vivit, mihi narravit.

3 Huius reſolutionis fundamentum cenſeo eſſe quod ſcilicet hi crebri, vehementeſque ſcrupuli, anxietates, mœrores, cruciatus, poſt tot remedia, & conſilia ſapientium non ſedati, generare videbantur aliqualed ubium, aut ſuſpicionem de primi baptiſmi valore, & hanc ſufficientem ad conditionalẽ ipſius iterationem: aut anxiæ dubitationes feminæ meritò exiſtimari poterant Spiritus S. inſpirationes: nam iuxta Auguſtinũ. *Ep. ad quẽdam Comitẽ; Spiritus S. ſanctum opus ſemper inſpirat, ut cogitemus: compellit nos, ut faciamus ſuadet, ut ipſum diligamus; confirmat, ut teneamus; cuſtodit ut non perdamus.* Nec dæmonis inſtigatio, ſive tentatio eſſe potuit, quod femina mœrore cõficeretur, maximũque bellum in ſpiritualib⁹ pateretur pro ſuſcipiẽdo baptiſmate, quod dæmoni adeò exoſum eſt, ac aliunde cognoſcit neceſſarium ad ſalutem, adverſus quam ipſe ſemper armatur. Longum præterea intervallũ temporis idem ſuadet, ut rectè Hieronimus *in Marcum: Spiritus virtutis inſtigationes fortiter recondit: Spiritus ſcientiæ oblibionem lubricam diu ſe ingerere non ſinit.*

4 Fundamentum ſecundum eſt, quia in caſibus occurrentibus, dum peccatum non interveniat, ſemper inclinandum eſt in favorem animarum, & præcipue in ijs, quæ ad baptiſmum conducunt, utpote ad ſalutem ita neceſſariũ. Sic in præſenti inter alios plures docent Vazquez. *tom.* 4. *in* 3. *p. q.* 66. *d.* 22. *ſect.* 2. Suarez *hic art.* 9. *diſp.* 22. Zambranus *dub.* 1. *de bap. cap.* 1. *n.* 10. & Laiman *lib.* 5. *trat.* 2. *c.* 4 ergo in hoc inclinandum fuit, non ſolum

propter

propter iterationem baptiſmi, ex cuius valore ita efficacia, & ſubſtãtia aliorum ſacramẽtorum, & gratia illis annexa, immo, & æterna ſalus pendẽt, ſed etiam propter internam conſolationem, ac quietem animæ huius feminæ; nimis enim durum videtur, illam omnino, & abſque ullo remedio, cum iam omnia alia têta ſint, in his vehementibus, & crebris ſcrupulis, anguſtijs, anxietatib⁹, cruciatibus, ſpiritualibuſque deſolationibus integro vitæ ſpatio relinquere, ut relinqueretur re ipſa, ſi baptiſmus conditionalis illi non conferatur, in cuius collatione, nec pænam, nec culpam aliquam intervenire ex ſequentibus apparebit.

5 Fundamentum tertium eſt: Quia ſi denegari huic poterat, aut debebat baptiſmus, maximé quia rebaptizans iniuriam faceret ſacramento, exponens ſe periculo bis ſcienter cõferendi illud, & incideret in irregularitatem, committeretque lethale peccatum; ſed nihil horum fuit verendum, cum debita intentio, & cõditio poſita omne periculum iterationis excludat, & irregularitas à iure ſtatuta ſit contra rebaptizantẽ, & rebaptizatum abſoluté, non contra eum, qui iterum baptizat ſub conditione, etiam ſi ſcienter, & abſque cauſa faciat, eo quod non hic, ſed ille abſoluté, & propriè baptizet, & imitetur rebaptizando hæreticos, ſine conditione rebaptizantes: ergo, &c. Maior eſt certa, minorem docent cõmuniter Doctores, Sotus *diſ. 3. art. 4.* Enriquez. *cap. 31. de baptiſmo. n. 1.* Valentia *diſp. 1. q. 3. punc. 4.* Navarrus *cap. 27. n. 246.* Ioãnes Valerius *diferent. utriuſque fori ver. irregul. diff. 2. n. 1.* Avila *de cenſ. cap. 17. diſp. 7. dub. 3.* Toletus *lib. 1. ca. 65. n. 5.* Nugnus *2. p. q. 66. art. 9. n. 18. & 19.* Fernandez *exam. p. 2. ca. 10. §. 11. n. 1.* Yribarna *4. ſent. to. 1. diſt. 6. q. 8. diſp. 24. ſect. 2.* Sylvius *3. p. q. 66. ar. 9.* Bartolomæus ab Angelis *exam. dialog. 2. §. 129.* Gaſpar Hurtado *de irregularit. diſp. 11. diffic. 1.* Tannerus *3. p. diſp. 4. q. 2. dub. 4. n. 120.* Poſſevinus *de off. Cur. ca. 16. n. 18.* Homobonus *conſult. volum. 1. p. 4. reſp. 153.* Leander à ſacram. *tr. 2. d. 6. q. 9.* & alij contra D D. oppoſitũ immeritò aſſerentes, Victoriam *cap. 36.* Sayrum *de cenſ. lib. 7. cap. 8. n. 36* Fernandez de Heredia *de bap. p. 4. dub. 2. n. 5.* & alios, quos ipſe affert.

6 Nec pænam capitis a lege *2. cod. Ne ſanctum baptiſma.* impoſitam incurrere baptizantem iterum ſub conditione, rectè notat Ioannes Præpoſitus *3. p. q. 66. art. 9. dub. 3. n. 103.* quia pænæ ſunt reſtringendæ. Nec hac puniri poſſe etiam ſcientem priorem baptiſmum fuiſſe validum, & illicitũ iteratũ baptiſmum, etiã ſi in fraudem legis apponeret conditionem, cum tamen rebaptizando illam apponat, cõtra ipſum Præpoſitum omnino ſentio. Immo, & ſi quis mente ſolum conditionem apponeret, & nõ expreſſis verbis, hac pæna affi ciendus non eſſet: dum probari poſſet hanc mentalem conditionẽ appoſuiſſe: ſicut nec irregularitatem incurſurum aſſerũt Palacios *diſp. 6. q. 6. col. 3.* Navarrus *c. 27. n. 246.* Peña, & alij Recẽtiores, quos tacito nomine citat, & ſequitur Enriquez, *cap. 31. n. 1. lit. D.* quia hic abſolutè non rebaptizat.

7 Et licet Doctores omnes doceant, peccatum mortale commitere eum, qui iam baptizatum, etiam ſub conditione ſcienter rebaptizat: at Valentia, Tannerus, Navarrus, Enriquez, *ſup.* Sotus *diſp. 3. art. 9.* Villalobos *to. 1. tract. 5. diffic. 7. n. 2.* Suarez *d. 22. ſect. 2.* & Petrus de Ledeſma *cap. 4. conclu. 2.* id intelligũt, & explicant, quãdo hic baptiſmus conditionalis confertur ſcienter abſque ulla cauſa ei de cuius baptiſmo nullũ prudens dubiũ, aut ſuſpicio extat, ut hęc in præſenti adfuiſſe præſumitur ex rationibus allatis, ſicque baptizãs & baptizat⁹ ob has rationes, aut præſumptiones à peccato excuſantur in hac cõditionali baptizatione iterata. Illum verò, qui nullo modo eſt baptizatus, ſub conditione baptizare, ſolùm eſſe veniale ſentiunt Ledeſma, & Villalobos *ſup.* Ludovicus de S. Iuan *ſum. q. 1. de bapt. art. 8. dub. 2. concl. 1.* & Diana *addit. ad 3. p. res. 6.* Mortale tamẽ ego exiſtimarem; cum in re adeo gravi, ad ſacramentorum adminiſtrationem ſpectanti contra Eccleſiæ conſuetudinem faciat: apponendo conditionem ubi baptiſmus antea, nullus fuit.

8 Sed obijcies: Has omnes præſumptiones, & cõiecturas potius eſſe debiles ſcrupulos, quam dubium, & ſuſpicionem ſufficientem ad hanc iterationem, & ita exequi hanc nõ licere: cum ex cõmuni Theologorum conſenſu, nõ quolibet timore, aut ſcrupulo iterãdũ eſſe baptiſmũ: alioquin omnes ferè rebaptizarentur conditionaliter, cum nulli conſtare poſſit metaphyſicè, nec phyſicé, ſeu infalibili notitia, ut loquitur Laiman *lib. 5. cap. 3. n. 3.* de ſuo baptiſmo: intentio enim baptizantis eſt occulta; formæ potuit inadvertenter ineſſe aliqua inverſio, &c. Vnde rectè Thomas Sanchez in manuſcriptis, quæ olim in noſtro Granatenſi Collegio vidi *tract. de baptiſmo. dub. 6. concl. 2.* ait. *ut iteretur baptiſmus ſub conditione non eſt opus vehemens dubium prioris baptiſmi, ſed ſatis eſt dubium aliquantulum probabile arbitrio prudentis, ita ut non iudicetur potius ſcrupulus.*

9 R. ſcrupulum multiplicem eſſe. Alius oritur ex apparentia aliqua contra id, quod quis credit, opinatur, vel dubitat, ut docent Navarrus, *cap. ſiquis. n. 23. & ſum. cap. 27. n. 279.* Cordo

va,

va, vel eſt formido tenuis procedens ex quadam anxietate angusti cordis, quæ ſimul ſtat cum oppoſita oppinione, ut aiunt Sotus *de ſecre. memb. 3. q. 2. concl. 3.* Thomas Sanchez *ſup.* & alij, & hunc eſſe proprié ſcrupulum, & contra ipſum operandum aſſerunt D D. citati, Florentius, Gerſon, & plures alij. At in hac femina non apparens quid, ſed vehemens impulſus; non metus levis, aut formido tenuis, ſed maximæ, ac perſeverãtes anxietates, ingenteſque formidines, quæ de oppoſito omnem excludebant opinionem: nec femina dubitabat, an eſſet baptizata, ſed non eſſe tenaciter iudicabat, & firmiter credebat; ergo hic non aderat proprié ſcrupulus, qui vocatur formido leviſſima, contra quam agẽdum ſit: nec cõiecturæ movẽtes, hoc ſuppoſito, ad conferendum baptiſmum leves ſcrupuli ſunt cenſendi.

11 Aliud eſt ſcrupuli genus non proprié, ſcilicet, *mediocris quædã formido*, verbis Cordubæ utor, *quæ eſt de ratione aſſenſus opinativi, quæ etiam dicitur levis credulitas, vel ſuſpicio.* Sic *ſup. ex ca. inquiſitioni. de ſent. excomunic.* Albertus Magnus *in lib. de 4. coevis*, & Florentius *1 p. ſum. tit. 3. cap. 10. §. 9.* Et *hic*, ut addit Cordub, *compatitur ſecum fortem aſſenſum opinativum, & fidem humanã: vel eſt alia magna, & vehemẽs formido, quæ maiorem partẽ aſſenſus, & aliquando totũ aſſenſum expellit, & tunc erit idem, quod dubium propriè ſumptum.*

12 Hoc ſcrupuli genus in præſenti caſu occurrere non dubito: cum hæc femina non mediocrem ſolùm, ſed vehementem formidinem habuerit de baptiſmi ſui valore, & hæc ſteterit cum fide humana, aut certitudine morali de oppoſitio, & cũ vehemens fuerit pavor excluſit à femina aſſenſum, vel in integrum, vel partem, de valore ſui baptiſmi, cum fortiter exiſtimaverit non eſſe baptizata. Qui *ſcrupulus*, ut inquit Cordova, *eſt dubium, ſicut & alius eſt ſuſpicio.* Qualecumque autem dubium, aut prudentem ſuſpicionem, ut docet Reginaldus *lib. 27. cap. 7. n. 53.* ſufficere ad iterationem conditionalem baptiſmi probavimus Singul. 4. Et ſi exitus acta probat; effectus huius baptiſmi iterati, ſcilicet pax, lætitia, & tranquillitas magna, quã poſt, illius collationem femina hæc adepta fuit, ſatis neceſſitatem iterationis indicãt, ne dicã oſtendũt, quia ut refert noſter Sandoval *l. 3. inſtruct. Æthiop. ca. 1.* expertus ipſe eſt ingenti quietẽ, pace, & gaudio perfundi Æthiopes vel poſt primi baptiſmi veram ſuſceptionẽ, vel poſt dubij iterationem, manifeſtantes ſe Spiritus ſancti gratia perfuſos, cuius effectus aut fructus eſt, iuxta Paulum *ad Galat. 3. Pax, & gaudium.* Non ergo fuerunt leves ſcrupuli coniecturæ, quæ cõpulerunt ad conferendũ baptiſmum huic feminæ?

13 Poſtremò nollem miniſtros huius ſacramenti circa ipſius iterationẽ in quolibet dubio, vel ſuſpicione probabili, ſe nimis ſcrupuloſé gerere: *ne dum ſpeciem quandam cautionis tenemus*, ut loquitur Leo I. *epiſt. 35. ad Epiſcop. Ravenenſ. damnum regenerandarum incidamus animarum.* Semper igitur propendeãt, cum dubij ſunt, in iterationẽ baptiſmi ab ſummam illius ad ſalutem neceſſitatem. Conſulatur Ioãnes Sanctius *Select. diſp. 40 & 44. qui. n. 40*, rectè ait, rebaptizandum eſſe ſub conditione, ubi de baptiſmo dubium eſt, *ex quocumque capite oriatur dubitatio, cum ratione dubij licite fiant, quę alias non fierent, & undequaque oriatur ambiguitas, appoſita conditione ſit vincenda.*

14 Hinc ipſe aſſerit, ſub conditione baptizandum eum Adultum, de quo dubitatur, an ſit mortuus, vel vivus, ſi unicus tantùm teſtis, etiam Paganus, dicat baptiſmum petijſſe, etiã ſi dubitetur de veritate teſtis, aut ſi vel audientes non ſatis recordentur, an teſtis aſſeruerit expoſtulatum eſſe: nec compareat teſtis, à quo ſciatur, vel ſi poſt petitionẽ baptiſmi Adultus dicat, ſe iam nolle recipere, ſi dubitatur an ex phrenitide renuat baptizari, & in ſimilibus, eventibus, in quibus probabilis dubij veſtigium pateat. Hæc ſunt, quę virtum doctum huius feminæ baptiſmo cõditionali annuentem movere. Aſt ego, niſi dubium, aut ſuſpicionem prudentem ex defectu vel materiæ, vel formæ, vel utriuſque applicationis, intentionis, vel miniſtri ortã deprehenderem, iterationem hanc conſulere non auderem: ſed nec eam in præſenti caſu damnarem.

SINGVLARE. IX.

An infans inter Catholicos expoſitus ad Eccleſiæ, vel alicuius dom⁹ valuas, ſcriptum habens collo appenſum, baptizatum eſſe teſtificans, ſit ſub conditione rebaptizandus?

1 COmmunior Theologorum ſenſus, hunc non eſſe, nec ſub cõditione, baptizandum, aſſerit. Sic S. Antoninus *3. p. tract. 14. cap. 13. §. 12.* Paludanus *4. diſt. 6. art. 1. concl. 1.* Ricardus *diſt. 4. art. 4. caſ. 4.* Gabriel *diſt. 4. q. 2. art. 3. dub. 4.* citans Scotum, & Holchot: Sotus *diſt. 3. q. unica art. 9.* Marſilius *q. 4. art. 4. dub. 7.* Sylveſter *Bapt. 4. q. 9.* Vivaldus *num. 65.* Tabiena, & Roſella *n. 7.* Angelus *n. 26. §. 8.* Llamas *1. p. cap. 12. §. 53.* Villalobos *diff. 7. de Baptiſ. num. 4.* Petrus de

Ledeſma

Ledesma *diffic.2.c.5.* Navarrus *c.27.num.246.* Ochoagavia *de bapt.q.11.n.8.* Zanardus *c. 5.* & omnes antiqui,& Neotherici,uno,vel altero excepto ex ijs, qui opera prælo mandarunt. Præterea idem tenent ex Societate nostra Comitolus *respons. lib.1.q.1.* Vazquez *to. 2. in 3.p.disp.146.cap.4.n.26.* Suarez *q.66.disp. 22. sect.2.* Granado *tom.5.in 3.p.contr. 4.tract. 1. disp.8.n.10.* Laiman *lib.5.trac. 2.c.4.n.3.* Zãbranus *dub.5.de bapt.num.2.* Gaspar Hurtado *disp. 1.de bapt. diff. 12.* & alij.

2 Probatio prima horum est, quia testimonium sufficiens ad certitudinẽ moralem generandã de baptismo huius infantis est eius schedula, illum baptizatum esse asseverans. Nec credibile videtur aliquẽ in re tam gravi fallere voluisse: cum expositus sit inter fideles,& à fidelibus, qui baptismum venerãtur,ac eius necessitatem recognoscunt. Secũda, quia si testimonium unius testis, etiam vetulæ,sufficit,ne iterum baptizetur infans: sufficiet etiã hæc schedula. Tertia, quia discrimen est assignãdum inter afferentem, & non afferentem schedulam: hoc autem nullum erit, nisi quod hic, non ille sit baptizandus sub conditione.

3 Adhuc tenendum omnino est, & executioni prorsus mandãdum, hos omnes infantes baptizandos sub conditione, nisi constiterit à quo sint baptizati, & hi sint tales, ut nullum dubium, aut suspicio prudens de recta baptismi administratione superfit. Probatur 1. ex iure Canonico *cap. Placuit dist.4. de consecrat.* ibi: *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubio testentur, &c. absque ullo scrupulo eos baptizandos esse.* Et Synodus VI.can.84. *Quoties non inveniuntur firmi testes,qui illos absque ulla dubitatione baptizatos esse dicant,nec ipsi propter ætatem de sibi tradito mysterio aptè respondere possint, debere baptizari.* Idem in concilio Africano *cap.39.* & Vvormacienſi *can.7.* Sic Torreblanca *lib. 2. pract. cap. 4.* ait: *Vnde expositus baptizandus, in quacumque ætate saltem sub cõditione, quando de eius baptismo non constat. Constare autem non dicitur per schedulam simplicem, etiam subscriptam, quam tales expositi portare solent, aut per assertionem unius vetulæ,ut arbitrantur Paludanus, Sotus, & Enriquez. Sed per sufficientem probationem; vel per ipsius baptizati assertionem, si solum agitur de baptismo iterando,ut decisum est in Concilio Carthaginensi quinto cap.6. relatum in cap. Placuit de consecrat. distinct. 4.* Hæc ille.

4 Et in Rituali Pauli V. §. *de bapt.parv. Statuitur: Infantes expositi, & inventi,si re diligẽter in vestigata, de eorum baptismo non constet, sub conditione baptizentur.* Vbi notandum verbum *constet,* quod significat *claram probationem,* ut notat Mascardus *de probat. cons. 75. num. 21.* At schedulam nec noto sigillo,aut Subscriptione firmatam, quæ à quo scripta sit indicet, firmum, aut certissimum testem, aut constans testimonium non esse, nec in ullo foro, & tribunali fidem humanam facere, immò & nullo modò probare, docent Roman. *cons. 204. num. 3.* Cardinalis Tuschus *tom. 7. concl. 74. num. 25.* qui etiam dixerat ibidem *num. 18.* cum Zavarela *cons. 73.num. 2. Scriptura,quæ non est publica manu confecta,vel Subscripta, quæ non habet sigillum authenticum, vel non est in iudicio facta, neque de mandato iudicis, non probat.* Et *num. 25.* cum Mascardo *concl. 111. Si autem Apocha,* ideſt schedula,*non est à testibus subscripta, nec munita, regulariter non probat.* Et *concluſ. 76 num.10.Scriptura privata non subscripta, & non recognita nihil probat.* Sic *cap. 1. & 2. de fide instr.* Baldus *Rubr. C. de fide instrum.* Cornel. *cons. 19. col. 2.lib.2.* Alexander *cons. 105. num.4.lib. 3.* & alij. At hęc schedula omnibus his caret,sigillo,subscriptione, testibus,recognitione,& iudicis mandato: ergo nullam fidem, aut probationem facit.

5 Probatur 2. ex nonnullis Conciliorum, ac Prælatorum decretis, in quibus statutum est consilio gravissimorũ Episcoporum, & Doctissimorum virorum, ut huiusmodi infantes : etiamsi collo appensam afferant hanc schedulam, dummodò alia via de baptismo nõ constet,iterũ baptizandos esse sub conditione. Sic in III. Concilio Mediolanensi, sub S. Carolo Borromeo *tit. de Bapt. infant. fine,* ibi: *Infans expositus licet appẽsum collo scriptũ habeat, quo ille baptizatus; significetur si tamẽ re diligenter prærequisita quemadmodũ in Concilio Romano, adhuc dubium sit, eum baptizatum esse, ea conditionis forma baptizetur: si tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo,* &c. Vnde colliges,schedulam non existimari in hoc Cõcilio testimonium adeò sufficiens, ut á rebaptizatione conditionali excusset. Idem statutum esse in Synodo Camaracensi testatur Marchantius *Candelab. Sacram. tract. 2. de bapt. cap. 2. q. 4.* In Hispalensi Archiepiscopatu tempore sapientissimi, & dignissimi Præsulis D. Petri de Castro & Quiñones, consilio sapientium virorum idem sancitũ, & observatum fuit: sicut etiam Illustris.D. Fr. Didacus Mardones in sua Cordubensi Diœcesi, idem observandum iussit post sedulas doctissimorũ Theologorum consultationes,ac affixũ fuit decretũ hoc inS. Iacinti Xenodochio,necnon in Orphanotrophio

civitatis Toletanæ, pro his expoſitis infantibus aſſignato. Sic etiã cenſere aliqui Theologi à Venetiarum Patriarcha congregati; licèt alij oppoſitum affirmarunt, ut teſtatur Comitolus *ſup.*

6 Probatur 3. auctoritate plurium Doctorũ, ex noſtra Societate, qui de hac re conſulti ſunt, & quorum Subſcriptiones, apud me habeo. Ij ergo aſſerebant hos pueros, ſive ſchedulam afferant, ſive non, ſine dubio baptizãdos eſſe ſub conditione; ab Epiſcopiſq; in ſuis diœceſibus hoc ſtatuendũ, & obſervandum. Sic docuerunt, & Subſcripſerunt ſapiẽtiſſimi Didacus Ruiz de Montoia, Michael Vazquez, Didacus de Cordova, Franciſcus Ruiz, Ioannes Baptiſta Gonçalez, Franciſcus de Aleman, Gundiſalvus Ramirez, Petr⁹ Melgarejo, Ioãnes Baptiſta Lanzabeche, Ildefonſus Farnandez de Cordova, Ioãnes Munoz, Ferdinandus de Mendoça, Mathæ⁹ Rodericus, ac fere omnes rem ex profeſſo diſcuſſerunt.

7 Nec deffuit, qui in lucem hanc ſententiã ediderit: nã doctiſſimus Marchantius (*Candelabro ſacram. tr. 2. de Bapt. c. 2. q. 4.* hæc habet *Pueri expoſiti ſi Scriptum habeant collo appenſum, quo indicentur eſſe baptizati, res magis videtur dubia: multi enim tunc putant, ne quidẽ ſub conditione baptizandos; at tamen Synodus Camaracenſis (ſi res aliter non poſſet conſtare) ſtatuit ſub conditione baptizari poſſe. Ratio eſſe poteſt, quia tale teſtimonium non eſt ita certum, ut fidem indubiam faciat: ergo cum in caſu dubij ſemper inclinandum ſit in favorem baptizandi, ne periculo exponatur eius ſalus ob carentiam baptiſmi: & altera ex parte examine diligenti præmiſſo, & conditione appoſita, non videtur periculũ reiterationis baptiſmi, nulla videtur fieri tunc iniuria ſacramento. Favent aliqua iuris capita de conſecr. diſt. 6. cap. placuit cum ſeqq.* Hæc ille; quæ etiam referuntur, nec improbãtur à Diana *p. 5. tr. 13. reſ.* 85. Eandem ſententiã noviſſimé edidit F. Leander de Sanctiſſ. Sacram. *tom. 1. tr. 2. de Bap. q. 4.* pro eaque citat Bartolum, Gabrielem, & Turrecrematã, ſed immeritó, cum hi non expreſſè loquantur de Expoſitis ſchedulam afferentibus.

8 Probatur 4. quia plures rationes præter aſſignatas non ſolùm ſuadent præſumptionẽ, vel ſuſpicionem prudẽtem ad collationem baptiſmi in præſenti caſu iuxta dicta Sing. 4. & 8. ſed etiam excitant vehemens dubiũ de baptiſmi valore. 1. Quia feminæ hos Expoſitos baptizãtes non ſunt cõmuniter obſtetrices approbatæ, & inſtructæ: hæ enim ad huiuſmodi partus, ut magis celẽtur, non vocantur ſæpiſſimè, ſed aliæ, vel ignaræ huius adminiſtrationis, vel de quarũ ſcientia meritô dubitari valeat. 2. Quia frequenter hæ ſunt viliſſimæ conditionis feminæ, quæ ſicut in parturientium peccatis (ex his enim ſæpius oriuntur) intervenere: ita in illarũ partubus. Aliquãdo ſunt Moriſchæ, Æthiopiſſæ, vulgò *Gitanas*, vel ſagæ, & huiuſce farinæ aliæ, ut palam faciunt ſagæ, quæ à ſacratiſſimo fidei Tribunali punitæ ſunt, quia veneficijs, & ſuperſtitionibus in his baptiſmis uſæ ſunt. Quis ergo prudenter non timebit, aut dubitabit de his, & ſimilibus feminis, quod vel ex ignorãtia, vel ex malitia invalidè baptizaverint? 3. Quia cum ſchedulę huius Scriptor, licèt fide digniſſimus exiſteret, ſolùm ea, quæ hæ feminæ illi dictaverunt, aut dixerunt, ſcripſerit: (ipſæ enim frequenter ſcribere neſciunt) harum, non Scriptoris auctoritatem talis ſchedula haberet: hoc autem vix, aut ne vix quidem auctoritas eſt ad rẽ tanti momenti propter dicta.

9 4. Quia iudicium unius tãtummodò viri docti aliquid exactè examinantis opinionẽ efficit probabilem, ut ex pluribus DD. probat Thom. Sanchez *l. 1. ſum. c. 9. n. 7.* & á fortiori dubium efficiet prudens: cum ergo plures viri Docti relati rem hanc ex profeſſo diſcutientes, dandum eſſe huiuſmodi baptiſmum cenſuerint; dandus eſt.

10 At rationes oppoſitas R. Ad 1. Non ex maiori Doctorum numero communiorem, aut certiorem opinionem cenſendã, ſed ex eorum gravitate, ac fundamentorum veri ſimilitudine. Quod docuit rectè Thomas Sãchez *l. 1. ſum. c. 9. n. 9.* dicens: *Non dicitur opinio communis ex Authorum numero, qui priorum veſtigia, inſtar ovium, ſequent. nulla excuſſione præmiſſa, eam affirmant; ſed communis dicitur, ſi pauciores Doctores habeat, qui utriuſque partis rationibus diſcuſſis, & perpenſis eã affirmant.* Sic in præſenti

11 Ad 3. R. credi poſſe uni vetulæ, ſeu teſti afferenti alicuius baptiſmum, nõ verò huic ſchedulæ. 1. Quia ſi vetula ſeu teſtis cognoſcitur, quis, & qualis fuerit, & ſi ille fide dignus exiſtat, dubium morale de baptiſmi valore tollet; at ſi non cognoſcitur, ut contingit; ex ſchedula, quomodo dignus fide exiſtimandus? Quomodo ei credendum? Quoque pacto moralem certitudinem generabit? Porro Scripturæ huic eadem fides, quæ Scribenti, aut proferenti habenda eſt, & cũ de Scriptore non cõſtet, neq; de auctoritate ſchedulæ, ut fidẽ faciat, conſtare poteſt. Sic Thuſcus *conc. 76. verb. Scriptura.* & *conc. 74. n. 7. & 8.* ait: *Scripturã non probare cu ſuſpecta habetur, et producitur à perſona vili, et ſolita falſificare,* ut hîc accidit. *& n. 14.* addit, quod ad hoc ut *Scriptura ſimplenè probet, vel teſtis, neceſſum eſſe: non ſolùm, ut ſcribens cognoſcatur, ſed ut in iudicio ſcriptum eum iuramento deponat.* Neutrum in

hoc

hoc caſu invenitur, & ita nullàm faciet ſcriptum collo pueri appenſum probationem, nullamque merebitur fidem.

12 Hæc omnia confirmantur, cũ falſitas huius ſcripti, ſi contingat, vergat in magnum præiudicium Tertij, periculum nempe ſalutis æternæ: ad probationem autem rerũ, quę in damnũ Tertij poſſunt vergere, maior certitudo, & probatio ſcripti, & teſtium requiritur, quàm ad alia, ut docent Tiraquellus *de retract. conventio. §. 1. gloſ. 7. n. 57.* Tuſchus *ſup. n. 30. & concl. 76.* ubi *à n. 2. ex l. iubemus, l. exemplo, C. de probat.* cum Gemin. Socin. Cuma. Caſtrenſ. Roman. & Alexand. aſſerit: *Scripturam privatam non probare in præiudicũ Tertij.*

Ad 2. R. nolluiſſe Scribentẽ in re ita gravi
13 fallere; ſed forſan Scribẽs nil aliud teſtatur in ſchedula, quam quod audit à femina: & teſtis de auditu alieni facti non probat, ut docent Gemin. *conſ.* 242. *n.* 5. Alexand. *conſ.* 72. *n.* 8. *l.* 1. Socin. *con.* 47. *n.* 16. Thuſc. *verb. teſtis conc.* 180. *n.* 1. De femina verò prudenter ſuſpicari, aut timeri poteſt, quod validũ baptiſmum, vel ſcienter, vel ignoranter nõ confecerit propter dicta n. 8. & 10. Ad. 3. aio, diſcrimen eſſe inter afferentem, & nõ afferentem ſchedulam: nam de puero ſine illa expoſito, vel nullum, vel fere nullum extat dubium, baptizatum non eſſe, de expoſito cum ſchedula aliquod dubiũ extat; non maximum: ſufficiens tamen ad iterandum ſub conditione, cum ad hoc quælibet prudens ſuſpicio, præſumptio, aut timor ſufficiant, ut diximus Sing. 4. & 8.

14 Hinc colliges 1. iterum baptizandos eſſe conditionaliter non ſolũ deinceps exponendos, ſed qui hactenus expoſiti ſunt cũ eiuſmodi ſchedula; etiam ſi lenes modò, & Sacerdotes, ac Epiſcopi ſint. in omnibus enim eadem eſt dubitandi ratio, ac periculum ſalvationis perſeverat. 2. Quod ſi ſchedula inveniatur ſubſcripta, & Subſcribens ignoretur, aut è vita diſceſſerit, eodẽ modo rebaptizandus eſt infans, ac ſi ſubſcriptionẽ non haberet: nam ut rectè ex Caſtro *conſ.* 407. *l.* 1. & Socin. *conſ.* 53. *conc.* 2. docet Thuſ. *ſup. conc.* 74. *n.* 8. *Scriptura habens ſubſcriptiones nõ probat quando non poteſt fieri recognitio, vel quia mortui, vel ignoti, vel nõ invẽti ſunt teſtes, vel ſubſcribẽtes.* 3. Etiam ſi qui fide digni teſtarentur, ſe characteres, ſeu ſcriptionis formã cognoſcere, recognoſcentes illam, & illius ſubſcriptionẽ eſſe viri docti, & timorati: immo facta collatione characterum, de manu illius ſcripta appareat; hoc tũ non probat, niſi teſtes viderint illã ſcribi, ut aſſerit Tuſch. *ſup. c.* 76. *n.* 15

15 Si ſit hæc ſchedula ſubſcripta, & Subſcribens cognoſcatur, tenentur qui horum puerorum curam gerunt, de illo inquirere, an ſit vera illi⁹ ſubſcriptio, quomodo, qua aqua, quibus verbis baptizat⁹ fuerit infans. Quod ſi fuerit in hac re expertus, optimamq; baptiſmi adminiſtrati rationẽ reddat, ita quod nulla prudens ſuſpicio perſeveret, baptizandus non eſt infans expoſitus, nec ſub conditione: ſecus verò baptizadus eſt, iuxta dicta Singul. 4. & 5. Si eiuſmodi non fuerit Subſcriptor, non ſufficiet cognoſcere Subſcribẽtem, quia ut docent Gemin. *conſ.* 142. *n.* 3. Roman. *conſ.* 204. *n.* 6. Thuſ. *verb. Teſtis, concl.* 178 *n.* 1. *Teſtes deponentes in ſcriptis, & non verbo, non probant.* Vltimò, etiamſi viginti, aut triginta diebus à nativitate exponãtur infantes cum ſchedula, baptizari debẽt: adhuc enim perſeverant rationes dubitandi ſupra allatæ. Sic viri docti à me conſulti.

Singvlare X.

Quid facere debeant Epiſcopus, Sacerdos, aut Confeſſarius ita dubij de ſuo baptiſmo, ut iterari ſub cõditione neceſſarium ſit?

1 CONCORS eſt omnium Theologorum ſenſus, immo & fidei documentum, nullum ſacramentũ validé ſuſcipi ſine baptiſmo validé ſuſcepto: hic enim, ut definitur à Florẽtino *Primum omnium ſacramentorum locũ tenet, quod vita ſpiritualis ianua eſt: per ipſum enim membra Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ.* Et ut dicitur in *c. veniens de Presb. non baptizato. Cum baptiſmus ſit fundamentum omnium ſacramentorũ, ante ſuſceptionem baptiſmi, non ſuſcipitur aliud ſacramentum; quoniam ubi fundamentum non eſt ſuper ædificari non poteſt.* Vnde nec Sacerdotalis, nec Epiſcopalis ordo ſine illo validè ſuſceptus eſt: & ſi de baptiſmi valore dubitatur, eodem gradu de huius Ordinis valore dubitari debet: ac dubium probabile, & morale ſufficiens ad iterandũ baptiſmum, ſufficiet ad iterandum Sacerdotalem, & Epiſcopalẽ Ordinem, ac alia ſacramenta, ut rectè præter alios docet Sebaſtianus Epiſcopus Oxomenſis *in 3. p. q. 6. art. 9.*

2 Sit concluſio: Quicumque Epiſcopus, vel Sacerdos, qui probabiliter, aut prudẽter, dubius eſt [ijs ſcilicet dubij, aut præſumptionis gradibus, quos Sing. 1. 4. 5. & 6. retulimus] de ſui baptiſmi valore, omnes Ordines ſuſceptos, vel ſaltem Sacerdotalẽ, & Epiſcopalem, poteſt, immo & ſub gravi culpa tenetur ſub conditione iterum ſuſcipere. Hanc concluſionem & ſi apud nullum expreſſam invenerim, inveni tamen ſimiles, ex quibus conſtat: & probatur.

3 Primò: quia quoties dubiũ probabile (nõ ſcrupulus aut vanus timor) occurrit, an ordo ſit veré collatus, ſive quia materia eſt dubia, ſive quia ſunt opiniones, pro utraque parte, aut rationes ſufficientes dubitandi, (v. g. quod non tetigerit phyſicé inſtrumenta) poteſt, & debet iterari ſub conditione: cum enim in neutram partem intellectus abſolutè inclinetur nec valeat quis ſibi perſuadere certitudine morali eſſe rite ordinatum: immò rationabiliter dubitet utrum ſit ordinatus: debet ita dubius ſe gerere, ac ſi ordinatꝰ non ſit: nam ſi non ſit verus Sacerdos, non conſecrat Chriſti corpus, nec veram Euchariſtiam alijs miniſtrat ſi Hoſtia ab ipſo conſecratur: ſi hic confeſſarius exiſtimatur, invalidé abſolvit ex quo pluriſũ dãnatio forte ſequeretur. Si non eſt veré Epiſcopus validé ordines non conferet, ac ab illo ſic ordinati, cum verè Sacerdotes non ſint, nec validè abſolvent, conſecrabunt, &c. Item Chriſtus neceſſitium neceſſitate præcepti ad Baptiſmũ: neceſſitate ſacramenti ad Confirmationem, & extremã Vnctionem, validè non cõſecrat: ergo, ſi cum dubij ſunt de baptiſmi valore, dubij ſunt de ſui Ordinis valore Epiſcopus, & Sacerdos; quoties propter dubium morale tenentur baptiſmũ ſub conditione repetere, tenentur etiã ordines, iterare ſuos. Sicut enim periculo ſe exponunt æternæ damnationis, non repetendo baptiſmum, de quo dubitant: ita periculo ſe exponunt nihil efficiendi, & peccandi graviter non conſecrando, abſolvendo, ordinando, &c. quæ in maximum fidelium detrimentum cedunt.

4 Probatur 2. quia Sacerdos, qui certò cognoſceret non fuiſſe baptizatum validè, abſolutè eſſet, ſine conditione ulla baptizandus, & ordinandus, ut conſtat ex *cap. ſi quis de presb. nõ baptizatos.* Vbi: *Si quis Presbyter ordinatus, deprehenderit ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur:* ergo, ſi quis dubitaret; conditionaliter eſſet ordinãdus, ſicut & baptizandus. De hoc videtur loqui Innocentius III. *cap. veniens ſup.* dum ait: *Mandamus, quatenus ipſum per ſingulos Ordines, uſque ad Sacerdotium promoveri procures, nec permittas cũ in Sacerdotio miniſtrare: quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum.*

5 Sed ſi roges, an iterari debeant á Sacerdote, & Epiſcopo omnes ordines ſub hoc baptiſmo dubiò ſuſceptos? Reſpondeo, de Sacerdotali, ac Epiſcopali non eſſe ambigendum: cum ſint ita neceſſarij ad ſalutem fidelium, ex eorumq; defectu notabile nocumentũ Eccleſiæ pararetur. Sic docet Granado *tract. 1. de Sacr. d. 4. anum. 7. & contr. 9. de ord. d. 6. num.* At verò reliquos ordines; minores ſcilicet, Subdiaconatum, & Diaconatum iterari tunc poſſe: ſed neceſſum non eſſe, ipſe addit: cum horum munera ſuppleri valeant per ſacerdotalem poteſtatem, ac nullum actum habeant annexum, abſolutè neceſſarium ad ſalutem fidelium; & aliunde cum opinione, aut ratione probabili ſibi poſſit perſuadere, ordinem fuiſſe validum: non eſt cur ad illius iterationem obligetur. Idem dicit de iteratione ſacramenti Confirmationis, cum dubius quis eſſet de ipſius valore.

6 Confirmat hęc Diana 5. *p. tra. 13. reſ. 55.* aſſerens, eum, qui invalidè adminiſtravit ſacerdotalem, & Epiſcopalem ordinem teneri, etiam cum magno vitæ, & honoris periculo, iterum conferre hos ordines, aut curare, ut iteretur: ſi verò adminiſtravit Diaconatum, & Subdiaconatũ, non teneri cum hoc periculo honoris, & vitæ hunc defectum manifeſtare, ſi poſtea ab ipſo, vel ab alio validé adminiſtratus eſt presbiteratus: nam ut docent Sotus 4. *diſt.* 24. *q.* 1. *ar.* 4. Sanchez *to.* 2. *l.* 7. *conſ. dub.* 14. *n.* 3. & ipſe Granado *ſup. tr.* 2. *d.* 1. *n.* 8. ac ab omnibus doceri debet cum S. Thoma *q.* 33. *ar.* 5. Sacerdos rite ordinatus, licet alios ordines non ſuſceperit poteſt omnium ordinum functiones validè exercere, quia in eo virtualiter continẽtur.

7 Sed ego exiſtimo, ſub gravi culpa teneri ad conditionalem etiam Subdiaconatus, & Diaconatus receptionẽ in hoc caſu, niſi grave nocumentum timeretur vitæ, aut famæ, ſequereturve notabile ſcandalũ: cũ enim tã ex præcepto Eccleſiaſtico, quã Divino ſacerdotium ſine his ordinibus ante ſuceptis licite ſuſcipi non poſſit, & nõ ſit gravis cauſa ab huius præcepti obſervatione excuſãs; atq; deinde eo modo, quo ſacerdotium ſecretó conferendum eſt, hi inferiores ordines cõferri valeant, ad illorum iterationem tenebuntur, qui ad ſacerdotij repetitionem obligãtur, ſi de illis etiam dubitant, licet gravius teneantur ad hoc quam illos repetendos ob rationes num. 3. aſſignatas. & ita Ochogavia *tr. 2. de conf. q. 41. n. 6.* abſolutè docet, cum qui baptiſmum, & ordinem invalidé adminiſtravit, teneri etiam, cũ periculo vitæ, & honoris hos defectus manifeſtare. Decretum denique Innocẽtij *ſupra* allatum *cap. veniens*, ſtatuens, per ſingulos ordines ad ſacerdotiũ pervenire Sacerdotem de ſuo baptiſmo dubium, aut de nullitate certum, ſi aliquando graviter obligat, tunc erit, cum nullum grave incommodum in horum ſuſceptione inveniatur.

8 Hinc colliges nullum actum ordinis Epiſcopalis

copalis posse ab his licité exerceri, donec ab hoc dubio se expediant, & certitudine morali constet de valore baptismi: quia operabuntur cum practico dubio: & periculo se exponerētur nihil conficiēdi in administratione sacramentorum. Sic in simili Corduba *l.* 3. *q.* 5. Vazquez 1.2.*q.*19.*art.*6.*d.*67. & Sanchez *l.* 1. *sum. cap.* 10. *a n.* 3.

9 Immo, etiam si Sacerdos, aut Episcopus, dubitantes de suo baptismo neque celebrare, neque sacramenta alia administrare, aut conficere vellent, adhuc tenerentur non solum ad conditionalem baptismi repetitionē, utpote sacramēti ad salutem necessarij, sed etiam Ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis, ac consequenter ad alios, quos hi supponūt. 1. Propter scandalum ortum ex eo quod nō celebraret sacerdos, & Episcopus Confirmationis, & Ordinis sacramenta, aliasque functiones pōtificales nō exerceret. 2. Quia actiones aliæ, quæ ex Episcopali iurisdictione dimanant, v.g. assignationes Parochorū; facultates ad confessiones audiendas, beneficiorum, & capellaniarum collationes, & innumera alia, iā mala fide, ab ipso prodirent. 3. Quia si verè Sacerdotes, & Episcopi sunt quia validus extitit baptismus, de quo dubitum exortum fuit; gratiam Dei in vacuum receperunt: siquidem se abstinent à functionibus Sacerdotalibus, & Episcopalibus. Propter quam rationem Ricardus, Durandus, Paludanus, Navarrus, Catharinus, Angelus, Astensis, & alij apud Enriquez *cap.* 23.*de ord. n.* 2. *lit. G.* asserunt, absolvi non posse Sacerdotem, qui proponeret non celebrare per integrum annum: & hunc graviter peccare, si saltem ter, aut quatuor in anno non celebret, docent Ioannes de la Cruz, Villalōbos, Homobonus, Spina, & alij apud Dianā *p.* 1. *tract.* 14. *ref.* 19. Praxis verò servanda in his ordinibus sub conditione conferendis, videatur Tractatu 6. de Ordine.

10 Postquam verò Episcopus iam sub conditione baptizatus, & Sacerdotali, ac Episcopali ordine initiatus sub conditione est, intentionem habeat, ut debet, revalidandi, seu de novo concedendi omnes facultates ad sacramenta administrāda, aliaque peragenda ab ipso concessa. Confessor verò sic iam baptizatus, & ordinatus, nova facultate ad audiendas cōfessiones, aliaque Sacerdotis, Cōfessoris, aut Parochi munera obeunda, non eget: cum concessa iam ab Episcopo sit, & sublatum iam est impedimentum, aut potius dubium de baptismi, & ordinis valore.

SINGVLARE. XI.

Quid præstare debeant ij, qui ordines ab Episcopo, & absolutionem sacramētalem perceperunt à Confessore de suo baptismo dubijs?

NOn posse Episcopum conferre ordinem, quē non habet, docent 1
S. Antonin[9] 3.*p.tit.*14.*c.*16.*§.*17. Astensis. 2.*p.l.*6.*tit.*4,*art.* 3.*col.*2. Silvester cum Reynerio. *Ordo* 2. *q.* 1. Sá *n.*23. Summa Pisana *verb. Ordinatus.* 2 Enriquez *de ord.c.*5.*n.*2. addens *litt. H.* hanc esse communem sententiam: quam licet nō audeat negare noster Granado *de ord. disp.* 1. *n.*11 & 10. asserit tamen posse conferre omnes ordines, si sacerdotiū recepit; cum in illo veluti eminenter, ac virtualiter contineantur, & illud conferendo formaliter, eminēter alios confert. At sicut si verè baptizatus non fuit, cum neque sacerdos, neque Episcopus existat, nullos ordines verē conferat; ita si dubitatur, an sit baptizatus; dubitabitur, an eos contulerit, & ita iterari debent sub conditione tam sacerdotium, quām alij propter rationes Singulari precedenti allatas: aut saltem in omnium sententia, sacerdotium est repetendum, & ex consequenti quoad illud Episcopus tenebitur hūc defectum manifestare ex sententia Ochogaviæ, & Dianæ *sup.*

Qui verō sacramentalem absolutionem 2
mortalium receperunt á Cōfessore, de cuius baptismo dubitatur, repetere debent omnes huiusmodi confessiones: sicut enim ille, de cuius baptismo dubitatur, sub eodem dubij gradu caret potestate ordinis, & iurisdictionis, sine qua validē pœnitentiæ sacramentū administrare nō valet; sic etiam sub eodem dubio invalidæ omnino sunt absolutiones ab ipso datæ, & ita debent hæ confessiones repeti; sicut iterum confitenda sunt peccata mortalia, de quibus dubitatur, an absolute, vel ritè propalata sint legitimo Confessario: aliter enim periculo se exponit pœnitens nō accipiendi verum sacramentum, & permanendi in mortali.

Nec obstat. 1. quod pœnitens potuerit per 3
contritionem iustificari, vel per confessionem postea factam alteri legitimo Confessario (si forsan prior non fuisset verè baptizatus) quia de priori iustificatione quis erit sine metu, cum certus esse nequeat, an ad veram contritionem pervenerit. Nec posterior confessio tollet, quod cum cognoverit defectum primi Confessoris, teneatur repetere confessiones illi factas: sicut tenetur cōfiteri peccata mortalia, quorum oblitus est in

in aliqua eſt confeſſione valida, etiam ſi indirectè ab illis ſit abſolutus, immo, & illa de quibus dubitat, an confeſſus fuerit, nec ne, vel quæ confeſſus fuerit coram Sacerdote, de quo prudenter dubitat an legitimam haberet iuriſdictionẽ, niſi adeſſet opinio probabilis, aut cum errore communi titulus coloratus iuriſdictionem ſupplens.

4 Nec obſtat 2. quod hic Confeſſor, ſive Parochus ſit, ſive non: ſive regularis, aut ſæcularis, ut verus Sacerdos, & Cõfeſſarius ſit exiſtimatus, & ita videatur erga illum adeſſe titulus coloratus, & error communis intervenire: nam hoc non ſufficeret, ut validè abſolvat, & alia Sacerdotis, & Cõfeſſoris munera obeat: cum in hoc caſu ius humauum *in l. Barbarius ff. de offic. Prat.* ſtabilitum nõ ſupplere defectum veri tituli: nec adeſſet titulus coloratus: cum ad illum requiratur, ut non adſit impedimentum iuris divini, vel naturalis, quod non poteſt ſuppleri ab Eccleſia, cũ nõ habeat poteſtatẽ in ſuperiorẽ, & hæc ſolùm ſupplere poſſit defectũ iuris humani, ut ſupplet, cum titulus ac error communis concurrunt. Sic docent Paludanus *4. diſt. 17. q. 6. ar. 1.* Bonacina *de matr. q. 2. p. 8. n. 25.* Caietano. *ver. Confeſſ. iteratio.* Reginaldus *l. 10. n. 97.* & alij apud Sanchez *l. 3. de mat. d. 22.* Baptiſmus verò, & poteſtas ordinis collata in ſacerdotio iure divino requiruntur in Confeſſario, & Epiſcopo, ut ſacramenta validè cõficiant: & ita eius defectus ſuppleri non poſſunt ab Eccleſia, etiam ſi communiter exiſtimentur pro vero Epiſcopo, & Confeſſario. Vnde rectè Caietanus *ſup.* ait: *Tunc geſta, v. g. abſolutio peccatorum, & alia tenent ratione publici officij propter communem errorem facti, cum titulo, cum non deficit poteſtas ordinis, quia iſta non poteſt ſuppleri à iure poſitivo.*

5 Quod etiam tenendum, ſi baptiſmus Confeſſoris, aut Epiſcopi dubius redderètur ex opinione probabili. vg. Quia in pede ſolùm, aut ſub pelle ſecundina lotus eſt: licet enim cum opinio probabilis adeſt. v. g. an quis poſſit abſolvere à cenſuris, an ſit verus Paroch⁹ ut matrimonio aſſiſtat, &c. tunc cenſetur adeſſe error communis, & titulus colorat⁹, ac Eccleſia ſupplet hunc defectum, & confert iuriſdictionẽ, ut probant Leſius *l. 2. c. 29. d. 8.* Enriquez *l. 5. de pœn. c. 13. n. 4.* Sanchez *ſup. n. 61.* & alij, quos refert, & ſequitur Bonaci. *q. ult. de pœnit. p. 7.* quia, ut proximè dixi, iuris humani defectum tunc ſupplet, nõ verò ſupplere poſſet defectum circa eſſentialia baptiſmi, v. g. materiam, formam, intentionem, aut ſubiectum illius. Et ſic ex cõmuni DD. rectè docent Sanchez *l. 3. mat. d. 22.* Avila *de cenſ. 2. p. c. 7, d. 7. dub. 7.* Bonacina *ſup. n. 36.* non eſſe validas abſolutiones ab eo, qui non eſt Sacerdos, licet errore communi, & titulo colorato habeatur pro verò Sacerdote, ac proinde iterandas fore.

6 Secus eſſet de matrimonijs, quibus adeſſet Parochus, vel de ipſius licentia Sacerdos de ſuo baptiſmo dubius: cum enim hæc conditio, ſeu aſſiſtẽtia ſit iuris poſitiui, illam ſupplere poteſt cum errore communi titulus coloratus, qui adeſſet ex eo quod Parochus ſit à legitimo ſuperiore conſtitutus. Sic Bonacina *de matr. q. 2. p. 6. n. 30.* ait, validum eſſe matrimonium contractum coram laico, cui Parochus cõceſſit facultatem aſſiſtendi, cum exiſtimatur errore communi, & titulo colorato Parochus, vel Sacerdos. Sicut eſſent validæ abſolutiones datæ à Parocho nominatim excommunicato, vel cuius beneficij collatio ab Epiſcopo facta, fuit invalida ob ocultum impedimentum, v. g. excommunicationem, aut aliud iuris poſitivi, vel à publico clerici percurſore, aut Confeſſario, cui iam facultatis confeſſiones audiẽdi tempus eſt elapſum, vel cui ore ſolùm, & non vera intentione Epiſcopus facultatem conceſſit, & aliæ ſimiles, ſi adeſt error communis eius impedimẽti, quod iuriſdictionem tulit, & ſimul titulus, qui eſt beneficium, vel licentia ſemel veré data, aut quæ data exiſtimetur, ut ex DD. probat Bonacina *ſup. n. 27.* Idem iudicandum de impedimento ſuſpenſionis, vel irregularitatis, ut cum Sanchez, Reginaldo, & alijs aſſerit Bonazina *n. 31.*

7 Circa obligationem, quam haberet Confeſſarius de ſuo baptiſmo dubius manifeſtandi hunc defectum ijs, quorum confeſſiones audivit, ut ipſi eas repeterent, dicendum cẽ ſeo, non teneri ſub gravi culpa, ſi illi grave damnum, aut apud alios ſcandalum ſequeretur ex manifeſtatione; tum quia pœnitentes poſſent per aliam confeſſionem, vel per contritionem iuſtificari: tum quia ſi pœnitẽtes propter grave damnum ipſis imperdens, aut alijs, poſſunt aliqua peccata mortalia in confeſſione celare cum propoſito ea alteri Confeſſario cõfitendi poſtea, vel ſtatim ac commodè ſine periculo, aut damno hoc poſſit, ut fieri debere ſentit Enriquez *l. 1. de pœn. cap. 12. n. 3.* vel cum tempus confeſſionis obliget, ut ex Suario docet Granado *3. p. de ſacr. contr. 7. tr. 9. d. 5. ſect. 3. n. 21.* poterit etiam hic Confeſſor propter eaſdem cauſas relinquere admonitionem, & permittere pœnitentes non integrè confiteri de illis peccatis. Sic Diana *p. 5. tr. 13. reſ. 55.*

Ego autem conſulerem, ut illos omnes, quorum confeſſiones audiſſet, hortaretur, ut confeſſionem facerent generalem, vel ſaltẽ

parti-

particularem alteri Confeſſario, vel, ut ſibi, iam ſub conditione baptiſmo, ac Sacerdotio repetitis, iterum confiteantur, ſe in generali accuſantes de omnibus peccatis, quæ cum ipſo antea cõfeſſi eſſent: ex quo nullũ graue incommodum ſequetur; protereaque ad hoc exequendum non leuem diligentiam adhibere debet: ne forſan aliquis horum è vita decedat cõfeſſione poſtremô ipſi facta, & de ſalute periclitetur, ſi contritionis actum non ellicuit, & ipſe Sacerdos veré non exiſtebat, quia validé non acceperat baptiſmũ. Et ſi in omnibus animæ dubijs *ſemitam debemus eligere tutiorem*, ut ſtatuitur *c. ad audientiam & c. ſi quis aut. de pœn. d.* 7. ex S. Auguſtino *hom.* 41. *Tene certum, dimitte incertum*, a fortiori in ijs, quę ad valorem ſacramentorũ, & præcipuè baptiſmi, ac pœnitentiæ ſpectant, ut pote quę ſunt ad ſalutem ita neceſſaria.

3

SINGVLARE XII.

Quidam Religioſus profeſſus, de ſui baptiſmi valore verè dubius, rogavit, an Religionem poſſet deſſerere, aut teneretur profeſſionem ratificare, & an valida extitiſſent acta ipſius & Subditi & Prælati?

1 INDVBITATVM eſt, quod ſi alicui qui Religioné eſt profeſſus, de ſui baptiſmi nullitate conſtaret, nulla eſſet illi profeſſio, & Religionem poſſet deſſerere; licet enim independenter à baptiſmo tria vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ validé nuncupari poſſent, & hæc Religionis virtutis eſſent actus: tamen illa voventem in ſtatu non conſtituerent veri Religioſi, nec vota eſſent Religionis á Pontifice approbatæ; quia hæc ſupponunt baptiſmum, ratione cui⁹ Religioſi, & fideles omnes Pontifici; Religionum confirmatori, & legislatori, ſubduntur. Vnde qui dubitaret de ſui baptiſmi valore, eodẽ dubij genere de ſuæ profeſſionis valore dubitare valebit: eamq, ſuo arbitrio deſſerere poſſet, ſi baptiſmi nullitas cõſtaret; cum ab hoc profeſſio neceſſariò dependeat,

2 Nihilominus tenendum omnino eſt, quod cumque dubiũ ſive iuris, ſive facti, ſive practicum, ſive ſpeculativum, ſive negativum ſive poſitivum, ſive leve: ſive magnum extet Religioſo de ſui baptiſmi valore, nullo modo ei licere Religionẽ deſſerere, ſed in ea tenetur perſeverare, donec illi certitudine morali conſtaret non eſſe baptizatum. Neminẽ vidi id aſſerentem in forma, & in ſpeciali: ſic tamen in ſimili caſu de matrimonio noſter Didacus Ruiz de Mõtoya in relata pro Nigris inſtructione, *n.* 46. *Quãdo uno de los contrayentes, o ambos ſe baptizarẽ ſub conditione, ſe les aviſe, que para mas ſeguridad conſientan denuevo en el matrimonio. Pero no deven ſer tenidos por libres del vinculo del matrimonio, aunque no conſintieſſen conſentir.* Sic ergo ſi Religio, & Religioſus, inter quos hoc ſpirituale matrimonium initũ eſt, de baptiſmi valore dubitarent, neuter à vinculo illius liber erat cenſendus.

Ratio eſt, quia nemo qui rem bona fide incipit poſſidere, ſi poſtea incipiat dubitare, an ſit aliena, & fecerit, ut debet ſufficientem diligentiam, quamvis adhuc maneat dubius, non tenetur eam reſtituere, quia in pari cauſa potior eſt poſſidẽtis ratio, & ideo in foro exteriori hic manu tenebitur in ſua poſſeſſione: quoad hãc enim potior eſt cauſa poſſidẽtis, quam non poſſidentis, licet æqualis eſſet utriuſque quoad proprietatem. Hanc ſentẽtiam tenent Sotus, Victoria, Covarubias, vterque Medina, Ledeſma, Burgos de Paz, Veracruz, Cordova, Bañez, Molina, Salon, Manuel, Gratianus, Lopez, & Enriquez, quos citat, & ſequitur Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matr. d.* 41. *n.* 12. idem docent Sylveſter *Reſtitutio* 3. *q.* 1. Leſius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 4. *n.* 23. Villalobos *tomo* 2. *trac.* 11. *diffi.* 12. *n.* 2. Diana *p.* 1. *tract.* 1 *d.* 3. *p.* 2. *n.* 4. & alij apud ipſum: ergo cum bona fide Religio cæperit poſſidere Religioſũ, propter dubium de nouo adveniens, nõdum illius veritate, quavis diligentia, detecta, nec Religio poteſt illo privari, nec ille eam deſſerere.

3

4 Immo, ſi magis inclinaretur intellectus ad credendã nullitatem baptiſmi, adhuc idẽ dicendum eſſet, ſi adhuc perſeveraret dubiũ. Sic colligitur ex doctrina Scãhez *l.* 1. *ſum. c.* 10. *n.* 9. Vazquez 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *d.* 66. *cap.* 7. *n.* 4. Salas 1. 2. *q.* 21. *tract.* 8. *d. unica ſect.* 23. *num.* 231. Trullench. *lib.* 7. *decal. cap.* 11. *dub.* 4. *n.* 2. Bonacina *d.* 1. *de reſt. q.* 2. *p.* 2. *n.* 6. & aliorum apud ipſum, aſſerentiũ nihil reſtituendum ab eo, cui certó debitum nõ conſtet, licẽt illud deberi magis inclinetur; dubius de ſua obligatione. Quamvis Salon, Bañez, uterque Ledeſma, & Sotus apud Sanchez *lib.* 2. *de matrim. d.* 4. *n.* 12. illos tunc ſequutus, nec non Valentia 2. 2. *d.* 3. *q.* 16. *p.* 2. doceant, aliquid reſtituendum eſſe iuxta maiorem, vel minorem inclinationem. Cõfirmatur idem in matrimonij ſtatu, pro quo in dubio ſemper eſt ſtandum, & ſi adhuc dubitatur de impedimento poſt illius inveſtigationem, non eſt neceſſaria illius diſpenſatio, & uterque coniux petere, & reddere debitum poteſt, ut in Tractatu nono dicemus. Sic Sanchez *lib.* 8. *matr. d.* 6. *num.* 18. Barboſa *de poteſt.*

Epiſc.

Epiſc.p.2.alleg.35.n.18. Caſtr. Palao *to.1.tr.3.d.6.p.5.n.10.* Diana *p.3.tr.6.miſc.reſol.82.* & alij: ſic ergo pro Religionis ſtatu iudicãdum eſt in dubio noſtri caſus. Vide quæ laté de his dubijs proſequitur Sanchez.

5 Quod verô tunc Religioſus tenetur profeſſionẽ ratificare poſt iteratum baptiſmũ, non dubito, tum propter dicta, quorum hoc conſequens eſt: tum quia ex ſententia omnium Doctorum, quos numero antecedenti retulimus, & Singulari 13. referemus, tenetur quiſque ſufficientem diligentiã prẽſtare ut ſe â dubio debiti expediat, cui adſtrictũ eſ ſe dubitat: ergo in debito profeſſionis, quod Deo, & Religioni debere prudenter dubitat poſt ſuũ baptiſmum, debet ab eo ſe expedire, profeſſionem iterãdo, cũ aliunde Religioné deſſerere non valeat, illiuſque privilegijs, & commodis tẽporalibus, ac ſpiritualibus fruatur: quibus aliter nequit iuſtè uti, & ea abſq; onere reſtitutionis retinere: ſicut iniuſtus, & reſtitutioni obnoxius eſſet poſſeſſor rei, quam neceſſariò fruiturus eſt, ſi ea utatur dubius, an aliena eſſet, nec ne, & ſe á dubio hoc nõ vult expedire, cum poſſet, ut Sanchez cũ alijs probat *lib.2.de matr.d.41.a n.20.*

6 Confirmatur, quia cum quis certus eſt de debito, incertus deſolutione, tenetur ſolvere, quia ex poſſeſſione debitum exigendi, actionem habet creditor, dum certum eſt illud, nec hic in dubio ea privari iuſtè poteſt, ut docent Thomas Sanhez *lib.1.Decal.cap.10.n.12.* Vazquez *1.2.q.19.art.6.d.66.cap.7.n.43.* Caſtro Palao *to.2.tract.1.p.2.n.14.* Trullench. *lib.7.Decal.dub.6.n.2.* Bonacina *de contr.d.1.q.2.p.2.n.15.* Leſius *lib.2.c.14.dub.4.n.25.* & alij: ergo, cum certò conſtet Religioſo de debito Religionis, ex quo in illa omnia profeſſorũ propria, tam temporalia, quam ſpiritualia ad ipſum pervenerint, & pertinebũt neceſſariò, cum ab illa egredi non valeat, tenebitur debitum ſolverè, aliterque erit in peccato mortali; ſicut qui fictè profeſſus fuiſſet, & ſcienter poſt profeſſionem invalidam in Religione viveret, teneretur profeſſionem abſoluté ratificare, ſi vellet in Religione vivere, quia abſoluté nulla fuit: ita in noſtro caſu Religioſus dubius de baptiſmo, tenebitur profeſſionem dubiam ratificare, & in Religione perſeverare.

7 Ea autẽ, quę geſſit ut profeſſus. v. g. deciſſiva ſuffragia in electionibus, functiones munerũ, & ſimilia, & ſi forſan prælat⁹ fuit, quæ præſtitit ut ſuperior, v.g. facultates, quas conceſſit Religioſis ad accipiendũ, & elargiendũ munera, vel pecunias, cõtractus, quos in ijt, & huiuſmodi alia, valida ſunt ob titulum coloratum, ſcilicet errorem communem cum titulo, etiam ſi baptiſmus nullus eſſet: immo & facultates, quas conceſſit ad abſolvendũ ſuos ſubditos â reſervatis, effectum ſunt ſortitæ, licet ſi ipſe abſolutionem dedit, non valebit, cum non niſi â vero ſacerdote, & verè baptizato, hæc dari nequeat; nec ſuppleri ab Eccleſia defectus ſacerdotij, & baptiſmi, ut pote requiſita ex iure divino, ſupra quod Eccleſia iuriſdictionem non habet. At verò iuriſdictio reſervandi caſus, & concedendi facultatem ad illos, necnon quælibet peccata abſolvendi, & ſacramenta adminiſtrandi nõ eſt iure divino annexa baptiſmo, & ordini ſacerdotali: & ita Epiſcopi Vicarius, qui nõ eſſet initiatus: immo nec verè baptizatus, ſi in eo titulus coloratus, & error communis interveniret, poſſet has facultates concedere iuxta ea, quæ Sanchez *lib.2.de matr.d.22.* Salas *de leg.diſp.10.ſect.3.* Bonacina *q.2.de mat.p.8.a.25.* & alij docent. Vide Singul. 10. & 11.

Singvlare XIII.

V. Dubius de ſuo baptiſmo teneatur ſub mortali á dubio hoc ſe expedire, & baptiſmum ſub conditione recipere, quam primùm ei de vero dubio conſtet?

1 Non est sermo de illo, qui levibus circa hoc pungitur ſcrupulis iuxta dicta Singulari 8. hic enim dumtaxat ſcrupulũ deponere debet; ſed de illo, qui non contemnendo fundamento dubitare incipit de valore ſui baptiſmi, quem ſub mortali teneri ad præſtandam diligentiam, ut ſe â dubio hoc expediat, non dubito. I. Quia quilibet tenetur diligentiã præſtare in depoſitione conſcientiæ dubiæ in re tanti momẽti, ne ſit perplexus ſemper, ut docent Gerſon *2.p.tr.de nat.& qual.conc.* Cordova *l.3.q.12.* Adrianus *quodl.2.art.1.litera.F.* S. Bonaventura *in 2.dub.39.q.3.n.24.* & Zambranus *præl.2.num.2.*

2 Quia quilibet tenetur ſub gravi culpa ad exequendũ neceſſaria, ut ſe â periculo dãnationis expediat, & ut in illo non maneat, ut maneret, qui in hoc dubio perſeverare voluerit, diligentiamque, ut ſe ab illo liberet, omiſerit: aliter ſalutem ſuam non procurabit, ad quam procurandam ex præcepto divino obligatur.

3 Quia qui dubitat, an debitor ſit pecuniæ, vel famæ, aut alĩ⁹ gravis obligationis, de his tenetur inquirere, ut his ſatisfaciat, ſi de illis conſtiterit: ergo dubius de ſuo baptiſmo tenebitur ad inquirendum, an baptiſmum valide receperit, ſine quo ex precepto divino, & neceſ-

neceſſitate medij ſalvari non poteſt. Et ſi facta omni diligentia iuxta dicta Singulari 7. adhuc perſeveret dubium prudens, vel probabilis ſolùm opinio de valore baptiſmi, illum ſub cõditione recipere tenebitur, ut ſæpe Singularibus præcedentibus docuimus cũ noſtro Didaco Granado *contr. 3. de ſacr. tra. 1. d. 4. num. 7.* ne ſi verum baptiſmum antea non ſuſcepit, æternæ damnationis periculo ſe exponat.

3 Deinde in noſtra difficultate dicimus, quod ſimul ac alicui de dubio hoc morali, & probabili cõſtet, baptizandus eſt ſub conditione, ſi Adultus ſit. Ita ſentire videntur Suarius *tom. 3. in 3. p. d. 31.* Reginaldus *l. 27. n. 55.* Vazquez *d. 146 n. 29.* & Villalobos *diff. 12 n. 13.* Ratio eſt, tũ quia ſemper obligat Adultum præceptum ſe convertendi ad Deum, & ingrediendi in Eccleſiã per baptiſmum, ut fiat membrum Chriſti, & particeps ſacramentorum: tum quia, ut probant Sotus *in 4. d. 5. q. un. art. 3.* Suarius *ſup. ſect. 20.* Cajetanus *3. p. q. 68. art. 3.* Vazquez *d. 149. cap. 4.* Valentia *q. 3. p. 4. aſſert. 3.* Enriquez *de bapt. c. 4.* Granado *tr. 4. d. 2. n. 5* Machado *to. 1. l. 3. p. 1. tr. 2. docum. 1. n. 8.* & alij communiter: Adultus tenetur divino præcepto recipere baptiſmum cum commodè poſſit: ſicut tenetur credere cum primum ei propõnuntur divina myſteria: ergo ſine legitima cauſa, illius ſuſceptionem differre in caſu dubij erit peccatum mortale, quia dilatio hæc eſt in re gravi, & maximè neceſſaria ſaluti.

4 Cauſa autem differendi baptiſmum conditionalem non poteſt adeſſe ſicut in abſoluto Catechumini: perfectior, ſcilicet, inſtructio, maior reverentia ſacramẽti, & certior in fide firmitas: hæc enim omnia ſupponuntur in Adulto inter Chriſtianos enutrito. Vnde is, qui dubitat, ſtatim, ac certus ſit de dubio, tenebitur baptiſmum conditionatum accipere: ſicut abſolutum Catechumenus ſimul, ac diſpoſitus eſt, ex divino præcepto tenetur, ut ait Ledeſma. Vide de hoc latiſſime Vazquez *quæſt. 68. art. 3. diſt. 150. c. 1. 2. & 3.*

5 Sed dari materiæ parvitatẽm in hac dilatione non dubito; ita ut etiam ſi iam certus ſit de vero primi baptiſmi dubio, ac nulla adſit differendi cauſa, illum ad tres, aut quatuor dies differre (niſi vitæ inſtaret periculum, aut actio, ad quam validus baptiſmus neceſſariò prærequiriretur) non eſſet culpa lethalis; ſed venialis. Probatur 1. Quia idem divinum præceptum obligans Adultum ad ſuum baptiſmum, obligat parentes, vel eos, qui infantium curam gerunt ad baptiſmum illis procurandum, ut docet Sotus *in 4. diſt. 5. q. un. art. 3.* & communiter Theologi: ergo ſicut hi non obligantur ad illius adminiſtrationem ſtatim ut natus eſt infans; niſi vitæ periculum adſit: etiam ſi tunc poſſent recipere, ſed ad octavum, vel duodecimum diẽ a nativitate; differre poſſunt abſq; peccato: ita nec dubij de ſuo baptiſmo peccabunt differẽdo illud paucis diebus. Attamen nõ poſſunt differre ad duodecim dies ſuum baptiſmũ; cum non ſuffragetur huic dilationi uſus Eccleſiæ, ſeu divini præcepti interpretatio, ut ſuffragatur in infantium baptiſmo: & ratio diſcriminis eſt, quod infantes, utpote rationis uſu carentes non privantur in hac dilatione bonis ſpiritualib⁹, quibus Adulti meriti capaces, ac rationis compotes: & quia ſtrictiũs obligantur ſuam ſibi velociùs ſalutem procurare, quam Parẽtes Filijs, & Tutores infantibus.

6 Nec huic dilationi obſtat, quod hoc præceptum ſit iuris divini: talis enim, immo & naturalis eſt adimpletio voti, vel iuramenti ingrediendi Religionem, elargiendi talem eleemoſynam, & illam differre ad breve tẽpus, etiã ſine cauſa, non eſſet mortale, ſicut nec longum cum illa; & nihilominus dilatio baptiſmi lõgè brevior debet eſſet, quam adimpletionis votorum ob ingentem baptiſmi ad ſalutem, & ad vitam ſpiritualem in eundam neceſſitatem. Dixi autem horũ dilationem ſine cauſa eſſe venialem, quia nequit non eſſe peccatum, licet leve, ſe tanto bono ſine cauſa privare, etiam per breve tẽpus.

SINGVLARE XIV.

Vtrum Parochi, Parentes, & Domini ſub gravi culpa teneantur baptiſmum conditionatum procurare ſubditis, filijs, & ſervis de primo baptiſmo veré dubijs?

1 OMnes, quibus aliàs extra neceſſitatem ex officio incumbit baptizare, teneri ſub mortali extra neceſſitatem baptizare ſub conditione illos, quorum baptiſmus non eſt moraliter certus, ſeu de quorum baptiſmo eſt morale dubium iuris, vel facti: ſive hi ſint Parvuli, ſive Adulti, docent Zambranus *cap. 1. de bapt. dub. 1. n. 7.* Vazquez *tom. 2. in 3. p. diſt. 146. cap. 4.* Gaſpar Hurtado *diſp. 1. de bapt. diff. 12.* & alij. Cum ergo Parochis ex officio, & Eccleſiæ inſtitutione incumbat adminiſtrare Parochianis ſacramenta, & præcipuè baptiſmum, illi tenebuntur in dubio adminiſtrare.

Probatur 1. Quia ſi tenetur ſub mortali in-
2 quirere de valore baptiſmi illorum, qui iam domi baptizati ad Eccleſiam deferuntur, ut probavimus Singulari 6. à fortiori tenebitur dubium de ſuo baptiſmo baptizare, ſi de dubio vero illi conſtat. 2. Quia ratione charitatis tenetur uti materia, & forma certa in baptiſmo, & alijs ſacramẽtis, de quibus nulla opinionũ varietas ſit, ut late probat Vazquez 1. 2. *d.* 62. *ca.* 2. *&* 3. ne permittat illum fortaſis damnari, ſi re ipſa verum non confecit ſacramentum, ſicut non confeciſſet, ſi opinionem, quæ re ipſa non eſſet vera, eſſet ſecutus; ergo tenebitur etiam propter eandẽ charitatem, & rationem non relinquere dubium baptiſmi valorem. 3. Quia quilibet tenetur in adminiſtratione ſacramentorum propter ipſorum valorem ſequi tutiorem partem, ommiſſa etiam probabiliori, ut docent Theologi 1. 2. & late Vazquez *ſup. c.* 3. *& tom.* 2. *in* 3. *p. c.* 4. *n.* 29. Tutior autem pars eſt, quam ſi quis ſequatur nullũ periculum ſuperſt ſalutis ei cui ſacramenta adminiſtrantur, & ipſi qui miniſtrat: ergo tenebitur ad hanc iterationem baptiſmi dubij, cum ſit pars tutio r. 4. Quia Parochi tenentur vera, & valida ſacramenta ſuis ſubditis miniſtrare, & hi, qui de veritate, & validitate, v. g. Baptiſmi ſunt dubij habent ius ad hoc, quod ſub conditione baptizentur; ergo &c.

Præterea, Parentes teneri ad procurandã
3 hanc conditionalem iterationem ſuis liberis indubitatum eſt: cum graviter teneantur ex pietate iuxta communem ſententiam ad filiorum, curam in ſpiritualib⁹, quoad mores & inſtitutionem, ut ex Theologis docet Ægidius, Trulench *in Decal. l.* 4. *c.* 1. *dub.* 3. *n.* 1. Deinde ſi occaſiones, aut pericula peccandi graviter à filijs non avertunt, graviter parentes peccant, ut ait Trulench *n.* 1. ergo ad periculum avertendum ęternę damnationis cui expoſiti ſunt, dubij de ſuo baptiſmo, ſi nõ baptizentur iterũ, graviter adſtringentur ſimiliter ad verũ, & validum baptiſmum filijs procurandum. Nomine autem parentũ intelliguntur hic omnes illi, qui ob parentũ mortem, abſentiam, aut aliam cauſam, infantium, vel adultorum curam habent, ut Tutores, Curatores, cognati, & alij, quib⁹ eorum cura incumbit, iuxta ius, vel naturale, vel poſitivum.

Teneri etiam Dominos ad hunc baptiſ-
4 mũ ea proportione, qua ad ſuorum ſervorũ procurandum certum eſt ex naturali, & divino iure. Sic *ad Timoth.* 5 *Si quis ſuorum maxime domeſticorum curam non habet, infidelis eſt, & infideli deterior.* Vnde graviter peccare, ſi ſint notabiliter negligentes in procurandis his, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem ſervorum, ut eſt ſuſceptio ſacramentorum, Miſſæ auditio, occaſionum lethaliter peccandi abſciſſio, & alia, huiuſcemodi, eſt cõmunis Doctorũ; vide Navarrum *ſum. cap.* 14. Azorium *c.* 39. *q.* 13. Trulench. *ſup. dub.* 5. ergo à fortiori tenebũtur ad certum baptiſmum illis procurãdum, ut pote qui ianua eſt ad ſalutem, & ad ſacramenta cætera.

Hinc recte probat noſter Sãdoval *li.* 3. *pro*
5 *Nigrorum inſtruct. cap.* 8. Dominos, & navium armatores, vulgo *los Armadores:* teneri graviter ad procurandum, ut ſtatim ac Nigri ex Guineæ, Angolæ, & aliorũ locorum provincijs ad portum acceſſerint, de ſuo baptiſmo inquiratur, & ſi dubium de eo ſit, conditionaliter baptizentur, antequam veneant *& n.* 20. addit, hanc etiam obligationem ex iuſtitia Prælatis Eccleſiaſticis, & Parochis illorũ portuum incumbere; hîc enim ipſi tunc ſunt veluti advenę, & vagi, ac baptiſmi neceſſitas dilationem ullam, niſi, vel trium tantum, aut quatuor, ad ſummũ, dierum nõ patitur. Sic ſapientiſſimus D D. Petrus de Caſtro, & Quiñones Hiſpalenſis Archiepiſcopus Hiſpali iuſſit fieri.

Addẽdum 1. Quemlibet alium, ſiue ſacer-
6 dotem, ſive laicum ex charitate, aut miſericordia graviter teneri ad adminiſtrandum conditionatum baptiſmum cuilibet de ipſiu⁹ valore veré dubitanti, vel ad inquiſitionem prædictam in dubio facienda, ſi proprius Parochus aut abeſſet, aut nollet, quia miſericordia exigit, ut proximo in ea neceſſitate exiſtenti ſecurius ſalutis ſuæ remedium procuretur. Sic Hurtado *ſup.* Specialiùs ad hoc adſtringuntur Religioſi, quorum inſtitutum ſit in proximorum ſalutem incumbere, ut Dominicanorum, Ieſuitarũ, & aliorum ex Mendicantibus: ſunt enim, Prælatorum voluntarij velut Coadiutores, & ideo tot privilegijs locupletati. Idem dicendum, ſi Parentes, Tutores, ac Domini aut ab eſſent, aut nollent ſuorum baptiſmum procurare. Adendum 2. Quod licet prædicti Parochi, Parentes, Domini, aut alij iudicarent ſufficiens dubium non extare ad iterandum baptiſmum: cum á viro docto ſufficiens exiſtimaretur, tenẽtur illum iterare, cum in his ſequenda ſit tutior pars, & ſi tenetur Confeſſor ſe accommodare opinioni pœnitentis probabili; à fortiori Parochus tenebitur ſe acommodare iudicio viri docti, ac pij in reb⁹ ex quibus, ut in hac, ſalus æterna tui ſubditi, vel

pendet, vel creditur pendere,

SIN-

SINGVLARE XV.

Quomodo disponendus sit Adultus recepturus conditionalem, vel absolutum baptismum circa Intentionem, & Notitiam illius? ubi de baptismo Æthiopũ, aut Nigrorũ, qui veniunt ex Guinæa, Angola, & alijs Provincijs.

1 ADultorum nomine intelliguntur modó, qui ad annos discretionis pervenere, possuntq; percipere saltem cõfuse, aut rudi, ut aiunt, Minerva, ea fidei mysteria quorum, iuxta Theologos, est necessaria cognitio ad recipiendum baptismũ. Sic noster Ildefonsus de Sadoval *instruct. pro Æthiopibus l. 3. c. 7.* Et notandum quod si iam cõplevere septenium, regulariter censentur rationis usum habere, ut docent Sá, *Bapt. n. 11.* Bartol. ab Angelo §. 33. Vazquez *d. 155. c.* 30. Sanchez. & alij, quos sequitur, & affert Bonazina *de legibus, & de baptism. quæst. 2. p. 6. n. 11.*

Igitur cum ex Concilijs, SS. PP. & DD.
2 constet, ad baptismum absolutum conferendũ Adulto requiri tria ex parte recipiẽtis, intentionem recipiendi, notitiã, mysteriorũ, & doloré de peccatis: ut Theologi omnes docent cũ S. Thoma *3. p. q. 68. ar. 7. & in 4. dist.* 4. Bonaventura, Ricardus, Paludanus, Sotus, Durandus, Ledesma, Toletus, Corona, Vega, Suarez, Enriquez, Ioseph de Acosta, & alij apud Sandoval *l. 3. c. 5.* eadem requiruntur in Adulto ad baptismum cõditionalem, ut probat Sandoval *c.* 10. Cum enim prudenter timeatur, aut dubitetur nullum baptismũ, seu invalidum accepisse, ex parte sui disponendus est baptizandus, ac si absolutè baptismũ, esset recepturus; aliter periculo se exponet vel non recipiẽdi validé, vel saltim sine gratia. Vnde sicut administraturus Adulto baptismum absolutum tenetur illum non administrare, nisi convenienter disposito, ut docet Suarez *d. 32. sect. 2.* sic etiam nec nisi ita disposito tenetur administrare, qui administraturus conditionalem. Aliter graviter peccabit, nisi illum ignorantia excuset, vel mortis periculum, ob quod baptizandus instrui non valeat.

3 Intentio recipiendi sacramentum requiritur actualis, vel virtualis in Adulto recipiente baptismum conditionalem. Et sine hac intentione, conditionali saltem ad conditionalem præeunte, vel comcomitãte baptismus non erit validus iuxta omnes DD. *sup.* citatos: sicut nõ esset validus administratus Adulto, si hîc eum reciperet absque absoluta, & vera intentione recipiendi sacramentum. Sic Sotus *4. dist. 5. art. 7.* Pitigianus *d. 4. q. 5. art. 1.* Grasis *2. p. lib. 1. c. 3. n. 37.* Bonazina *sup. n. 22.* Enriquez *c. 24. n. 3.* Vazquez, Ægidius, Filiucius, Hurtado, & Candidus apud Leandrum â Sacram. *d. 5. tr. 2. q. 20.* sic & alij communiter: immo nec intetio debet esset vi, vel metu gravi, & iusto extorta, ut valeat sacramẽtum, ut docent Navarrus *c. 22. n. 10.* Bonazina *n. 21.* Enriquez *num. 3.* Corona *de bapt. fol. mihi 26.* & communis.

Advertas tamen in hac intentione necessariò involvi cognitionem saltem cõfusam,
4 & rudem de baptismo: non enim intentionem veram recipiendi illum habere potest nisi aliquo modo illum cognoscat; nam nihil volitum, quin præcognitum. Ex huius cognitionis defectu invalidi sunt plures baptizmi, qui administrantur Æthiopibus, *A los Negros bozales, que vienen de Guinea, Xolofe, Mãdinga, y otras partes*, de quibus sic loquitur noster doctissimus Didacus Ruiz de Montoya, instruct. pro illorum baptismo, facta anno 1621. *n. 9. Destos casi todos vienen sin baptismo, que sea valido, porque no se les dize nada del Baptismo, ni de la Fê, o Religion Christiana, ni ellos entienden otra cosa mas de la que veen: y por consiguiente deven ser baptizados sin condicion.* Et n. 10. *Los de Congo, y Angola tienen de ordinario alguna manera de enseñança, y de pedirles su consentimiento, y por esto requieren mas examen, para q conste si sabe lo necessario, para que valiesse el baptismo. Porque algunos vienen tarde, acabada ya la declaracion, y exortacion, que les avian hecho: otros no la entienden, porque no la oyeron; y todos estos deven ser baptizados sin condicion. Otros llegaron a tiempo, que oyeron, y entendieron lo que se les enseñava, y con estos serà necessario examen.* Hæc ille.

Notitia, quam habere debet Adultus circa fidei mysteria, licet semper supponi de-
5 beat in ijs, qui inter Catholicos enutriti ad annos discretionis pervenerunt, & ultro in ætate progressi sunt: non ita in ijs, qui solùm eos attingerunt, & in ijs, qui ex Sarracenorum, aut Hebræorum genere ad fidem accesserunt, vel ex Guinæę, Angolæ, aijs ve Æthiopiæ Provincijs adducti, iam conversi, immo & baptizati, sed de baptismo dubij, illum accipere, vel sub conditione, vel sine illa volunt. De hac sic noster Didacus Ruiz de Montoya *instructione relata num. 26. Los mysterios substanciales, que sera forçoso enseñarles, y que ellos los entiendan conforme la capacidad, talento, y suficiencia de*

cada uno, ſon un ſolo Dios, Criador de todas las coſas: El miſterio de la Santiſſima Trinidad, Padre y Hijo, y Eſpiritu Santo, tres Perſonas, y un ſolo Dios verdadero, q̃ el Hijo de Dios ſe hizo hõbre por ſalvarnos, que murio, y eſtà glorioſo en el cielo, que ay otra vida, y en ella gloria para ſiempre. q̃ no ſe pueden ſalvar ſin el Baptiſmo, y ſin la ley de N.S. Ieſu Chriſto. Que todo eſto creemos los Chriſtianos porq̃ lo enſeñó Dios N.S. q̃ no es poſſible engañarnos. Et n. 27. *Aunque no ſera forçoſo ſaber las oraciones de memoria, pero con todo eſſo ayudara mucho, y ſe diſpondran mejor.* Et num. 29. *De todas eſtas coſas ni le digan mucho ſino mui poco, y muy toſcamente dicho a ſu modo, y repetido muchas vezes, y dãdoles tiẽpo y eſpacio para entenderlo.* Hæc ille, quæ compro bat Sandoval *l.* 3. *cap.* 7. & conſonant ijs, quæ docent Theologi *ad q.* 16. *S. Thom.* & S. Patres, ac Interpretes in id *Math. vlt. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* & Pauli *ad Heb.* 11. *n.* 6. *Credere enim oportet accedẽtem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.*

6 Hæc autem debet baptizandus credere ſi de ſupernaturali, ſeu ſupernaturali motivo; aliter gratiã nõ recipiet, licet recipiat baptiſmum, & illius characterem. ut docẽt Theologi, cum S. Thoma 3. *p. q.* 68. *art.* 8. Coninch. Pitigianus, Angelus, Chamerota, Enriquez, Valentia, & Reginaldus apud Bonacinam *d.* 2. *q.* 2. *p* 6. *n.* 23. & Granadum *ſup. n.* 4. Conſule Sanchez *l.* 2. *ſum. cap.* 3. *n.* 24. In articulo autẽ mortis poſſe baptizari non cognoſcentẽ, nec credentem hæc myſteria docent Ioannes Sancius *ſelect. d.* 44. *n.* 41. Villalobos *dif.* 1. *n.* 7. & Leander à Sacram. *to.* 1. *q.* 24. Hæc omnia, & quæ in Singulari ſequenti ſtatuemus, pro Sarracenorum baptiſmis proportionatè obſeruanda ſunt.

SINGVLARE XVI.

V. Dolor de peccatis, & illorum cõfeſſio in conditionato Adulti baptiſmo requirantur?

1 REQVIRI in Adulto recepturo baptiſmum conditionatum, vel abſolutũ, non ad valorẽ illius, ſed ad gratiæ effectum, dolorẽ de peccatis mortalib⁹ prẽteritis, qui ſatis eſt ut ſit attritio, conſtat de fide ex Tridentino *ſeſſ.* 6. *can.* 7. Carthaginenſi *c.* 83 & *Actorum* 3. *Pœnitentiam agite, & baptizemini unuſquiſque veſtrum.* Sic Theologi cum S. Thoma *q.* 68. *art.* 4. Suarius *d.* 28 *ſect.* 2. Ægidius *q.* 62. *ar.* 1. *dub.* 2. Hurtado *d.* 4. *dif.* 5. Machado *to.* 1. *l.* 3. *p.* 1. *tra.* 1. *doc.* 7. *n.* 4. Molfeſius, Cãdidus, Llamas, Ledeſma, Villalobos, quos citat, & ſequitur Leander à Sacram. *tr.* 2. *d.* 5. *q.* 26. Nec ſufficit, quod ſit naturalis hic dolor, ſed procedere debet ex motivo, & auxilio ſupernaturali, ſaltèm propter metũ gehennæ. aut turpitudinẽ peccati. Ita Magiſter. 4. *d.* 4. Suari⁹ Valentia, Bonacina *ſup.* & alij communiter: quia attritio naturalis non eſt proportionata diſpoſitio ad gratiam, quæ eſt forma ſupernaturalis.

2 Non verò eſſet neceſſariò, ut hæc attritio, exiſtimaretur contritio, ſed ſufficit attritio ſcita, ut docent Suarius, Ægidius, Hurtado, Leander, & Machado *ſup.* necnon plures alij apud Enriquez *l.* 2 *de bap. cap.* 26. *n.* 3. & Granadum *ſup. n.* 6. quiſomnes meritó reijciunt Caietanum aſſerentem, nullum actum doloris requiri, ſed ſatis eſſe accedere ab baptiſmum, cum propoſito illum recipiendi in remiſſionem peccatorum. Venialia verò deteſtari, ut grãtiam conſequatur baptizandus, nõ eſt neceſſe: nam ea in baptiſmo remittuntur baptizato, ſi non ſit affectus ad illa, ut ait Granado *n.* 9.

3 Non omittã hìc aurea noſtri Didaci Ruiz verba pro Nigrorum, ac rudium inſtructione ad hũc dolorem. Sic enim *n.* 28. ait: *En el miſmo dia, que ſe uhierẽ de baptizar, poco antes del baptiſmo les exorten a dolor de ſus peccados, dizien doles de la gloria, que por ellos ſe pierde, y el tormento eterno que merecen, y quan grande mal es ofender al q̃ nos crio, y nos ſuſtenta, y nos à hecho tantos beneficios. Y ſera convenitente hazerles decir algunas palabras, que ſignifiquen dolor de ſus pecados ſobre todas las coſas, y propoſito firme de guardar la ley de N.S. y nunca mas peccar. Tambien es tiempo entonces de dezirles a los mas Bozales, que aquella agua que les quieren echar en la cabeza es agua de Dios, para que ſean hijos de Dios, y vayan al cielo con N.S. Ieſu Chriſto.* Hactenus ille.

4 Confeſſio non eſt neceſſaria, nec faciẽda recepturo baptiſmum conditionalem, quia ſi primus non fuit validus, peccata omnia hũc ſecundum præcedentia non cadunt ſub clavibus, & ita non poſſunt ſacramentaliter abſolvi, ut docent Theologi cum S. Thoma *q.* 68. *art.* 6. Sotus *d.* 39. *ar.* 2. Ledeſma *q.* 9. Caniſius *l.* 1, *de corrupt. pro. bapt.* Enriquez *n.* 1. Coninch *ſup.* Bonacina *n.* 24. Confeſſio autem, quam dulti baptizãdi olim faciebant, ut referũt Tripartita *l.* 9. *c.* 29. Nazianzenus *orat.* 40. *in S. Bapt.* Tertulianus *c.* 20. *de bapt.* nõ erat ſacramentalis, ut falſó Pameli⁹ *ibi n.* 136. & Caietanus *in Math.* 3. ex cogitarunt: ſed ſolùm humilitatis, & tunc confitebantur in generali ſine certo numero, ut inſtruerentur de obligatione, & modo reſtitutionis, & de emendatione vitæ, ut cum alijs docet Enriquez *n.* 1. *lit. H.* addens *n.* 4. *Ante baptiſmum iniungendum eſt adultis, ut ſi quid debeant proximis*

pro

pro iniuria, & damno dato ſatisfaciant.

5 Si verò primus baptiſmus fuit validus, tũc & ſi ſub conditione adminiſtretur iteratus, perinde ſe habet, ac ſi nullo modo adminiſtraretur, & ita nec illum, ſicut nec abſolutum præcedere debet confeſſio: immo improportionata eſt, etiã ſi ſub conditione daretur abſolutio. Adde quod, nec Adulto debi tê baptizando, vel abſolutè vel conditionatè neceſſum eſt, ut in memoriam revocet omnia peccata ſua, ac ſi ea, aut eorum ſpecies, cõfeſſurus eſſet, ut de illis attritionẽ habeat; ſed ſufficit de omnibus in generali eam habere. Sic Ragutius *de bapt. q.* 4. Sancius *ſelect. d.* 44. *n.* 41. Archangelus *diſt.* 4. Candidus *dub.* 11. & Leander *q.* 30.

SINGVLARE XVII.

Quæ praxis obſervanda ſit in adminiſtratione Baptiſmi cõditionalis tã Puerorum, quam Adultorum circa Tempus, Locum, & Miniſtrũ?

1 SVPPONO, baptiſmum eſſe iam collatum, vel ſolemniter in Eccleſia à Parocho, vel ob neceſſitatẽ domi ab obſtetrice, aliave femina, aut viro, & poſt huiuſmodi collationem dubium emerſiſſe, de ipſius valore, ſufficiens ad iterationem ſub conditione.

2 Circa tempus: ſi ſit periculum vitæ ſive in Adulto, ſive in Puero, de cuius baptiſmi valore dubitatur, non eſt dubium, quin ſtatim conferri debeat cõditionalis baptiſmus (ſicut & abſolutus) ne de æterna ſalute ob dilationem periclitetur. Sic indicant SS. Patres Clemens Romanus *lib. 6. conſt. cap.* 15. Baſilius *homil.* 13, Nazianzenus *orat. in S. Bapt.* Chriſoſtomus *homil.* 1. *in acta*, & alij. Si non ſit periculum puer baptizari debet ſtatim, ac dubium hoc notũ eſt, ſi duodecim, aut quatuordecim dies à nativitate ipſius præceſſere: ſicut enim ultra hoc tempus illius baptiſmum abſolutum protrahi eſſet culpa lethalis, ut docent Sotus 4. *d.* 5. *q. un. art.* 3. Granado *tr.* 4. *d.* 4. *n.* 2. Naldus *n.* 3. Valentia *q.* 3. *p.* 4. Beirlinch *V. Bapt.* Enriquez *c.* 4. *n.* 3. & apud ipſum Ledeſma, Tabiena, & Bellarmi nus, Bonacina *d.* 2. *p.* 2. *n.* 7. & alij; ſic conditionalem, differre ſine cauſa: ſiquidem probabiliter creditur, aut timetur, infantem nõ eſſe baptizatum.

3 Ita Adultus ſtatim ac cõmodé poſſit baptiſmum reciperee tenetur iuxta dicta Sing. 13. Et ſi ad differendum abſolutum baptiſmum dari poſſet aliqua rationabilis cauſa, ut notat Hurtado *diſſ.* 16. v. g. melior inſtructio, evitatio ſcandali, aut damni ſpiritualis, aut corporalis, hæc nunquam ocurret in cõditionali, cum ſecretô adminiſtrandus ſit, nõ in templo, ſed domi, aut ubicumque baptizandus maluerit: nam lex, ut in Eccleſia celebretur, de abſoluto, & ſolemni loquitur. Circa miniſtrum dicimus, quod licet ille, qui eſt Miniſter ſolemnitatis, & ex officio ſit ſolãm ſacerdos, ut ex Concilio Florentino *inſtruct. Armen.* probant Theologi cum S. Thoma 3. *p. q.* 67. *ar.* 7. S. Antonin⁹, Coninch, Valentia, Nugnus, Suarez, Enriquez, Philiarcus, Toletus, Angelus, apud Bonacinam. *d.* 2. *de bapt. q.* 2. *p.* 5. *n.* 2, ex precepto Eccleſiæ ſolus Parochus eſt, vel ex ipſius licentia Sacerdos, ut ijdem DD, docent apud eumdem *n.* 10, At hunc conditionalem noſtri caſus baptiſmum, ſive pueri, ſive Adulti exiſtimo â quolibet tã Sacerdote, quã Diacono, Subdiacono, immo, & laico poſſe licitè adminiſtrari: etiam ſi commodé haberi poſſit Sacerdos & Parochus: ac ſine illius licentia.

4 Probatur, quia tam Parochus, quam Sacerdos miniſtri ſunt ex officio, & Eccleſiæ inſtitutione ad celebrandum ſolemniter baptiſmum, aut abſolutè illud conferendum; conditionalis verò nec ſolemnis eſt, nec abſolute baptiſmus, ſed ſolùm conditionaliter ſupplens defectum, qui dubitatur adeſſe; ergo à quovis adminiſtrari poteſt, ſicut ad iterãdum matrimonium, vel dubium, vel nullũ ante bona, vel mala fide contractũ, non eſſe, neceſſaria Parochi preſentia, quia tunc ſolùm ſuppletur defectus, vel denuo inventus, vel exiſtimatus,

5 Probatur, 2, Quia ſicut non eſt mortale, ut in neceſſitate non ſervetur ordo præferéndi virum, feminæ, & Diaconum laico &c. niſi adſit Sacerdos, nam hoc præſente nemini licet ſine mortali baptizare, ut docẽt Sa, *verb. bapt. n.* 7, Suarez *d.* 41, *ſect.* 4, Rodriguez *cap.* 25, *concl.* 1, Enriquez *lib.* 1, *cap.* 28, Coninch *q.* 67. *dub.* 2, Toletus *lib.* 9, *cap.* 19, *n.* 8, Grafis 2, *p. lib.* 1. *cap.* 4, *n.* 2, Valentia *d.* 4, *q.* 2, *p.* 1; Reginaldus *lib.* 28, *n.* 44; & alij: itanec erit mortale non obſervare illum ordinem in baptiſmo conditionali: & licet lethalé ſit extra neceſſitatem baptizare, qui non ſit Sacerdos iuxta S. Thomam 3. *p. q.* 67, *ar.* 3, Enriquez, Suari⁹, Rodriguez, Grafin, & alios *ſup.* propter prohibitionem Eccleſiæ, & uſurpationem alieni officij, adhuc lethale nõ eſſet conditionaliter baptizare, cum non ſit abſolutê baptizare, proptereaq; nec uſurpare munus alienum, nec abſolutè prohibitum, cum de hoc nulla extet lex, aut ius civilé vel Eccleſiæ: ſed conſulendum eſt ut eiuſmodi bap

tiſmi

tiſmi ratificentur, vèl à Parocho, vel á Sacerdote experto: ne iterum novum ſubrepat dubium de ipſorum valore.

SINGVLARE XVIII.

Quæ praxis obſervanda circa Patrinũ, Ritus, & Conditionẽ in baptiſmi conditionalis adminiſtratione?

1 PATRINVS non eſt neceſſarius, neque adhibendus in conditionato baptiſmo. I. Quia non eſt obligatio illum adhibendi in baptiſmo ſine ſolemnitate, domi, aut alibi etiam abſoluté collato, ut docẽt Theologi *in* 4, *d.* 42. *q.* 67. *art.* 8. & notant Rodriguez *to.* 1. *ſum c.* 227. Layman *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 5. Sãchez *de matr. l.* 7. *d.* 62. Suarez *q* 67. *ar.* 8. & Hurtado *de matrimonio d.* 18. *diſ.* 6. ac ſtatuitur in Manuali *tit. de bap.* ergo à fortiori in baptiſmo conditionali non ſolemni. 2. Quia hic ritus inſtitutus eſt pro vero, abſoluto, & certo baptiſmo: conditionatus non eſt abſolutus & ignoratur, an ſit verus, ac certus.

2 Hinc, ſi quis etiam á parẽtibus aſſignatus in hoc conditionali baptiſmo baptizandum teneret, ac materialiter ſuceptoris munꝰ gereret, nullo modo eſſet verus ſuſceptor, nec cognationẽ cõtraheret ſpiritualẽ: hãc enim conditionatus baptiſmus non parit; ſed abſolutus, ſolemnis, & verè collatus. Sic Navarrus *conſ.* 1. *n.* 1. & Naldus *n.* 4. Vnde Sanchez *l.* 7. *de matr. d.* 62. *n.* 15. Hurtado *ſup.* Diana *p.* 1. *tr.* 3. *reſ.* 7. aſſerunt, quod ſi quis in baptiſmo non ſolemniter propter neceſſitatem collato, vellet verè, & proprié ſuſceptoris munus obire, adhuc hic non contraheret cognationem: cum non ſit in illius poteſtate illam cõtrahere, niſi ſeruentur petita ab Eccleſia: quin immo, etiam ſi tunc infantem teneret ſuſceptoris munus proprié non obiret, quia ad hoc ſolemnitas requiritur, ut docent Gallegos, Sotus, Emmanuel, Vega, & Suarez apud Sanchez, & Dianam *ſup.* ergo à fortiori in baptiſmo non ſolemni, & conditionali nõ contrahetur. Nec enim, ut arbitror inter baptizantem, & baptizatum illiuſque parentes in hoc contrahitur, cum abſolutè non conficiatur ſacramentum, ſicut conficitur in abſoluto, etiam non ſolemni, ſeu privato, in quo inter parentes baptizatum, & baptizantem cognationem contrahi aſſerunt plures Doctores. Conſule Granadum 3. *p. contr.* 4. *tr.* 2. & adde, quod eo dubij gradu, quo dubitatur de primi baptiſmi valore, dubitari poſſet de cognatione ſpirituali in eo cõtrahẽda.

3 Solemnitates, aut Ritus non ſunt iterãdi in cõditionali baptiſmo, cum iam in primo præceſſerunt. Sic Enriquez *l.* 3. *c.* 2 *n.* 1. *lit. N.* Bonacina *p. ult. n.* 22. Moure 3. *p. c.* 2. §. 8. Vivaldus *ap. ipſum*, & alij contra S. Antoninum 3. *p. tit.* 13. *c.* 14. §. 2. Bart. ab Angel. *dial.* 2. §. 69. Reginaldum *l.* 28. *n.* 34. Sotum, & Paludanum apud Enriq. *l.* 3. *n.* 4. immeritò aſſerẽtes, repetendos hos Ritus quando baptiſmus nullus, iam ſolemniter antea factus, iteratur. Probo. 1. Quia hi inſtituti ſunt ab Eccleſia pro baptiſmo abſoluto, certo & ſolemni, ut de Patrino dicebamus. 2. quia iuxta Coninch. *li.* 1. *q.* 2. *n.* 2. Zambranum *cap.* 1. *diſt.* 4. Layman *l.* 5. *cap.* 5. *n.* 4. & alios hæc conditionata baptiſmata conferri debent præciſſo omni ſcãdalo, remotis arbitris clauſis ianuis, domi, vel ſecreto loco, paucis, vel nullis adſtantibus, & ſi qui adſint, ut parentes, eis exprimatur iterationis cauſa: ergo abſque cæremonijs, & ſolemnitatibus.

4 Enim verò, ſi infantis, vel Adulti baptiſmus primus domi ab neceſſitatem ſine ritibus adminiſtratus, invalidus, vel dubius poſtea deprehendatur, ſuppleantur in Eccleſia cęremonię in baptiſmo cõditionali in ea conferendo; quia cum hæc ſuppleri debeant ſub mortali, cũ validus præceſſiſſet baptiſmꝰ ſine illis collatus, ut ſentiunt, Sotus 4. *diſt.* 6. *q.* 2. *art.* 3. Viguerius *c.* 16. §. 1. Zambranus *du.* 17. *n.* 1. & alij: licet Caietanus apud Valentiam. *to.* 4. *d.* 4 *p.* 4. veniale ſolùm eſſe ſecluſo contemptu immeritó dicat; á fortiori in cõditionato, cum dubius ſine illis præceſſit. Si aliquod emergeret ſcãdalum, aut grave damnum in ijs ſupplendis [etiam ſi non præceſſiſſent] tam in cõditionato, quam in abſoluto baptiſmo infantis, vel Adulti, eas non ſupplere peccatũ nõ eſſet. Tũc conſulam, ut ſecretô domi à Parocho ſuppleãtur, ſi poſſint. ſed nota cum noſtro Didaco Ruiz *inſtr. relata n.* 6. ſuppleri has debere in baptiſmo Ætiopum, ſeu Nigrorum, qui ex ſuis provincijs, ſine illis baptizati veniunt, & cum Layman *cap.* 8. *n. ult.* ſupplendas fore cum tẽpore peſtis omiſſæ ſunt ob periculũ infectionis, aut Parochi occupationes.

5 Conditionem non eſſe neceſſarió exprimendam in his baptiſmis conditionatis, ſed ſufficere, ut mẽte retineatur, docẽt Navarr. Sotus, Rodriguez, Victoria,, & alij apud Bonacinam *q.* 2. *p.* 2. *n.* 20. Sed Suarez *to.* 3. *in* 3. *p. d.* 22. *ſect.* 2. Chapeabile *de bapt. cap.* 1. *q.* 1. *ver.* 6. Enriquez *c.* 31. *n.* 2. P. Ledeſma *cap.* 5. *conc.* 2. Villalobos *diſ.* 7. *c.* 3. Granado *d.* 8. *n.* 6. & Layman *ſup.* aſſerunt, exprimi debere, ſi dubiũ de valore baptiſmi notoriũ ſit, ſi vero occultum, intelligendam tacite. Semper ego, ni ad eſſet inconveniẽs, exprimendam conſulerẽ iuxta formulam aſſignatam à iure, & Ritua-

libus

libus: *Si baptizatus es, non te baptizo, ſed ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Sic Abbas *in cap. 2. num. 3. de bapt.* Sotus *d. 6. q 8.* Vazquez *d. 146. c. 3.* Ochagavia *q. 11. n. 5.* & Leander â SS. Sacram. *to. 1. tra. 2. q. 43.* Hæc omnia proportione ſervata obſervanda erunt in adminiſtratione conditionali aliorum ſacramentorũ; Pœnitẽtiæ, Cõfirmationis, Ordinis, & Matrimonij, quæ tria ſine ſolemnitate, & ſub ſecreto tũc conferẽda ſunt iuxta alibi dicenda.

SINGVLARE XIX.

Parochus quidam invalidè adminiſtravit pluribus annis baptiſmum: interrrogatũ eſt, an cum gravi tẽporaliũ bonorũ, famæ, & vitæ detrimento teneretur hoc ita propalare, ut baptiſmi omnes iterari poſſent?

1 FIRMATIVÉ reſpõdeo, ſicut olim cõſultus reſpondi, ac in ſimili de obſtetrice invalidé baptizante docuerunt Trulench. *l. 1. Deca. c. 5 dub. 6. n. 10.* Layman *l. 1 tr. 3. cap. 3. num. 2.* & dubitavit Diana *3. p. tra. 5. reſ. 5.* Probo 1. Nam ex communi Theologorum ſalus animæ unius præferenda eſt vitæ corporali cuiuſvis: ergo à fortiori præferenda fuit vitæ huius Parochi, & quibuſvis alijs eius bonis, ſalus non unius dumtaxat, ſed tot innocẽtium. 2. Quia in extrema, vel gravi neceſſitate ſpirituali proximi vita, honor, & facultates exponi debent â quocumque cuicumque periculo, aut damno temporali, ut cum S. Thoma *2. 2. q. 26. art. 5.* docent Suarius *de char. d. 9. ſect. 2. n. 2.* Bonacina *d. 3. q. 4. p. 4. n. 2.* Caſtro Palao *tra. 6. d. 1. p. 6.* Trulẽch *ſup.* & alij iuxta id 1 Ioan. 3. *Et nos debemus animas pro fratribus ponere:* ergo, &c. Quod autem hæc fuerit graviſſima; immo extrema neceſſitas, patet, quia plures infantes ex tot, quos baptizaverat hic Parochus, moraliter certum erit morituros ante diſcretionis annos, & ſic vitã æterna defraudandos fore: Adultos verò dictũ contritionis ellicituros, quo baptiſmi defectus ſupplcatur, difficile, ac valde dubium fuit.

2 Probo 3. Quia ex his quoſdã qui ad ſacerdotiũ, & Confeſſarij munus venerũt, vel vẽturi ſunt, non cõſecraturos, non validé abſoluturos eſſe omnino indubitatũ eſt: ex quo alijs fidelibus graviſſimum imminebat in ſpiritualibus nocumentũ; ergo hic Parochus nullo modo exoneratus fuit ob obligationẽ propalandi hos defectus ob metum damni cuiuſcumque quantumvis gravis, vitæ, honoris, & facultatum, incurrendi: aut ex eo quod poſſint aliqui per cõtritionem ſalvari, ut immeritò vult Diana *ſup.*

3 Probo 4. ex ſententia Sylveſtri *verb. bapt. 2.* Bañez *2. 2. q 26. ar. 2.* Ledeſmæ *tom. . tra 4. concluſ. 4.* Ochagaviæ *de bap, q. 7: n. 3.* Granadi *contr. 4. tract. 4 in 3. p. d. 4. n. 5.* Molfeſij *de bap. cap, 1. n, 85.* Suarij *de char. d. 9 ſect. 2. n. 3.* Valentiæ *q 4. d. 3. p. 3.* Coninch *d. 25. dub. 7. n. 88.* Lorcæ *22. ſect. 3. d. 28 n. 32.* Fagundez *in 1. Decalog li. 1. cap 28. n. 4.* & aliorum aſſerentium, non ſolùm Sacerdotem, ſed laicum quemlibet teneri exponere periculo propriam vitã ut infantem, aliàs ſine baptiſmo diſceſſurũ, baptizet: licet de Adulto non ita riguroſe loquantur: ergo cum non unus, ſed plures infantes ſint ſine baptiſmo diſceſſuri, ſi ſe nõ proderet Parochus, ad id cum hoc periculo obligandus fuit. Præſertim cum ei ex officio competeret validũ baptiſmũ miniſtrare.

4 Immo, etiam ſi inculpabiliter, bonaque fide, nec dum ex culpa lata, aut ignoratia craſſa, vel etiam malitioſé baptiſmum invalidê adminiſtraſſet, teneretur, etiam cum periculo vitæ, & famæ, ad damnum reſartiendum aptiorique; quo poſſet modo, reiterationem baptiſmorum procurandam, iuxta ea, quæ Theologi Medina *de reſt. q. 7.* Leſius *lib. 2. cap. 7 dub. 7. n. 32.* Trulenc. *lib. 7. Dec. cap. 6 dub. 2. n. 3* Bonacina *d. 1. de reſt. q. 2. p. 7. n. 1.* Sãchez *l. 1. conſil. cap. 4. dub. 5.* & plures alij docent, Parochum, Confeſſariũ, Concinatorem, Theologum, Iuriſcõſultum, vel quẽvis alium ex officio, vel profeſſione docentem falſa, nociviũq; dantem conſilium, etiam bona fide, & inculpabiliter, teneri ad reſtitutionem damni ſequentis ex eius conſilio, doctrina, vel facto, non ſolùm ex charitate, ſed etiam ex iuſtitia: ſaltem dum perſeverat eorũ officiũ, ut notat Sanchez.

5 Sed ſi roges, quid faciẽdum, ſi Parochus hic nollet ſe prodere cum hoc vitæ, & famæ periculo? Dicendum eſt. 1. quærẽdas eſſe omnes vias, quibus hæc baptiſmorum ratificatio fieret, minori vitæ, aut famæ periculo, quo fieri poſſet, iuxta dicta Singulari. 1. & 2. non propalata Parochi perverſa intentione aut alia ipſius culpa in adminiſtratione baptiſmi, & forſan obtendendo, baptiſmum iterandum ob iuſtas cauſas, ſeu ad tollendos ſcrupulos, periculumq; nullitatis evitandũ. 2. Si hæc iteratio fieri non poſſit ſine hoc vitæ, aut famæ periculo, & Parochus nollet illi ſe exponere, nec ſe prodere, etiã de ſua obligatione edoctus, aſſerunt Layman, Diana *ſup.* & Trulench. *lib. 1. cap. 5. dub. 6. nu. 10,* illum poſſe abſolvi: ſi firmiter proponat abſtinere ab huiuſmodi ſacrilegijs, ne in deſpera-

perationem veniret; cum homines illi per contritionem ſalvari poſſent.

6 Sed ego cum diſtinctione reſponderem; ſi Parochus certus ſit iam Adultos eſſe omnes, quos invalidé baptizavit, & nec Sacerdotes eſſe ex illis, nec futuros eſſe, probari, ac practicari poterit Dianæ, & Trulench ſententia, ex eo quod per contritionem ſalvari poſſint malé baptizati: ſi verò Adulti nõ ſunt, vel ſint Sacerdotes; ego non auderem Parochum abſolvere propter grave nocumẽtum num. 2. & 3. tactum: nam ſi cum illo damno, aut periculo tenetur Parochus tempore peſtis viſitare infirmos, & eis baptiſmũ & pœnitentiam miniſtrare, cum hæc ſint ex neceſſitaté medij ad ſalutem, & ſub divino, & humano præcepto cadant [non de Cõfirmatione, & Extremaũctione id ſentiendũ] ut probant Trulench *ſup. c.* 14. Lopez 1. *p. inſtruct. cap.* 67. & alij: immo; & Euchariſtiam miniſtrare debere ſentiunt Navarrus *cap.* 25. *n.* 233. & Trulench, quanto potiori iure tenebitur Parochus exponere ſe periculis vitæ, & famæ, ne periculo exponãtur tot infantes decedendi ſine baptiſmo, & Adultos ſine contritione, ac vitam æternam amittant?

SINGVLARE XX.

Qualis, & Quanta ſit futura neceſſitas, ut infantes licitè domi baptizentur?

1 PROHIBITIO non nova ſolum, ſed vetuſtiſſima etiam extat, ne infantes domi extra neceſſitatis caſum baptizẽtur. Hęc habetur in VI. Synodo *can.* 59. Meldenſi I. *can.* 48. Colonienſi V. *cap.* 15. Mediolanenſi *ti.* 25. in Canonico iure *C. Clericos de conſ. diſt.* 4. ac Clementina unica *de bapt.* & in Manuali *can.* 12. Vnde in huius violatione utpote rei gravis, & ad rectum Eccleſiæ ordinem, ac magnam talis ſacramenti reverẽtiam ſpectantis, peccatum lethale committi expreſſé aſſerunt Sotus 4. *d.* 5. *q. un. art.* 3. Reginaldus *li.* 27. *num.* 35, Bonacina *p. ult. de bap. num.* 19, Granado *cont.* 4. *tr.* 6, Nugnus *q.* 17, *art.* 4. *conc.* 2. Ochagavia, Antonius Hinogoſa Villalobos, Ledeſma: & alij, quos citat & ſequitur Leander á SS. Sacram. *to.* 1, *tr.* 2. *d.* 3. *q.* 6. ſatiſque innuit VI. Synodus, gravem imponens pœnã, nam *ſi quis* [inquit] *contrafecerit, ſi Clericus eſt deponatur, ſi laicus excommunicetur.*

2 Immo, quatuor peccata mortalia committi á laico, ac etiam á Subdiacono, vel Diacono domi infantem baptizante extra neceſſitatem colligitur ex Doctoribus. Primũ, quia adminiſtrat extra Eccleſiam iuxta dicta. Secundum, quia cum non ſit Sacerdos Sacramentum ſine neceſſitate adminiſtrat: *quod grave peccatum eſſe conſtat inter omnes*, ut loquitur Ægidius *q.* 67, *dub.* 1. *num.* 1. Tertium quia baptizat uſurpando iuriſdictionem Parochi, quod grave eſt iuxta Doctores omnes, ut notat Enriquez *lib.* 3. *c.* 19 *num.* 2. *lit. M.* addens *Quod ſi Parochus, vel Sacerdos infantem alterius parochiæ baptizaret, peccaret mortaliter.* Quartũ quia extra neceſſitatem baptiſmum celebrat ſine ſolemnitate, in quo graviter delinquitur, ut docent Granado *cont* 4. *tra.* 2. *d.* 1. *num.* 5. Reginaldus *num.* 46. Leſius, Azorius, & alij, quos citat, & ſequitur Bonacina *q. ult. p. un. n.* 4. Vnde ſi Parochus proprium ſubditũ ſic baptizaret dupplex peccatum committeret; primum ſcilicet, & ultimum; ſi Sacerdos non Parochus triplex: ni aptius mauis, unicum tantùm mortale ab his committi duplici, triplici, vel quadruplici malitia affectũ. Sic etiam graviter peccare his baptiſmis directè cooperantibus, ut parentes, qui infantẽ tradunt, innuũt Doctores, ac exprimit Reginaldus *n.* 47.

3 His ſuppoſitis, in noſtra difficultate loquens Coninch *dub.* 1. *num* 11. de neceſſitate, ob quam ab alio, quam à Sacerdote, aut Diacono adminiſtrari queat baptiſmus, etiam ex commiſſione Epiſcopi, ſic ait: *Tunc cenſetur eſſe, quando eſt probabile periculum, ne aliquis moriatur ſine baptiſmo, niſi iam baptizetur.* Eodẽ ferè modo diiudicanda neceſſitas erit, ut domi fiat licitè baptiſmus, etiã ſi à Sacerdote, vel Parocho, cum utrumque ſolum ex præcepto Eccleſiaſtico habeatur. Cui addo, ad huiuſmodi privatum baptiſmi modum domi abſque peccato miniſtrandum, ſatis eſſe non ſolũm quodcumque probabile dubium, ſed etiam quẽcumque prudentem timorem, præſumptionem, aut coniecturam periculi: in eo ſenſu, quo hæc ad iterationem conditionalem baptiſmi ſufficere, ſupra Singulari 4, & 5. expoſuimus; cum non minus dedeceat, aut ſtrictiùs prohibeatur eius iteratio, quam hæc adminiſtratio privata. Si autem illam ſuſpicio, vel prudens timor excuſat á culpa propter ibi allata, á fortiori hunc baptiſmum excuſabit?

4 Sed animadvertas vellim ex ſapientiſſimo noſtro Didaco Alvarez, ſic Zambrano hac in re documentum, *Cavendum eſt maximè*, inquit, *cap.* 1. *de bap. dub.* 15 *num.* 5. *ne ille, à quo petitur, vt miniſtret in periculo mortis baptiſmum, propter ſcrupulos relinquat morientem ſine baptiſmo, expectans miniſtrum magis idoneum, ſed ſi dubitet, an opportunè veniat, vel non talis idoneus, miniſtret baptiſmum, quia ea pars eſt tutior; & idẽ eſt ſi dubitet,* [adde ſi præſumat, conijciat, aut ſuſpi-

cetur

cetur) *an ſit periculum mortis; & ſi pro rei qualitate, aut tempore non poſſit rem examinare, numquam diſcedat à loco, in quo eſt baptizandus periclitans, ſed mittat alium qui advocet idoneum miniſtrum, ut ſi interim neceſſitas urgeat, ipſemet baptizet. Vnde Parochi deberent exhortari omnes ut ſciant formam, & modum baptizandi, quod ſcire ſatis laudabile eſt. ut docet S. Antonius 3. p. tit. 14. cap. 13. §. 4. late. Pius V. de bapt. §. 5. Pœna autem Clerici ob cuius negligentiam moritur aliquis ſine baptiſmo, eſt, ut deponatur, ut decernit Martinus III. cap. Quicumque. de conſecra. diſt. 4.* Hæc ille; tu verò ad baptizationem domi faciendam accommoda; & perpende graviſſimum peccatum committi tam à Sacerdote, quam à laico, ob cuius incuriam, aut negligentiam infans ſine baptiſmo, in hoc & ſimilibus caſibus diſcederet.

5 Conſulantur Medici, & obſtetrices, circa ſigna, ex quibus dubitari, conijci, vel timeri prudenter valeat, infantes recenter natos in aliquo vitæ periculo verſari, ut ſic illis opportunè baptiſmꝰ adminiſtretur. Interim hæc à me habe ex Medicorum doctrina; infans qui ſine lachrymis, aut ſingultibꝰ naſceretur [hæc enim indicia ſunt vitæ, & ſenſuum vivaciſſimorum, quibus æris frigiditatem, & intemperiem ſentimus ex calore uteri materni egreſſi] ſatis indicaret, ſe vividos ſenſus non habere: ſiquidem hanc intemperiem non ſentiret: & ſic hunc aliquo modo de vita periclitari præſumendus eſt. Sicut etiam ſi magnum temporis intervallum in egreſſione ab utero materno cõ ſumpſit, vel nimiam in hoc paſſus eſt moleſtiam, aut ſuffocationis inchoatæ ſigna profert.

6 Item in proximo vitæ periculo eſt, qui intempeſtivè, ad quintum, ſextumuè, aut ante ſeptimum menſem, vel etiam in octavo naſcitur: nam qui ante ſeptimum menſem proſilit, ſufficiẽter nutritus, aut roboratus à natura non eſt, & qui in octavo naſcitur, egreditur in mente experimento, & Medicorum doctrina periculoſiſſimo: quare in his caſibus ſufficiens motivum adeſt coniectandi mortem celerem infantis: nã de omnibus ita naſcentibus experientia cõpertum eſt, aut ſtatim poſt nativitatem, aut paulò poſt mortẽ ſubire. Hęc ſigna leviter tetigiſſe ſit ſatis. In alijs ſignis, ſeu coniecturis, ex quibus aliqua, & ſi aliquantulum levis ſuſpicio periculi oriretur, minimé ſcrupuloſè procedendum eſt, nec refert, quod ſæpe baptizans experiatur non fuiſſe verum periculum, cum id ex charitatis zelo exiſtimatum fuit, ac ideo his eventibus baptiſmus infantibus nõ negetur, ut notat Reginaldus *lib. 27. num. 4.* Et forſan inter hæc pericula, etiam referri poſſet, quod timeretur, aut morbus, aut mors, ſi infans ex cubili per vias extra domum baptizandus deferretur ob temporis intemperiem, aut diſtantiam Eccleſiæ, & differri baptiſmum uſque ad tempus præfixum, aut paulò poſt, vel non debeat, vel non ſit obligatio.

7 Alias cauſas ad conferendum domi baptiſmum, etiam ſi à Parocho conferatur, nõ approbo v. g. ut infantis vitæ cura non moleſtet, ut velociùs ſacramenti gratiam adquirat, & ſimiles his; inter quas aliam ſic danat Armilla. *verb. baptiſ. num. 25. A peccato*, inquit, *non excuſantur Magnates, qui primo puros baptizari faciunt in domo ſine ſolemnitate extra neceſſitatis caſum, ſed propter maiorem pompam, vel expectationem Compatrum: non enim hæc eſt ſufficiens cauſa, & illi verè non efficiuntur Compatres, quia iam erat puer baptizatus, ut dicit Angelus verb, baptiſmus.* Hæc ille. Quę approbant Navarrus *cap. 22. nn. 40.* & Laymã *lib. 5. tract. 2. de bap. cap. 6.* Cauſa verò eſſet ſufficiens, ſi Sacerdos, ſeu parochus, qui in Eccleſia erat baptizaturus infantem, eſſet hæreticus, vel is, de quo, rite baptiſmum nõ adminiſtraturum, prudẽter præſumeretur. Si verò alicubi ſit conſuetudo domi baptizandi abſque neceſſitate, aut cauſa corruptela exiſtimanda, utpote Concilijs, Iuri cõmuni, SS. Patribus, & DD. oppoſita.

SINGVLARE XXI.

Quinam ſint Regum, & Principũ, Liberi, qui domi ſine cauſa licitè baptizari poſſunt?

1 EXCIPIVNTVR in lege prohibente baptiſmum abſque neceſſitate demi fieri, Regũ, aut Principum Filij, Nepotes, & omnes ex his deſcendentes: hi enim ſine cauſa domi baptizari poſſunt. Sic Clemens V. in Concilio Vienenſi: *Præſenti prohibentes Edicto, ne quis de cætero in Aulis, vel Cameris, aut alijs privatis domibus, ſed dumtaxat in Eccleſijs, in quibus ſunt fontes adhoc ſpecialiter deputati, aliquos (niſi Regũ, vel Principum, quibus valeat in hoc caſu deferri, Liberi extiterint, aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo propter hoc acceſſus habere) audeat baptizare. Qui autem ſecus præſumpſerit, aut ſuam in hoc præſentiam exhibuerit, taliter per Epiſcopum ſuum caſtigetur: quod alij tentare ſimilia non præſumant.* Eadem exceptio, ſeu con-

conceſſio habetur in Rituali Pauli V. noviſſimo ſic; *Neceſſitate excepta in privatis locis nemo baptizari debet, niſi forte ſit Regum, aut magnorum Principum Filij, ad ipſis ut a depoſcentibus.*

2 Nomine autem *Regum* ij intelliguntur, qui regioni alicui, vel civitati legitimè imperant, ut ſupremi Domini. Sic Reges Romanorum dicebantur, ut eſt apud Ciceronem. 2. *de Offic.* quibus imperium unius urbis permittebatur. Nomine *Principum*, iuxta Gloſſam ſolùm intelligũtur ij, qui poteſtatem ſupremam in Republica habent, & ſuperiorem non agnoſcẽtes Regibus æquiparantur. Sic etiam docent Thuſcus verbo *Princeps, tom. 6. concluſ.* 665. Suarez *diſput.* 30. *ſect.* 2. Reginaldus *lib.* 27. *cap.* 5. *num.* 35. Vazquez *diſp.* 166. *cap.* 2. *num.* 8. Hurtado *diſp.* 5. *diff.* 2. & alij, excludentes, ut expreſſé excludunt Gloſſa, Thuſcus, & Suarez, Barones, Comites, Marchiones; immo & Duces. Vnde Fulgo *conſil.* 20. nomine Principis Ducem Mediolani; Socin. *conſ.* 138. *lib.* 1. Ducem Vrbini, Ducem Ferrariæ; Alexander *conſil.* 1. *num.* 12. *lib.* 2. Ducem Mantuæ; Thuſcus *ſup.* Ducem Camerini non venire ſtatuunt.

3 Hoc autem non probo; quia hi ſupremi Domini ſunt, non recognoſcentes in ſua ditione, ſuperiorem: & non ita ſtrictè ſumendum eſſe nomen Principis, nonnulli iudicabunt; cum privilegium Principis latè interpretandum: ſed alij Ducum: ſeu *los hijos de los Duques, y Grandes de Eſpaña, o de otros grandes Potentados de otros Reynos*, ſeu ut loquitur Granado *trac.* 4. *d.* 4. *Potentatus Nobiles*, poſſent uti hoc privilegio: præſertim ſi adſit diſpenſatio, vel potius interpretatio, aut epichæia iuris communis ab Epiſcopo facta, cum illud ob eximiam nobilitatem, & domus ſplendorem Principibus concedatur, ut innuit Gloſſa *hic*: & Vocabularia utriuſque iuris; *Principum* nomine, *quemlibet ſæcularem Dominum.* ut 33. q. 5. & *Prælatum* Eccleſiæ. ut *diſt.* 35. *cap. Eccleſiæ*, comprehendi doceant. Vnde omnes Filios, ac Nepotes Ducum Marchionum, Comitum, *o de otros Señores de Titulo, con dominio ſuperior, y vaſſallos*, vel eorum, qui ratione muneris principatum, ſeu præexcellentem honorem, aut prærogativam potiuntur, ut ViceReges, Oratores Regum, vel Pontificum, vulgo *los Embaxadores*, nec non ſupremi Præſides Senatus Regij Caſtellæ, & forſan aliorum, ut Ordinum, Indiarum, Belli, & Iuſtitiæ: dum hoc honore, ac familiæ ſplendore fruuntur; ac his ſimiles ſub hoc nomine non improbabiliter cõtineri aliqui fortè exiſtimabunt.

4 Quod autem omnes deſcẽdentes à Principibus fruantur hoc privilegio, patet: quia hi omnes ſub Liberorum nomine intelliguntur, ut docent Aulus Gelius *lib.* 2. Vlpianus *in tit. de polleit. l. inter liberos.* Caliſtratus. *lib.* 6. Aleiatus, & Rebufus in *l.* 220. *de verb. ſignific.* Paulus *ff. de grad. affinit. l. iuriſc.* & eſt communis: nã. l. 220. *de verb. ſignific.* ſic ad rem noſtram: *Liberorum appellatione Nepotes, & Pronepotes, cæterique, qui ex his deſcendunt continentur: hos enim omnes Liberorum appellatione lex duodecim Tabularum comprehendit.* Extendendum ergo eſt hoc privilegium ad hos omnes, etiam ſi legitimi non eſſent, vel ſaltim ſolùm naturales; nec renuit Gloſſa hìc.

5 Animadvertant tamen Principes; baptiſmos celebrandos in ſuis Capellis, ſeu Oratorijs cũ omni ſolemnitate, & ritibus, quibus in Eccleſia adminiſtrandi erant, & non aliter, cum extrã neceſſitatem hos ommittere ſit peccatum mortale: & ſolùm conceditur illis privilegium, quoad loci circunſtantiam, non quoad obſervationẽ cæremoniarum: nec eſt ratio ſufficiens ad illud extendendum ad hanc omiſſionem, ut rectè notant Vazquez, & Suarez *ſup.*

SINGVLARE XXII.

An ſit lethalis culpa baptizare aqua non benedicta in baptiſmo ſolemni?



1 ALIQVANDO vidi hyemis tempore Parochos aliquos baptizaſſe aqua tepida non benedicta: ne frigida baptiſmalis fontis tenerrimis infantibus noceret. Hoc culpam eſſe lethalem docet Bonacina *d.* 2. *de bapt. quæſt.* 2. *p.* 7. *num.* 19. & Nugnus *q.* 71. *art.* 4. *concl.* 2. innuere videtur Suarius *d.* 31. *ſect.* 2. Et probari poterat ex antiqua conſuetudine Eccleſiæ, vim legis habente: quia ab Apoſtolorum tempore aqua benedicta baptiſmos adminiſtratos fuiſſe conſtat ex S. Baſilio, Cypriano, Auguſtino, Ambroſio, Tertulliano, Dyonifio, Cyrillo, & alijs ſanctis Patribus, qui videri poſſunt apud Suarium *ſup.* Vazquez *d.* 156. *de baptiſ. cap.* 2. *a num.* 8. Enriquez *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 4. *lit. C.* docentes ſacratiſſima myſteria in benedictione huius aquæ ſignificari, eamque ob tanti ſacramenti reverentiam adhibendam. Vnde materia gravis grave peccatum inferens hæc videtur.

Sed

2 Sed culpam lethalem non committi existimo. 1. Quia nullum extat præceptum, nec divinum, nec positivum de hac baptismalis aquæ benedictione præmittenda. 2. Quia relinquere unum, vel alterum ex non substantialibus in Missæ celebratione, quæ ad conficiendum, & administrandum sacramentum Eucharistiæ ordinatur, non est culpa lethalis, ut docent Azor *lib.* 10. *cap.* 9. Enriquez *lib.* 9. *cap.* 35. Granado *contr.* 6. *de Euchar. disp.* 14. *num.* 3. Vazquez *apud ipsum.* Gavantus *in Rubr. Miss. tit.* 11. *à pag.* 210. & Suarez *tom.* 3. *d.* 84. *sect.* 2. ergo nec relinquere in administratione baptismi, benè dictionem aquæ, cum dignitate inferior sit Eucharistia Baptismus.

3 Tertiò item: Quia ex gravitate, vel levitate materiæ colligitur gravitas, vel levitas peccati in transgressione cuiusuis præcepti, & nominatim in ommissione Rituum, qui præscribuntur in celebratione Missarum, ut docent omnes Doctores relati: si autem ommissio fiat alicuius cæremoniæ gravioris, continentisque specialem significationem, materia erit gravis, ut si quis ommitteret mixtionem aquæ, & vini, fractionem Hostiæ, aut mixtionem: vel signa omnia, vel plura, quæ fiunt super oblata, & alia huiusmodi: ergo, ex gravitate materiæ censenda erit lethalis, vel non lethalis, ommisso alicuius Ritus in celebratione solemnis baptismi; sed materia gravis nō videtur quod aqua sit benedicta cum solùm ob maiorem decentiam benedictio addatur aquæ: ergo, &c.

4 Consonat his Granado: *Peccabit graviter*, inquit *contr.* 4. *de bapt, tr.* 2. *d.* 1. *n.* 5. *si baptizãs conferat baptismum sine debita solemnitate, id est, sine illis cæremonijs, quas Ecclesia præscripsit; si autem unam, vel alteram rem minimam prætermitteret, culpa esset levis.* Aqua non benedicta baptizare, quid leve debet existimari; cum benedictio nec ad essentiam, nec ad integritatem sacramenti, nec ad iustificationem, intentionemvè baptizandi, nec ad essentialem baptismi solemnitatem: nec ad gravis significationem mysterij pertineat. Nec levissimum suborietur scandalum, si aqua non benedicta fiat baptismus; sicut oriretur: si alij exteriores Ritus, insuflationes, unctiones, & similes deessent in solemni baptismo, vel sin stola, aut superpeliceo fieret: ergo, &c.

Et licêt ab Apostolorum temporibus originem trahat aquæ benedictæ usus pio celebrandis baptismis: tamen non est consuetudo ad peccatum grave inducens, ob materiæ levitatem, iuxta ea, quæ docent Doctores in materia de legibus. Similiterque plures Ritus in Missæ celebratione originem ducunt ab initio nascētis Ecclesiæ, ut videre est in libro in scripto *Ordo Romanus*, & apud S. Isidorum, Albinum Flacum, Amalarium, Walfridum, Radulphum, Durandum, & alios, qui de Ritibus scripsere: & eorum ommissio non est mortalis: igitur ex eo quod aquæ baptismalis benedictio fit ab Apostolis, non fit, gravem esse ommissionem eius: & ita patet ad rationem dubitandi.

6 In privato autem baptismo non requiri aquam benedictam [licet si facilè inveniatur consultius erit ea baptizare] indubitatum est: nam ut novissimè, & sapienter, ut solet, loquitur Zacharias Pasqualigius ex Cleric. Regular. *decis.* 75. *num.* 3. *Quando privatim ob necessitatem urgentem baptizatur infans, baptismus non est alligatus modo, quo utitur Ecclesia, quia non est solemnis, sed privatus.* Et *num.* 5. addit: *Sicut quilibet potest esse minister, ita etiam quolibet modo conferri potest.* Hæc ille: tu etiam conditionali baptismo potiori titulo accōmoda, qui & privatus, & non absolutus est, sicut alius.

SINGVLARE XXIII.

Sarracenus ad ultimum supplicium Hispali damnatus, conversus est ad Catholicam fidem: quæsitum fuit, an Baptismus suscipiendus foret iuxta patibulum, vel antea, ut Eucharistia ei ministraretur?

1 HOC dubium movit Ioannes Sanchez *Select. disput.* 40. asserens, baptismum non differendum ad pedem patibuli, sed conferendum pridie ante supplicium, aut ipso die primo mane, ut postea Eucharistiam suscipiat: sicque huius sacramenti gratia etiam fulciatur: & ad mortis dolorem patienter portandum, tentationesque Dæmonis illa hora immientes, vincēdas, Viatico hoc reficiatur plectēdus.

2 Pietatem huius Doctoris veneror, sed oppositam ego semper consului, & exequar, ut semel executus sum, sententiam: ac probo. 1. Quia omnia sacramenta ex se instituta sunt pro salute æterna securius consequenda: sed hanc hic Sarracenus securiùs consecuturus erat, si baptismum circa ultimum vitæ punctum susciperet, quam si inter ipsam acceptionem aliqua dies, immo & aliquot horæ intercederent: ergo cō fulenda fuit baptismi dilatio ad ultimum vitæ quadrantem, seu ad patibuli pedem.

Maior eſt certa. Minor probatur, quia exi
3 gua, vel potius nulla mora interveniente inter baptiſmum, & mortem, omnis peccato via occludetur, indeque pœna omnis æterna, aut temporalis in purgatorio luenda vitabitur, & in longo tempore à baptiſmi ſuſceptione ad mortis executionem interveniēte, timeri prudenter poteſt, ne aliquod peccatum mortale Sarracenus ille commiteret: cum ſimiles, utpote barbaros, in fide non ſatis radicatos, ac inexpertos in ſpirituali bello, paria, vel maiora committere frequenter aſſuefactos, facilè lapſuros verendum ſit; & aliun de non ita facilis via huic pateret ad cōmiſſi peccati remiſſionē obtinendam: præſertim cum nec ad actus contritionis eliciendos, nec ad præparanda neceſſaria pro confeſſionis valore ſatis inſtructus ſit; ergo cum diſpoſitio baptiſmi facilior ſit, & certior ſalus æterna eius, qui poſt immediatam ſuſceptionem baptiſmi morti traditur, dilatio baptiſmi huius Sarraceni ad patibuli pedem fuit conſulenda.

4 Confirmant ſententiam hanc verba Eminentiſſimi Cardinalis, ac Doctiſſimi Patris noſtri Ioannis de Lugo *diſp. 9 de Sacram. ſect. 6. num* 8. ubi ait: *Addere poſſumus in eodem caſu, melioris etiam conditionis eſſe eum, qui differt baptiſmum, etiam culpabiliter uſque ad mortem: quia baptiſmus affert illi remiſſionem omnimodam omnium peccatorum totius vitæ, etiam quoad pœnam, quem fructum non conſequitur, qui debito tempore multis retro annis baptizatus fuerit.* Hęc ille. Nec obſtant, quæ immediatè ſit addit: *Hæc tamen omnia ſunt per accidens, nam per ſe loquendo, melioris conditionis eſt, qui citò baptizatur: ex tunc enim poteſt mereri de condigno, per omnia bona opera, quę facit, & fit capax omnium aliorum Sacramentorum; quo fiet, ut excedat, omnibus penſatis, illum maiorem fructum, quem per accidens ille alius habebit ob dilatum baptiſmum.*

5 Non, inquam, hæc obſtant: nam ſolùm locum habent in illo, qui culpabiliter baptiſmum differt, vel ſaltem in illo, qui poſt baptiſmi ſuſceptionem per magnum temporis ſpatium, ideſt, ut ipſe loquitur, *multis retrò annis*, ſuperſtes Sacramenta recepturus, immo, & frequentaturus eſt, aliaq; opera bona, v. g. Ieiunia, elemoſinas, orationes, & his ſimilia executurus: ex quib⁹ omnibus augeat gratiā, mereaturque de condigno. Sic ipſe ſapientiſſimus Cardinalis ſe ipſum explicat. *Quia toto* inquit *illo tempore intermedio poteſt mereri de condigno, & augere gratiam, & recipere alia Sacramenta, qua ratione compenſabit, & ſuperabit, quod ille alius poſtea habebit maioris gratiæ Sacramentalia.* Denique non negat, (ut arbitror) per ſe non eſſe diffidendum, baptiſmum ad mortē uſque, quod aſſerit Sāchez; ſed per accidens in his infidelibus barbaris, ſupplicio afficiendis dilationem ſemper eſſe cōſultiorem: vir ſapiētiſſimus ſatis innuit, vel potius oſtendit.

6 At in præſenti, cum capitaliter plectēdus, ita exiguo temporis ſpatio fruatur ad ſacramēta recipienda, & bona opera exercęnda: immo fere ineptus inveniatur, utpote in Sarracenorum ſectā nutritus, & Chriſtianæ Religionis prorſus alienus, nequit dari hæc cōpenſatio, & exceſſus gratiæ, quem adquireret ex receptione Euchariſtiæ, ac ex aliquibus, bonis operib⁹, quæ brevi illo tempore, quod à baptiſmo, vel eodem ſupplicij die, vel antecedenti interveniret: conſulendum ergo, fuit, quod baptiſmus Sarraceni morte afficiendi ad ultimi ſupplicij horam differretur ob maiorem, aut certiorem ſalutis æternæ ſecuritatem, & bona, quæ cum noſtro Lugo recenſui, ac tandem Ioannes Sanchez *diſp. 40. n. 8.* hoc fateri videtur dicens: *Negari non poteſt, quin æquà ratio ſit, & maximè in favorem damnati, illum non baptizari, niſi ad pedem patibuli, ſcilicet mora modica interveniente inter baptiſmum & baptizati mortem, ut nullus peccato locus ſit.*

7 Nec obſtant, quæ immediatè addit: *At favorabilius damnato erit Euchariſtiam illi etiam adminiſtrari ob rationem allatam num. 3.* Hæc erat: *ex illius enim ſuſceptione maior gratia baptizato accreſcit*; non inquam obſtant, nam hoc gratiæ augmentum, ſicut, & fortitudo maior ad mortem ſupportandam; & Dęmonis tentationes tunc ſuperandas ab Euchariſtia proventura, poſtponenda ſunt in præſenti maiori ſecuritati ſalutis ęternę obtinedæ, ut proximè dicebam⁹; Porro hæc doctrina Sāchez locum haberet, ſi utrumque ſacramentum ſimul, ſeu immediatè ante mortem, ad patibuli pedē adminiſtrari valeret, quod indecēs eſt, quoad Euchariſtiā, nō verò, quoad baptiſmum: licet eodem ſuplicij die Euchariſtiā adminiſtrare poſſe dānatis ad mortē, immo, & expedire ſtatuemus, Tract. 4.

8 Sed obijcies, ex divino præcepto teneri quemcumque fidelem aliquando, ſeu aliquoties in vita, & præſertim in mortis articulo Euchariſtiam ſumere, ut probant Suarius *diſp. 46. de Eucha. ſect. 3.* Vazquez *diſp. 214. cap. 2. & 3.* & Lugo *diſp. 16. ſect. 2.* Valentia *q. 8. p. 4.* Enriquez *l. 8. cap. 3.* Granadus *contr. 6. tract. 10. diſp. 3*, & nunc eſt cōmunior; ergo cum hic iam ſit fidelis, & mortis articulo inveniatur, nec detur aliud tempus, in quo ſemel ſaltim recipiat, niſi antecedenti, vel eodem ſuplicij die, vel poſt baptiſmum ad patibuli pedem ſuſceptum, & hoc poſtremum dici nequeat: cum indecens ſit ita immediate poſt Euchariſtiæ ſuſceptionem ſuſpendi,

pendi, ſpeciebus ſacramenti nondum conſumptis, ſuperſt quod ſit cõſultius antepone re baptiſmum, ut debito tẽpore Euchariſtiã ſuſpendendus recipiat.

9 Vrgetur ex ſententia Doctorum, quã Eminentiſſimus Cardinalis Lugo *diſp. 16. ſect. 2. n. 17.* vocat communem, & docent omnes, etiã non baptizatos obligari præcepto divino â Chriſto impoſito ijs verbis; *Niſi manducaueritis Carnem Filij hominis, &c.* & ijs: *Hæc quoties cumque feceritis &c.* ad Euchariſtiam ſumendam, & ideo peccare ſpecialiter cõtra illud eos, qui non procurant per baptiſmum reddi aptos huic ſuſceptioni Euchariſtiæ; ergo cum hic capitaliter plectendus ſit aptus ad Euchariſtiam recipiendam in mortis articulo, & ſemel ſaltim in vita, ſi baptiſmum die antecedenti, vel in ipſo ſupplicij die per quatuor, aut ſex horas ante ſupplicium ſuſcipiat, ad eum hoc tempore recipiendum tenebitur, & Parochus, vel qui illius curam gerit, quoad hoc, tenebitur id conſulere, vel exequit.

10 Licét negari ſine temeritatis, aut improbabilitatis nota non poſſit divinum præceptum de Euchariſtia ſuſcipienda adeſſe, ut docent S. Thomas *in 4. d. 9. q. 1. art. 1.* Caietanus *art. 1.* Gabriel *in Cano. lect. 87.* Sylveſter *Euch. 3.* Bonaventura *diſt. 12. art. ult.* & alij; aſſero ex eo graviter obligari ad Euchariſtiæ receptionem baptizatos tantũ, non verò infideles: cum baptiſmus ſit ſacramentorum omnium ianua, per quam omnes neceſſariò ingreſſuri ſunt ad ea recipienda: ſi ergo per illam intratur in Eccleſiã, quomodo qui non dum per baptiſmum ingreſſus eſt, accedere tenebitur ad alia ipſius ſacramẽta: cum nemo ad moraliter impoſſibile, ſeu ad prohibitum obligari poſſit?

11 Hinc ex Eccleſiæ uſu, & cõmuni Theologorum docet noſter Lugo *diſp. 13. ſect. 1. num. 4.* Catechumenum non eſſe Euchariſtiæ capacem, nec ex præcepto obligatum ad eius ſuſceptionem: ergo hic Sarracenus, qui Cathecumenus adhuc erat, ad eam non tenebitur: nullus enim tenetur ad recipiendũ ſacramentum, cuius eſt incapax. Sic pueri ad Euchariſtiam ſuſcipiendam, etiam in articulo mortis non tenentur, uſque dum ad annos diſcretionis perveniant, ſeu attingãt eam ætatẽm, in qua iuxta Eccleſiæ conſuetudinem licitum eſt communicare, ut docet Granadus *ſup. num. 21.* & ut ſapienter Lugo *ſup.* dixit: *Sacramenta hæc relicta ſunt, ut ab Eccleſiæ Paſtoribus tanquam ſalubria paſcua ouibus miniſtrentur: debet ergo prius homo fieri ouis intra Chriſti gregem viſibilem, ut Eccleſiæ Paſtores poſſint eum ſacramentaliter paſcere.* Et infra; *Cum Euchariſtia ex ſua inſtitutione ſignificet nutritionẽ, ſupponit tam genitum illum per baptiſmum.*

Ad inſtantiam reſpondeo: Verum eſſe teneri Adultum recipere baptiſmum ſtatim, ac commode poſſit, ut ex communi Doctorum aſſerui Singul. 13. at iuxta ipſos, ut cũ noſtro Hurtado *diſſic. 16. de bapt.* notavi. differri aliquãdiu poſſe dixi; ſi occurrat aliqua rationabilis cauſa: maior v.g. Cathecumeni inſtructio, aut perfectior ad illam diſpoſitio, aliquod ve bonum ſpirituale. In præſenti autem præter maturiorem inſtructionem, maximum bonum ſpirituale in huius baptiſmi collatione differenda uſque ad pedem partibuli conſiſtit, ut vidimus.

Enim verò cum tam baptiſmus, quàm 12 Euchariſtia ordinentur à Chriſto Domino primariò, & per ſe ad vitam æternam conſequendam, tunc adminiſtranda, tã ex obligatione, quàm ex devotione erunt: cum magis eius adminiſtratio ad ſecuriorem vitæ æternæ conſecutionẽ prudentis arbitrio ſuſcipienda expedire videatur, ut in hoc caſu videtur ſecurior reddi, ſi regulariter iuxta patibulum [immediatiſſimè in quantum fieri queat] ad mortis ſupplicium baptiſmus capitaliter plectendo adminiſtretur: & ob utilitatem maximam illius cedet iuri ſuo (ſi ita loqui fas eſt) Euchariſtia, ut in ſimili locuti ſunt aliqui ſapientes.

Animadvertendum tamen eſt. 1. Quod 13 ſi, baptiſmo ad partibuli pedẽ ſuſcepto, ſupplicium differatur per duas ſaltém horas, ob aliquam cauſam: plectendus tenebitur divino, & Eccleſiaſtico præcepto Euchariſtiam ſumere, etiam ſi ſit veſpere, & ipſe non ſit ieiunus, iuxta dicenda tract. 1111. 2. Quod ſivé in carcere ſive ad ſupplicij patibulum conferatur: cum Patrino, ſolemnitate, & ritibus, ac ſi in Eccleſia celebraretur, adminiſtrandus eſt.

SINGVLARE XXIV.

An lethaliter peccaret, qui puerum rationis impotem ad ſuſceptoris munus in baptiſmo obeundum offerret, ac Parochus, qui eum admitteret? Vbi de Nominib⁹ in baptiſmo imponendis.

1 NEgativé reſpondendum, probari videtur. 1. ex ſententia S. Thomæ *4. d. 42, q. 2. art. 1, ad 5.* Manuelis 1, *tom. c. 226. n. 1.* Vegæ 1, *tom. c. 33. caſ. 39.* Navarri *li. 4. conſ. tit. de cogn. ſpirit.* Enriquez *lib. 12. de matr, c. 11. num. 2.* & aliorum certam ætatem in Patrino non exigentium. 2. Quia hoc munus pueris in iure nõ interdicitur.

dicitur. 3. Quia nullum actum exercent in eo, ad quem uſus rationis neceſſarius ſit; ergo qui ad illud pueros rationis impotes offerent, & admitterent, non peccarent; cum capacem, vel ſaltim non incapacem offerant, & admittant.

2 Sed affirmativè reſpondeo. 1. Quia non poteſt licitè eligi ad aliquod munus, eũ, qui illius obligationes nec implere, nec cognoſcere valet: ſed pueri rationis uſũ carentes Patrini munus nec adimplere, nec cognoſcere valent: ergo &c. Maior eſt certa. Minor probatur: quia Patrini munus eſt, pro baptizato *fidem profiteri, & diabolo, ac mundo abrenuntiare*, ut ſtatuitur *in c. Pærvuli de conſecr. diſt.* 3. Vnde ex Concil. Ilerdenſi refertur *in c. vos ante. diſt.* 4. *eod tit. Quicũque viri, quæcumque mulieres de ſacro fonte filios ſpiritualiter ſuſceperint, cognoſcant ſe pro ipſis fidei uſores apud Deum extitiſſe*; & in Pariſienſi II. *c.* 54. decernitur: *Huiuſmodi Patrinos debere, & vim tanti ſacramenti, & quid pro baptizatis ſponderint intelligere.* Item ex Tridentino *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 2. tenentur cognoſcere *quam cognationem contraxerint, ne ignorantia illa excuſentur.* & ut loquitur S. Dionyſius *c. ult. de Hyer.* Patrino traditur baptizatus, *ut cuidã docto in divinis pædagogo.* Quomodo ergo puer rationis expers has obligationes cognoſcet, & adimplebit?

3 Et quod hæc ſit materia gravis ad lethale inducens, ſatis oſtendit ſacratiſſima huius Ritus ab initio naſcentis Eccleſiæ veneratio, & conſuetudo, ac in tot concilijs ſeveriſſimé promulgata conſtitutio. Et ſané qui puerum ad hoc munus offerret rem adeó gravẽ illuſoriam, ridiculam, ac puerilem, contẽpti bilemq; faceret, ludibrio exponeret, nihiliq; habendam cognationem ſpiritualem in eo à Patrino iuxta Tridentinum cognoſcendam, ac contrahendam indicaret: ſiquidem puerũ offert, qui incapax eſt eam cognoſcendi, ac proinde, & contrahendi; ut docet Sanchez *lib.* 7. *de matr. d.* 61. *num.* 4. Navarrus *conſ.* 1. Caet. *repit. c. ad limina* 30. *q.* 1. *§.* 4. Enriquez, Manuel, & Vega *ſup.* nemo enim obligatur ad id quod omnino ignorat, quando inducẽda erat obligatio, ut probant Sanchez *d.* 30. Vazquez *d.* 246. *de ord. num.* 25. Ægidius *dub.* 14. *num.* 133. Rodriguez *cap.* 96. *num.* 4. & Bonacina *q.* 3. *de mat. p.* 9. *n.* 14.

4 Ex his patet ſolutio ad oppoſita. Ad 1. Quod licèt certa ætas non requiratur in Patrino [non aſſentior Abbati *cap. debitum num.* 3. *de bapt.* & Lopetio 2. *p. cap.* 26. aſſerentibus debere excedere baptizatum octodecim annis, nec Ancharano *cap. Debit. num.* 7. affirmãti debere eſſe annorum 14. & Poſſevino *c.* 6. *num.* 55. annorum 12. Jattamen rationis uſum debet lẽgitimus Patrinus baptiſmi, vel confirmationis, cuiuſcumque ætatis ſit, habere, quî neceſſarius eſt ad culpam lethalem contrahendam; ſicque ſpiritualem cõtrahet cognationem, iuxta Sanchez *lib.* 7. *de mat. d.* 16. *n.* 3. & 4. Ad 2, & 3. hoc interdici in canonico iure, Cõcilijs, ac Tridentino palam eſt: ſiquidẽ actiones in Patrino ab eis exiguntur, quibus incapax eſt rationis impos, eæ ſcilicet, quæ num. 2: aſſignantur, ac aliæ, quas inuũt D D. Ledeſma *c.* 13. *conc* 4. Vazquez *d.* 148. *art.* 7. Suari⁹ *d.* 23 *ſec.* 3. Angles *de cath. cõc.* 2. & Granado *con.* 4. *d.* 6. *n.* 3. addens, reſponſa, & ritus baptiſmi percipiendos eſſe á Patrinis. Hinc ipſis in Concilio Ilerdenſi *ſup.* indicitur: *Ante omnia ſimbolum, & orationem Dominicam vos ipſi tenete, & illis, quos ſuſcepiſtis de ſacro fonte, oſtendite.*

5 Et licét non ſolùm puerum ad hoc mun⁹ eligẽtes, ſed omnes directe, & principaliter huic electioni cooperantes in eâ graviter peccent; Parochi præcipué illum admittentes graviùs peccabunt: illis enim ex Tridẽtino, ac ex munere ſuo cura ineptos reijciẽdi, & aptos iam admiſſos inſtruendi incumbit; ſicut graviter peccarent admittendo non baptizatum, qui *ex cap. in baptiſmate de cõſ. diſt.* 4. vel hæreticum, infidelem, aut Iudæum, qui *ex cap. per mulierem* 30. *diſt.* 1. ac Tridentino *ſeſ.* 24. *c.* 2. ab hoc munere arcentur; ſicut etiã arcentur publicé Pœnitentes, ex Concilio Pariſ. *l.* 1. *c.* 54. ſicut ex Vazquez *diſt.* 148. *art.* 7. *c.* 7. *n.* 5. ac Suario *d.* 23. *ſect.* 3. *n.* 7. non confirmati; & ex Rituali Pauli V. publicè excommunicati, aut interdicti, criminoſi, aut infames.

6 Omnia ergo, quæ ad rectam huius ſacramenti adminiſtrationem ſpectant, Parochis incumbunt; ſicut, & nomina, quæ baptizãdis ſunt imponenda, non obſcæna eſſe, ridicula, inanium Deorũ, vel Ethnicorum, ſed ſanctorum, curare debẽt ex Rituali Pauli V. *tit. de ſacrif.* & Catechiſmo Pij V. 1. *p. c.* 2. *n.* 75. immo nec etiam Hebræorum, qui ſanctitate floruerunt, v. g. Davidis, Moyſis, Iacobi, &c. ego adderem: ne anſa daretur ad ſuſpicandum, prolem, eiusve Parentes hoc ſanguine infectos: quia ut Caſſanetus *in conſ. Burg.* Gerardus *ſing.* 75. Mendoſius *conſ.* 76. *n.* 1. Tuſcus *ſing.* 14. *lit. N.* & alij DD. *in cap. de Depoſito*, docent: *Ex nomine præſumptio, ſeu ſuſpicio oritur bona, vel mala.* Vnde rectè Vazquez *de bapt.* 71. ait: *Cum plura iam Chriſtianorũ nomina habeamus, laudabile ſanè eſt aliquod ex illis, relicto Gentilico, aut Iudaico, aſſumere.* Secus de nominibus SS. Hebræorum, qui ad ad utrumque Teſtamentum, vetus, & novũ ſpectant, ut Ioachimi, Annæ, Ioſephi, Zachariæ,

charię, Eliſabeth, & ſimilium, qui Chriſti tempore floruerunt; vel ſunt nomina, quæ licét antea extiterint Gẽtilium, modò ſunt Sanctorum, ut Zenonis, Adriani, Maximi, Romuli, vel quamvis non ſanctorum, ſunt nationum, aut familiarium propria; quibus uti non eſt prohibendũ: ut apud Hiſpanos Garcia, Mendo, Gomez, Elvira, Violante, Vrraca, Leonora, & ſimilia.

SINGVLARE VLTIMVM.

An liceat, ac deceat, Religioſos omnes, tam Mendicantes, quàm non Mẽdicantes, Sanctimoniales etiã, infantes è ſacro fonte abſque licentia, & culpa ullà ſuſcipere?

1 NEc licere, nec decere probari videtur. 1. ex *cap. Non licet diſt. 4. de conſecr.* ibi. *Non licet Abbati, vel Monacho de baptiſmo ſuſcipere filios, nec commatres habere.* 2. Ex Rituali noviſſimo Pauli V. *tit. de Patr.* ibi *Adhoc munus admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alij cuiuſvis ordinis Regulares à ſæculo ſegregati.* Idem prohibebatur in Synodo Hiſpalẽſi, ac in alijs. 3. Ex Doctoribus aſſerentibus peccare ob hanc prohibitionem Religioſos, qui in baptiſmo, ſuſceptores ſunt. Sic docent Angelus, Vivaldus, Sanchez, Filiucius, Moure, Bonacina, Petrus de Ledeſma, Candidus, Sà, & Vega, quos citat Leander à Sacram. *tom. 1. tr. 2. d. 7. q. 16.* immo Sotus, Candidus, & Ledeſma apud ipſum *q. 77.* exprimunt lethalem culpam committere Abbates, & Monachos, ſi hoc munus obeant. 4. Quia indecẽs, & aliena à Religioſo ſtatu eſt cura inſtruẽdi pueros Patrinis incumbens, & cognatio in baptiſmo ab his contracta.

2 Sed licere, & decere, niſi aliunde cõſtitutio prohibẽs ſit in aliqua Religione, exiſtimo, & probo: Quia ſi ob aliquam cauſam Religioſis nõ liceret hoc munus, eſſet propter relatas prohibitiones, ſed hæ non obſtant; ergo, &c. Maior eſt certa, cum nullã malitiam, nec indecentiam intrinſecã afferat hic actus, ut probabimus num. 6. minor probatur; quia, prohibitio in *cap. Non licet*, ſicut & aliæ iuri inſertę eam auctoritatem, aut vim præceptivam ſolũm habẽt in decreto canonico, quam extra illud, ut de omnibus ſapienter probat Ioannes Antonius, Eccleſiæ Mediolanenſis Præpoſitus *proœm. decret. f. 1. pag. 1.* Cũ igitur hæc habeatur ex cõcilio Altiſiodorenſi, celebrato anno 614. quod eſt Provinciale, nec â Papa approbatũ non poteſt omnes obligare. Et licẽt Generalis cõcilij eſſet, culpã gravẽ non inducẽret ex verbo *Non licet*, dũ ſæpius cũ illo ſine ea prohibitiones ſimiles inveniamus. Sic in eodem concilio *can. 15. Non licet mortuum ſuper mortuum mittere*, & *can. 18. Non licet Preſbytero, Diacono, vel Subdiacono in Eccleſia, dum miſſę dicuntur, ſtare.* Nec ex materiæ gravitate, ut num. 6. & 7. videbimus, hæc prohibitio obligat.

3 Præterquam quod licét ex utroque capite graviter hæc prohibitio olim obligaret: modò autem non ita: Quia cum cauſa illi? eſſet, ut verbis Emmanuelis Roderici *to. 1. q. 13. art. 1.* utar, *quam tangit quædam gloſſa d. c. Monachi, verb. oſculentur, ſcilicet ne oſculentur feminas, in quibus tangitur, ut inquit Gloſſa, conſuetudo aliquorum locorum, in quibus compatres oſculabantur commatres. Propter quam conſuetudinẽ decreverunt Concilium, & Põtifices, ne Monachi compatres fierẽt.* Et addit, propter hanc rationem prohiberi in regula S. Franciſci *ca. 11. Ne fratres fiant compatres virorum, vel mulierũ; ne hac occaſione inter fratres, vel de fratribus ſcandalum oriatur.* Idem docet Miranda *to. 1. manual q. 3. art. 1.* & ſatis innuitur in *c. Monachi de conſ. diſt. 4.* ibi; *Monachi ſibi Compatres, Commatres ve non faciant; nec oſculentur feminas*: vbi pro *Nec*, legendum exiſtimo, *Ne*, cauſam prohibitionis aſſignans: *Ne*, ſcilicet, *oſculentur feminas.*

4 Cum ergo iam hæc conſuetudo ceſſaverit, ob quam hæc lex prohibitiva emerſerit; lex etiam ceſſabit; nam *legis ratione ceſſante, ceſſat quoque eius diſpoſitio*, ut ex *l. in omni ff. de adopt. l. quod dictum ff. de pactis. l. final ff. ad ſalinia. l. ſi maritus §. ſcripſi. ff. ad. l. Iuliam de adulte. cap. cum ceſſante, de appel. cap. & ſi Chriſtus de iure.* ac alijs probant Everardus *topic. loco* 85. Tiraquel. *tractat. p. 1. num. 11.* Surdus *conſ.* 475. *num.* 24. Pichardus *ad princ. inſt. de lege fal ci. num. 28.* Bertazol *repet. l. ſi quis maior C. de tranſact.* & plures alij. Præter quã quod ſub hac prohibitione ſolùm comprehendi Monachos, qui ſolitariam vitam agunt, docent contra alios Ægidius *de bap. q. 72. art. 8*, ac Hurtado *d. 2. diſ. 9* & meritò, cum iuxta Iſidorum *lib. 7. Æthym. cap. 13.* & Tuſchum *v. Monach. conc. 16.* Monachus, *Solitarium, Singularem, ac Triſtem* ſignificet. Et cùm ſit hæc lex in materia odioſa, reſtringẽda eſt, & iudicandum ſub ea non comprehendi eos, qui non exprimuntur manifeſtè iuxta legem: *Cum quidam ff. de lib. & poſth. & cap. renovantes 22. diſt. cap. odia 15. de reg. iuris l. 6.* & forſan ob hanc cauſam in Rituali ſolùm arcentur ab hoc munere *Religioſi à ſæculo ſegregati*

Præ-

Præpter qũam quod nec Ritualis Pauli,
5 V. aut Diœceſanarũ Synodũ prohibitiones obligare poſſunt, ſaltim graviter; gravis enim obligatio in his, ſicut in Rubricis Miſſalis, ut cum DD. notat Ioannes Baptiſta Scortia *de Miſſa lib. 2. cap. 17. tit. 1.* ſignificatur, vel per præcepti impoſitionem in virtute S. obedientiæ, aut excommunicationis, aut graviſſimis verbis illud ſignificantibus; v.g. *grauiſſimè interdicimus*: aut *graviter peccat*; vel cum materia decreti, aut Rubricæ ſpectat ad integritatem ſacramenti, ſeu ſacrificij, aut ad reverentiam magnam illius; quæ non inveniuntur in præſenti. Hinc Granadus *d. 1. de bap. num. 3.* illud *c. placuit 16. q. 1.* explanans: *Ne Monachus præſumat filium de baptiſmo ſuſcipere, neque baptizare, neque infirmũ viſitare, nec mortuum ſepelire*, ait; *Ego crediderim id non præcipi ſub mortali in iure, & fieri poſſe, ſaltem ſub veniali.*

6 Porro munus hoc nullam afferre Religioſo ſtatui indecentiam, patet: quia cũ Patrinus, ut loquitur S. Thomas *q. 67. art. 7. fungatur vice nutrij, & pædagogi, informando, & inſtruẽdo eum quaſi novitium in fide de his, quæ pertinẽt ad fidem, & vitam chriſtianam*; quæ magis propria, ac decens cura Religioſis, non ſolum Mendicantibus, quibus proximorũ ſalus, & iuventutis educatio incũbit, ut præclaro Prædicatorum, & Societatis Ieſu Ordini, ſed & Monachalibus; ut ex conſtitutionibus S. Benedicti, & Baſilij olim incubuiſſe conſtat? Et licèt concederemus hãc ſuſceptorum curam, pueros inſtruendi, ab omni Religioſo ſtatu, ac præcipué Monachali alienam: ne illa diſtraharentur Monachi, ut indicant Doctorum aliqui, cum hæc ad parentes filiorum, qui ſublevantur, ſpectet, ut ſpectare aſſerunt Suarius *d. 25. ſect. 3.* Ægidius *ar. 8. n. 6.* Vazquez *d. 148. cap. 7. ar. 8.* Nugnus, Corona, & Grafis, quos citat, & ſequitur Bonacina *d. 2. p. 5. num. 18.* Angles *de conſ. art. ult. cont. 3.* Enriquez *lib. 2. cap. 14.* Sa *num. 15.* & alij cum S. Thoma; liberi omnino Monachi ab hac occupatione, & obligatione erunt.

7 Et licêt verum ſit Religioſos, ſive licitè ſive illicitè ſuſceptores ſint, ſpiritualẽ cognationem cum baptizato, & illius parentibus contrahere, ut docent Sanchez *lib. 7. de mat. d. 60.* Rebellus *lib. 3. 2. p. q. 7.* Zanardus *cap. 6. de bap.* Angelus *num. 8.* Sylveſter, & Tabiena *num. 5.* Gallegus *de cog. cap. 6.* Vivaldus *1. p. num. 69.* ac eſt communis ſententia: Quæ illis indecentia provenit: cum contrahatur etiam in confirmatione, & tunc nulla cognoſcatur indecentia? Aliter nec liceret, nec deceret Religioſos unquam, ſaltim extra neceſſitatem baptizare; at licere & decere probant Manuel Rodriguez *tom. 1. q. 13. art. 1. ex cap. doctos 16. q. 1.* & Portel *ver. Bap. num. 5.* Atque Eugenius IV. *c. Placuit 16. q. 1.* & Clementina *1. de privil.* ſolum prohibent; ne id fiat ſine Ordinarij licentia, ut explicant Rodriguez, Gloſſa *c. pervenit q. 2.* & Paulus II. Fratribus de Mexico, & Provinciæ S. Vicẽtij de Chiapa anno 1501. Leo X. anno 1521. Fratribus Minoribus; Paulus III. Fratribus Prædicatoribus Provinciæ de Mexico anno 1543. conceſſerunt poſſe baptizare ſoleminiter in his Indiarum partibus & eorum conventibus, ut teſtatur Manuel *ſup.* nemoque dubitabit Regulares poſſe habere beneficia curata, parochorum officio fungi, ut re ipſa funguntur in pluribus orbis locis. Ergo ſignum eſt, cognationem, quæ ex baptiſmo contrahitur, non indecentem, nec incongruam eſſe Religioſo ſtatui, etiam ſi à ſuſceptore Religioſo cõtrahatur.

Igitur, cum ex dictis vel nullam, vèl le-
8 viſſimã culpam committãt Religioſi, etiã ex ordine Monachali, de ſacro fonte infantem ſuſcipientes, etiam ſine cauſa, ſi hæc adſit, à veniali etiam culpa liberantur, ſicut qui ex cauſa officij divini tempus, & horas anteponeret, vel poſponeret, vel orationes ante ſacrificiũ, vel poſt illud iuxta Miſſalis Rubricas dicendas ommitteret, nullũ cõmitteret peccatum, licet ſine illa veniale foret. Cauſa autem ſufficiens eſſet petitio, aut devotio Parentũ baptizandi ob virtutẽ, ac egregiã Religioſi famam, patriæ uſum, ſumptuum excuſatio, alium ve non ita cõmode invenire Patrinum prole dignum, aut ad id munus nolle alium infantis baptizandi Parentes adſtringere, vel quid ſimile rationi conſonum, quamvis grave nõ videatur. Facultas Ordinarij, licet neceſſaria non ſit, nêc Prælati Regularis, niſi in Religione prohibitio vigeat; expoſci tamen conſulam, ne Parocho aliquod nocumentum emergat, cui in Rituali, ac ſæpe ex ſuæ diœceſis Synodo indicitur, ne Religioſos ad hoc munus admittat; hancque liberaliter abſque ullo ſcrupulo etiã leviſſima ex cauſa, Ordinarij, ac Prælati concedere poſſunt.

FINIS TRACTATVS I.

AD

SECVNDVM ECCLESIÆ SACRAMENTVM,

SINGVLARIVM

TRACTATVS SECVNDVS.

V. Confirmandus doctrinam Chriſtianam ſcire, aut ſaltèm ſacramẽtum ab ipſo ſuſcipiendum percipere teneatur?

1 AFFIRMATIVA pars ſtatui videtur in Pontificali Romano iuſſu Clementis VIII. edito, ubi; *Nullus Chriſtianę fidei documentis non edoctus ingerat ſe ad percipiendum hoc ſacramentum (confirmationis, vel ad tenendum Confirmandum)*. Expreſſiùs ſtabilitur in decretis Mediol. Provinciæ *l.* 3. *de unc. tit.* 27. *c.* 31. Confirmatur ex Doctoribus aſſerẽtibus, pueris ante uſum rationis, ſeu ante ſeptẽnium non poſſe, vel ſaltém non expedire, adminiſtrari hoc ſacramentum, niſi aliqua cauſa ad adminiſtrandum antea detur. Sic Sotus, Toletus, Sá, Suarez, Reginaldus, Enriquez, Grafis, Pitigianus, Chamerota, & Ledeſma, quos citat & ſequitur Bonazina *d.* 3. *q. un. p.* 4. *n* 4. quibus adde Filiucium *tr.* 3, *c.* 2. *n.* 36. Sylvium 3. *p. q.* 72. *ar.* 8. Archangelum *d.* 7. *pa.* 73. Ochogavia *q.* 8. *n.* 4. Granadum *d.* 2. *tr.* 2. *n.* 4. Hurtadum *diſ.* 10. Layman *l.* 5. *tr.* 3. *c.* 5. *n.* 2. Zambranum *c.* 2, *du.* 5. *n.* 2. ac Catechiſmum Pij V. *p.* 2, *c.* 3. *n.* 17. dicentem: *Nam adhoc pugnæ genus pueros, qui adhuc rationis uſu carent, nemo aptos iudicarit.* Et ut docet Clemẽs Papa *l.* 3. *conſt. c.* 1. *Chriſma cõfirmatio confeſſionis, ſeu profeſſionis eſt.* Ergo ſcire debent fidem, quam in hoc ſacramento confeſſuri, & profeſſuri ſunt; ac ideo rationis uſus in Confirmãdis requiritur, *ut intelligere poſſint*, verbis utor Suarij *d.* 33. *ſec.* 2. *quid erga illos agatur.*

2 Nihilominus ſit concluſio: Nullus Confirmãdus tenetur, nec ſub veniali ſcire Doctrinam Chriſtianam ex eo preciſé quod Confirmationem ſit ſuſcepturus. Probo. 1. quia neque ex illius inſtitutione: neque ex conſuetudine, aut præcepto aliquo, neque ex Doctorum auctoritate hoc requiritur; ergo, &c. Non ex inſtitutione; quia in actionibus, in quibus Doctores aiunt, hoc ſacramentum inſtitutũ eſſe, & conſiſtere, nulla requiritur illius aut myſteriorum fidei in ſuſcipiente cognitio, ut videre licet apud Suarium *d.* 32, *ſec.* 2. Hurtadum *diſ.* 3. Granadum *d.* 1, *tr.* 1. Et confirmatur, cum ex Pij V. Catechiſmo *c.* 3. *n.* 17. *p.* 2. ac ex communi DD. cum S. Thoma 3. *p. q.* 72. *art.* 8. *ad* 2. baptizatũ eſſe ſufficiat ad Confirmationem recipiendam. Non ex conſuetudine; cum infantibus ante uſum rationis, & ſæpiſſimé ſtatim poſt baptiſmũ dabatur olim ſacramentum Confirmationis. Sic conſtat ex Ordine Romano *de Benedict.* Rabano *l.* 1. *c.* 30. Alcuino *de Sabat.* S. S. Thoma, Dyoniſio, Auguſtino, Cyrillo, & alijs, apud Suarium *d.* 35, *ſec.* 1. Modó autem infantes ante uſum rationis cõfirmari, palam eſt. Nec præceptũ extitiſſe, aut extare aſſerunt plures DD. cum S. Thoma 4. *d.* 7. *q.* 3. dicentes expedire, ut ante uſum rationis pueri confirmẽtur, utpote incapaces fictionis & peccati. Sic Moure §. 7. Vivaldus *nu.* 39. Ledeſma *du.* 25. Grafis *c.* 5. & alij.

3 Ad authoritatẽ Pontificalis R. 1. non obligare ſub peccato, & pluries nec ſub veniali omnes illius regulas, nec in ullo aliquas eſſe. v. g. ibi dicitur (*confirmandos debere eſſe ieiunos*, & tamen plurib⁹ in Diœceſibus pòſt prandium Confirmationes fiunt. R. 2. ibi ſolùm loqui de Adultis Confirmandis, ut rectè ex verbo *ingerere* notavit Granado *tr.* 4. *d.* 2. *num.* 3, *Quia*, inquit, *in verbis adductis ſolùm dicitur, nemin:m ſe debere ingerere, niſi ſciat rudimenta fidei: infantes autem non ſe ingerunt, ſed ab alijs deferuntur; quare ibi ſermo eſt de ijs, qui poſt uſum rationis Confirmantur.* Sanè in Adulto recepturo Confirmationem cognitio illius, intentio recipiendi, fides [ac per conſequens ſeu per accidens reſpectu Sacramenti, notitia myſteriorum fidei] & ſtatus gratiæ, ſive per confeſſionem, ſive per contritionem, ſi conſcius ſit culpæ lethalis, neceſſariò requiritur, ut Doctores fatentur, & tradit Pius V. *Catech. ſup. n.* 18. *Qui adulta*, inquit, *iam ætate (confirmãdi ſunt, ſiquidem huius ſacramenti gratiam, & dona conſequi cupiunt, eos non ſolùm fidem, & pietatem afferre, ſed graviora etiam peccata, quæ admiſerunt, ex animo dolere oporteat.* Si verò contingat, quod Adultus Doctrinam Chriſtianã omnino ignoret, non ideo Confirmationis receptionẽ diferat, ſed conteratur, vel confiteatur de peccato illius culpabilis

ignorantiæ, ſicut de alijs commiſſis, & inſtruatur de ſacramẽto quod recepturus eſt, & tunc Cõfirmari validé, ac licité poterit.

SINGVLARE II.

V. Capitaliter plectendis Confirmationẽ adminiſtrari oporteat? Vbi an etiam alijs moribundis?

1 SVppoſita communi fere ſententia aſſerenti, ſub gravi culpa non teneri Fideles ad ſuſcipiendum hoc ſacramentũ, niſi grave peccandi periculum, aut contẽptus ex eius omiſſione emergeret: hancque ſine cauſa communiter ad levem culpã inducere ex prodigalitate ſpirituali, ut docent Ægidius *q.72.art.* 8. Tannerus *q* 4. *d.* 2. Ochogavia *q* 12. *n.* 4. Granadus *tr.*4. *d.*1. *n.* 6. ac alij: affirmativè reſpondendum ſatis oſtendunt Doctores illi, qui omnibus cuiuſcumque ætatis moribundis Confirmationem adminiſtrandam cẽſent, & ut rem valde utilem conſulunt. Sic cũ S. Thom. 3. *p. q.* 72. *ar.* 8. *ad.* 4. S. Bonavent. *ibi art.* 3. *q.* 1. omnes antiqui, & ex Neotericis, Filiucius *t.*2 *n.*29. Layman *l.*5. *tr.*3. *c.*5. *n.*3. Hurtado *diſ.* 10. Granadus *tr.*2. *a.*20. *n.* 19. Zambranus *dub.*5. *c.*2. *n.* 4. Suarius *d.*35. *ſect.* 2. ac innumeri alij.

2 De capitaliter damnatis expreſſè locutus eſt Ioannes Sanchez *ſelect. d.* 4. *n.*4. dicens: *Si Epiſcopus charitate adeó ferveat, quod vocet novum Fidelem puniendum ad Eccleſiam, & ibi (cõfirmationis ſacramentum illi miniſtret, opus maximæ charitatis executurum ſine dubio nemo dubitabit.* Sic feciſſe Epiſcopum quendam teſtatur Vivaldus *Candel. n.* 41. *de Extr. unct. Illuſtris admodum*, inquit, *Reverendiſſimuſq; Epiſcopus quidam (me præſente) duobus ſuſpendendis cõfeſſis, & communicatis ſacramentum Confirmationis vigilia Apoſtolorum Philippi, & Iacobi anno* 1589. *contulit*. Sic etiam in Regio huius Hiſpalenſis urbis carcere Centurionis Epiſcopus D. D. Ludovicus Camargo (me vocante, & præſente) duobus alijs ſuſpendendis pridie ante ſupplicium anno 1641. & 1642. Confirmationem miniſtravit.

3 Nec minus indigent capite plectendi; quàm alij moribundi, & fini huius Sacramenti effectibus gratiæ nempe, ac gloriæ augmento, & robore ad tẽtationes ſuperandas; *Chriſmatis* enim *Sacramento*, ut loquitur Pius V. *catech.* 2. *p. cap.* 3. *num.* 19. Fideles *adverſus omnes Carnis, Mundi, & Diaboli impetus robuſtiores fiunt, & eorum animus in fide omnino confirmatur.* Hoc robore, & ſi omnes moribundi maximè egent, eó magis plectendi, quò in morte magis mentis, & ſenſuum compotes, ignominiamque, ac horrorem ſupplicij nimis ſentiunt. Præterea, quia, ut ex Tridentino *ſeſſ.*7. *de Sacr. can.*6, colligunt DD. cũ S. Thoma *ſup. ſol.* 2. primã gratiam aliquando hoc Sacramentum conferet, iuſtificando cum, qui bona fide putabat eſſe cõtritum, & ſolum eſſet attritus. Hinc forſan Hugo victorinus apud Viguerũ *verſ.* 1. ait: *Periculoſum eſt aliquem ab hac vita abſque Confirmatione migrare.* Recolantur alij moribundis utiliſſimi Confirmationis effectus apud Tertullianum *de Reſ. c.* 8. Baſilium *ad Amph. cap.*2. noſtrũ Edmundum Augeriũ *lec.* 6. *de Conf. cap.* 4. nec non apud Dyonyſium, Cyrilum, Iuſtinum, Damaſcenum, quos citat Bellarminus *à cap.* 3. *ad* 6. Audiãtur interim breviſſimé collecti à Cypriano *ſer. de unct. Chriſm Huius*, inquit, *unctionis bene ſicio, & ſapientia nobis, & intellectus divinitus datur; conſilium, & fortitudo calitus illabitur, & pietas, & timor inſpirationibus ſuperuis infunditur: hoc oleo uncti cum ſpiritualibus nequitijs colluctamur.* Cur igitur capite plectendi in ea adeo gravi, ac difficili colluctatione, deſſolatione, ac ignominia his effectibus privandi erunt?

4 Nec obſtat, 1. quod hi iam non ſint pro fide pugnaturi, cum hoc ſit peraccidens, pugnamque aggrediantur in eo ſupplicio perferendo ſatis arduam adverſus omnes animi adverſarios, & ut verbis vtar Clementis Papæ *ep. ad Iulium. Niſi Confirmatus perfectius eſſe Chriſtianus nequaquam poterit, nec ſedem habere inter perfectos.* Vnde Viguerius *verſ*, 2. ait: *Morituris hoc Sacramentum dandum eſt, ut in reſurrectione perfecti apparcant ſecundum illud Eph.* 4. *Donec occurramus in virum perfectũ.* Nec obſtat 2. ſententia Nugni *q* 7. *ar* 2. Sa *num.*1. ac Granadi *d.*2. *num.* 3. referentium, debere ſub gravi culpa Epiſcopum Confirmationis adminiſtrare in Eccleſia, cum longè probabilius ſit fieri poſſe in quocumque loco decenti, ut docent Ragutius, Paludanus, Enriquez, Hurtado, Filiucius, ac alij, quos citat, & ſequitur doctiſſimus Leander a Sancti. *Sacr. tra.*3. *q.*13. (immo iuxta Filicium & Hurtadum in loco etiam interdicto.) Hinc plures Epiſcopi docti, & timorati hoc Sacramentum in Palatijs ſuis conferunt. Et ad rem noſtram Innocentius Papa *ep. ad Decent.* ait: *Si Epiſcopus aut poteſt, aut dignũ ducit aliquem* [ſcilicet ægrotũ, vel moribundũ] *à ſe viſitandu, & benedicere, & tangere Chriſmate poteſt.* Et Ioannes Sanchez *ſup. Si Epiſcopus adire carcerẽ vellet, & ibi Confirmationem miniſtrare, exemplum humilitatis, & curæ ingentis erga ſuas oves oſtenderet.*

Nota

Nota tandem, quod ſi ſuſpendendus, vel quilibet moribundus Confirmationem petat à proprio Epiſcopo, illum ſub mortali teneri ad eam adminiſtrãdam, ſicut graviter teneri opportunis temporibus, & ſi ex negligentia omitteret, peccare mortaliter docent Angelus, Vivaldus, Filiucius, Ochogavia, Suarius, Reginaldus, & Laymã, quos citat & ſequitur Leander *ſup. 3. q. 7.* quibus adde Sylveſtrum *n. 3.* Bonacinam *d. 3. q. un. p. 1. num. 2.* & Granadum *d. 2. tr. 4.* Quia ſi eam negaret magno fructu ſpirituali hunc Reum privaret in mortis articulo, cum ita exiguum ad merita augenda tempus ei reſtabat. Hinc rectè S. Carolus Borromæus *c. 27. decr. Mediol.* decernit: *Si quis cum periculoſè ægrotat, ſe Chriſmatis Sacramento confirmatum non eſſe meminerit: ac propterea id ſibi miniſtrari petat: tunc Epiſcopus, ſi eo loci eſt, ubi ille ægrotat, ut ne ſine hoc Sacramento decedat, cum charitate paterna inviſat, & confirmet.* Sint igitur Epiſcopi nimis alacres, & frequentes in Confirmatione adminiſtranda: S. Anſelmum imitentur Cantuarienſem Archiepiſcopum, qui ſæpiſſimè ad illam ſuſcipiendam convocabat: nec non Aloyſium Epiſcopum Iaponiæ, qui Nãgaſachi 8000. Chriſtianos Confirmavit, ac innumeros in Luſitania, India, & China, ut refert Dauroutius *to. 3. catech.*

SINGVLARE III.

Cum Chriſma deficeret, Epiſcopus quidam Confirmandos inungebat oleo infirmorum: dubitatum eſt: an ſacramentũ teneret; vel illud iterare neceſſum ſit?

AFFIRMATIVAM partẽ aſſerentem tenere, forſan tuerentur Doctores omnes docentes, balſamum non eſſe ad Cõfirmationis materiã neceſſariũ neceſſitate Sacramenti; ſed ſolùm præcepti graviter obligantis ex *cap. uno, & cap. Noviſſime de conſ. diſt.* 5. Sic Valentia, Navarrus, Angles, Victoria, Vivaldus, Chamerota, Sotus, & Covarrubias apud Sa *Confir. num.* 7. & Bonacinã *q. un. p. 3. num.* 2. Sic etiam Iulius Calvus *Syno. cap. 3.* Zanardus *cap.* 2. Moure *§. 2. num. 3.* Philiarcus *de Sacra. to. 1. p. 2. lib. 1. cap. 1. q. 2.* Reyna *de Confir. num.* 3. Carrillo *itiner. ſec. 3. num. 6.* & plures alij. Probatur. 1. ex *cap. 1. de Sacra. non iter.* Vbi Innocentius III. interrogatus de eo, qui oleo tantùm fuerat Confirmatus, reſpondet *Nihil eſſe iterandum, ſed cautè ſupplendũ quod incautè fuerat prætermiſſum.* 2. Quia ut docent Tannerus *de Extr. unct. d. 1. q. 2.* Granadus *d. 1. n. 3.* ac alij; ſi infirmus Chriſmate Cofirmandorum ungeretur, teneret Sacramentũ: ergo è cõtra.

Sed invalidè adminiſtraſſe Confirmationem Epiſcopum illum ſine dubio exiſtimo, quia defecit materia remota requiſita ad Sacramenti valorem; nam hęc eſt Chriſma, quod conficitur ex oleo olivarum ad mixto balſamo (cuiuſcumque loci hoc ſit) benedicto ab Epiſcopo conſecrato. Sic ex SS. Dyonifio, Clemente, Fabiano, Gregorio Turonenſi, & Magno, Bracharenſi, & Florentino Concilio probat Sebaſtianus Epiſcopus Oxomenſis *q. 72. ar. 3.* Sic ſentiunt S. Antoninus, Sayrus, Suarez, Nugnus, Coninch, Enriquez, Pet. Ledeſma, Pitigianus, Toletus, Graſis, Tabiena, & Sylveſter, quos affert Bonacina *ſup. num. 1.* quibus addere poſſem innumeros alios, quos legi. Sic S. Thomas *q. 72. ar.* Sic Pius V. Catech. *cap. 3. n. 7.* Fundantur omnes, & meritò in Florentino *inſt. Arm.* ubi: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio; huius materia eſt Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & ex balſamo quod odorẽ ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto.* Et Extremęunctionis *materia*, ait, *eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum*: ergo cũ his Epiſcopus nõ applicuiſſet materiã ſufficientem, Sacramentũ non tenuit.

Nec obſtat. 1. Nam in decreto Innocentij non negatur Sacramentum de novo conferendũ: quia non dicitur iterari quod prius factum fuit irritum: ſed dicitur de novo conferri. Ita explicant Paludanus, Durandus, Adrianus, Turrecremata, & Recentiores apud Enriquez *lib. 3. cap. 4. nu. 1. lit. L.* qui ibi addit *Quia prior unctio fuerat publicè facta, vetat iterari publicè propter ſcandalũ; ſed tamẽ ſupplendum eſt cautè, ideſt, in occulto eſt denuò conſecranda unctio cum mixtione balſami.* Ita etiam explicant Epiſc. Oxomens. *ſup.* Layman *cap. 2. num. 1.* Villalobos *dif. 3. nu. 2.* Alias explicationes invenies apud Hurtadum *dif. 4.* Valentiam *d. 5. q. 1. p. 2.* & Bellarminum *lib. 2. cap. 8. & 9.* idem ſentientes.

Nec obſtat 2. Quia licét verum ſit, quod validé ungeretur infirmus Chriſmate Cõfirmandorum: cum in illo ita oleum, & balſamum permixta ſunt, ut ibi vera natura olei, & in quantitate ſufficiens ad ungendum reperiatur; non verò validè Confirmãdus ungeretur oleo infirmorum. Diſcrimẽ eſt manifeſtum, nam in oleo infirmorum cum deſit balſamum, non adeſt integra materia pro Confirmandorum oleo eſſentialiter requiſita; adeſt verò in hoc pro infirmorum oleo: cũ hæc tantùm ſit oleum olivarũ; & quod ſimul habeat balſamũ, quod pro infirmorum oleo inutile eſt nõ obſtat;

cum adhuc maneat eſſentia olei: nam *utile per inutile non vitiatur*, ut conſtat ex *l.* 1. §. *Item quæritur ff. de aqua quotid. & eſt. l. qui teſtam. ff. de excuſat. tutorum cap. utile. & cap. non debet de reg. Iur. in 6.* ac probant Thomas de Thomaſetis *reg.* 309, Thuſcus *tom.* 8. *lit. V. conc.* 373. Nec obſtat, quod ſit diverſa bene dictio utriuſque olei; cum ad eſſentiam ſolùm requiratur Epiſcopi benedictio, quòd ſit hæc, vel illa ab Eccleſia inſtitutum eſt, & ita ſacramentum annullare non valet.

5 Sed animadvertas, quod ſi ſub materia dubia, oleo ſcilicet dubie cum balſamo permixto, adminiſtrata fuit Confirmatio, ſub conditione iteranda eſt, adhibita materia omnino indubitata, ut notat Cruz *direct. p.* 12. *de Confir. q.* 72. *dub.* 2. *concl.* 1. Sicut etiam iteranda eſt quandocumque valor illius eſt ſub opinione: ut cum tempore peſtis, vel alia ex cauſa Epiſcopus non manu, ſed medio inſtrumẽto v.g. argentea virga aut alio frontem Cõfirmandi iniunxit, ex qua unctione Sacramentum non tenere affirmant Suarius, Ochogavia, Peſantius, Granados, Diana, Layman, Reginaldus, Lublinus, Bonacina, Nugnus, & Ægidius apud Leandrum à SS. Sacr. *tr.* 3. *q.* 2, licet longe probabilius mihi ſit cum ipſo Leandro, cum Hurtado *diſ.* 6. ac Heredia *diſ.* 5. *p.* 5, *du. uni. num.* 5. tunc tenere, & cum caula gravi licere; quia & ſalvatur eſſentia ſacramenti, & cum medio inſtrumento Baptiſmus, & Extremaunctio conferuntur, manu Miniſtri conferri dicuntur. Vnde rectè Pacianus Barcilonencis Epiſcopus, & celebris Hiſtoriographi Flavij Dextri Pater *de bap.* ait: *Lavacro peccata purgantur, Chriſmate S. Spiritus ſuperfunditur: utraque vero iſta manu, & ore Antiſtitis impetramus.*

SINGVLARE IV.

V. Liceat Matrimonium inire, Profeſſionem in Religione emittere, aut Euchariſtiam, alia vè Sacramenta ſuſcipere, vel miniſtrare ante Confirmationis ſuſceptionem?

1 CIrca hęc rectè Suarius *d.* 38. *ſect.* 1. ait; *Hæc obligatio,* (quod ſcilicet antecedat Confirmatio) *non habet locum reſpectu quinque Sacramentorum; nam baptiſmus neceſſariò antecedere debet: & licèt reſpectu Euchariſtiæ regulariter ſit melius, ut Confirmatio antecedat: tamen hic ordo non eſt in præcepto, ut ex uſu Eccleſiæ ſupra tacto conſtat: & quia nullibi extitit tale præceptum, & idem à fortiori dicendum eſt de matrimonio, ac Extremaunctione. De confeſſione verò non ſolùm non eſt præceptum, verum potius conſultius eſt, ut confeſſio præcedat, ſi homo habeat materiam eius.* Hæc ille. Conſonat Granados *tra.* 4. *d.* 2. *de conf.* & Zambranus qui *cap.* 2. *d.* 3. *num.* 2. ait: *Nulla erit culpa ſi Euchariſtia, vel alia Sacramenta præter baptiſmum, & Ordinem miniſtrentur ante Confirmationẽ.* Nec non quo ad Euchariſtiam idem docent Diana 4. *p. tra.* 4. *reſ.* 50. *miſc.* Leander *tr.* 3. *d.* 5. *q.* 14. & Præpoſitus 3. *p. q.* 72. *ar.* 8 *num.* 38.

2 Idẽ ſine dubio dicẽdum eſt in profeſſionis emiſſione: cum hæc, triaque vota in ea nuncupanda, aut eorum obſervatio ab hui' ſacramenti ſuſceptione; ac effectibus non pendeant. At ſi in Religione aliqua grave præceptum extaret de non emittenda profeſſione ante Confirmationem, ad eam antea ſuſcipiendam teneretur profeſſurus. Nec deeſſet, qui probabiliter opinaretur graviter ad id non teneri ratione profeſſionis; cũ non videatur præceptum verſari in materia gravi, cum Ledeſma *de conf. cap.* 8. *conc.* 2, Granados *d.* 1. *n.* 4. Ludovicus de S. Iuan *q.* 1. *ar.* 6. *conc.* 3, Torreblanca *l.* 2. *cap.* 6. citans Sotum, Navarrũ, Enriquez, Ægidiũ & Bonacinam, nullum eſſe peccatum Confirmationem ex negligentia ommittere, aſſerant; licèt immeritò, cum ſine dubio ſit veniale: minimé vero mortale, ut ſine fundamento ſolido aliqui antiqui Doctores docuerunt.

3 Circa receptionem Confirmationis ante Ordines diverſa ratio videtur militare, cum Tridentinum *ſeſ.* 23. *cap.* 4. ſtatuat *Prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Cõfirmationis non ſuſceperint.* Aliqui Doctores apud Leandrum *tr.* 3. *q.* 8, aſſerunt lethaliter peccare, qui non confirmati Ordines ſuſcipiunt: immo Maior *de irreg. l.* 4. *cap. nu.* 1. & Tabiena *verſ. confirm.* §. 2. affirmant, perinde hos eſſe regulares, ac ſi per ſaltum promoti eſſent. At communiter non eſſe lethalem culpam, ſed venialem tantùm docent Navarrus, Vivaldus, Victoria, Reginaldus, & Suarius, quos citat, & ſequitur Barboſa *in Trid. hic.* Quibus addere poſſem alios plures, quos nuper vidi: immo Granados n. 9, ex Ægidio nec venialem adeſſe iudicat; dicens: *Ægidius Conneh. ſi attente legatur, putat nec eſſe peccatum veniale, quod certe mihi ſufficienter probabile videtur, quia nullum extat præceptum non ſolùm grave, ſed leve.* Conſonat Hurtado *diſ.* 11. *In his,* inquit, *verbis Tridentini nullum continetur præceptum ſuſcipiendi Confirmationem ante primam Tonſuram: immo neque imponitur ipſi Epiſcopo non tradendi*

illam

illam non Confirmato, ſed in illis tãtum continetur directio, & admonitio.

4 De adminiſtrante Sacramenta ſic Manuel Rodriguez *to.1. ſum.cap. 69.* ait: *Añade Soto, que ſolamente peca venialmente aquel, que antes, que ſe confirma recibe, o adminiſtra a ſabiendas otros ſacramentos; porque el Caracter baptiſmal es neceſario para recebir, y adminiſtrar los demas ſacramentos, y no el Caracter de la Confirmacion.* Sed probabiliter hos etiam â veniali excuſſarem, tum, quia connexio neceſſaria non datur inter Confirmationem, & Adminiſtrationem hanc; tum quia aliter tot venialia cõmitterentur â Sacerdote, quot Miſſas celebraret, & inſuper quoties Euchariſtiã miniſtraret; tot à Cõfeſſore quot confeſſiones audiret, tot à Porocho, quot baptiſmata, & alia ſacramenta conferret. Quod non leve abſurdum videtur. Secus de Epiſcopo, qui non Confirmatus Confirmaret: nam propter connexionem adminiſtrantis & Sacramenti adminiſtrati hunc venialiter peccare docent Sotus *4.d.7.ar.8. concl.5.* Victoria *num.48.* Suarius *ſup.* Bonacina *d. 3. q.un. p.4.num.10.* Zambranus *cap. 2.dub. 2.num.4.* Navarrus *cap.22. num.9.* Granadus *tr.2.d.1.num.11.* & alij communiter: immeritô Tãnerus *q 4.dub.2.* graviter hũc delinquere aſſeruit.

SINGVLARE V.

V. Ex privilegio aliquo valeant Regulares Confirmationis Sacramentum modó miniſtrare: ubi an etiam Ordines minores valeãt conferre?

1 BVLLA extat Adriani VI. 10. Maij 1522. quæ incipit: *Charisſime in Chriſto Fili.* & affertur ab Emmanuelli in Bullario, prima huius Pontificis, conceſſa Carolo Romanorum, & Hiſpaniarum Regi pro Indorum converſione: in qua hoc privilegiũ cõcedi videtur his verbis: *Inſuper, ut meliùs præfata cõverſio infidelium fieri valeat, & ſaluti animarum omnium in præfatis terris Indorum pro tempore degentium provideatur, volumus, & tenore præſentium de plenitudine poteſtatis concedimus, ut præfati Prælati Fratrum, & alij, quibus ipſi de fratribus ſuis, in dictis Indijs cõmorantibus, duxerint committendum in partibus, in quibus nondum fuerint Epiſcopatus creati, vel ſi fuerint tamen infra duarum dietarum ſpatium ipſi, vel officiales eorum inveniri minime poſſint, tam quoad fratres ſuos, & alios cuiuſcumque ordinis, ibidem fuerint ad hoc opus deputati, ac ſuper Indos ad fidem converſos, quam ad alios Chriſticolas ad dictum opus eoſdem mittentes, omnimodam authoritatem noſtrã in utroque foro habeant, tantam, quantam ipſi, & per eos deputati de fratribus ſuis, ut dictum eſt, iudicaverint opportunã, & expedientem pro converſione dictorum Indorũ, & manutentione, ac perfecta illorum præfatorum in fide Catholica, & obedientia S. Romanæ Eccleſiæ; & quod præfata authoritas extendatur etiã quoad omnes actus Epiſcopales exercendos, qui nõ requirunt ordinem Epiſcopalem: donec per Sedem Apoſtolicam aliter fuerit ordinatum.*

2 Igitur, cum adminiſtratio Confirmationis non requirat Ordinem Epiſcopalem: ſi conceduntur his Regularibus omnes actus Epiſcopales, non requirentes Ordinem Epiſcopalem, adminiſtratio etiam huius Sacramenti eis delegatur â Summo Pontifice. Quod verò Confirmationis adminiſtratio eſſentialiter, ſeu neceſſariò non exigat Ordinem Epiſcopalem, licet Epiſcopus ſit Ordinarius illius Miniſter, ut definitur in Tridentino *infra:* manifeſtè patet ex communi Theologorum aſſerentium cum S. Thoma *3.p.q.71.art.11.& in 4. diſt.7.* poſſe ex communicatione Pontificis ſimplicem Sacerdotem, tanquam Miniſtrum extraordinarium, confirmare. Hanc tuentur contra nonnullos Richardus, Maior, Paludanus, Capreolus, Alenſis, Marſilius, Ferrara, Sylveſter, & S. Antoninus apud Suarium *diſp. 36.ſect.2.* Item Bellarminus, Peſantius, Coninch, Nugnus, Covarrubias, Enriquez, Reginaldus, Pétrus Ledeſma, Navarrus, Philiarcus, Pitigianus, Graffis, Angles, Victoria, Vazquez, Toletus, Suarius, Bartholomæus ab Angelo, quos citat, & ſequitur Bonacina *diſp.3 q.un. p.2. num.3.* Quibus adde Recentiores Granadum *tra.2. diſp. 1.* Laymanum *l.5.tr.3.cap. 6.* Hurtadum *diff. 13.* Sanchez *l.7.conſ.c. 1.dub.18.num. 5.* & alios plures apud Leandrum à Sacram: *tract. 3. tom.1.d.2.q.2.* conſtatque ex c. pervenit, *diſt. 95.* ex Tridentino *ſeſ. 7.de ref. can.3.* & Florẽtino *inſtr. Arm.* Vnde Molfeſius *tr.4. c.2. n.27.* de fide eſſe hoc tenendum aſſerit.

3 Sed ut nullus dubitationi locus relinqua tur Leo X. bulla, quæ incipit; *Aliàs felicis recordationis*, &c. edita Romæ anno 1521. Aprilis 25, hoc expreſſe conceſſit Fratribus Minoribus in infidelium terris, ſic: *Nec non in caſu neceſſitatis (Epiſcopis in provincia non exiſtentibus) Confirmationis ſacramentum, & Ordinationes, uſque ad minores ordines, fidelibus miniſtrare, Capellas, & Altaria, necnon Calices, & paramenta Eccleſiaſtica benedicere, eiſque indulgentias, quas Epiſcopi in ſuis Diœceſibus concedere ſolent, impartiri, &c. poſſint. Necnon uti oleo Sancto,*

cio, & Chriſmate antiquis uſque ad tres annos: cum in eiſdem partibus oleum, & balſamum ſine difficultate magna haberi non poſsint; liberè, & licitè valeant. Nec non agregatos eoſdem, ubi Epiſcopi non habentur, Clericali inſignire Charactere, & ipſos ad minores Ordines promouere licere, &c.

4 Sed ſi opponas contra hanc ſententiam. 1. Quod ſi non requiritur Ordo Epiſcopalis ad Confirmationis adminiſtrationem, ſed ſufficit Sacerdotalis, non ſolum in ijs Indiæ partibus Regulares, immo & Sacerdotes omnes ſæculares, hanc validè adminiſtrabunt: etiam ſine Pontificis commiſſione; ſed etiam ubiq; terrarũ. Reſpondeo, negando ſequellam: quia ſicut Confirmatio poteſtate Ordinaria adminiſtrata eſt actus Ordinis Epiſcopalis, ita etiam adminiſtrata ex Papæ commiſſione eſt actus Ordinis Sacerdotalis: ipſa tamen commiſſio eſt actus, non Ordinis, ſed iuriſdictionis, ac proinde fieri poteſt à Papa electo non conſecrato, qui confirmare nequit. Sine hac autẽ iuriſdictione validè Sacerdos non confirmabit: quia ei non cõpetit abſolutè hæc poteſtas ratione ſui Characteris ſacerdotalis, ſed dependenter à delegatione Pontificis. Ita Suarius, Granadus, & Hurtadus, *ſup.* addentes, hoc ita haberi ex inſtitutione Chriſti, qui voluiſſe creditur, *ut Sacerdos,* [verba ſunt Suarij,] *ex vi ſuæ ordinationis eſſet, ut ſic dicam, in potentia remota, ut adiuncta commiſsione, ſeu delegatione Pontificis poſſet hoc Sacramentum conferre. Sic Sacerdos, qui ſine iuriſdictione Papæ, vel Epiſcopi, aut titulo colorato, eam præbente, abſolveret à mortalibus extra mortis articulũ, invalidè abſolveret, licèt ex vi ſuæ ordinationis habeat hanc poteſtatem, quia ſcilicet habet eam dependenter à conceſsione iuriſdictionis.* Sed animadverte non poſſe ab Epiſcopo hanc commiſſionem ad confirmandum concedi, ut contra Caietanum docent Doctores: Sed á Papa dumtaxat, & ſi hoc ſine cauſa fiat, validé fiet, ſed non licité, ut cum Suario, & Ægidio notat Hurtadus. Abbates autem poſſe confirmare probat Barboſa *in Tri. ſeſſ. 7. cap.* 1 ſed cum facultate Ordinarij loci. Sic cõceſſerat Gregorius Papa ex ſententia Congregationis.

5 Oppones 2. Si ex eo quod poſſint Regulares actus Epiſcopalem Ordinem neceſſariò non exigentes, in Indorum Provincijs exercere, poſſunt Confirmare; etiã poterunt Tonſuram, & Ordines Minores in ijs partibus conferre: ſed hoc eſt abſurdum: ergo & illud: ſequella eſt manifeſta, cum certiſſimum ſit poſſe Pontificem committere ſimplici Sacerdoti, ut Ordines minores conferat. Sic cum S. Thoma 4, *diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 10. *ad.* 3. Doctores Capreolus, Aureolus, Deza, Ledeſma, Paludanus, Sylveſter, Palatios, Richardus, Scotus, Angles, & alij apud Sanchez *ſup.* & conſtat ex cap. Abbates *de privileg. in 6. & cap. quantam diſt.* 69, *& cap. cum contingat de at. & qual.* ubi hoc communiter Abbatibus, qui non ſunt Epiſcopi, conceditur.

6 Reſpondeo, concedendo ex privilegijs relatis ab Adriano VI. & Leone X. conceſſis potuiſſe olim Regulares in Indorum terris, etiam ſæcularibus conferre Ordines minores: ſed modò non poſſe, quia quoad hanc partem hæc previlegia revocata ſunt per Tridentinum *ſeſſ. 23. de Refor. cap.* 11. ibi *Abbatibus, ac alijs quibuſcumque Exemptis non liceat in poſterum intra fines alicuius Diœceſis conſiſtentibus, etiam ſi nullius Diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui regularis ſibi ſubditus non ſit, Tonſuram, vel minores Ordines conferre.* Et infra; *Non obſtantibus quibuſvis privilegijs, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus immemorabilibus.*

7 Et licet probabilius ſit, ut docet Thomas Sanchez *ſup. dub.* 19. *num.* 20. revocatum non eſſe à Tridentino privilegium conceſſum Abbatibus conferendi Ordines minores: quia habetur in Synodo VIII. generali *c.* 14. & revocatio decretorum Concilij ſufficiens non cenſetur, niſi in ſpeciè ſic fiat mentio; *Non obſtante aliqua lege, vel conſtitutione, etiam in Concilio generali ſtatuta*, ut docent Covarrubias, Archidiaconus, Alexander, Felinus, Iacobatius, & Navarrus apud ipſũ Sanchez, item quia habetur in iure commune; *c. cum contingat*; & in generali derogatione privilegiorum non comprehenditur in ſertum in corpore iuris communis, ut tenent Gregorius Lopez, Bartolus, Baldus, & Felinus, Perez, & Menochius apud Sãchez *dub.* 21. *num.* 6. at previlegium conceſſum Regularibus ad Ordines minores conferendum in terris infidelium, cum neque in Concilio generali, neque in iure communi habeatur: ſed in particulari indulto: revocatum eſt per Tridentinum. Vnde non eſt abſolutè dicendum, ut minus verè docent Emmanuel *to.* 2. *q.* 99. *art.* 5. & Hyeronimus Rodr. *reſol.* 78. *n.* 5. poſſe hos Ordines ibi conferri à Regularibus: hoc enim ſolùm locum habet, quo ad ſubditos Regulares, quibus poſſunt etiam nunc in dictis terris Prælati Minorib⁹ initiare; quo ad hos enim non eſt à Tridentino revocatum privilegium. Enim verò cum neque in Tridentino, neque in alio Pontificio diplomate revocatum ſit privilegium Regularibus conceſſum adminiſtrandi Confirmationem in

Indo-

Indorum plagis poſſunt eam modo adminiſtrare. Atque hoc etiam admitti videtur à Suario *diſp.36 ſect.2.* dicente; *Hanc facultatem* [confirmandi ſcilicet in remotis Regionibus] *alij dicunt, conceſsiſſe Adrianum VI. quibuſdā fratribus Minoribus pro Indijs: quæ conceſſio dicitur authentica haberi Hiſpali in monaſterio S. Franciſci.*

SINGVLARE VI.

Practicæ obſervationes circa adminiſtrationem Confirmationis, quæ fieri valet à Regularibus in novo orbe: ubi adnotantur alia circa uſum privilegiorum in Indiarum, & Infideliū Provincijs.

1 OBSERVA. 1. Circa perſonas, quibus conceditur præfactum privilegium Confirmationē adminiſtrandi, quod ſcilicet, hæ ſint omnes Regulares, non ſolùm S. Franciſci, quibus illud conceſſit Leo X. ſed & omnium Ordinum Mendicantium, ut exprimit Adrianꝰ VI. dicens, *volumus, ut omnes fratres Ordinum Mendicantium, præſertim Ordinis Minorum regularis obſervantiæ, qui ſponte voluerint ad partes Indiarum prædictarum cauſa convertendorum, & inſtruendorum in fide prædictorum Indorum, ſe transferre, libere, & licitè, poſſint, &c.* Similiter ſunt omnes Regulares aliorum Ordinum non Mendicantum, qui privilegiorum communicatione gaudent, ut omnes gaudere oſtendemꝰ, & ſic ſingillatim de privilegijs omnibus conceſſis pro Indorum converſione teſtatur Emmanuel *to.2.q.99.art.5.* dicens: *Quibus omnibus gaudent religioſi in novo orbe ob communicationem omnium gratiarum factam à Paulo III. vt teſtatur Cardinalis Burgenſis in expreſſa conceſſione.*

2 Obſerva. 2. Circa locum, poſſe Regulares confirmare, & alijs privilegijs in bulla relata Alexandri VI. & Leonis X. contentis uti in omnibus infidelium regionibus provincijs, civitatibus, & locis. Sic habetur ex Bulla Adriani, ibi: *Ad infidelium partes diſtinare &c. Fratribus interris infidelium exiſtentibus.* Et Paulus III. in Bulla Societati Ieſu conceſſa anno 1549 quæ incipit; *Licèt debitum*, &c. concedit ſimilia privilegia pro infidelium, & Indorum cōverſione, & ait; *Et cum aliquos ex fratribus, ſeu ſocijs Societatis huiuſmodi in Sarracenorum, & Paganorum, aliorumq; infidelium terras, & provincias alias remotiſſimas miſerit,* ſcil. Præpoſitus Generalis, *poſſit eis authoritate noſtra facultatē cōcedere &c.*

3 Inſuper his privilegijs uti poſſunt in omnibus Indiarū Regis locis, ſeu terris, tā in India Oriētali, quàm Ocidentali, ut notat uterque Rodriguz *ſup.* & habetur in Bùlla Adriani, qui loquens cum Carolo Romanorum, & Hiſpaniarum Rege, ait: *Expoſi ſe ciſti tuum flagrans deſiderium, & augmentum Chriſtianæ Religionis, cōverſionemque infidelium, illorum præſertim, qui Chriſto duce tuæ ditioni ſunt ſubiecti in partibus Indiarum.* Et poſtea ait: ſe concedere prædicta privilegia *fratribus in dictis Indys commorantibus.* Vnde hæc conceduntur in omnibus utriuſque Indiæ plagis, in Peruano Regno, in terra, quæ vocatur Firme, cum ſuis Provincijs: in novo Regno Granatenſi; in civitate Chile cum ſuis Provincijs, in nova Hiſpania, Iuxicam ſcilicet Regno cum ſuis Provincijs. Provincia Guatimalæ, & Honduras: in Inſulis S. Dominici, Puertorico, Cuba, & Xamaica, in Philippinis Inſulis, in nova Segovia, Cazeres, & Camarines. Z bu. Nōbre de Dios, & in omnibus alijs Indiæ provincijs ſubditis Regi Hiſpaniarum, & etiam non ſubditis; cum hæ nomine terræ infidelium comprehendantur.

4 Obſerva. 3. Perſonas, quas confirmare, & circa quas uti his privilegijs poſſunt Regulares, eſſe omnes habitatores Indiarum, & Provinciarum infidelium; etiam ſi Chriſtiani, ex chriſtianiſque orti ſint, ac in Hiſpania, alijſvè Regnis nati: quia, ut inquit Emmanuel *to.2. q. 99. ar.* 5. hæc conceſſa ſunt novi orbis incolis. Sed hoc intelligendū, niſi exprimatur in indulto, Indis ſolùm, vel infidelibus aliquid concedi. Sic in Bulla relata Pauli III. cōceſſum Societatis Religioſis, ut *cum ijs qui ab infidelitate convertuntur, tā tùm, & in locis remotiſſimis, cum prius in gradibus non licitis tamen divina lege non prohibitis, matrimonia contraxerant, ut in eiſdem manere poſſint, diſpenſare poſſint.*

5 Obſerva. 4. Quod etiam ſi ſint Epiſcopi in aliquibus Provincijs, vel locis infideliū, vel Indiarum: ſi tamen ab illis diſtent per duas diætas, ſeu per iter duarum dierum (ſic enim ex Varrone Diætæ vocabulum latinæ linguæ periti interpretantur) poſſunt Regulares confirmare, & exercere, omnes actus Epiſcopales, Ordinibus minoribus, & ijs, qui Ordinem Epiſcopalem requirūt demptis. Sic evpreſſè Adrianus VI. diplomate relato: *In partibus,* inquit, *inquibus nondum fuerint Epiſcopatus creati, vel ſi fuerint, tamen infrà duarum diætarum ſpatium ipſi inveniri minime poſſunt*, &c. ac profanata reconciliare, veſtes ſacerdotales, pallas, corporalia, calices, & altaria benedicere, alia, ve ſimilia

quæ

quæ Epiſcopo iuriſdictione Ordinaria cõpetunt, poſſunt Regulares omnes, quibus ſui Prælati id commiſſerint.

6 Sed hoc intelligendum, niſi Epiſcopi breviter ad ea loca ſint acceſuri, & commodè hæc differri queant: tunc enim ipſi ſunt expectandi, ut hæc exerceãt: dum neceſſitas non urgeat: qualis eſſet adminiſtratio Confirmationis pro moribundis, benedictio ſacrorum vaſculorum, aut veſtium, quibus neceſſariò. & brevi indiget Eccleſia, ut decenter diuina celebrentur: reconciliatio Eccleſiæ urgens, ne priventur fideles ſacris officijs, & ſimilia arbitrio boni 2 viri. Sed adverte, Chriſma conficere, ſeu benedicere, quo Confirmatio adminiſtranda ſit; non poſſe Regulares, nec Sacerdotem ullum ſimplicem, nec ex Papæ commiſſione, quia eſt act° Characteris Epiſcopalis. Circa ea verò, quæ cõceduntur Religioſis, Indiarum, & infidelium Provinciarum habitatoribus, ipſiſque Indis, ac infidelibus cõverſis præfactas Bullas Leonis X. Adriani VI. & Pauli III. apud Emmanuelem, in Bullario, & circa ipſarum explicationem ipſum conſule *tom.1.q.9.reg.q.31.ab.art.3. ad. 6.& q.35.ar,1.&.56.&.10.2.q.91. & 99. & q.119.& tom.3.q.23.* ac Hyeronimum Rodr.*reſ.78*,

SINGVLARE VII.

An ſi non Confirmatus in Confirmatione Patrini munus obiret, lethaliter peccaret: ubi an cognationem ſpiritualem contraheret?

1 AFFIRMATIVAM ſententiã in priori dubij parte tuentur Sylveſter *V. Confirmatio* Angelus *n.* 11. Victoria *num.*15. Zambran° *cap.2.dub.6.num.3.* Nugnus *3.p. ſeſ.*10. Coninch. *q.72.ar.3.* Tanner° *q.4. dub, ult.* Granadus *tra.4.d.3.num.*3. Suarius *q.72. ar.*10. Filiucius *cap.3.num.63.* & alij. Similiter hanc tueri videntur Enriquez, Palacios Toletus, Vivaldus, & Vega, quos citat & ſequitur Sanchez *l.7.de mat.cap. 6.num.*20. Reginaldùs, Hurtado, Vgolinus, Rebellus, & Pontius apud Dianam *p.3.tr.4. reſ.* 26. qui cum alijs relatis aſſerunt, quod non Confirmatus validé non obiret Patrini munus in Confirmatione, ac proinde nec contraheret cognationem ſpiritualem; ſicut ſi nõ baptizatus in baptiſmo ſuſciperet. Vnde ſi invalidè, etiam illicitè: cum rem adeo ſacram fruſtraneam, illuſoriam & inutilem redderet; ſicut qui ſcienter Sacramentum invalidè adminiſtraret, graviter peccaret. Fundamentum eorum eſt ea Iuris prohibitio *cap. in baptiſmate de conſ. diſt.* 4. ibi: *In baptiſmate, vel in Chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum, qui non eſt ipſe baptizatus, vel Cõfirmatus*. Vbi Zambranus; *Verbum non poteſt denotat culpam lethalem:* & Sanchez, *verbum poteſt, præpoſita negatione tollit potẽtiam, & reddit actum nullum, ut probavi lib. 6. d. 36. num.* 20. Accedit etiã Pontificalis Clementis VIII. eadem prohibitio, ubi; *Nullus, qui non Confirmatus poteſt eſſe in Confirmatione Patrinus, nec Pater, aut Mater; Maritus aut Vxor.*

Tãtorum virorum ſententiam veneror, oppoſitæ probabilitatẽ (mihi forſan maiorem) non negabo; cum Confirmatum eſſe Patrinum Confirmationis non requiratur: nec ex Chriſti inſtitutione,, ut nemo negabit, nec ex natura, aut neceſſitate huius muneris, nam hoc dumtaxat eſt, ut ex Pontificali conſtat, quod *Infantes per Patrinos ante Pontificem Confirmare volentem, teneantur in brachys dextris: Adulti verò, ſeu alij maiores ponant pedem ſuum ſuper pedem dextrum Patrini ſui:* quoad ſpirituale; Ducis, ac Monitoris vicẽ gerere: ait enim Pius V. *catech.c.3. num.*14, *Cum fideles Sacramento Confirmationis, quaſi firmiſſimis armis tecti, ac muniti in ſpirituale certamen deſcendant, Ducis ac Monitoris indigebunt: & ideo Patrini advocandi ſunt*. Nihil autem horum tam arctam inducit obligationem, ut mortale ſit, Patrinum Confimatum non eſſe: præſertim cum plures D D. ac inter eos Suarius *ſup.* hunc ſolũ ad ornatũ, ac ſignificationẽ adhiberi dicãt. Et ſi Epiſcopus non Confirmatus ſine gravi culpa Confirmationem miniſtrare valet, ut Singulari antecedẽti n.4. dixim°, à fortiori Patrinus non Confirmatus poterit ſuſcipère; cum ille ex Chriſti intitutione, ut Ordinarius Miniſter requiratur; hic ſolùm ex uſu, & Ritu Eccleſiæ?

3 Nec ex graui Eccleſiæ præcepto Confirmationis Patrinum Confirmatum eſſe exigitur: nam relatum *ex cap, In baptiſmate* cum ſit ex Concilio Maguntino, quod Provinciale eſt, à Papa non approbatum, non obligãt totam Eccleſiam eius leges, etiam ſi ſub præcepto ſtatuerentur, ut notant Bellarminus *tom.1.lib.2. cap.* 10. & Ludovicus de Torres *de fide d.* 18. *dub.* 5. Nec ex eo quod iuri Canonico ſint inſertæ maiorem obligationẽ imponunt, ut dicebamus *Trac. 1.Sing.ult.* Nec Pontificalis regulæ graviter obligant, niſi cum pertinent ad integritatem Sacramenti, vel cum DD. conveniunt eas ſub mortali obſervandas ob materiæ gravitatem, ut docent Suarius *tom.3. in 3.p. d.8.*

d. 8. *sect.* 2. Scotia *de Miss. lib.* 2. *cap.* 17. & Gavantus *tom.* 1. *part.* 3. *tit.* 11. & 12. 6 Quod in præsenti non evenit. Cõsule *tract.* 1. *Singul.* 25.

4 Nec verbum, *Non potest*, quod in iure, ac in Pontificali invenitur, nullitatem inducere, ut Sanchez voluit, patet ex cap. *Non potest. de panit. distinct.* 1. ibi. *Non potest quisquam iustificari à peccato, nisi antea fuerit peccatum confessus*: & tamen sine confessione sacramentali cum contritione, de fide est hominem iustificari. Sic *Marc. cap.* 4. dixit Iesus Petro; *Sic non potuisti una hora vigilare mecum?* Et *Luc. cap.* 8. *Venerunt ad illum*, Iesum scil. *mater, & frater eius, & non poterant adire ad eum*. Poterat sanè physicé, moraliter q; utrumque fieri, sed cum difficultate, & id eo non posse dicitur. Aliquando *Non potest*, accipitur pro verbis *non decet, non expedit, non oportet*: nam ut ex *l. Nepos Proculo ff. de verb. signif.* docent Surdus *consil* 203. *num*, 44. Gratianus Marchiæ *de cis.* 13. *num.* 34. & Barbosa *de princ. lit. P. num.* 29. *Posse non dicitur quis ea, quæ honestè, aut docenter non potest.* Sic *Marc.* 26. dixit Christus: *Si non potest hic Calix á me transire,* & *Ioã.* 13. *Quò ego vado vos non potestis venire.* & *Mar.* 7. & *ingressus Iesus domum neminem voluit scire,* 1 *& non potuit latere*; & *cap.* 1. *Ita vt non posset manifestè in civitatem intrare*, ideſt, non deceret, aut expediret. Ac in hoc sensu utitur in præsenti. S. Thomas verbo *debet, q.* 72. *art.* 10. dicens; *Non debet alium ad Confirmationem tenere, qui nondum est Confirmatus.*

5 Hinc probabiliorem iudico sententiam, quam sequuntur Paludanus, Rossella, Pet, Sotus, Navarrus, Sa. Rodriguez. Lopez, Gallegos, & Tabiena apud Sanchez *num.* 19. quibus adde Dominicum de Soto *dis.* 42. *q.* 1. *art.* 3. Naldum *num.* 5. Sylvium 3. *p. q.* 72. *art.* 10. Sylvestrum *Matrim.* 8. *p.* 7. ac Molfesiũ *tom.* 1. *tr.* 4. *cap.* 2. *num* 43, docentes, validé suscipere in Confirmatione, qui non est Confirmatus, cognationemque spiritualem contrahere: secus non baptizatus, cum vita spirituali in fide per baptismum acquisita careat, ac ideò Pater spiritualis esse nequeat, nec cognationem ab Ecclesia statutam cõtrahere, qui extra Ecclesiam est. Graviter etiam hunc non peccare saltim dubitat Sa *num.* 15. dicens. *Peccat si sit Patrinus non Confirmatus, & fortè mortifere.* innuit Diana 3. *p. tr.* 4. *res.* 21. Igitur venialem culpam committere hunc si extrà necessitatem suscipiat non dubito: hac etiam carere si cum causa id faciat, omnino existimo. Causæ autem sufficientes erunt, quas Tract. 1. Sing. 25. assignavimus pro Regularibus in baptismo infantes suscipientibus.

Hinc colliges, sine ullo peccato, ac necessitate posse eundem esse Patrinum eiusdem in Baptismo, & in Confirmatione; licet enim *cap. in catechismo dist.* 4. sic prohibeatur; *In Catechismo, et in baptismo; & in Confirmatione unus Patrinus fieri potest, si necessitas cogit: non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli suscipiant*; in hoc tamẽ decreto nullũ, nec leve præceptum affertur, sed solùm est quædam directio: & consuetudo oppositа viget. Ita Bonacina *d.* 3. *q. un. p.* 4. *num.* 12. & Hurtado *dis.* 14. Licet aliqui id non licere asserant. Similiter idem potest plures eodẽ mane, vel vespere tam in Confirmatione, quam in baptismo: sicut, & diversis diebus suscipere: nec enim lex ulla, aut ratio id prohibent: sicut idem potest plures in eadem hora, & Confirmare, & Baptizare.

SINGVLARE VIII.

V. Omnes Regulares, Moniales etiã possint sine veniali culpa, ac etiã sine ulla causa adultos, vel infantes in Confirmatione suscipere?

HOc munus eis non licere decerni videtur *cap. Monachi de cons. dist.* 4. ubi: *Monachi nec fiant Cõpatres. Cõmatres ve non habeant nec osculetur feminas.* Vnde Thomas Sanchez *l.* 7. *de mat. d.* 60. *num.* 1. asserit, non minus hos peccare suspiciendo in Cõfirmatione, ac in baptismo, & si suscipiant veros susceptores esse, spiritualemque cognationem contrahere, affertque pro hac sẽtentia Angelũ, Gaetam, Tabienam, utrumque Ledesmam, Vivaldum, & Gallegos. Quibus adde Laymanum *tr.* 2. *cap.* 9. *num.* 3. Dianam 3 *p. tr.* 4. *res.* 21. Enriquez *l.* 3. *cap.* 3. *num*, 4. Hoc etiam interdicitur in Synodo Panormitana edita anno 1615. ac in alijs aliarum Diœcesum.

Sed nullum committi peccatum, etiam 2 si fiat sine causa, existimo; cum minime indecens sit hoc munus statui Religioso, ut patet ex dictis Singulari 7. nec hæc prohibitio iuris obliget, cum sit Cõcilij Provincialis à Papa non approbati: nec verbum importat vel leve præceptum, sed solùm sit quædam directio, ac consilium, sicut sunt alia plura decreta Synodis, ac etiam iuri inserta. Immo, & si præceptum afferret non obligaret modó, cum cesset nunc causa illius, consuetudo nempe quæ olim extabat, ut Compatres feminas, seu cõmatres suas oscularentur, quæ omnino iam deleta est,

iuxta dicta Singul. 25. Tract. 1. Et ſi adhuc extaret hæc prohibitio ſolùm Monachos, ideſt, ſolitariam vitam agentes: non veró alios Religioſos, nec Moniales ab hoc munere arceret, ut ſentiunt Ægidius *quæſt.* 72. *ar.* 8. Hurtadus *d.* 2. *diſ.* 9. & Chamerota *tra.* 2. *de Sacr. c.* 4. *dub.* 8.

Igitur ſine ulla cauſa, & culpa, ac ſine Ordinariorum, aut Prælatorum licētia [ni id ſit in ſua Religione expreſſē interdictum] poteſt quilibet Regularis [ſaltem ex ordinibus nō Monachalibus, & ex his etiā meo iudicio] in Confirmatione eſſe Patrinus; nec ulla huius in Pontificali Clementis VIII. Rituali Pauli V. & Catechiſmo Pij V. vel levis prohibitio extat. Et ſi cauſa expoſcatur, etiam pro Monachis, petitio, aut devotio Parentum ſufficeret. Conſule Sing. 25. Tract. 1.

SINGVLARE IX.

An Sacramentum Confirmationis virtutem habeat ſupernaturalē ad morbos expellendos, Dœmonesque abigendos: illiuſq; Chriſmate ad hos fines uti liceat?

1 HANC virtutem habere ſatis indicat Pontificale Romanum, dum in ipſius benedictione illam à Deo ſic depracatur Epiſcopus in balſami benedictione: *Sit nobis, Domine, fidei hilaritate conditum* &c. *Vt quicumque baptiſmate ſacro renati, iſto fuerint oleo perūcti, corporum, atque animarum benedictionem pleniſſimam conſequantur.* Et poſtea in Chriſmate: *Exorcizo te, Creatura olei, per Deum Patrem omnipotentem* &c. *Vt omnis virtus adverſarij, omnis exercitus diaboli, omniſque incurſio, & omne phantaſma Sathanæ eradicetur, & effugetur à te.* Præterea cum hi, & ſimiles effectus aquæ benedictæ ex eius benedictione adſcribantur; Chriſmati etiā, quod quid ſacratius eſt, potiori iure tribuēdi erunt.

2 Hæc virtus manifeſtè patet ex hiſtorijs, ex quibus conſtat morbos ſæpè fuiſſe Chriſmatis virtute curatos. Hoc in Suecia inunctus cæcus à S. Remberto II. Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, viſum recuperavit, ut refert Surius *to.* 1. 4. *Febr.* Sicut etiam recuperavit cæcus puer confirmatus à B. Faro Epiſcopo Meldenſi, ut idem teſtatur *tom.* 5. 28. *Octob.* & alium puerum lunaticum ſanavit hac ſacra unctione S. Malchus Epiſcopus Leſmor, ut ſcribit S. Bernardus in vita S. Malachiæ *cap.* 5. Similes curationes omitto, quoniam obviæ ſunt in Exemplistis.

3 Dæmones ob muteſcere, & expelli virtute huius ſacramenti eventus varij confirmant. Prudentius enim *lib. contra Iudæos*, narrat, quod cum interdum apud Ethnicos, Idola obmuteſcerent, & nil de ſacrificijs peragi poſſet, quidā illorum Sacerdos Imperatori clamans dicebat: *Video Deos noſtros à lōgè diſcedere, & de præparatis ſacrificijs aliqua prælibare, require nunc, Sacratiſſime Auguſte, quis adeſt ablutus, balſamo unctus, & abſcedat protinus, ut accedant Dij, quos invocamus* &c. Simile huic refert, Lactancius *l.* 4. *de vera ſap. c.* 7. *Cum Dijs*, inquit, *ſuis immolant. ſi aſſiſtat aliquis ſignatam frontem gerens, ſacra nullo modo litant, nec reſponſa poteſt conſultus reddere Vates, cum enim quidam noſtrorum ſacrificantibus Dominis adſiſterent, impoſito frontibus ſigno, Deos illorum fugaverūt*, &c. A cæco Bubulco ludificationes Dæmonum confirmatione accepta effugatas refert Thomas Cantipratenſis *c.* 57. *p.* 32. *lib.* 2. Hinc de Iuliano Imperatore Prudentius *in Apotheoſi* cecinit:

Ipſe quoque exanimis poſito diademate Princeps
Pallet, & adſtātes circunſpicit, ecquis alumnus
Chriſmatis in ſcripto ſignaret tempora ſigno,
Qui Zoroaſtraos turbaret fronte ſuſurros.

4 At ego Chriſmate uti ad morbos, Dæmones ve expellendos non licere exiſtimo: tum quia eſt contra Eccleſiæ conſuetudinē nec uſquam ego adhuc legi viros doctos, & pios hoc ſacro oleo extra ſacramentum uſos fuiſſe ad aliquam curationem; ut infirmorum oleo uſi ſunt: tum quia prohibitum eſt in Concilio Moguntiaco ſub Carolo Magno, & Leone III. *cap.* 37. ubi dicitur; *Preſbiteri ſub ſigillo cuſtodiant Chriſma, & nulli ſub prætextu medicinæ, vel maleficij donare inde præſumant. Quod ſi fecerint honore priventur.* Non autem mortalis culpæ reum damnarē eum, qui bona fide infirmo ungendo ali quando ſacrum hoc Chriſma applicaret. Aſt ut veneratio ſacro huic oleo debitæ maximæ curæ ſit nobis, meminerimus Ampullam illam Chriſmate hoc plenam, quā ab Epiſcopis Donatiſtis per feneſtram in ſaxa proiectā Angelicæ manus ſuſceperūt, illæſaque inter ſaxa reſedit. Sic ſcribūt Optatus Melevitanus *lib.* 2. *cont. Donat.* & Bredemb. *l.* 1. *col. ſacr. cap.* 23.

SIN-

SINGVLARE X.

Quando expediat, ut Confirmandis nomina in Confirmatione mutentur?

1 CONSVETVDINEM nomina mutandi in Confirmatione antiquam eſſe ſatis indicat Gregorius Turonenſis *l. 3. c.* 38. Et ſi mutationis huius rationem ſcrutemur, eam inveniemus, quod cũ olim apud Romanos, qui novæ militiæ adſcribebantur, nomen ſuum illi dare dicebantur: ſic qui Confirmantur illud dant, vel in baptiſmo acceptum Confirmantes, vel novum in Confirmatione aſſumentes; quia de novo Chriſtianæ militiæ adſcribũtur, & ad pugnam armantur: per baptiſmũ enim ſolũm membra Eccleſiæ facti ſunt. Innuunt hoc ſatis S. P. Vrbanus *epiſt. decret.* S. Petrus Damianus *ſer. 1. dedic. Eccl.* S. Ambroſius *l. 3. de Sacr. c.* 7, S. Proſperus *in ſent. Aug.* Hinc S. Thomas *q. 72. ar.* 10. ait; *Licet Baptizatus ſit membrũ Eccleſiæ, rondũ eſt adſcriptus militiæ Chriſtianæ & ido Epiſcopo, tanquam Duci exercitus, per aliũ exhibetur iã militiæ chriſtianæ adſcriptum*. Conſule Viguerium *verſ. 5. de Confirm.* & Ludov. Lopez *2. p. c. 67. q.* 101.

2 Enim verò licet ſine culpa ulla nomen in baptiſmo acceptum pro arbitrio ſuo quivis Confirmandus in aliud commutare valet: ut Romanis dantibus nomen ad militiam licuiſſe ex conſtitutione Diocletiani, & Maximiani teſtatur Alciatus *l. 9. Paierg. c.* 16, attamen ad hoc aliquam intercedere cauſam conſultius erit: quia ut ait Hyeronimus *Hier. 23. Vocabula mutata ſignificant rerum mutationẽ*. Cauſæ verò congruentes ſunt, devotio ſingularis in aliquem ſanctum; maximum deſiderium eum imitandi, aut eximiũ beneficium ab eo acceptum: nomen alicui⁹ ex inſignibus Progenitoribus, aut Benefactoribus conſervare, & ſimiles, ut contingit in religioſæ profeſſionis emiſſione, in qua etiam nomina mutari queunt, & aliquando ſolent. Aliæ aſſignãtur in decretis Provinciæ Mediol. *l. 3. tit. 27. cap.* 36, ubi: *Curet Epiſcopus, ac Parochus, vt qui turpe, ridiculum vè nomen habet; neque planè conveniens chriſtiano homini illud mutet, ſumatque in Confirmationis ſacramento nomen alicuius, qui verâ pietatis, ſanctæque Religionis laude floruit*. Sic mutari expedit nomina Ethnicorum, aut Hebræorum iuxta dicta *tr. 1. Sing. 24. num. 6.*

3 Exempla mutandi nomina à Deo habemus: nã Abrahę, ac Sarræ mutavit, & Chriſtus Simoni, ac Saulo. Vnde Chriſoſtomus: *Deus*, inquit *hom. 18. in Ioan. multis à nativitate nomina impoſuit, quibuſdam mutavit*. Baptiſmus Nominum mutationis in cauſa aliquibus eſt, ut notat Euſebius *l. 8. hiſt. cap.* 7. Alijs ſanctioris vitæ profeſſio, aut progreſſus, vel novæ dignitatis adeptio, ut ſcripſit Polidorus Virgilius *l. 4. c.* 10. Alijs ut ad maiora excitentur, ut de Zenone Imperatore refert Nicephorus *l. 15. c. 27*. Alijs Singularia dona, quæ à Deo acceperut; ut notat S. Th. *lec. 1. epi. ad Rom*, Alijs alias cauſas aſſignat Alciatus *ſup.*

SINGVLARE XI.

V. Teneantur Parochi ſcribere nomina eorum, qui in ſua parœcia Confirmantur, & Confirmandos ſuſcipiunt? Vbi an baptiſmum ad miniſtrãtes ad id etiam, graviter obligentur?

1 HANC obligationem ſcribendi Confirmatos, & eorum ſuſceptores Parochis ineſſe vel ex conſuetudine, vel ex mandato docent Vivaldus *de confir. num.* 39. Zanardus *cap.* 5. Poſſevinus *de off. curãti cap. 12. num.* 43. & Barboſa de Paroc. *c.* 7. *nu.* 16. ſtatuiturque in Synodo Hiſpalenſi *tit. de off. Rect.* ac in alijs. Quod intelligendum, niſi ex uſu, aut ſtatuto ab Epiſcopi Notario, aliave perſona ſcribi ſoleant, aut debeant: certũque eſt hanc etiam curam ad Epiſcopos ſpectare, ut notat Zanard⁹ *ſup.* Vtilitas, vel potius neceſſitas huius curæ manifeſta eſt; cum notitia Confirmationis acceptæ ſit adeó neceſſaria tum ad cognationem ſpiritualem ſciendam inter Confirmatum, ac eius Parentes, & inter Confirmantem, ac Patrinos: tum ad ordines ſuſcipiendos, tum ad lites aliquando decidendas, & ad alia huiuſmodi pro utroque foro.

2 Vnde maximé miror incuriã, vel potius ignorantiam aliquorum Parochorum (in Epiſcopis hæc præſumi non decet) qui nullo modo multis ab hinc annis deſcribendis Confirmatis, eorumque Patrinis curãt; cum cõtra hoc nec conſuetudo, nec præſcriptio vim habeant: ſed ſint meri ab uſus eiuſmodi omiſſiones ſcribendi, ut quæ valde nocivæ rebus magni momenti.

3 Gravior autem obligatio adeſt Parocho ſcribẽdi baptizatos, & eorum ſũſceptores, ut potè impoſita à Tridentino *ſeſ. 24. de matca. 2.* ubi: *In libro eorum nomina deſcribat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excuſari valeant*. Idẽ in Rituali *can. 6. & 19.* in Synodis Mediol. *tit. 25. c. 17.* Hiſpal. Granat. ac alijs: docentq; Fuſc. *de viſit. l. 2. c. 3. n. 24.* Gratian. *diſcept. c. 30. n. 9.* Poſſev.

de off. cur. cap. 6. num. 46. & Barboſa *de Paro. cap. 7. num.* 3. Hos autem ſcribere maximè neceſſarium eſt ad plura magni momenti, ad cognoſcendam ætatem, Parẽtes, fidem, ſpiritualem cognationem, & alia pro ſacramento Ordinis, & Matrimonij requiſita: ad plures lites vitandas circa hæc ipſa, nec non circa genus, patriam, hereditates, ſucceſſiones, aliaque huiuſmodi ad baptizãdi, & eius parentes, ac cognatos ſpectantia. ut Singulari ſequenti patebit.

4 Hinc exiſtimo, quod Parochus, qui ſcienter, ac ex negligẽtia frequenter, ſeu plurẽs baprizatos nõ ſcriberet: lethaliter peccaret 1. Quia eſt lex à Tridentino impoſita in re gravi, & ſub ea gravi pœna: *Si Parochi culpa, vel negligentia ſecus factum fuerit, arbitrio Ordinarij punietur* 2. Quia graviter peccaret, ut ex DD. probabo tract 9. ſi coniugatos non ſcriberet: ergo ſimiliter, cum æqua ſit lex, & ratio. 3. Quia iuxta Ægidium *q.* 7. *num.* 59. Rodriguez *tom. 1. ſum. cap.* 226. & Vegã *cap.* 33. *caſ.* 39. ſi culpa Parochi plures Patrini adhiberentur, illa eſſet forſan lethalis; ergo & eſſet; ſi multoties non conſtaret de Patrinis, quia illos non ſcripſit frequenter: ſi verò unum, vel duos non ſcriberet forſan materiæ parvitas iudicanda.

5 In libro autem Confirmationis ætas Cõfirmatorum, nomina, & cognomina eorum, Patrumque & Matrum, & Parochiæ, in qua habitant, Patrinorum, ſeu Matrinarum, nec non ipſius Epiſcopi adminiſtrantis: tum dies, menſis, & Eccleſia, in qua Chriſma fuit adminiſtratum. Sic notat Barboſa *num.* 16. Cui addo, quod ſi in Confirmatione mutetur nomen in aliud; hæc mutatio cum utriuſq; nominis deſignatione exprimatur; aliter cognoſci nequibit Confirmatus, ſi fiat huius libri cum libro baptiſmi collatio.

6 Circa baptiſmum nota, eodem hæc fere modo ſcribenda: & ſi forſan domi fiat baptiſmus ſolemniter, vel non ſolemniter à Parocho, vel ab alio quocũque, ſcribenda etiã ſunt, ut ſtatuitur in decreto Mediolanenſi *ſup.* immo ſcribenda exiſtimo, cum acciderit, Obſtetricem, vel alium baptizantem affirmare baptizandi intentionem nõ habuiſſe, vel quotieſcũq; ſolẽniter fit, etiã ſi conditionatè, adnotando conditionem adhibitam propter dubium ſufficiens. Adde denique cum Barboſa ſcribendos eos, qui infantem domi iam baptizatũ tenuerunt in exorciſmo: licet ad hoc non ita graviter ego obligarem.

SINGVLARE XII.

An Confirmationis, & Baptiſmi liber plenam fidem, aut probationem in utroque foro faciat? Vbi de alijs ſimilibus libris.



1 TILISSIMAM immo & neceſſariam iudico huius dubij ſolutionem (præcipuè quoad baptiſmi librum) ad plura, quæ paſſim ſe ſe offerunt circa cognitionem Parentum, ex quibus quis ortus; circa ætatẽ pro matrimonio ineundo; ordinibus ſuſcipiendis: ac Religionis profeſſione emittenda: pro liberatione â cura Tutorũ pro iuniorũ obſervatione: pro notitia Parochiæ; pro privilegijs, iurib", donationibus legatis, naturalitate, patria, domicilio, muneribus, nec non alijs occurentibus circa inveſtigationem cognationis ſpiritualis, Patrinorum, & ſimilium, quæ vel aliunde non poſſunt probari, vel non ita ſufficienter, & neceſſaria omnino eſt horum probatio; tum ad ſedandas conſcientias, tum ad lites dirimendas, ac ad plura alia.

2 Igîtur quoad omnia fere, quæ ibi ſcripta inveniuntur, plenam facere probationẽ aut fidem Confirmationis librum, ſententia ſine dubio erit utriuſque iuris Doctorũ, qui aſſerunt hanc probationem facere baptiſmi librum, cum æqua ſit utriuſque ratio, ac æquè pro utroque leges militare exiſtimandum eſt. Sic tenent Maſcardus *de prob. concl.* 1147. *num.* 12. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancel. gloſ.* 9. §. 1. *num.* 112. Rebufus *de pacif. poſ.* 217. Genoa *de ſcript. privata lib.* 5. *q.* 3. ac alij. Probari ætatem plenè ex baptiſmi libro exprimunt Bellet. *diſquiſ. cleric. p.* 1. *tit de Clerico teſte* §. 1. *num.* 11. Franciſcus Molina *de ritu nup. l.* 1. *compar.* 9. *num.* 14. Piacecus *prax. Epiſc. p.* 1. *cap.* 1. *num.* 9. Capetaquen *deciſ.* 714. *num.* 1. *p.* Menochius *lib.* 1. *præſum.* 51. *num.* 53. Vival. *deciſ.* 184. *num.* 15. *lib.* 1. Mandoſius *ad reg. Canc. lib.* 1. *q.* 10. *à num.* 10. Vera *deciſ.* 341. *num.* 1. *lib.* 1. Riccius *prax. deciſ.* 249. *editione* 1. *& edit.* 2. *deciſ.* 218. Seraphinus *deciſ.* 592. *num.* 2. *p.* 1. & alij plures; ergo & alia æquè etiam probantur in hoc, & in Confirmationis libro, cum eadem ſit quoad omnia, & in utroque authoritas, & cuſtodia.

3 Probatur. 1. A ſimilitudine, & authoritate ſimul: nam ſi mors, & ſepultura plenè probantur ex libris deffunctorum, quos Parochi habent, ut aſſerunt Menochius *ſup.* Fuſcus *lib.* 2. *de viſit. cap.* 2, *num.* 28. Decius *conſ.* 146, Cald. Pereira *in leg. ſi Curatorum verb. Minoribus, à num.* 34, Ioſeph Ludovicus

deci.

deciſ. Peruſ. deciſ. 55. *num.* 7. Molina *ſup. num.* 39. Cavallet. *deciſ.* 525. *num.* 3. Rota *deciſ.* 621. *num.* 4. *p.* 1, *recent.* & in Alexandrina beneficij 18. Aprilis 1625. ac alij: plené etiam probabunt Confirmationis, & baptiſmi libri. Sicut etiam plenè probant Xenodochij libri, ut docent Surdus *conſ.* 350. *num.* 36. Barboſa *de Paroc. cap.* 7. *num.* 13. nec non Confraternitatum libri, ubi mortui ſcribuntur, ut Velaſcus *conſul.* 50. *num.* 1. *p.* 1. Rota *in Eluenſi Eremitorij*, 7. Februari 1631.

4 Vrgetur ex alijs libris, qui etiam plené probant, cum non adeo ingentis authoritatis, & cuſtodiæ ſint. Hi ſunt cẽſuales Eccleſiæ, vel Monaſterij contra Cenſuarios, & Enphyteutas in eo deſcriptos, ut ex *l. Cenſus & monumenta ff. de probat. auth. ad hæc. C. de fide inſtr.* aſſerunt Felinus *in* 5. *comm. de præſcrip.* Romanus *conſ.* 127. *col.* 2. Baldus *in l. fin. C. ſine cenſu.* Floria à S. Petro *conſ.* 10, *num.* 10. *& ſeq.* Thuſcus *lit. L, conc.* 345, & alij. Ex libris item Cameræ Apoſtolicæ, quos valorẽ beneficiorum taxatorũ de cõſuetudine Curiæ plené probare docent Ægidius Bellam *conſ.* 34, *num.* 35. Thuſcus *ſup. con.* 343. & idem de libris Matriculę, quoad ſcriptos in illa, 1 Baldus *in leg. Scrinarios, l. de teſtam* Tuſchus *concl.* 346. Et librum, in quo Pater ſui filij nativitatem notavit, tali anno, & die, ætatem filij plenè probare, etiam contra Tertium, ſentiunt Salycetus *in l. ſi minorem nu.* 3, *&* 10. *C. de integ. reſt.* Ruiz *conſ.* 31, *num.* 7, *lib.* 4, Bartholus *in l. de ætate num.* 12. *ff. de minor. conſ.* 92 *lib.* 1. Baldus *conſ.* 66, *lib.* 3. Alexander *conſ.* 149 *lib.* 5, & Maſcardus *concl.* 669. Ergo à fortiori plenè probabit Confirmationis, & Baptiſmi libẽr.

5 Probatur 2. quia Parochus ſcribens, vel ſaltim ſubſcribens in his libris eſt teſtis omni acceptione maior circa hanc Confirmationis, & Baptiſmi collationem, eiuſque circunſtantias; at teſtis omni acceptione maior, etiam ſi ſint alij, vel inſtrumentum inferioris dignitatis illi cõtradicentes, plenè probat iuxta Baldum *conſ.* 166, Cravet. *conſ.* 16. *num.* 10, Maſcardum *tom.* 1. *q.* 9. *num.* 59. Immo eſt etiam tunc Parochus Notarius publicus; ob quod eius inſtrumenta plenam fidem faciunt. Præterea, quia libri hi cuſtodiuntur in loco publico, & non ſuſpecto, & ſic cuſtoditi plenè probant, ut docẽt Socinus *regul.* 21. & Tuſchus *conc.* 346. *num.* 12. Vide quæ notavi pro hac, & unius teſtis probatione in meo de SS. Hiſpalenſibus libro in Aduertentijs initio illius poſitis. *adverten.* 4. *num.* 3. *& adverten.* 6, *n.* 6. & ad hoc plura etiam invenies in hoc opere Trac. 7,

6 Animadverte tandẽ 1, non omnia æqualiter probari per hunc Confirmationis, & baptiſmi librum, horum enim ſuſceptio, tẽpus illius, Cõfirmati, & baptizti, eorum Patrini, nec non baptizantes, & Confirmantes, ac in baptiſmo ætas plenè probantur; cum Parochus teſtis omni aceptione maior velut teſtis oculatus, & Notarius publicus adhunc affectum, hæc teſtetur, & ibi ſuſcribat. Parentes verò non ita plena probatione inde conſtãt; cum non ita de illis Parocho conſtet ſemper; plené autem probarentur ſi conſtaret de his Parocho conſtare: ſicut probatur plenè hos, vel illos pro Parẽtibus aſſignatos. Animadverte 2. hæc omnia intelligenda niſi fraudẽ. aut errorẽ in his libris interveniſſe probetur: vel evidenter oppoſitũ appareat. Sic notat Gonzalez *ſup.*

SINGVLARE XIII.

V. Cuicumque in aliena Paroecia, aut oppido, vel etiam in aliena Diœceſi Confirmari liceat?

AFFIRMATIVE reſpondeo, quoad primam Singularis partem: cum nulla extet in iure prohibitio, ut quis in aliena paræcia, vel oppido eiuſdem Diœceſis confirmetur: immo ſi in aliqua Diœceſi hæc extaret, etiam ſub præceptorum meritò dubitaretur, an illud graviter obligaret, niſi conſtaret cauſam gravem ad illud imponendum moviſſe, quæ vix excogitari valet. Ratio eſt, quia cum adminiſtratio Confirmationis ſpectet ad proprium Epiſcopum, vel ad alium, ſive Titularis ſit, ſive non, qui pro proprio, ac ex eius commiſſione Pontificalia exercet, & uterque iuriſdictionem æquè habeat, quoad hoc in omnes paræcias, & in ipſarum Parochianos: hos poteſt in quacumque, ac etiam in quocumque oppido illius diœceſis Confirmare.

Et ſi Epiſcopo Titulari, vel alterius diœceſis committatur â proprio, ut in unica ſolùm civitate, v. g. Aſtigitana, vel in una paræcia Hiſpalis Confirmaret: omnes Hiſpalenſes alterius paræcię, vel alterius urbis, aut oppidi eiuſdem diœceſis poſſet Aſtigi, & Hiſpali tunc in urbe, vel paræcia aſſignata Confirmare; cum nemo teneatur in propria urbe, vel paræcia Confirmari. Secus ſi exprimeret proprius Paſtor, ut ſolùm Aſtigitanos incolas, vel Parochos talis paræcię Confirmaret: tunc enim alios Confirmare illi non liceret: nam iuriſdictionem uſurparet, ac ſi in aliena Diœceſi,

ſi, negata Ordinarij illius licentia, Cónfirmaret, ac proinde nec Confirmandis id liceret, ſicut non liceret baptiſmum, pæniten tiam, Ordinem, ac Extremam unctionem, accipere ab eo, qui non habet, quoad hæc il li ſacramenta conferenda, iurisdictionem. Dixi, *Confirmandis*, ideſt, eius Parentibus, vel ijs, quibus eorum dum rationis uſu carent, hæc cura incumbit.

3 Quoad ſecundam partem reſpondeo; Nemini licere Confirmari in aliena Diœceſi abſque licentia ſui Ordinarij. Probo ex cõ muni ſententia Enriquez, Suarij Bonacinę, Filiucij, Ochogaviæ, Reginaldi, Chamerotæ, & aliorum apud Leandrum à Sacr. *tr.* 3. *d.* 2. *q.* 9. aſſerentium, non poſſe abſque gravi peccato Epiſcopum in aliena Diœceſi abſque licentia proprij Epiſcopi, vel Ordinarij Confirmare: ergo nec ab eo in ea Cõfirmari ſibi non ſubditus poteſt. Poſſe verò ab Epiſcopo tunc Confirmari afferentem dimiſſorias ſui Epiſcopi, ut ordinetur, mihi non eſt dubium, & docent Zambranus, Layman, Fagundez, & alij apud Dianam *p.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 24. Sicut & licitè poſſe abſque culpa, & cenſura, aut pæna ulla Epiſcopum in propia Diœceſi ſibi non ſubditum Confirmare, aſſerunt DD. quos citat, & ſequitur Leãder *ſup. q.* 8. tũc enim facilè, præſumitur licentia proprij Epiſcopi.

Nota 1. Cũ Zanardo *c.* 2. Archiepiſcopo
4 non licere in Diœceſi ſui ſuffraganei abſque eius licentia Confirmare. Nota 2. Declarationem Cardinalium apud Bellarminum *in Trid. ſeſ.* 7. *de Sacr. f.* 64. ſic ſe habentem: *Omnes, etiam Prælati exempti, etiam iuriſdictione Epiſcopali, ſi ſunt intra fines Diœceſis, tenentur accedere ad Epiſcopum Diœceſis pro Confirmatione: ſi verò non ſunt in Diœceſi aliqua, adeant quam maluerint.*

SINGVLARE VLTIMVM.

An ſine ulla neceſsitate, ac culpa idem poſsit eſſe Patrinus eiuſdẽ in Baptiſmo, & in Cõfirmatione; vel plurium in eodẽ veſpere, aut mane?

NEGATIVAM ſentẽtiam quoad primam partem tuentur Ricar
1 dus 4. *diſ.* 7. *q.* 2. Sa *Confir. num.* 14. Victoria *n.* 51. Zambranus *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 1. Layman *cap.* 7. *n.* 1. Filiucius *c.* 3. *n.* 36. Suarez *com. q.* 72. *art.* 10. Diana 3. *p. tr.* 4. *reſol.* 21. Toletus *lib.* 2. *c.* 24. Vega *caſu* 11. Leander à Sacram. *d.* 5. *q.* 3. Enriquez *lib.* 3. *c.* 3. *num.* 3. & communiter ferè DD. non verò exprimunt an ſit lethalis, aut venialis culpa; ſolus Barthol. ab Angelo *dialog.* 3. §. 45. & Leander venia lem eſſe aſſerunt. Fundantur *in cap. in Catechiſmo, de conſec. diſt.* 4. ex Higinio Papa ubi: *In Catechiſmo, & in Baptiſmo, & in Confirmatione, unus Patrinus fieri poteſt, ſi neceſsitas cogit; non eſt tamen conſuetudo Romana, ſed per ſingulos ſinguli ſuſcipiunt.*

Sed ſine ulla nèceſſitate, ac culpa poſſe
2 eũdem eſſe Patrinum ſentio; ſine his enim rectè poteſt unus, & idẽ bis eſſe Pater ſpiritualis reſpectu eiuſdem, & cum eo ſpiritualem cognationem duplici titulo contrahere. Sic contrahunt Parochus baptizans Ioannem, & in Confirmatione ſuſcipiens: & Epiſcopus Confirmans Petrum, quem in baptiſmo ſuſcepit · Decretum Higinij non urget, cum nec leve præceptũ importet, ſed ſolùm ſit directiò quædam, ut cum DD. dicebamus Sing. 4. num. 3. Nec eſt in uſu, quia ut Sylveſter *V. Confirm. fine*, illud referens, ait: *Hodie tamen, qui tenuit in Catechiſmo, tenet in Baptiſmo ſine peccato: quia eſt conſuetudo.* Nec extra illam eſt, ut qui tenuit in Baptiſmo, teneat in Confirmatione.

Quod verò idẽ plures teneat tã in Cõfir
3 matione, quàm in Baptiſmo eodem veſpere, vel mane; ac ſine ulla interruptione, nec ratio, nec lex ulla prohibet: ſicut poteſt diverſis diebus: temporis enim diſtantia licitam non poteſt hanc actionem reddere, ſi illicita eſt. Sic etiam idem baptizat, & Confirmat plures eodem veſpere, vel mane. Nec obſtat id quod in Pontificali Romano decernitur: *Nullus præſentet niſi unum, aut duos, non plures*: tum quia non eſt præceptum nec leve, ſed directio; tum quia non eſt in uſu, & ita non obligat: ſicut alia, quæ ibi habentur, v. g. *Confirmandi deberent eſſe ieiuni: Neque maſculi fœminis Patrini, neque fœmina maſculis matrina eſſe deberent.* Vnicum ſolùm Patrinum, vel Matrinam adhibendam docent communiter DD. ſed ego unum, & unam ſimul adhiberi poſſe ſicut in Baptiſmo, ſentio cum Archangelo *diſtinct. 7. pag.* 68. Vltimo nota, quod ſi plures quã duo Patrini (ſcilicet unus, & una) adhibeantur in Confirmatione nullus contrahet cognationem ſpiritualem; cum à iure Eccleſiæ hæc adhibitio exorbitet. Sic Toletus *l.* 2. *c.* 23. *n.* 4. & alij. Licet oppoſitum teneant Sâ, Victorellus, & Suarius, quos citat, & ſequitur Leander *ſup. q.* 9.

FINIS TRACTATVS II.

AD

AD POENITENTIAM,
TERTIVM ECCLESIÆ SACRAMENTVM,
SINGVLARIVM
TRACTATVS TERTIVS.

SINGVLARE I.

Caſus in Hiſpalenſi Diœceſi (ac ſimul in alijs) reſervati breviſſimè exponũtur: Ubi quid in illis ſub *Excommunicationis maioris* voce, reſervetur.

1 LICET nullum peccatum ſit iure communi Epiſcopis reſervatum, ut probat Suarius *tom.* 4. *in* 3. *p*, *d*, 29. *ſec.* 3. *n.* 6. attamẽ poſſe caſus ſibi reſervare, vel cum excommunicatione maiori, vel ſine illa, communis eſt Theologorum ſenſus, conſtatque ex Tridentino *infra*. Sed maximè attendere debent Epiſcopi, ut licita ſit hæc reſervatio, immo ut valida iuxta plures DD. quos citat, & ſequitur Enriquez *l.* 6, *c.* 14. *lit. P.* ne ſit nimia, ſeu, ne potius in damnum ſit, quam in bonum ſubditorum, quorum ſaluti conſulere debent ex charita te, & iuſtitia. Quare ſic eos admonet Tridẽ tinum, cum hanc illis poteſtatem impertit *ſeſſ.* 14, *cap.* 7. *Neque dubitandum*, inquit, *quin hoc idem (cauſas*, ſcilicet, *aliquas criminum gra viores ſuo peculiari indicio reſervare) Epiſcopis omnibus, in ſua cuique Diœceſi: in ædificationem tamen non in deſtructionem liceat, pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores ſacerdotes authoritate.*

2 Hac igitur omnes Epiſcopi, & locorum Ordinarij (quibus, etiam ſi Epiſcopi non ſint, eadem omnino quoad hoc poteſtas ineſt) iam verbo tenus circa ſingulares perſonas, iam peculiaribus Edictis, iam in Synodis ſuis caſus notant, & promulgant, quorum abſolutiones ſibi, Vicario vè ſuo omnino reſervant, à quibus videlicet, abſolvi non poſſint ſubditi ſine ſpeciali facultate Ordinarij; vel niſi ipſi, vel Confeſſor habeant privilegium aliquod Summi Pontificis ad eorum abſolutionem

3 Caſus igitur pro hac Diœceſi Hiſpalenſi iam diu, & modò reſervati, tam in Synodo celebrata anno 1586. ab Eminentiſſimo Cardinali D. D. Roderico de Caſtro approbata in Congregatione S. R. Cardinalium Concilij Tridentini, & à Sixto V. confirmata, quàm in celebrata anno 1604: ab Eminent. Card. D. D, Ferdinando Niño de Guevara, ita proponuntur *tit. de pœnit. & remiſſ. c.* 7. *in.* 1. *&* 2. 8. *Los caſos, que por coſtumbre, y coſtituciones antiguas de nueſtro Arcobiſpado ſon reſervados à Nos, paraque ningun Confeſor pueda abſolver dellos ſin nueſtra particular licẽcia, y comiſion, ſon los ſiguientes; Excomunion maior à Iure, vel ab homine; Iuramento hecho en daño de proximo: Homicidio voluntario: Sacrilegio, Sortilegio, Matrimonio clãdeſtino, Vſuras, y Renuevos, Diezmos retenidos.* Nec amplius explicãt dictæ Synodi hos caſus, & ita in eorum intelligentia, ac praxi non leves difficultates paſſim ſuboriuntur, ad quarum ſolutionem, nec non ad earum, quæ pro caſibus ſimilibus reſervatis in alijs Diœceſibus, ocurrũt, hos explanare operepretium duxi.

4 Primus caſus eſt: *Excomunion maior à Iure vel ab homine*: ſub quo quamcumque excommunicationem in communi iure, vel in particularibus indultis à Pontifice latam aliqui forſan contineri exiſtimabunt; præſertim cum Tridentinum *ſup.* decernat; poſſe Epiſcopos reſervare peccata, *prœcipue quoad illa, quibus excõmunicationis cenſura annexa eſt.* Sed hoc non probo: incredibile enim mihi videtur, intentionem Epiſcopi eſſe omnes caſus Papales ſibi reſervaſſe, ut reſervaret ſine dubio, reſervans ſibi omnẽ excommunicationem maiorẽ: nam nullus eſt caſus Papæ reſervat⁹, qui nõ prohibeatur ſub excõmunicatione, ideſt, quatenus eã annexã habet, & ex eo quod hæc non reſervetur Papæ, nec caſus etiam reſervatur, ut docent Suarius *d.* 39. *ſec*, 2. *num.* 2. Navarrus *cap.* 27. *num.* 261. Toletus *l.* 3. *cap.* 4. *num.* 11. Ludovicus à Cruce *d.* 1, *in cruc*, *c.* 3. *dub.* 1. *num.* 2. Layman *tr.* 6. *cap.* 12, *num.* 2. Immo & plures alij caſus ſub hoc reſeruarentur in hac Diœceſi, cum dentur in iure communi, & in Extravagantibus Bullis extra corporis ius plurimæ excommunicationes, nulli reſerva-

tæ

tæ quæ videri poſſunt apud Filiucium *to.* 1. *ar.* 15 *cap.* 12: & Reginaldum *l.* 1. *cap.* 12. ergo nec hæ, nec illæ reſervantur in hoc. 1. caſu.

5 Confirmatur hæc explicatio authoritate ſacræ Congregationis pro conſultationib⁹ Epiſcoporũ & Regulariũ, quæ ex Clementis VIII. mandato declaravit, præcepitque; *Quod Ordinarij non reſervent caſus contentos in Bulla Cœnæ Domini, non ſpecialiter reſervatos Sedi Apoſtolicæ: non promiſcuè eos, quibus annexa eſt excommunicatio maior à iure impoſita, cuius abſolutio nemini eſt reſervata: niſi iudicaverint aliquos nominatim reſeruandos propter frequentiam, ſcandalum aut aliam neceſſariam cauſam; non eos in quibus non datur abſolutio niſi facta reſtitutione vel executione: non eos, in quibus licet adſit peccatum mortale tamen verſantur circa res parvi momenti, & quæ frequenter evenire ſolent.* Ita refert Quaranta *verb. caſus reſer. fol.* 167. Hinc Miranda *tom.* 1. *q.* 46. *ar.* 2. enumerans inter caſus ab Epiſcopis reſervari ſolitos, *Abſolutionem excommunicationis maioris*, addit: *Quando talis Epiſcopo reſervatur: nã ab excõmunicatione maiori à iure lata ipſi Curati poſſunt abſolvere, & perconſequens etiam Confeſſores Mendicantes.*

6 Igitur in hoc 1. caſu ſolũm comprehendi exiſtimo excommunicationes latas tum in ipſa Synodo Hiſpalenſi, tum à Prælato, vel Vicario eiuſdem Diœceſis: non verò alias latas à Papa & ſibi reſervatas, propter dicta, & quia iam cadunt ſub reſervationẽ Principis ſupremi: nec latas in iure, aut extra iuris corpus: cum hę (ſicut & illæ modo relatæ) ut in plurimum reſpiciãt univerſale regimen totius Eccleſiæ: latæ vero ab Ordinarijs ſingulare ſuæ Diœceſis regimen reſpicere debeant, ut licitè, & prudenter eas ſibi reſervaverint, iuxta ea, quæ docet Sapientiſſimus Lugo *de pœnit. d.* 20. *ſec.* 3.

7 Ex his item non ferendæ, ſed latæ ſolũm excommunicationes reſervantur: cũ enim caſuum reſervatio ſit odioſa, ſtrictè eſt interpretanda, ut aſſerũt Graſs *l.* 1. *de caſ. c.* 4. *num.* 34. Molfeſius *tr.* 7. *cap.* 20 *num.* 21. Corolinus *p.* 1. *ſect.* 1. *ar.* 5. & alij communiter. Excommunicatio autem ferenda non eſt abſolutè excommunicatio, ſed erit. Quomodo autem hæc à lata dignoſcatur conſule Avilam *cap.* 2. *de cenſ. q.* 1*mi.* Eodem modo explicandus eſt hic caſus ſi in alijs Synodis, vel cõſtitutionibus reſervatus inveniatur, ſicut invenitur in decretis Pacis Auguſtæ, ſeu *Badajoz* ſic: *Excomunion maior à iure.* Et in Granatenſi ac Malacitana Diœceſi, *abſolucion de excomunion maior.*

8 Sed ſi roges, quæ nam ſint excommunicationes in Hiſpalenſi Synodo latæ, ac proinde ſub hoc 1. caſu reſervatæ? reſpondeo eas collectas inveniri apud Ioannem Baptiſtã Porcel tractatu inſcripto *Manual de excommuniones* §. 10. eaſque ſimiliter ſparſas invenies in Synodo celebrata anno 1604. ibi lege; primam *fol.* 77. ſecundam *fol.* 83. tertiã 88. quartam 100. quintam 103. ſextam 104. ſeptimam 109. octavã, nonam, & decimam 111. undecimam 113, duodecimam 118. ac decimàm tertiam 128. Alias, quæ latæ ſunt pro tota ſua Diœceſi ab Eminentiſſ. Card. DD. Gaſpare de Borja, ſeu illius Vicario in ſingularibùs Edictis, tu etiam præ manib⁹ habebis: præſertim, quæ anno 1642. promulgatæ fuerunt contra Clericos privilegio fori fruentes, qui prophanè & veſtes, & crines afferebant, ſicut ibi interdicitur; nec non contra Sacerdotes, qui ante miſſæ celebrationem, vel una hora poſt illam, aut in Eccleſijs ac Sacriſtijs tabacum ſumebant. Has omnes excommunicationes, ſi vita ſuperſtes ſit, divina favente gratia tom. 2. Singularium exponam.

SINGVLARE II.

Quid in Hiſpalenſi, ac in alia quacumque Diœceſi reſervetur ſub verbis, *Iramenti, & Homicidij voluntarij?*

1 HIc eſt ſecundus caſus *Iuramento en daño de Tercero*, & de falſo iuramento ſine dubio intelligitur: ſi enim verum eſt, cum peccatum ſaltim grave nõ ſit, immo & ſæpe meritorium, reſervari nequit & quis in Tertij damnum verum iuraret, vel quod verum reputaret, licet in ſe falſũ: prava tamen ei nocendi intentione, licet lethale committeret, non tamẽ reſervatũ: quia intentio hæc non cadit ſub reſervationem. Vnde Enriquez *l.* 6. *cap.* 4. Granadus 22. *contr.* 1. *tr.* 15. *d.* 13. *num.* 14. & Lugo *d.* 20. *de pœnit. ſec.* 2. *num.* 15. docent, quod ſi reſervaretur externum peccatum contra charitatem, ſi quis ex graviſſimo odio, ſeu intentione prava aliquem leviter læderet, in reſervationem non incideret. Vnde hæc falſitas exprimitur in reſervatis pro alijs Diœceſibus, Sic in Cordubenſi: *Periurio en daño del proximo:* & in Giennenſi: *Iuramento falſo en perjuicio, o daño de Tercero.* Si verò eſſet dubium iuramentum, vel ſi iuranti exiſtimatum ut falſum, & re ipſa verum eſſe detegitur, non reſervata iudico, quia abſolute, & in rigore non ſunt falſa: & verba hæc, utpote

potẽ in materia odioſa, in toto rigore ſunt interpretanda.

2 Requiritur præterea ut ſit caſus reſervatus iuramentũ hoc, quod fiat iuridicè, ut ait Laym. *tr. 6. c. 12 n. 4*, aliter plurima iuramẽta, ſæpe occurrent, quæ eſſent caſus reſervati, ut cum quis extra iudiciũ iurat contra res eventus, famam, aut genus proximi, ſicque frequenter in reſervata incidendi ocaſiones darentur contra decretum relatum ſacræ Congregationis à Clemente VIII. dimanans, ubi; *Ne locorum Ordinarij, quibus ius hoc reſervandorum caſuum competit; plurium. quã opus ſit reſervatione ſubditis ſint oneroſi, monentur omnes, ut paucos reſervent.* Hoc exprimitur in alijs Dîœceſibus, ut in Malacitana: *Periurio hecho en juyzio:* in Leodienſi: *ſolemne periurĩ.*

3 Itẽ requiritur, ut in grave proximi damnum iuramentum hoc vergat, cum reſervatio non ſolùm ponatur ob falſitatem iuramenti iuridici: alioquin omne periurium iuridicum eſſet reſervatum, ſed etiam ob damnum proximi, quod ſi hoc ſit leve, non cadet ſub reſervationẽ iuxta infra dicẽda. Sic in Granatenſi Synodo reſervatur; *Periurio en daño notable del proximo hecho en juicio.*

4 Poſſet etiam hoc iuramentum á reſervatione excuſari. 1. cum iurans non interrogatur iuris ordine ſervato. 2. cum interrogans non eſt legitimus iudex, aut non habens eam probationem, quæ requiritur, ut ius habeat ad interrogandum iuridicè. Sic Chapeaville *de caſib. reſer. caſ.* 18 *q.* 2. 3. Item ſi ex damno ſibi inferendo, vel ex ratione ſibi ſecreti commiſſi, vel alia cauſa liceret veritatem occultare. 4. Si ob vim, vel gravẽ metum tormentorum, vel aliunde provenientem periurium cõmitteretur. In quib⁹ caſibus & ſi peccaretur ob grave proximi damnum, non verò eſſet reſervatum ob rationes, quas ex Doctoribus affert Molfeſius *tr. 7. c. 20. á num. 57.* loquens de periurio reſervato in Religionibus.

5 Tertius caſus eſt: *Homicidio voluntario.* Sicut in decretis Prou. Mediolanenſis *l. 5. tit. 6. c. 9.* & Pacis Auguſtæ: *Homicidas voluntarios.* Quod intelligendum eſt de homicidio iam effectu confecuto, ut exprimitur in Cordubẽſi, Granatẽſi, & Malacitana reſervatione ſic; *Homicidio voluntario perpetrado.*

6 Voluntarium debet eſſe homicidium, prout diſtinguitur à caſuali: illud autem duplex eſt, voluntarium in ſe, cum ſcilicet voluntas occidentis per ſe directè & immediate fertur in ipſum homicidium: volũtarium in cauſa, cum non in ipſum, ſed in aliud quidpiam fertur, quod eſt homicidij cauſa propinqua: ut ſi quis contendit verberare mulierem prægnantem, & interim illam occidat: vel enormiter aliquem vulnerare, nõ verò occidere; licèt ex vulnere mors ſit ſecuta. Sic Theologi ex S. Thoma 2. 2. *q.* 30. *art.* 10. Igitur non ſufficit quod in cauſa ſit voluntarium homicidium: ut ſub hanc reſervationem cadat, cũ hæc ſtrictè ſit interpretanda. Sed neceſſum eſt, ut ſit Voluntarium in ſe, & graviter peccaminoſum: tunc enim hic reſervatur etiã ſi ſit occultum, ut notat Layman *tr. 6. c. 12. n. 4.* & etiam ſi in foro civili non ſit puniendum, ut cum vir uxorem in adulterio deprehenſam occidit: hic enim mortaliter peccat, & veré homicida eſt: non verò, qui graviter in occiſione non peccaret, ut qui publica authoritate, vel pro ſui, ſuorumque bonorum defenſione alium occideret, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ. Conſule Chapeaville *ſup. q.* 20.

SINGVLARE III.

Quid ſub nomine *Sacrilegij* reſervetur in Hiſpalenſi, ac inquacumque alia Dioœceſi?

1 QVARTVS caſus eſt *Sacrilegium*, in hac, & in pluribus Dioœceſibus reſervatus. Sed cum tot ſint Sacrilegij ſpecies, & circa tã diverſa vitia verſentur, meritò dubitant, etiam ſapientes, quænam in hoc caſu reſerventur. Nam ſi dicamus, omnes ſpecies reſervari, quæ ſub ea Sacrilegij definitione à Theologis apud Azor *l. 9. c. 27.* tradita, continentur; quod ſit *irreverẽtia rei ſacræ in eo quod eſt ſanctificata*, vel iuxta S. Thomã 2. 2. *q. 99. Sacræ rei violatio, ſeu irreverentia:* plurima peccata, quæ frequenter [præſertim quoad lapſum carnis] committuntur, & ex quibus aliqua nõ ita atrocia exiſtimãtur, includet; quæ reſervari ab Ordinarijs non debent iuxta decretum relatũ Clementis VIII. *Vt non*, inquit, *paſſim, ſed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantùm, & graviorum criminum abſolutionem ſibi reſervent.*

Igitur cum ex S. Thoma 2. 2. q. 99. *art.* 3. ad tria genera rerum ſacrarum reducant Theologi ſacrilegium; ad *Perſonas*, *Locum*, *& Bona* Deo ſacrata; quæ in his graviora, ſeu atrociora crimina ſunt, ſolùm in præſenti reſervari exiſtimo. Quoad Perſonas, violatio tantùm Monialis profeſſæ, ſeu coitus cum illa reſervatur, ut in dioœceſibus Leodenſi, Mediolanenſi, Granatenſi, & Malacitana, ac alijs, & ut dicit Martinus

de Frias *de caſ.ref.fol69*, hic caſus communiter ab Epiſcopis reſervatur, ut pote qui nimiam atrocitatem criminis affert. Alia verò peccata luxuriæ licet ſacrilegia ſint, ab Epiſcopis non reſervanda fore docet Cãcellarius Pariſienſis *ſerm. de can. Dom.* ac innuit ex Clementis VIII. mente ſacra Cõgregatio *ſup.* dicens; *In peccatis carnalibus reſervandis multa utantur Ordinarij circumſpectione propter periculum ſcandalorum vel frequentem reditum ad Ordinarios, in quo ſuſpicionis aliquid cadere poteſt.* In quo decreto aſſerit Bellarminus *in Trid ſeſſ.* 14. *cap.* 7. reſtringi facultatem Ordinariorum quo ad reſervatiõnem luxuriæ.

3 Si verò aliud in hoc genere peccatum, præter coitum cum Moniali, exprimatur, reſervatum manebit, ut in Gienenſi Diœceſi reſervatur, *Ayuntamiento carnal con Monja profeſa, o con otra qualquiera muger que aya hecho voto de caſtidad.* Vbi femina, quæ cũ viro caſtitatis votum habente coiret, hanc reſervationem non incurret; Lex enim, præſertim odioſa ad plures perſonas quãm expreſſas extendenda nõ eſt. Occiſio autem, gravis ve percuſſio, aut læſio perſonæ Eccleſiaſticæ, vel Religioſæ cũ toties in iure reſervẽtur, hîc nõ reſervari exiſtimo decernuntur verò in hac Synodo *tit. de imm. cap.* 27. pœnæ pecuniariæ ſolvendæ ab his, qui Clericos, vel in Eccleſia alios cædunt.

4 Sacrilegium quoad Locum tunc reſervari ab Ordinarijs, ait Layman *tr.* 6, *cap.* 12. *num.* 4. *cum violatur locus ſacer furto, ſanguine, aut ſemine per fornicationem, aut voluntariam pollutionem.* Sic in Diœceſi de Badajoz reſervatur: *Pecado de la carne cometido en la Igleſia.* Sed cum neque hoc, neque pollutio voluntaria hîc exprimantur, & non ita atrociora peccata quoad exterius videantur cum occultè patrãtur, aut ſine ſcandalo, hîc forſan non reſervantur: ſecus ſi publicè aut inter miſſarum ſolemnia, aut Euchariſtiæ auguſto ſacramento manifeſtato: aut cũ adeò publica ſeminis vel ſanguinis effuſſione, ut Eccleſia pollueretur, ac reconciliatione indigeret.

5 Circa immunitatem Eccleſiæ, quoad delinquentes ab ea extrahere, eorum ve, aut aliorum quorumlibet de cauſis ad iudices Eccleſiaſticos ſpectantibus cognoſcere, nihil reſervari iudico, ut in Diœceſibus Granatenſi, & Cordubenſi ſic: *Quebrantar la immunidad, o libertad Eccleſiaſtica*; tum quia non exprimitur; tum quia aliàs in iure reſervatur, tum quia in ipſa Synodo Hiſpalenſi pœnæ aliæ imponuntur, & præſertim maior excommunicatio contra immunitatis violatores *tit. de immun. cap.* 4. & 5. Vnde ad primi caſus reſervationem hoc pertinebit.

6 Sacrilegium quoad Bona ſacra hîc reſervatum, cõmittitur cum vaſa, veſtes, & alia quæ ſunt Eccleſiæ bona propria iuxta reſervationem Diœceſis Gienenſis ſic: *Hurto de las haciendas de la Igleſia, o de otra qualquiera coſa del ſervicio del altar, o del templo:* rapiuntur quia ut Sylveſter *verbo ſacrileg. §. tertium.* ait. *Statutum imponens pœnam pro ſacrilegio ſi factum eſt à civitate, intelligitur ſecundum leges. l. omnes populi ff. de iuſt. & iure. & ſecundum Canones ſi ab Epiſcopo.* Secundum autem ius Canonicum 17. *q.* 3. *cap. Sacrileg. Sacrilegium & contra leges eſt, Si quis quod venerabilib⁹ locis relinquitur, prava voluntatis ſtudijs, ſuis tentaverit compendijs retineri.*

7 Horum furtum ſacrilegium propriè eſſe docent Navarrus, Valentia, Vazquez, Nugnus, & Suarius apud Bonacinam *d.* 3. *q.* 6. *num.* 17. Et licet iuxta hos Doctores etiam ſit ſacrilegium furtum rei non ſacræ in Eccleſia: attamen in hoc ſacrilegium proprié non committi, modò res non ſit tradita Eccleſiæ in cuſtodiam, aut pignus, vel alio modo ſentiunt Leſius *l.* 2. *cap.* 45. *num.* 14. Coninc *de pœnit. d.* 2. *dub.* 4. *num.* 22. Enriquez *l.* 3. *cap.* 6. *num.* 5. & alij. Et licet ſecundum Canones alia ſint Sacrilegia, quoad Eccleſiæ bona, tamen hæc aliũde ſunt reſervata, vel ſub excommunicatione prohibita, ideo hîc non comprehẽdi exiſtimamus, ſiquidẽ non exprimuntur.

8 Tandem in communi uſu Hiſpalenſis aut alterius Diœceſis, in qua ſacrilegiũ indiſtinctè reſevatur, non comprehendi ſub reſervatione omne id, quod Theologi pro ſacrilegio accipiunt, patet: quia iuxta hos omnes, in mortali peccato accipere, vel miniſtrare ſacramẽta: ab uti verbis ſacræ ſcripturæ: pingere imagines ſacras indecorè; ad proprium uſum veſtes ſacras revocare, & & alia, quæ videri poſſunt apud Bonacinã *d.* 3. *q.* 6. *p. un. de ſacril.* & Reginaldum *l.* 19. *à. num.* 57. ſacrilegia ſunt, & tamen non reſervata, néc ut talia à doctis Confeſſoribus audiri, ac abſolvi autumant ſapientes. Secus ſi quoad publicâm exiſtimationem atrocia iudicẽtur, qualia ſunt ea ſacrilegia, quę à Chapeaville *de ſerv. p.* 1. *cap.* 10. in Diœceſi Leodicenſi reſervata ſic referuntur. *Publica, & enormis blaſfemia in Deum, aut ſanctos: inſignis cõtumelia illata ſacroſanctæ Euchariſtiæ, aut ſacris ſanctorum reliquijs: ab uſus ſacroſanctæ Euchariſtiæ, aut ſacrarum Reliquiarum, vel etiam ſacræ Scripturæ ad exercitium artium magicarum.*

SIN-

SINGVLARE IV.

Quid ſub nomine *Sortilegij* reſerve tur in Hiſpalenſi, ac in alijs Dioe ceſibus?

1 QVINTVS caſus eſt *Sortilegium*, in quo videntur reſervari om nes ſuperſtitionis, Incãtationis Divinationis, ac Maleficiorum ſeu Veneficiorum, Magicæ vè & Aſtrologicæ artis ſpecies, út reſervantur in alijs Diœceſibus. In Giniensi ſic: *Encãta mẽtos, cõjuros ſuperſticiones, ẽſalmos y hechicerias*; in Granatẽſi, Malacitana; *Hechizerias, o encã. mientos:* in Cordubenſi: *Qualquier genero de hechizeria:* in Leonienſi *Veneficium, maleficiũ incantatio.* Et confirmatur ex *cap. Epiſcopi de Sortileg.* ubi hæc eradicari Epiſcopis ita indi citur: *Epiſcopi, eorumque miniſtri omnibus modis elaborare ſtudeant, ut perniciosam, & à Diabolo inventam, & magicam artem ex parochijs ſuis pe nitus eradicent.* Sic Plinius *l.* 28. *cap.* 4. Sortilegia pro magicis ſuperſtitionibus accipit.

2 Aſt cum ſolũm *Sortilegium*, expreſſẽ hic reſervetur, ſolum illa ſpecies peccati intelligitur, quæ in rigore Theologico: immo & proprio, ac grãmaticali ſenſu tantùm eſt ſortilegium; *Legis* enim *verba in potiori ſignificatu ſunt accipienda, & ſecundum ſenſum grammaticalem*, ut ex *l.* 1. *§. qui in perpetuum ff. ſi ager veſtig. l.* 1. *§. ſi is, qui navem ff. de exercitor. act.* probat Barboſa *de princ. iur. lit. V. num.* 13.

3 Igitur, ſecundum ſenſum grammaticalẽ ſortilegium eſt rei futuræ per ſortes exploratio, & ſortilegi, qui per ſortes aliquid præ nuntiant, vel eligunt. Sic Cicero 1. *de divin. Non me ſortilegis: nec eos qui quæſtus cauſa ariolẽ tur:* & Horatius *de Arte*;

Et divina futuri
Sortilegis non diſcrepuit ſententia Delphis.

Et ex S. Iſidoro *l.* 8. *Ætym.* ita 26. *q.* definiú tur: *Sortilegi ſunt, qui ſub nomine fictæ Religionis per quaſdam, quas Sãctorum ſortes vocant, divina tionis ſcientiam profitentur, aut quantacumque ſcripturarum inſpectione futura promittunt.* Et ſortilegium â Theologis apud Cajetanum *ſum.* ita definitur *Sortilegum quo explicitè, vel implicite ad Dæmones auxilium, ſeu conſilium ſor te recurritur eſt, cum quis per ſortes inquirit, quis fecerit furtum, aut aliquid huiuſmodi ad divinationem pertinens, & ſimile eſt ſi ſortè quæratur, quid agendum.*

4 Vnde nõn omnes divinationes, nec omnes Dæmonum invocationes ſub ſortilegij proprié ſumpti nomine, ac conſequenter, nec ſub hoc caſu includuntur: ſed eæ tantum, quæ fiunt per ſortes, quas in conſultorias, diviſorias, divinatorias cõmunis Theologorum cum S. Thoma 2. 2. *q.* 95. *ar.* 8. diſtinguit: quarum vltimam ſẽm per illicitam: primam, & ſecundam aliquã do licitas, aliquando illicitas, eſſe laté docẽt Thomas Sanchez *l.* 2. *num* 38. Antonius de Souſa *Aphoriſm. Inquiſit. l.* 1. *cap.* 53. Suarez *l.* 2. *de Releg. tom.* 1. *cap.* 12. Trulench. *in Decalog. l.* 1 *cap.* 10. *dub.* 9. Bonacina *de ſuperſt q.* 5. *p.* 3. *à num* 12. & alij apud ipſos, ac noviſſimè Fer dinandus de Caſtro Palao *to.* 3. *tr.* 17. *diſp.* 1. *p.* 6. *a* 1. *ad* 12. Tu autem animadvertes, quod ſupertitiones, divinationes, aut ſortilegia aliunde Pontifici reſervata; hic non reſeruãtur, ſicut nec ij actꝰ, qui ad peccatũ mortale in hac materia non accedunt. De his ſupeſtitionibꝰ, ac de pænis impoſitis ſortilegijs, divinationibus, & maleficijs, conſule Caſtrum Palao *ſup.* præſertim *punct.* 13.

5 At veró licét probabile ſit ſub hoc 4. caſu omnes ſuperſtitionis ſpecies nõ reſervari in Hiſpalenſi Diœceſi, attamen in eadem ſub excommunicatione prohibentur, ac proinde ſub primo caſu comprehendũtur. Sic *tit. de ſortilegijs ca.* 1. *Eſtablecemos, que de aqui adelante todas las perſonas, que uſaren de hechizos ſortilegios, encantaciones, y adivinanzas, y de otros maleficios, o cõ ellos ſe aconſejaren, o fueren a ellos, o participarẽ en ſu delito en qualquiera manera (de mas de las otras penas en tal caſo eſtatuidas) los unos y los otros incurran en excomunion ipſo facto* &c. *Cap.* 2. Sic *Por quanto algunas perſonas traẽ conſigo nominas, o reçan oraciones, y prometen por ello algunos bienes; o eſcuſar algunos males, como q̃ no moriran en agua, fuego,* &c. *Mandamos ſopena de excommunion maior que ninguna perſona reçe las tales oraciones, o ſemejantes, y los que las tienẽ, rompan, y quemen dentro de un mes de la publicacion de las nueſtras letras y prohibimos que ninguna perſona traiga nominas ſin que primero ſean examinadas por Nos: o nueſtro Proviſor,* &c.

6 Hæc, & ſimilia ſub gravibus pænis corporalibus prohibentur in Synodo Granatenſi *tit. de ſortilegis, & Reliquijs*, Et Epiſcopis reſervari ex communi conſuetudine totius Eccleſiæ divinationes, Magias, Sortilegia, incantationes, Veneficia, inuocationes Dæmonum, abuſus, quood hæc ſacramentorum, & ſacramentalium aſſerit Molfeſius *tr.* 7. *cap.* 19. *num.* 13. & Layman *tr.* 6. *cap.* 12. *num.* 4. ait hîc ſortilegium eſſe *Magiæ exercicium, dummodó crimen grave ſit.*

SINGVLARE V.

Quid reſervetur in Hiſpalenſi Dioceſi, vel in quacumq; alia ſub hoc verbo: *Matrimonio clandeſtino?*

ASSIGNATVR in Hiſpalenſi
1 Diœceſi 5. caſus reſervat⁹, *Matrimonium clandeſtinum*, ſicut etiã in Pacis Auguſtæ Diœceſi. Ad cuius explicationem, omiſſis ſex clandeſtini matrimonij modis, quos Hoſtienſis, Ioannes Andrea, Ancharranus, Paludanus, ac S. Antoninus apud Sanchez *l. 3. de mat. diſ. 1. num. 1.* ennumerãt, duas tantum ſpecies hæc reſervatio comprehendere videtur. Prima eſt, cum ita clam fit matrimonium, ut teſtes, & Parochus deſiderentur: vel unus ex his, ſcilicet teſtes, aut Parochus; ſecunda cum denuntiationes ad eius publicationem ab Eccleſia petitæ ſine Ordinarij licentia, ſive permiſſu, non præxiſtunt. Has enim duas tantùm ſpecies matrimonij clandeſtini agnoſcunt Goffredus, Perez, Gutierrez, Spino, Salzedo, Caietanus, Sotus Veracruz, Palacios, Enriquez, Capua, Bartholom. à Ledeſma, Ludovic. Lopez, & Emmanuel, quos citat, & ſequitur Sanchez *num.* 3.

2 Quod in prima ſpecie locum habeat hæc reſervatio; probo ex Doctoribus aſſerentibus tunc incurri Synodalẽ excõmunicationem in Diœceſibus ubi matrimonium clãdeſtinum ſub excommunicatione prohibetur. Sic Enrriquez *l. 3. de mat. cap 5. num. 6.* & apud ipſum *li. D.* Covarruvias, & Gallo, Navarrus *cap. 22. num. 68.* Medina *l. 1. inſtruc. cap. 11. §. 8.* Manuel *1. tom. edit. 2. cap. 221. num. 1.* Bartolomæus à Ledeſma *de mat. dub. 8 fol. 1230.* Ludovicus Lopez *2. p. cap. 39.* Veracruz *1. p. ſpec. art. 10. fine*, & alij. Ergo, cum ſub reſervatione prohibetur matrimonium clandeſtinum, reſervatio tenebit in hac 1. ſpecie.

3 Nec obſtat, quod tunc ſit nullum: Quia ut docent Cardinalis *(Clem. fin. q. 12. de elect.* & Bertachin⁹ *report. lit. P. verb. Pœna invalida;* Pœna impoſita in caſu alicuius actus habet locum, ſi actus interveniat, licet de iure nõ tenuerit, ſeu ut ex *l. Quid ergo 13. §. cum autem ff. de his, qui notant; Quando lex reſpicit factum non curat de iuris effectu.* Et quoad hanc ſpeciem abſolutè clandeſtina matrimonia nominantur, & iudicantur à Tridentino *ſeſſ. 24. de Reform. matr. cap. 1.* & nihilominus ea irrita, & nulla de inceps eſſe declarat. Conſule Sanchez *ſup. d. 2.* qui *num. 3.* affert Molinam, Gutierrez, Veracruz, Vegam, Sotum, Cordubam, & alios, docentes pœnas per canones impoſitas matrimonio clandeſtino incurri ob clandeſtinum invalidum: licet ipſe à num. 5 cum alijs oppoſitum ſentiat.

4 Ait non ſolùm matrimonium hoc contrahere attentantes, ſed Parochum, & teſtes ipſi modo dicto cooperantes in hanc, vel ſaltim in relatam primi caſus reſervationẽ cadere conſtat ex hac Synodo Hiſpal. cũ in ea hi omnes ita *tit. de ſponſ. cap. 1.* excommunicantur: *Y porque el Parocho, o otro Sacerdote con menor numero de teſtigos, que dos o tres; y los teſtigos que ſin el Parocho, o Sacerdote ſe hallaren preſentes al dicho contrato y aſſi meſmo los dichos contrayentes [conforme al dicho Concilio] deven ſer caſtigados gravemente à arbitrio del Ordinario; ponemos, y promulgamos en los dichos contrayentes, y en las demas perſonas, que ſe hallaren preſentes ſegun dicho es, ſentencia de excomunion maior, en la qual incurren, ipſo facto.* &c. Ad hãc autem incurrendã neceſſum eſt, ut Parochus, vel teſtes ſciẽrẽt, & malitioſé adfuerint; ſi enim ex ignorantia culpæ, vel huius excommunicationis quamvis hæc ſit vincibilis, aut craſſa, iuxta Dianam *3. p. tract. 5. reſ. 12. & 13.* aut per vim, & metum iuſtum hoc fecerint, non incurrent.

5 Pro ſecunda etiam ſpecie, reſervationẽ prædictam fieri minus dubitarem: immo certum exiſtimarem: cum hæc potius ſit, quam vitare cupiunt, Synodi, & puniri ſolent Ordinarij. Licet enim plures Doctores allati à Sanchez *diſp. 1, num. 6.* aſſerant, pœnas in iure impoſitas pro matrimonio clãdeſtino, non incurri, quando illicitè omiſſę ſunt denuntiationes, ac ſine licẽtia coram Parocho, & teſtibus matrimonium fit: cum non fiat clam, ſed publicè, & in facie Eccleſiæ: Quia Parochus, qui eſt perſona publica, & teſtes, Eccleſiæ nomine adſunt; at verior ſententia, quam tuentur Navarrus, Rubeus, Blotus, Menochius, Cucus, Perez, Spino, Salzedo, Segura, Cervãtes, Enriquez, Manuel, Petrus de Ledeſma, & alij quos affert, & ſequitur Sanchez *num. 7.* docet propriè eſſe clandeſtinum, pœniſque clandeſtini ſubijci.

6 Probatur ex Concilio Lateranenſi, ut habetur *c. fin. de clandeſt.* ubi agens conciliũ de clandeſtinis, poſtquam dixerat denuntiationes faciendas, ait: *Si quis vero huiuſmodi matrimonia, ſic interdicta inire præſumpſerit* &c. & ſubijcit pœnas. Conſonat Tridentinum *ſup.* ſic loquens de clandeſtinis; *Sacri Concilij Lateranenſis veſtigijs inhærendo, præcipit S. Synodus, ut antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio Parocho denuntiationes fiant.* Ex lex 1. *tit. p. 4.* Sic; *Ca para no ſer el matrimonio hecho eucubierta mãote à menueſter, que antes que lo deſpoſaße, diga*

el

el Clerigo antes todos, como tal homes quiere casar.

7 Nec matrimonium hoc dicitur palam, & in facie Ecclesiæ fieri, cum Ecclesiæ solemnitas, & licentia desſint. Et ſi hęc ſecunda ſpecies, & prima non comprehenduntur ſub verbis huius reſervationis: illius lex numquam ſortietur, immo nec ſortiri poterit effectum, & fruſtra illa erit lata. Quod utrique iuri diſſonat, nam ex l. 1. §. *hæc verba* §. *Quod quiſque iuris. l. penali* §. *docere ff. nequis eum, cap. relatum, ubi Gloſſ. de Cleric. non reſid. c. qualiter de pactis: Verba debent intelligi cum effectu.* Quod verò aliæ conditiones deſſint matrimonio, cõſummari ſcilicet ante benedictiones, celebrari contra fidem ſponſalium, aut tẽpore prohibitis interdicto, vel aliæ ſimiles, ſicut non conſtitutunt matrimoniũ clandeſtinum ut docet Sanchez *d. 1. num.* 1. 2, & 3. ita nec ſub hac reſervatione comprehenduntur.

SINGVLARE VI.

Quid in verbis illis: *Vſuras, y Renuevos*, reſervetur in Hiſpalenſi, ac in alijs Diœceſibus?

1 EXTVS caſus eſt, *Vſura*; quę eſt ut definitur à Theologis cũ S. Thom. 2. *q.* 68 *lucrum immediatè ex mutuo proveniens.* hæc autem ſub reſervationẽ hanc, ac ſimilẽ Diœceſis alterius cuiuſvis, cadit, cum eſt manifeſta, ſicut pœnæ impoſitæ à iure, Vſurarijs non incurruntur, niſi in uſura manifeſta facto, vel iure. Hæ autem habẽtur *cap. quamquam de Vſuris l. 6.* & alibi apud Covarruvias *inf.* Infamia nempe iuris, privatio Euchariſtiæ, & confeſſionis, Eccleſiaſticæ ſepulturę, oblationis offerendæ, & aliorum, quæ videri poſſunt apud Leſium *l.* 2. *cap.* 20. *dub.* 22. & Bonacinam *d.* 3. *q.* 3. *p. ult.*

2 Facto autem manifeſti Vſurarij ſunt, qui palam, ita ut nulla tergiverſatione negari poſſit ad uſuram dant, vel accipiunt pecuniam. Iure autem is eſt manifeſtus Vſurarius, qui iudicis ſententia de hoc crimine eſt convictus, vel qui de ſe ipſo, legitimo iuris ordine, hoc crimen coram iudice confeſſus eſt, vel de quo illud per idoneos teſtes in iudicio eſt plenè probatum. Ita Bonacina *num.* 2. & Leſius *num.* 185. *cap.* ex Covarrubia *l.* 3. *variar. cap.* 3. *num.* 4. Hęc autem Vſura manifeſta hîc reſervatur, quia in iure reſervatam non eſſe ſub ex communicatione notavit Leſius *num* 186. ſed in Synodo Hiſpalenſi *tit. de Vſur. cap.* 1. excommunicatio maior fertur contra Clericos Vſurarios; eorumque contractus Vſurarij annullantur.

3 Septimus caſus eſt, *Renuevos*. Viros doctos conſului, & ſub hoc verbo aiunt intelligi contractum, quo quis alteri triticum [idem intelligendum de hordeo] dat mutuo, ut tempore meſſis eandem quantitatẽ reddat. Sed cum certum ſit hũc caſum, ſeu contractum non reſervari niſi in ijs circũſtantijs, in quibus graviter illicitus eſt, explanare opportet, quando liceat, vel nõ liceat. Sotus *l. 6. q.* 1, *ar.* 2. putat in mutuo ſemper poſſe exigi eandem menſuram, ſeu idem pondus, ſivè pretium creſcat, ſivè decreſcat; quia in illo proportio, ſeu æqualitas ſpectatur corporum quæ permutantur, non pretiorum aliter eſſet venditio. Et ita, qui mutuat decem modios tritici valentes nũc viginti argenteis, poteſt exigere totidem modios novi tritici, etiam ſi tunc valor creſcat ad 25. argenteos.

4 Aſt dicendum eſt. 1. Si dubium eſt, V. triticum valiturum ſit tempore meſſis pluris, aut minoris, quàm nunc valet, poteſt mutuator exigere parem menſuram novi tritici æquè in ſe boni, eamque ſuo tempore accipere, etiam ſi pretium eius valde creverit: quia par eſt utriuſque conditio; ſicut enim poteſt lucrum eſſe mutuantis, ita & detrimentum. Sic Leſius *l.* 2. *cap.* 20 *dub.* 17, *num.* 145. Villalobos *tom.* 2. *ira.* 22. *dif.* 3. *num.* 13. Exiſtimo tamen non licere cum eodẽ Leſio *num.* 146. ſi probabile ſit triticum valiturum pluris tẽpore meſſis, quia ſub hac probabilitate dubium non eſt, utrum minoris ſit triticum valiturum; nam ſi hoc etiã probabile ſupponatur, primus dubij caſus erit, non ſecundus meræ probabilitatis maioris petij, cum nequeat nõ adeſſe animus uſurarius, atque ſi effectu ſequatur lucrum erit obligatio reſtituendi.

5 Si verò certum eſt pluris valiturum tempore meſſis, certum etiam eſt non poſſe mutuari, ſeu renovari ad æqualitatem, ita quod pro centũ modijs nũc traditis alij cẽtum ex novo, vel veteri tritico tunc reddantur, cum triticum vetus, quia peioris conditionis minus forſan foret æſtimandũ, niſi enim aliqua cauſa lucri ceſſantis, damni emergentis, aut periculi interveniat erit manifeſta Vſura, cum hæc iuxta Doctores apud Bonacinam *ſup. p.* 2. *à. num.* 5. commitatur, quando ſperatur, vel intenditur lucrum immediatè ex mutuo, tanquam ſibi debitum ex obligatione iuſtitiæ. Poteſt verò tunc compenſari æqualitas pretij cũ inæqualitate etiam tritici v. g. ſimutuo nunç dem decem modios; dum valent 25. ar-

argenteis, poſſum paciſci, ut ex novo tritico reddas mihi duodecim modios, & dimidiũ: ſi tempore reſtitutionis ſinguli modij non valebunt niſi 22. argenteis; quia illis duodecim cum dimidio æquales erunt in æſtimatione mei decem. Sic Leſius *num.* 146. Sylveſter *verbo Vſura* 1, *q.* 17. Reginaldus *l.* 25. *num.* 186. Bonacina *p.* 3. *num.* 25. & alij contra Azorium 3. *p. l.* 7, *cap.* 10. *q.* 9.

6 At verò ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, aut periculi, cui exponitur triticum, ſive moleſtiarũ, aut expenſarum in eo recuperãdo, licet hic contractus, cum ſpe maiori lucri, dum hæc ad æqualitatẽ cõpenſentur cum maiori tritici valore; quia ut eſt communis Theologorum doctrina, & copioſé probat Bonacina *p.* 4, & 5, ratione horum poteſt mutuator aliquid ſupra ſortem accipere à mutuatario: nec uſura committitur, cum hoc augmentum non proveniat immediatè & præciſé ex mutuo ſed ex cauſis aſſignatis. Et hinc uſuram nõ committi in renovatione tritici docent nominatim Navarrus *cap.* 17. *num.* 224. Molina *de iuſt. diſp.* 311. *num.* 4. Rebellus *l.* 8. *q.* 4. *num.* 9. Azorius 3. *p. l.* 5. *cap.* 7. *q.* 1. Reginaldus *n.* 187. & alij: inter quos ſic Bonacina *p.* 3, *n.* 26. *Secundò colligitur non committi Vſuram, quando quis mutuat vetus triticum, ut tantundem novi ſibi reddatur ſi tantum valet vetus, quantum valebit novum, aut quantum ſperatur valiturum, nam ſervatur æqualitas inter datum, & acceptum & mutuator non reportat commodum cum damno mutuatarij.*

Igitur cum hic contractus eſt graviter
7 illicitus; quia eſt Vſura, tunc tantummodó eſt caſus reſervatus. Nec obſtat quod ſufficienter reſervatus iam erat ſub reſervatione Vſurę, quia ſæpe contingit tam in iure communi, quam in Synodis ſpeciem ſupremam alicuius vitij reſervari & ſimul exprimi infimam. Sic ſacrilegium, & ſimul acceſſus ad Monialem profeſſam aliquibus in Diœceſibus reſervãtur. Præterea, quia ad hoc, ut quis incidat in hãc reſervationem non eſt neceſſum, ut ſit manifeſta Vſura eius, ut aliæ ſunt, ſed ſufficit quod ſit paliata, ut veré eſt paliata uſura Renovatorum.

SINGVLARE VII.

Quid contineatur ſub his reſervationis verbis: *Diezmos retenidos?*

1 VLTIMVS caſus eſt; *Diezmos retenidos.* Idem reſervatur in Epiſcopatu de Badajoz ſic: *Vſuras, y Renuevos, y Diezmos retenidos.* Nõ reſervari in hoc caſu Primitia rum rẽtentionem pro certo exiſtimo, quia cum ſolùm exprimat hæc reſervatio, quæ eſt quædam lex, decimas, & hæ ſint quid diverſum à primitijs, ad illas non eſt extendenda, nam ubi lex non exprimit, nos exprimere non debemus *l. de pretio ff. de public. in rem. act. cap. conſuluiſti de maior. & obed.* Et *Verba in lege tantum valent, quantum ſonant, ſeu demoſtrant volantatẽ legislatoris* iuxta l. *Labeo §. idem ff. de ſupel. leg. l. ſcire ff. de tut. & curat.*

2 Quod ſint quid diverſum patet: nam nomine *Decimæ* intelligitur *quota bonorum debita Eccleſiæ miniſtris in ipſorum ſubſidium*, ut ex Hoſtienſi, Alexandro, Thuſco, Azorio, ac alijs docet Bonacina *q.* 5. *p.* 1. *de decim. num.* 1. iuxta id quod S. Hyeronimus *in Ezechiel* dixit, & offertur *C. Decimam. Decimam partem omnium frugum Levitis tribui populus ex lege debebat.* Primitię verò ſunt *primi fructus agrorum, & arborum*, iuxta id *Deutoron.* 29. *Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo*, Vnde rectè Leſius *l.* 2. *c.* 39. *dub.* 6. *num.* 30. *Hinc patet*, inquit, *primitias diſtingui à decimis; primitiæ enim ſunt primi fructus: decimæ ſunt decima pars fructuũ: illi immediatè offerũtur Deo in gratiarum actionem pro frugibus terræ, deinde decedunt in uſum miniſtrorum; hæ proximè Sacerdotibus dantur in ſtipendium ſuſtentationis ob miniſterium ſpirituale.*

3 Igitur cum reſervatur decimarum retentio, non reſervatur detentio primitiarum: ſiquidem hæ non exprimuntur iuxta illud iuris axioma: *Verbo quod quis non expreſſit, mẽte non videtur comprehendiſſe: cap. tua de ſponſal.* Vbi notat Thuſcus *to.* 8. *lit. V. conſ.* 89. *num.* 3. Nec obſtat, quod in alijs Diœceſibus, ut in Cordubenſi, Malacitana, Gienenſi, Granatenſi, & in alijs communiter utriuſque rei retentio ſimul reſervetur ſic: *Retencion de diezmos, y primicias*; nam *ius uniuſcuiuſque provinciæ ex facto oritur*, ut ex l. *ſi ex plag.* 53. §. *in clivo. ff. ad leg. Aquil. l. fin. in princ. ff. de usur. iuran.* docent Menochius *conſ.* 2, *num.* 208. Antonius Monach. *deciſ.* 48. *num.* 6. & Barboſa *de princ. iur. lit. F, num.* 13.

4 Aſt, licèt ſub hoc ultimo caſu non contineatur primitiarum retentio: continetur tamen ſub primo, quatenus ſub excommunicatione prohibetur in hac Synodo Hiſpalẽ ſi *ti, de. decim. cap.* 1. ubi: *Mandamos ſopena de excomuniõ maior, que todas, y qualeſquier perſonas paguen fiel, entera, e igualmente de lo que cogieren, y no de lo peor* [*guardando el tenor de las proviſiones reales, que aqui van inſertas, ſin deſcontar, ni quitar coſa alguna por razon de lo que ubieren ſembrado, ni por otros gaſtos, que en la ſementera, o coſecha ubieren hecho, o hizieren, ni por otra coſa alguna*] *los diezmos, y primicias del pan, vino, y ganado*

nados, y de todas las otras ganancias, y frutos, que Dios N. S. les diere, que son è fueren obligados a dezmar, conforme a derecho, o costũbre legitimamente prescripta, y no hagan en ella fraudes, ni colusion alguna: e los que lo contrario hicieren, queremos, que ipso facto incurran en la dicha sentencia de excomunion, y que no sean absueltos della hasta que con efecto ayan restituido lo que ubieren dexado de dezmar.

1 Circa intelligentiam huius excommunicationis cõsule circa eã, quæ imponi iubetur à Tridentino *sess.* 25. *de reform. cap.* 12. Enriq. *l.*13. *cap.* 28. Molinam *tr.* 2. *d.* 756. Navarrum *cap.*17. Monetam *cap.* 8. *q.* 5. & Bellarminum *ibi.* Hactenus casus reservati in Hispalensi Diœcesi: iuxta quorum explicationem aliarum Diœcesum casus explicari possunt.

SINGVLARE VIII.

V. Quodcumque peccatum mortale externum circa materiam casuum reservatorum in quacumque Diœcesi, cadat sub reservationem?

AFFIRMATIVA sententia suadetur, quia quælibet culpa le-
1 thalis capax est reservationis, etiam si interna sit, ut probant Vazquez *de pœn. q.*91. *art.*5. *dub.* 2. Suarez *disp.*29. *sect.* 2. *num.* 13. & alij; immo & mortale dubium, an sit tale, vel veniale, posse reservari docent Suarius, Armila, Enriquez, Sanchez & Corduba, quos citãt, & sequuntur Hurtado *disp.*11. *de pœnit. dis.* 5. & Aloysius de Torres *disp.*31. *de pœnit. dub.* 3. Ratio est, quia ad absolvendum ab his requiritur iurisdictio, ut pote materia confessionis: ergo si externa sint, eo ipso quod certò accedant ad culpam mortalem cadẽt sub reservationẽ. Atque in Religionibus reservatur, aut statuitur reservari posse. *Furtum de rebus conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale*, ut ait Clemens VIII. in suo decreto de hac reservatione edito anno 1593. & allato in 4. tomo Bullarij *fol.* 273. sic: *Proprietas contra votum paupertatis, quę peccatum sit mortale*. Et ita in Religionibus reservari videtur omnia peccata mortalia in singulis materijs, in quibus fit reservatio; ergo idem iudicandum erit in Diœcesibus.

Adhuc dicendum existimo, non omnia
2 mortalia externa circa materiam reservatam versantia, sub reservationem cadere, sed ut cadant requiritur in aliquibus casibus, quod quantitas graviter excedat mortalis peccati quantitatem. Probatur ex Tridentino *sess.* 14. *ca.*7. graviſſima peccata tantum reservanda fore sic statuẽti: *Magnopere verò Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina, non à quibuslibet, sed à summis dũtaxat Sacerdotibus absolverẽtur. Vnde merito Pontifices Maximi suprema potestate sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores, suo poterunt peculiari iudicio reservare. Neque dubitandum est, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat.*

3 Consonat Clemens VIII. ex cuius mandato sacra Congregatio Tridentini in decreto edito 26. Novenb. anno 1602, quod affertur à Quaranta *verb. cas. reserv. fol.*163. sic Ordinarios admonet; *Sed ne locorum Ordinarij, ad quos casuum reservatio spectat, in ea re modum excedant, eadem Sacra Congregatio illos rursum admonendos censet, ut non passim sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantùm, & graviorum criminum absolutionem sibi reservent; ne alioquin Sacramenti Pœnitentiæ Ministrorum coarctata potestate sanctæ Matris Ecclesiæ piæ menti cõtrarius effectus subsequatur.*

4 Quis autem credet in vera sapientium existimatione omnia mortalia etiam externa, circa materiam reservatam esse ex gravioribus, & atrocioribus criminibus? Reservantur v. g. Iuramentum falsum, iuridicè factum in damnũ Tertij in Hispalẽsi Diœcesi; sacrilegiũ, seu furtum de rebus sacris; contractus Vsurarius, & decimarum retentio, si damnum Tertio illatum, aut furtum est duntaxat duodecim aut quatuordècim argenteorum, aut retinetur in decimis hæc quantitas, aut in eadem solùm usura committitur; quamvis hæc sint peccata mortalia, quis ea graviora, & atrociora crimina dicet? Nemo sanè, cũ hæc atrocitas regulariter existimanda sit non ratione solius qualitatis, seu speciei, sed etiam quantitatis: aliter qui ex Ecclesia, vel ex decimis usurparet, aut retineret rem duodecim argenteis æstimabilem, atrociſſimus latro, & sacrilegus graviſſimus iudicandus foret, quod est absurdum.

5 Hinc in decrèto supra relato Clementis VIII, & allato à Quarãtà *verb. casus fol.*168. admonentur Ordinarij: *Ne reservent illos casus, qui & si mortale peccatum inducant, res tamen sunt parvi momenti, & quæ frequenter inter idiotas evenire solent, velut damni dati* &c. Quantitas ergo duodecim argenteorũ, licet sufficiens sit ad mortale, non tamen ad reservationem prudenter in Diœcesibus faciendã; cvm ad hanc requiratur gravitas valde cõ

side-

ſiderabilis, aut atrocitas in crimine reſerva to iuxta inſtructionem Tridentini, & Clemẽtis VIII. Vnde licèt furtum hoc ſit grave in ratione peccati, non tamen eſt in ratione reſervationis. In quo ſenſu locum habere poteſt ſententia, quam ex Finellio, & Belloquio ſequitur, Diana 5. *p. tract.* 5. *reſol.* 46. ubi ait, in caſibus reſervatis dari parvitatem materiæ excuſantem à reſervatione.

6 Ita proportione ſervata dicendum de excommunicationibus de facto impoſitis in Concilijs, & Synodis, & ita in Hiſpalenſi *ti. de ſent. excom. cap.* 1. ſtatuitur. *Las cenſuras Eccleſiaſticas ſon armas de la Igleſia, y aſſi ſe an de exercitar con mucha diſereccion, y prudencia, para que ſeã temidas, y no menoſpreciadas. Por tanto conformandonos con la diſpoſicion del S. Concilio Tridentino mandamos a nueſtros juezes, que no dẽ cartas de excomunion generales por coſas livianas, y de poca cantidad.* Et ſic ſtatutum eſſe circa reſervationem caſuum, eſt intelligendum; cũ etiam reſervationes ſint arma Eccleſiæ.

7 Ad id, quod in contrarium allatum initio eſt. R. Quod licèt fateamur capacem eſſe reſervationis quamcumque mortalem culpam, & ita validam futuram reſervationem circa illam factã iuxta ſententiã Sylveſtri, & Henriquez, quos refert, & ſequitur Suarius *de pœnit. ſect.* 4. *d.* 29. non tamen hæc eſſet prudens, nec licita iuxta eoſdem, ac alios, quos refert Enriquez *l.* 6. *cap.* 14. *num.* 3. cum potius in deſtructionem, quam in ædificationem tenderet: & ſic credere debemus reſervationes ab Ordinarijs factas eſſe tantummodó atrociorum criminũ iuxta mentem Tridentini, & Pontificum: atque ita non quodlibet mortale circa materiam reſervatam reſervare voluiſſe: Immo arbitraretur quis forſan, nec valide potuiſſe iuxta ſententiam Soti, & Ricardi, quos refert, & ſequitur Vazquez 4. 19. *art.* 3 *dub.* 4. ac aliorum, quos ſequitur Enriquez *ſup. lit. P.* Porro admiſſa capacitate reſervationis in mortali admittetur poteſtas oſtenſa ex iuriſdictione neceſſaria ad eorum abſolutionem.

8 Ad id quod additur de Religionibus R. 1. Atrociorum criminum reſervationem fieri á Pontifice, ac Epiſcopo ſtatuiſſe Tridentinum, non verô à Religionibus, cum non de harum, ſed de illorum reſervatione ibi ſit ſermo. Diſcrimen ad hoc fuit manifeſtum: nam cum Regulares profiteantur perfectionis ſtatum, non ita gravia peccata reſpectu illorum reſervari par eſt: ſecus verò reſpectu ſæcularium, qui eum ſtatum non profitentur. Præterea, quia quod non ita grave eſt, ſi in ſæculari conſideretur, gravius eſt in Religioſo ſpectatũ. Vnde illud quod ut quid grave reſervari, & ſub excõmunicatione prohiberi poteſt Sacerdoti, vel Religioſo ratione ſui ſtatus perfectioris, quem profitentur, non debet pro laico reſervari; nam reſpectu illius non ita grave erit, ut notant Bonacina *de cenſ. d.* 1. *q.* 1. *p.* 3. *num.* 9. Avila 2. *q. q.* 5. & alij. Sed animadverte in aliquibus caſibus, eo ipſo, quod ſint mortalia peccata in materia reſervata, ſub reſervationem cadere, ut in ſuperſtitione, & ſortilegiorum ſpeciebus, & ſimilibus: eò quod hæc ex genere ſuo atrociora ſint peccata.

SINGVLARE IX.

V. Parochi reſpectu ſuorum Parochianorum & Confeſſores Ordinarij reſpectu Regularium ſui conventus, valeant ſine nova Prælatum facultate abſolvere á caſibus reſervatis?

AFFIRMATIVA pars probari poſſet ita: 1 Parochi ratione ſui muneris ſunt Paſtores, & habẽt iuriſdictionẽ ordinariam in ſuas oves, non ab Epiſcopo deriva tam, ſed á ſummo Pontifice, à quo procedit parochiarum diviſio; ergo illam Epiſcopus limitare nequit, reſervando ſibi abſolutionem aliquorum caſuum, & ad illam impertiendam facultatem à Parochis aufferendo. Quod argumentum proportionatè fieri poteſt reſpectu Confeſſoris Ordinarij Regularium, cum ſit velut Parochus illorum, & Prælatus velut Epiſcopus: ergo hi non indigent nova licentia ad abſolvendum oves ſuas á reſervatis.

Sed hoc non poſſe, certum omnino eſt, 2 & praxis ita fert: uidemus enim Confeſſores ordinarios in Religionibus petere facultatem hanc à Prælatis: & Parochos ab Ordinario: ni Parochianus habeat Cruciatam, virtute cuius communiter abſolvuntur ſæculares à reſervatis. Et ſi aliquis Parochus ſine Cruciata, aut ſine facultate tacita vel expreſſa abſolvit: irrita cenſetur abſolutio: ergo &c. Probatur etiam ex facultate conceſſa Parochis ad audiendas confeſſiones, quæ eadem eſt omnino, ac illa, quæ cõceditur alijs Confeſſoribus ſæcularibus, & Regularibus, & in ea hęc clauſula ſemper in omnibus ferè Diœceſibus apponitur: *Por la preſente damos licencia, y facultad para que en eſta Ciudad, y nueſtro Arcobiſpado, oyga de penitencia a todas las perſonas, que con el ſe quiſieren confeſ-*

confeſar, y los abſolvera de todos ſus pecados, excepto de los a Nos reſervados. Sic in Hiſpalenſi, Granatenſi, Malacitana, Giennenſi, Cordubenſi, & alijs Diœceſibus.

3 Hanc ſententiam ut omnino certam tuẽ tur Suarez *d.29.ſect.1.num.6.* Vazquez *q.91. ar.3.dub.10. num,* 10. Navarrus *ſum cap.27. num,* 263. Bellarminus *in ſeſ.14.cap.7.Tridẽt.* Barboſa *de Parocho cap. 19. num.42.* ac Lugo *de pœnit.diſp.20.ſect. 1. num.3,* Et probant, vel quia Epiſcopi habent ex conceſſione, ſeu commiſſione Pontificis facultatem reſervandi peccata, & Parochorum poteſtatem, quo ad hoc limitandi, ut ſentiunt Vazquez, & Suarez *ſup.* vel quia hanc poteſtatem habent Epiſcopi directè à iure divino; & in directe á Pontifice, qui velut Paſtor, etiam Parochorum, & omnium fidelium, Epiſcopis hanc reſervationem commiſſit, ut notat Lugo.

4 Confeſſorẽs ordinarios Regularium nõ poſſe eos abſolvere à reſervatis expreſſé decernit SS.D. N. Clemens VIII. ſuo decreto referendo Singul. 11. n.4. Quoad hos enim caſus manifeſtè reſervatos non habent hi maiorem poteſtatem, quã alij Confeſſores, non deputatí, niſi cum negata licentia iuriſdictio ad illos devoluitur. Vnde imeritò. Villalob. *t.1.tr.2.clauſ.9.§.2.n.12.* & apud ipſum Curiel, Antolinez, Cornejo, & alij aſſerunt virtute Cruciatę poſſe Regulares abſolvi à reſervatis â Confeſſario pro ipſis deputato: quia Bullæ Clemẽtis, & Vrbani VIII. omnibus ęquè uſum Cruciatæ quoad reſervata prohibent.

5 Aſt, ſi ex conſuetudine rectè introducta, & ſcientibus, ac conſentientibus Prælatis in aliqua Diœceſi, Parochi, vel in aliqua Religiõne Ordinarij Confeſſorés abſolverent â reſervatis, valida eſſet abſolutio; cõſuetudo enim illa vim legis, aut facultatis haberet. Sed maximé attendendũ eſt, ne ſit corruptela, præcipuè in Religionibus; cũ Põtifices, & noviſſimé Vrbanus VIII. hoc Confeſſoribus Ordinarijs ſatis manifeſtè denegẽt, ut videbimus infra, ac contra ius poſiti vũ fundatum in divino iure [tale enim eſt poteſtas reſervandi caſus, ut probant Doctores plures] difficillimè prævalere poterit conſuetudo: niſi dicamus hanc eſſe tacitam licentiam; cum Prælati ſciant abſolutionem à reſervatis dari ab his, & non impediant.

6 Si verò in licẽtijs, quas Epiſcopi, vel omnibus, vel aliquibus dant, concederent facultatem generalem abſolvendi ab omnibus peccatis, & caſibus, quamvis non adderent: *Etiam à caſibus per Nos reſervatis*; ab his poſſet tunc Confeſſor ſine nova facultate, & ſine Cruciata, aut alio privilegio abſolvere, quia *lex generaliter loquens, generaliter eſt intelligenda. l.de pretio ff. de publ. in rem. actio l. in fraudem §.ult.de teſtam. milit.l.1.§. generaliter ff. deleg. præſtand.* Riccius *prax.deciſ.419. num.* 1. Ioannes Narbona, *de appellat.p.1.num.27.* Surdus *conſ.271.num.* 28. Valaſcus *conſ.113.num.21. Et qui nullum caſum excipit, omnes, quos poteſt, comprehẽdit.* Solutio rationis dubitandi patet ex dictis, etiam admiſſo, quod diviſio Parochiarum ſit â ſummo Pontifice, & quod Parochi iuriſdictionem habeant ab eodẽ non ab Epiſcopo immediatè: de quo non diſputamus.

SINGVLARE X.

V. Expediat, vel ſaltim liceat facultatem generalem concedi Parochis, ut in ſua parochia, & Cõfeſſoribus aſſignatis pro Regularibus, ut in ſuo monaſterio, vel aliquibus perſonis particularibus, ut in Diœceſi, vel Religione, abſolvant à reſervatis?

1 POSSE Epſcopos generaliter concedere Cõfeſſoribus quibuſcumque licentiam generalem ad abſolvendum ſibi ſubditos â reſervatis in Diœceſi, dubium eſſe non poteſt; cum poſſit delegare ſuam iuriſdictionem quoad hanc partẽ ſine ulla limitatione, & pro arbitrio ſuo, ſicut, & pro illo poſſunt caſus reſervare, ut ſtatuit Tridentin. *ſeſ.14.c.7.* ijs verbis *Cauſas aliquas criminũ graviores ſuo poterunt peculiari iudicio reſervare.* Nec lex aliqua, aut conſuetudo hanc poteſtatẽ Ordinarijs limitavit.

2 Sic etiam nec Religionum Prælatis, non ſolùm Generalib⁹, aut Provincialibus; ſed etiam immediatis monaſteriorum, aut domorũ hæc poteſtas limitata eſt, licèt enim hi reſervationem caſuum factam in Capitulis Generalibus, vel Provincialibus auferre circa ſuos ſubditos, nequeant: poſſunt tamen alteri [etiam ſi Confeſſor Ordinarius illius conventus non ſit] delegare generaliter facultatem ordinariam, quam Prælati habent ad abſolvendum ab huiuſmodi peccatis etiam futuris. Et ſi eam ita generaliter concedãt ſine ulla limitatione, intelligitur conceſſa ſine onere comparendi, aliàs inutilis foret conceſſiò generalis, ſi ſingulis vicibus ad Superiorem recurrendum foret. Et ſicut hæc concedi poteſt Confeſſori, ut abſolvat, ſic & ſubdito, ut abſolvatur; eadem enim eſt in utroque ratio, &

circa neutrum coarctata eſt á iure hæc poteſtas.

3. Expediret autem, ut Epiſcopus in ſingulis locis ſuæ Diœceſis aſſignaret Cõfeſſarios pios, & doctos, quibus, vel ingenerali pro totius anni decurſu, vel ſaltim pro præcipuis anni feſtivitatibus committeret reſervatorum abſolutionem, ut docet Mòlfeſius *tr. 7. cap. 19. num. 8.* & innuit Zerola *verb. caſus ex Magiſt. ſent. princ. 3.* ac expreſsè decernit ſacra Congregatio Cardinalium negotijs Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, quæ ex mente Clementis VIII. ſcribens 26. Novẽb. 1602. ad Archiepiſcopum Neapolitanum ſic ait: *Inſuper de ipſius Sanctitatis mandato ijdem Ordinarij monentur, ut per totam ſuam Diœceſim, ac præſertim in ijs locis, qui à civitate, & Cathedrali ſede longiùs remoti ſunt, Pœnitentiarios, aliosque Sacerdotes conſtituant, ac delegent, quibus facultatem abſolvendi à caſibus ſibi reſervatis concedant, ita ut his quoque liceat eandem alijs Confeſſoribus ſi opus ſit, etiam viva voce impartiri: idque maximè in ſolemnioribus, & præcipuis anni feſtivitatibus, ut peccatores, quibus ob via, & facilis fuerit huiuſmodi Sacerdotum copia ad peragendam confeſsionem alliciantur: quia alioquin plerique, vel ob id ipſum committere poſſent ſi neceſſe haberent, pœnitentiæ Miniſtros, quibus indigent, longiùs quærere.* Ita refertur á Quarãta *ver. caſus fol. 165.* Et hoc non ſolùm expedire ſed omnino neceſſarium eſſe exiſtimo in omnibus locis, ubi Cruciata non eſt conceſſa; & ubi Religiosorum conventus non ſũt qui ex ſuis privilegijs ab his caſibus abſolvere queant, & in hoc debent ſe Ordinarij nimis faciles, & liberales oſtendere.

4 Quoad Religioſos non ita facilè hoc admitterem: immo abſolutè negarem expedire; cum ſemper intra domum habeant [vel cito habituri ſint, ſi fortè mane, vel veſpere abſit] Prælatum, qui eam facultatem poſſit cõcedere; & ſtrictiùs conſulendum eſt perfectioni Religioſæ; quam ſæcularium diſciplinæ: Aſt in aliquibus caſibus exiſtimarem hanc generalem facultatem concedendam. Nam. I. poterit Superior Confeſſario ordinario illam concedere pro occaſionibus, in quibus Superior vel eſt occupatus, vel ipſi eundum eſt extra urbem, & differri nequit ſacrificium, vel communio, ſine nota: quia ſi non communicat: vel ſacrificat Pœnitens cũ ceteris, vel ſolito tẽpore, non levis ſuſpicio de gravi peccato reſervato generaretur. II. In Conventibus paucorum Regularium expediet, ut Superior immediatus illam etiã concedat: ne cum petitur, colligi poſſit, quis nam ſit is, pro quo petitur,

5 III. Etiam ſcrupuloſo, pœnitenti aliquoties concedi oportet generalem facultatem, ne ſcrupulis angatur, & cõficiatur, exiſtimans ſe ſine licentia abſolvi non poſſe, quia falſò iudicat ſe paſſim in reſervata incidere. IV. Pro aliquibus magnis feſtivitatibus ter, aut quatuor in anno, etiam, forſan concedenda foret, niſi in deſtructionem potius, quam in ædificationem vergere cognoſceretur. Quod, ut etiã priora, prudentiæ Superiorum eſt relinquẽdum, & praxi, quæ frequentior eſt in Religione ſtandum. Generaliter verò omnibus Confeſſarijs ordinarijs, & pro omnibus ſubditis nullo modo concedenda eſt hæc facultas generalis: quia talis conceſſio eſt expreſsè contra finẽ intentum per reſervationem, ut patet ex Tridentino: qui eſt, ut Pœnitens, experiẽdo difficultatem, & onus illud comparendi ante Superiorem, cohibeatur à peccatis perpetrandis.

6 Nec dictis obſtat quod Clemens VIII. in decreto pro reſervatis dicat; *Quod Confeſſoribus aſſignatis reſervatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit*: nam non ideo negatur, quod etiam committi poſſit, antequam caſus occurrat, ſeu pro caſu futuro; ſolùm enim ſibi modũ, quo communiter delegatur hæc poteſtas adnotatur: quia tũc petitur á Pœnitente, vel Confeſſario, cum actu indigent ea.

SINGVLARE XI.

Practicæ, & ſelectæ obſervationes pro Regularium [nec non Sæcularium] Confeſſoribus quoad caſus reſervatos.

MITTO plures, quia prævię in Doctoribus: quarum prima erat; quod ignorantia reſervationis ſive iuris, ſive facti, etiã ſi culpabilis ſit, ſeu vincibilis excuſat â reſervatione. II. Caſus dubius vel ſub opinione poſitus, an ſit mortalis, vel an ſit reſervatus, talis non præſumendus eſt, & ita abſolvi poteſt á Confeſſario dubitante: & ſi poſt abſolutionẽ reſervatus fuiſſe manifeſtetur, non eſt neceſſarius recurſus ad Superiorem. III. Cum caſus reſervatur, non comprehenduntur ſub illo conſiliantes, cooperantes, auxiliantes &c. IV Actio externa ſub reſervatione prohibita ad conſummationem accedere debet, ut talis ſit; ut ſi reſeruetur *Lapſus carnis voluntarius opere conſu-*

consumatus, oscula, amplexus, tactus, visus graviter libidinosi, etiam in ordine ad copulam, dum non sit subsecuta, reservata non sunt; secus si reseruatur, *Quidquid est contra votum Castitatis, quod in actum externum prodeat.*

2 V. Mortuo, vel amoto Superiore casus sibi reservãte, illorum reservatio cessat, nisi facta sit per modum statuti, vel constitutionis vel consuetudinis vim legis habentis ab eo, 5 qui statutum, legem ve condere potest; vel nisi aliter sit stabilitum in aliqua Religione. Sic in Societate Iesu, præcepta Generalium, saltém in scriptis promulgata, reservationes etiam, aut Ordinationes, sicut & privilegiorum communicationes non expirant morte Generalis, sed perse verant donec à successore revocentur; ut statuitur in V Congregatione *decre. 1. can.* 23. & in VIII. *decre. 67. can.* 10. notatq; Palao *t.* 3. *tr.* 16, *d.* 5. *p.* 9. *num.* 1. Vbi explicat præcepta, quæ in Societate sunt. Ad dunt Fagundez *l.* 2. *in* 2. *Eccl. præc. cap.* 51. & Pasqualigi[9] *decis.* 496. *num.* 6. Quod reserva- 6 tio in visitatione Regularium à Provinciali, vel Visitatore facta cessat cessante officio mandantium. Idem de præceptis, & censuris tenent.

3 VI. Si idem peccatũ reservatũ sit Generali, & Provinciali, vel Capitulo Provinciali, qui potest absolvere à casibus Generali reservatis, potest ab illo. Sic quoad casum Pontifici, & Episcopo reservatũ docent Suarius *d.* 31. *sec.* 4. *num.* 5. & Ludovicus de Torres *d.* 31. *dub.* 9. VII. Si ab eodem Superiore v. g. Provinciali Capitulo (sive sit idem propter identitatem personæ, vel dignitatis, seu prælationis) idem casus pluries reservetur, etiã per statutũ, ablata una reservatione, aufertũ tur reliquæ: Secus si á pluribus cum excommunicatione: ita ut dicantur plures esse propter plures excommunicationes reservatas, Sic Suarius, & Torrès. *sup.*

4 His prælibatis, sit prima observatio, Si Cõfessario pro Regularium confessionibus deputato Prælatus neget facultatem ad absoluendum sibi subditum â reseruatis, non est dubium, quin hic possit pro illa vice illum absolvere; ná expresse decernitur a SS. D. N Vrbano VIII. qui postquam retulit decretũ de casuum reservatione á SS. D. N. Clemẽte VIII. editum anno 1593. Maij 26. in quo statuitur: *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori: ijque sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui á non reservatis eos absolvãt, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur quando casus occurrerit: in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicaverit* &c. hoc concessit, ut patet in quarto tomo Bullarij *fol.* 273. nã ex ipsius mandato hęc addũ tur: *Sãctitas sua deinceps declaravit, ut si huiusmodi Regularium Confessarijs casus alicuius reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarij illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate absolvere.*

Sed animadvertendum, quod si Confessarius pro una domo assignatus petat facultatem à Superiore alterius domus eiusdem Religionis ad absolvẽdum sibi subditum; si hic eam deneget, non potest ille eum absolvere; hęc enim concessio solùm locum habet respectu Confessoris illius domus, in qua ille cõmoratur, pro quo facultas expositur: secus si esset Cõfessarius pro universa Provincia, vel pro omnibus domibus alicuius civitatis v. g. Hispalis assignatus; tũc à quocunq; ex illarum Superiore negetur, ad prædictum Confessarium iurisdictio devolvitur.

Secunda observatio: Idem probabiliter dicendum, si viro prudenti, Religioso, & docto, ei videlicet, qui meritò in Regularium Confessorem eligi valeat, licet non sit ex designatis de facto, hæc facultas a Prælato denegetur: nam probabile videtur id, tunc maximè, si ex præcepto, regula, vel consuetudine instat necessitas communicandi, vel celebrandi, vel infamiæ periculum, nisi celebretur, aut communicetur, absolvi potest ille, qui per huiusmodi virum facultatem petijt. Ita Enriquez *l.* 3. *de pœn. cap.* 13. *num.* 6. Rodriguez *tom.* 1. *sum. cap.* 55. *num.* 10. Fagundez *in.* 3. *præc. Eccl. cap.* 9. *dub.* 17. *num.* 17. Trulench *l.* 1. *cruc.* §. 7. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 5. Naldus *ver. Religios. num.* 44. Diana 3. *p trat.* 2. *res.* 126. Tamburinus *de iure. Abbat. tom.* 8, *d.* 13. *q.* 8. *num.* 3. & alij: quia tunc prę. sumitur licentia de præsenti, non ex ratihabrione de futuro, alterius Prælati, qui sit immediato Superior, v. g. Provincialis, Generalis, aut Papæ propter vitandum scandalũ, & ne oves suę pereant.

7 Idem dicendum cum Superior licentiam committit eam petenti, sed cum obligatione se ipsum manifestandi iuxta doctrinam Soti, Enriquez, Ledesmæ, Navarri, & Victoriæ apud Fagundez *num.* 23. asserentium, tunc posse communicare præmissa confessione omnium aliorum peccatorum præter reservatum, cum proposito confitendi illud, cum potuerit. Sed illud etiã tunc Confessori illi iudico confitendum, & ab eo absolvendum esse pœnitentem ob licentiam tacitam, aut præsumptam aliorum

Superiorum: quia ut ex Enriquez ait Trulench ſup. *ſi minuſcè urgetur, habetur pro conceſſa*; & ut talem habendam fore docent plures DD. apud Leand. â Sacr. *t.*1. *r.*5 *d.*13. *q.*66.

7 Tertia, Idem dicendum, ſi Superior licẽtiam conceſſurus commodè adiri nequit, & tempus urget communionis, vel celebrationis, quia omnes communicãt, vel celebrant, notamque incurriſſet non ſacrificãs vel communicans: tunc abſolvi poteſt à reſervatis quilibet Regularis à Confeſſore monaſterij, vel á quocumque approbato, ſine recurſu ad Superiorem: huius enim facultas tunc præſumitur. Ita probabiliter Enriquez *l.*3. *cap.*15. *num.*6. & 7. Trulench *ſup. num.*5. Suarius *d.*13. *ſect.*3. citans Canum, Sotum, & Ledeſmam: & addunt, hoc etiam licere etiam ſi pœnitens occultè ſit excommunicatus. Adrianus, Paludanus, Sotus, & Victoria apud Fagundez *num.* 22. docent poſſe quemlibet contritum in prædictis eventibus communicare abſque confeſſione, ſi habeat reſervata oblita, & non adſit Confeſſarius pro illis. Trulench *n.*5. ait tũc etiam poſſe abſolvi quãdo adeſt *utilitas magna communicandi, vel celebrandi in feſtis, in quibus ſolet ex ſpeciali devotione*. Tu verò prædictis *ſup.* ſtabis.

8 Quartã proponere libuit ipſis met verbis Cardinalis de Lugo, qui *diſ.*20. *de pœn. ſect.*8. *num.* 122. ait; *Quando facultas conceditur, ut pœnitens eligat Confeſſarium, qui pro hac vicè eum poſſit à reſervatis abſolvere, vel Confeſſario datur licentia audiendi illum, & abſolvendi hac vice à reſervatis; tunc ſive facultas concedatur Confeſſario, ſive pœnitenti, admitterem poſſe abſolvi á commiſſis ſimilibus poſt licentiam conceſſam; atque etiam à commiſſis poſt habitam notitiam facultatis conceſſæ, quia conceſſionis verba non ſignificant limitationem: & licet inde per accidens ſequi poſſit occaſio peccandi, id non facit illicitam talem conceſſionem.* Idem ſentiunt Ioannes Præpoſitus *in* 3. *p. q.* 9. *dub.* 3. *nnm.* 22. Vgolinus *de Epiſ. cap.*36. *§.*5. & Barboſa *allegat.*52. *num.*9. ac alij: Congruum enim eſt, ut Confeſſor tunc poſſit ſine nova licentia conſtituere pœnitẽtem in ſtatu gratiæ. Secus iudicandũ, ſi ſolũm ea concederetur pro tali, vel talib⁹ peccatis, pro quibus petitur nominatim: nõ ita verò communiter cõtingit; ſed petitur â Superiore: *Que le de ſus vezes para abſolver a un ſubdito ſuyo*; tunc enim, ut verbis Præpoſiti utar; *Petitio, & conceſsio tacitè intelliguntur de ſimilibus caſibus, qui poſt illam conceſſionem clavibus bona fide ſubijcientur.*

9 Quinta eſt; Si poſt licentiã habitam, & â pœnitente admiſſam, vel non admiſſam nova peccata commiſſa non fuiſſent: etiam ſi tres, aut quatuor, aut plures anni elapſi fuiſſent: adhuc poſſet pœnitens illo privilegio uti, ratione enim materiæ tunc verificarentur illa verba; *Hac vice*. Sic Chiapiavilla *de caſ. cap.*8. *fol.* 66. Ioannes Sanchez *ſelect. d.* 12. *num.*9. & Lugo *num.* 127. Quod intelligendum, etiam ſi Superior, qui licentiam cõceſſit, mortuus, vel ab officio amotus ſit: quia gratia facta non expirat morte concedentis.

SINGVLARE XII.

Selectæ aliæ obſervationes quoad caſus reſervatos proponuntur?



1 EXTA; Religioſi iter agentes ſi ſecum defferant ſociũ eiuſdem Religionis ſufficientem ad confeſſiones audiendas, cũ illo confiteri debent, & non cum alio: ſi verò eſt hoſpes, vel peregrinus in aliquo conventu ſui Ordinis, cum Prælato, vel Confeſſoribus deputatis illius, nõ verò cum alijs ſine licentia: & ſi tunc ſimul adeſt Socius itineris cum eo, ſi maluerit, etiam poterit. Si verò divertat ad loca, ubi nec monaſterium ſui Ordinis, nec Socius relatus adeſt, poteſt confiteri cuilibet, etiam ſæculari approbato ab Ordinario, ſi non adſit approbatus â ſuo Regulari Prælato. Hæc probat Suarius *to.*4. *de Relig. cap.*17. *à n.*10. rectéque ait: ſtandum eſſe regulæ; conſuetudini vé Religionis, aut Prælatorum Ordinationi; & addit, in aliquibus Religionibus, ut in Carthuſia, S. Hyeronimo, & Societate noſtra facultatẽ concedi peregrinantibus, ut abſolvãtur á reſervatis cum onere comparẽdi. Quomodo autem hoc onus intelligatur, & an, & quomodo ignorantes, vel iam ritè confeſſos obliget conſule Turrianum *d.*11. Lugum *d.*13. *ſect.* 16. *à num.* 100, Vazquez *q.* 93. *art.* 1. *dub. à num.*11. & Ioanem Sanctium *c.*12. *á num.*3.

2 Societatis autem ius hac in re proponitur in inſtructione facta á V. Congregatione *n.*6. in hũc modum, *Iter agentes quando ad aliquem Societatis locum divertunt poteſt eos à reſervatis Ordinarius loci illius Confeſſor abſolvere, aut ſi is haberi non poſsit, quilibet alius Societatis Sacerdos approbatus, aut ſi is quoque deſit, etiam externus; in omnibus tamen his caſibus cum onere, & obligatione, ut ſe ſiſtãt poſtmodùm Superiori ſuo, ad quem iturí, vel redditurí ſunt, eique, aut alteri de eius licentia confiteantur. Si verò accidat, ut aliquis tanquam hoſpes ſit in aliquo collegio, diu tamen moraturus, puta ſpacium unius, aut alterius circiter menſis, ſi is eo tempore in caſum aliquem reſervatum incideret, poterit, ac debebit abſolvi à Superiore*

re illius loci, in quo est, vel de eius licentia sine obligatione sistendi se superiori eius loci, ad quem pertinet.

3 Septima obſervatio: Probabile aliquibus videtur; quod ſi Confeſſarius petat â Superiore facultatem abſolvẽdi à reſervatis unã perſonam, vel ſubditum ipſius, poſſit pro ſe ea uti. Ita Leon *de pot. conf. to. 2. rei olec. 6. n.* 131. Floronus *de reſe. cap. 3. §. 1. num. 1.* Diana *3. p. tr. 3. reſ. 126.* & Villalobos *tr. 9. dif. 64. n.* 4. Sed hoc mihi omnino diſplicet, nec ita in praxi tutum exiſtimo, cum ex communi uſu petendi, & concedendi has facultates, ſemper illi, qui petit iuriſdictionem, ſeu vices committit Superior, ut alium â ſe abſolvat, non ut abſolvatur; & *verba intelligenda non ſecundum quod ſonant, ſed ſecundum mentem, & intentionem proferentis* ut ex *l. non omnis ff. ſi cert. pet. l. 3. ff. ſi quis hoc interdicto ff. de itin. cap. propterea, de verb.* ac alijs probant Navarrus, Tiraquellus, Surdus, Gonzalez, & Franciſ. Molina apud Barboſ. *de princ. l. V. n. 5.* Deinde, quia hic poſſet eligere virum non ita pium, & doctum, approbatum pro ſua Religione, cui iuſtè denegari poſſet hæc facultas: cũ ex mente Clementis VIII. & DD. in hac cõmiſſione pro reſervatis attendi, & eligi debeãt á Superioribus ſciẽtia, & pietas perſonæ, cui eam tradunt Prælati.

4 Vltima ſapienter præſcribitur â noſtra Congregatione V. *ſup. num. 3. Caveat*, inquit, *Confeſſarius, ne quid elabatur, ex quo pœnitens cognoſci poſſit, quis ille ſit, pro quo petitur, qui ſi timet ne ex notitia alicuius rei poſsit ſuperior probabiliter ſuſpicari, quis ille ſit, ſciat omnino eam rem timere debere, & omnem cautelam adhibere in caſu proponendo, ne ulla ratione ſuperior poſsit probabiliter cognoſcere Auctorẽ. In quo ſi viderit proponendo caſum in ſpecie, occaſionẽ ſuſpicionis dari, ſatis erit ſi in genere dicat, aliquem in caſum reſervatum incidiſſe, qui nec damnum Societati, nec alteri, nec ipſi pœnitenti afferre poſsit. Vterque denique tam ſuperior, quam Confeſſarius memores ſint obligationis ſigilli, vt eius puritati, & integritati per omnia conſulant.*

5 Ad hanc cautelam ſervandam, cum quis petit ſolùm vices ſuas à Superiore, petat illi dicens: *Que le de ſus vezes para un ſubdito ſuyo*, Quod ſi ille imprudenter, ne dicam crudeliter, interrogationibus perſonam, aut peccatum conijcere ſtudeat, calidè æquiuocationibus illum Confeſſarius â notitia quam longiſſimé avocet, maximèque advertat, ne vel minimũ quidem veſtigium Complicis detegat: immo nec ei dicat an ſit Complex; nec ex modo, aut tempore facultatem petẽdi indicet, an ſit pro ſacerdote, vel pro non ſacerdote. Vnde minimè petat tẽpore, quo non Sacerdotes pro communione regulæ aut devotionis faciendæ ſolẽt confiteri, v. g. Sabato pro nocturno tempore, nec pro matutino dominicis, ſed alijs diebus non feſtivis: nec item petat in matutinis horis, in quibus ſolent ſacerdotes ad celebrandum confiteri. Nec etiam anſam vel leviſſimam præbeat, unde conijciet Superior an domi vel extra; an recenter vel iam diu; an ſemel vel pluries, an contra hoc. vel illud votum, ſive præceptum, alijſve circunſtantijs peccatum patratum ſit. Memor tandem ſit ſe violationis ſacramentalis ſigilli reum conſtitui ſi cum licentiam petit perſonam, aut caſum proponit, ita ſe gerit, ut Superior vel minimũ conijcere valeat. Sic docẽt Coninch *d. 8. dub. 14. num. 111.* & Layman *tr. 6. cap. 12. num. 7.* Quod intelligendum ſi per confeſſionem peccatum reſervatum Cõfeſſor novit: ſi verò extra illam, ſecretum ſigilli naturalis violabitur, ut notat Hurtado *d. 11. diſ. 16,*

SINGVLARE XIII.

Practicæ, & ſelectæ obſervationes pro Regularium (nec non ſæcularium) Prælatis quoad caſus reſervatos?

PRIMA ſit, quod nullus Prælatus Regularis, etiam Provincialis, nec Generalis poteſt ſibi ullos caſus ad libitum reſervare ſine Capituli conſenſu. 1
Conſtat ex decreto SS. D. N. Clementis VIII. anno 1597. 26. Maij edito, ac etiam poſtea â SS. D. N. Vrbano VIII. confirmato, & promulgato; in quo poſtquam hi Pontifices caſus, qui reſervari poterant a Regularium Superioribus ennumerarunt, addunt: *Si quod aliud peccatũ grave pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ puritate reſervandum videbitur; id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine: aut Prouincialis in Prouincia matura diſcuſsione & conſenſu.* Quare decretum illud, quod in Prædicatorum cõſtitutionibus *c. 67.* habetur: *Priores poſsunt aliquos caſus peccati mortalis ſibi reſervare, ut viderint expedire*; iam abrogatũ videtur. Immo nec facultatem generalem poſſe concedere alicui Prælato Capitulum vel Generale, vel Provinciale, ut ſibi reſervet caſus meritò ſentit Lugo *de pœn. d. 20. ſect. 4. n. 46.* ac docet cũ Molfeſio, Megala, Peirino, Diana, & alijs ex declaratione Cardinalium nõ poſſe Prælatos Regulares ſibi reſervare cenſuras. Sed animadvertas, quod in noſtra Societate nõ poteſt Cõgregatio Provincialis caſum ullũ reſer-

reſervare. Sic Suarius *tom.4. de Relig. l 2. cap. 18. num. 15.* Et ſic in quadam epiſtola, quam vidi, R.P. N. Mutius Viteleſchi reſpondit cuidam ex noſtris.

2 Secunda: ſi ſupremus monaſterij, ſeu collegij Prælatus à conventu, ſeu domo abſit per unum diem naturalem: illius Vicarius, ſeu qui illius vices gerit concedere poteſt facultatẽ ad abſolutionem à reſervatis. Sic Périrnus *privil. Minor. to. 1. conſt. 4. Sixti IV. §. 6. num. 16.* Homobonus *exam. p. 1. tr. 5 cap. 4. q. 21.* Beja *p. 4. cap. 37.* Naldus *ver. Abeſſe num. 11. & Abſol. num. 25.* quia tunc eſt abſolutus Superior domus: nec par eſt, ut in eo ſtatu detineatur ſubdit⁹. Sed hoc limitat Diana *3. p. tr. 2. reſ. 26.* niſi eodẽ die Superior ſit reverſurus, vel ſubditus in illum diem malitioſè confeſſionẽ diſtulit; vel in Religione ſtatuatur oppoſitũ: ſicut de more aliàs lõgé praxim eſſe in Societate noſtra arbitror

3 His itaque addo, quod ſi Vicarius, Sub Prior, Vice Rector, Miniſter, Præſes, aut quocumque nomine nuncupetur ſecundarius Superior, ſeu qui loco ſupremi adeſt, cum ille abeſt, habeat totum muneris pondus: ſi ſupremus ex civitate unius diei itinere profectus eſt, poteſt dare hanc facultatem, non verò ſi in prædio vicino recreationis, aut viſitationis cauſa per unum, aut duos dies ille adeſt: & ad Vicarium tota cõventus gu 6 bernatio non ſpectat. Tũc autem ſi communicãdi, aut celebrandi urgeat tempus, poterit eam concedere cum onere comparendi. Sic obſervandum in noſtra Societate decrevit R.P.N. Claudi⁹ Aquaviva. In alijs Religionibus conſuetudo à Superioribus cognita obſervetur. Nec obſtabit, quod ſubdit⁹ in eos dies malitioſè abſolutionem diſtulerit, cum utatur iure ſuo. Conſule Fagundez *in* 7 *2. præc. decal. cap. 35. num. 4.* ubi circa votorũ irritationem, cõfeſſioneſque audiendas, & ſimilia hanc doctrinam tuetur.

4 Tertia obſervatio ſit, quam ſapientiſſim⁹ Suarius *to. d. 47. ſect. num. 5.* ita proponit. *Crudele*, inquit: *Tyrannicum & plane periculoſum eſt velle, & ordinare ſuperiores antecedenter, ut ſubditi ſibi confiteantur, ut per eam confeſſionem accipiant notitiam eorum, quos emmendare volunt* &c. & addit: *Id velle, & ordinare, quando moraliter cogunt ſubditos, ut ſibi præſententur, vel confiteantur, vel illis præceptum imponendo hac de re, vel totam iuriſdictionẽ ad ſe reſervãdo; quia non poteſt nõ hoc reddere confeſſionẽ odioſam ſubditis: & quia exponit ſuperior moraliter ſubditos periculo committendi ſacrilegia, tacendique peccata in confeſſione.* Hæc ille. Cui conſonat Clementis VIII. decretum de caſuum reſervatione, ubi ait: *Niſi Superiores admodùm prudenter, ac moderatè vtantur, nõnullos infirmiores, qui interdum Superiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidant, adducere poſſint in æternę damnationis periculum, & ſpiritualis remedy deſperationem.*

Quarta, Peccãt mortaliter Superiores, niſi faciles ſe prębeant ad concedendas licentias pro abſolutione reſervatorũ, ac ad eas concedendas graviter tenentur, cum maior pœnitentis utilitas ſperatur, & grave damnum non timetur. Sic Enriquez, Sylueſter, Panormitanus. Rodriguez, & alij, quos citat & ſequitur Fagundez *in 3. p. præc. Eccl. l. 3. cap. 9. num. 17.* Coninch, Corolianus, & Megala apud Molfeſium *tra. 7. cap. 21. num. 31.* Sotus, Angelus, Armilla apud Turrianũ *d. 31. de pœn. dub. 8.* qui cum Navarro *c. placuit. num. 149.* addit ſolam verecundiam pœnitentis eſſe cauſam ſufficientem, ut concedatur facultas per alium petita. Legant Prælati Doctorem Angelicum *in 4, d. 17. q. 3. ar. 3. quæſtiu. 4. ad 6.* ubi inter alia ait: *Peccaret Sacerdos, ſi non eſſet facilis ad præbẽdam licentiam alteri confitendi, quia multi ſunt adeo infirmi, quod potius ſine confeſſione morerentur, quam tali Sacerdoti confiterentur. Vnde illi, qui ſunt nimis ſolliciti, vt conſcientiã ſubditorũ per confeſſiones ſciant, multis laqueum damnationis injciunt, & per conſequens ſibi ipſis*

Hinc admonetur Superior Societatis *in inſtruct. pro caſ. reſer. num. 1.* quod *quando Confeſſarius petit facultatem abſolvendi a caſu reſervato, nullo modo difficilis eſſe debet: ſed facilis ſemper, & promptus in ea concedenda.* Vtinam ſic fiat in omnibus, Religionibus, pluribus forſan ſacrilegijs ianua occludetur; quæ Superioribus hanc difficultatem oſtendentibus, curioſitate aliquando, vel malitia, aut ignorantia nõ vero diſciplinę zelo ductis, fortè tribuẽtur.

Quinta: Non licet Superiori, cum ab eo facultas hęc petitur, interrogationes facere ex quibus pœnitentem conijcere valeat. Sic docent Reginaldus *l. 8. num. 51.* ac Molfeſius *tra. 7. cap. 21. num. 42.* Hoc retè in noſtra V. Congregatione *inſtruct. pro caſ. num. 3.* ita indicitur; *Caveat Superior, ne cum ab eo petitur facultas, curioſè inquirat, aut aliud quid faciat, unde conijcere poſſit, quis ille ſit pro quo petitur, & ne circunſtantias alias exquirat, quam quæ ad rem pertinent.* Idem obſervandum quoad notitiam vel leviter inveſtigãdam cõplicis, aut peccati, vel circunſtantiarũ quę aliquo modo ad cõfeſſiones factas, vel faciendas detegendum vel longiſſimè conducant.

8 Vltima obſervatio: Non licet Prælatis ſententiam exequi Doctorum, quos afferunt, & impugnant Thomas Sanchez *l. 3. de mat. d. 12.* Suarius *de pœn. d. 33. ſect. 7. num. 4.* Delrius *lib. 6. diſq. ſect. 2.* Valentia *d. 7. q. 13. p.*

3 &

3. & Fagundez *l. 6. in 2. præc. Eccl, cap. 2, & 3,* asserentiũ, licere illis uti notitia confessionis ad externam gubernationem, ut faciãt, vel omittant aliqui, quę aliàs non essent facturi, vel omissuri, etiam si id effici posset absq; periculo detectionis confessionis; hoc enim iam interdictũ est à Clemẽte, & Vrbano VIII. decreto releto in hunc modũ: *Tã Superiores pro tẽpore existentes, quam Confessarij, qui postea ad superioritatus gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne ea notitia, quã de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.*

9 Hinc rectè R. P. N. Generalis Claudius Aquauiva in ea instructione, quam anno 1590. eddidit de notitia habita per cõfessionem, sic pro Societatis Superioribus statuit; *Visum nobis est in Domino statuere, sicut & severè statuimus pro reverentia, qua semper Societas nostra coluit huius sacramenti inviolabile sigillũ, & libertatem, ut omnes Superiores diligenter caueant ne vel ipsi, vel nostrorum aliquis supra dictã doctrinam unquam introducant: nec ea vtantur ullo modo: sed ita prorsus in omnibus casib⁹ nostri se gerãt Confessarij, ac si in Confessione nihil penitus audivissent; sibique persuadeant, ut humanarum rerũ regimen ab hoc sacramento longissimè distat, ita debere ab eo nullatenus pendere.* Hæc ille *doctissimè & religiosissimè*, ut Victorelus *not. ad l. 3. cap. 7. sum. Tolet.* eum in hoc laudans, loquitur. Quàm egregiè hæc Augustini dicto consonant: *Illud, quod per confessionem scio, minus scio, quàm illud, quod nescio.*

10 Idem observare debet Superior quoad ea, quæ ex notitia ad confessionem conducente, spectant: Vnde sub sacramentalis sigilli obligatione tenetur nec à longé significare quis ab eo petierit facultatem, ut absolvatur: quia hæc petitio initium confessionis est: nec nõ celare tenetur quaslibet circunstantias, ex quibus directè, vel indirectè conijci valeat, pro quo ab ipso petita facultas. Hæc apud prudentes Superiores magni momenti sunt. In conventu, vel domo parva, ubi pauci, v.g. quatuor, quinque, aut sex Religiosi commorantur; si forsan horum aliquis, (quod Deus avertat) in reservatum incidat, cum maius sit periculum ut Superior cognoscat eum, pro quo licentia petitur, expediet, ut iam dixi, ut facultatem generalem concedat Confessario ordinario domus ad absolvendum à reservatis. In omni tandem eventu, paterno fegerat affectu, ne sacramentum hoc odiosum reddat, reservationemque potiús in destructionem, quam in ædificationem convertat.

[2]

SINGVLARE XIV.

V. Ex Tridentino, alio vè decreto ante SS. D. N. Vrbanũ VIII edito ablata sit Regularibus potestas absolvendi sæculares à casibus Episcopo reservatis?

AD Singularis subsequẽtis decisionem huius præsupponitur decisio, in qua tenendũ omnino est, hanc potestatem ex Tridentino minimè Regularibus ablatam, possęque absolvere ab omnibus reservatis per constitutionem Synodalem, vel per consuetudinem specialẽ vel per beneplacitum Episcopi, aut Vicarij Sic Enriquez *l. 6. cap. 6. §. 4. lit. Q.* Emmanuel *to. 1. q. 61. ar. 1, & 3.* Martinus Delrius *disquis. mag. l. 6. cap. 6. sect. 3.* Suarius *tom. 4. 3. p. d. 30. sect. 2. num. 16.* Ludovicus à Cruce *d. 1. in Cruc. cap. 3. dub. 5.* Vivaldus *candel. 26. de abs,* ac plures alij. Oppositum immeritò docuerũt Miranda manuali *to. 2. q. 46. art. 9.* & Sorbus verb. *casus reser. fol. 106.* 1

2 Enim verò si in aliquo Tridentini testimonio hæc revocatio inveniretur, in illo esset *sess. 14. cap. 6.* ubi statuitur quod *Extra mortis articulm Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentes persuadere nitantur, ut ad Superiores & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant:* sed in hoc non invenitur; ergo. Maior supponitur à Doctoribus: Minor est certa, cum solùm statuat Concilium à non habente iurisdictionem ordinariam vel delegatam in reservatã, nõ posse hæc absolvi: sic antea decreuerat: *Verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habeat iurisdictionem.* Cum ergo Regulares haberẽt delegatam in reservata Episcopis, ut nemini dubium est, ac cõstat ex eorum privilegijs *verb. absol, quoad sæcul.* ex hoc testimonio illis non aufertur.

3 Hinc recte Ludovicus de Beja *p. 2. cas. 21. §. Tandem,* ait: *Concilium cum dicit; quod nihil possint Sacerdotes in casibus reservatis prohibet iurisdictionem actuam respectu casuum reservatorũ, ita ut nullus authoritate propria ab illis valeat absolvere, sed non prohibet eam, quam per privilegia specialia concedit Papa Religiosis, vel alijs personis. Tandem quia intentio Concilij ibi non est limitare authoritatem summi Pontificis, nec deijs loqui qui ex commissione Papæ absolvunt, ut aperte constat. Tum quia privilegia Religiosis in communi, & non in particulari concessa non videntur revocata, nisi fiat de eis specialis mentio, ut latè probat Henricus*

ricus Salmantinus in relectione de privilegijs. Hęc ille.

4 Circa decreta poſt Tridentinũ, editũ eſt illud â Sacra Congregatione, in quo auctoritate, & mandato Clementis VIII, præcipitur: *Sacerdotibus omnibus tam ſæcularibus, quàm Regularibus per univerſam Italiam extra Vrbem degentibus ad confeſſiones audiendas probatis, &c. Ne quis eorum ſub prætextu privilegiorum ab ullo ex caſibus clarè, vel dubiè in Bulla die Cœnæ Domini contentis, vel aliàs quomodocumque Sedi Apoſtolicæ reſervatis, aut reſervandis, nec etiãm à caſibus, quos Ordinarij locorum hactenus reſervarunt, vel in poſterum ſibi reſervabunt, abſolvere præſumat* &c. Et infra: *Præterea noverint pœnitentes abſolutionem ſi quam obtinebunt contra huiuſmodi prohibitionem, eſſe nullam* &c. *Datis Romæ die 9. Ianuarij* 1609. Affertur a Bellarmino *in Trid ſeſ.* 14. *cap.* 7. á Molfeſio *tr.* 7. *cap.* 18. á Sorbo *ſup. fol.* 107. à Quaranta *ver. caſ. reſ.* & in conſtitutionibus Prædicatorum *cap.* 68. Poſtea 7. Ianuarij 1617. eadem Sacra Congregatio ex Pauli V. mandato vivæ vocis oraculo habito decretum hoc confirmavit, atque innovavit. ac obſervari præcepit, ut videbitur apud Ludovicum á Cruce *ſup. num.* 8. Sed ſolùm intra Italiam non verò extra illam decretum illud, eiuſque confirmationem, ac innovationem vim habere conſtat ex verbis *per univerſam Italiam*, notantque Villalobos *p.* 1. *tra.* 9. *diſ.* 67. Trulenc *l.* 1. *in Cruc. §.* 9. *dub.* 3. *num.* 11. & Lugo *d.* 20. *de pœn. ſec.* 1. *num.* 5. Vnde non rectè Thomas de Bene noviſſimè *lib. de Comitijs dub.* 4. *ſect.* 31. *corol.* 1. aſſeruit, omnibus Regularibus in generali interdici ex hoc decreto abſolvere á caſibus, & cenſuris Epiſcopo reſervatis.

5 Aliud eiuſdem Congregationis decretũ habetur in catechefi Neapolitana *fol.* 287. cuius meminere Suarez, & Enriquez *ſup.* ubi Epiſcopo de hoc interroganti, ſic reſpondetur ex mente S. D. Gregorij XIII. *Hac de re cũ Congregatio accuratè egiſſet, ac deinde illã ad S. D. N. retuliſſet, Sanctitas ſua cenſuit: ex facultatibus per hoc Mare magnum, alia ve privilegia Regularibus conceſſa factam, eos non eſſe poteſtatem abſolvendi à caſibus ſibi ab Epiſcopis reſervatis. Romæ* 10. *Sept.* 1577. Sed cum hæc ſit epiſtola cuidam particulari miſſa, nec ſufficienter promulgata vim legis in omnibus chriſtiani orbis plagis non habet, nec hæc affertur per verbum *cenſuit*. Et tandem cum ſtandũ iam ſit decreto ex SS. D. N. Vrbani VIII. authoritate hac de re emanatum: hæc relata ex Clementis VIII. Pauli V. ac Gregorij XIII. mente intelligenda, & obſervanda ſunt iuxta illud quod modò proponam, & exponam.

SINGVLARE XV.

V. Extet aliquod Decretum SS. D. N. Urbani VIII. prohibens Regularibus abſolutionem à caſibus Epiſcopo reſervatis ex vi ſuorum privilegiorum?

HOc decretum extare videtur 1
afferturque à Ludovico de la Cruz *d.* 1. *in cruc. cap.* 3. *dub.* 4. *num.* 8. in hunc modum; Sacra Congregatio S. R. E. „ Cardinalium negotijs, & conſultationibus „ Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, „ cenſuit, per confirmationes privilegiorum, „ quas Regulares á Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concilium Tridentinum obtinerũt, „ nequaquam revixiſſe privilegia prius ab „ eodem Concilio, ac deinde etiam ipſius Cõ „ gregationis decretis ſublata, atque extincta „ ſi quæ habeant, abſolvendi á caſibus Ordi- „ nario loci reſervatis. Quemadmodum nec „ indulta abſolvendi á caſibus contentis in „ Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſuevit, utpote ſublata per annuam ipſi' Bul „ læ publicationem, vires, aut robur acquiſi- „ viſſe, ex ſequentibus privilegiorum confir „ mationibus: ac proinde Regulares cuiuſvis „ ordinis, congregationis, Societatis, & inſ- „ tituti etiam neceſſariò exprimendi: nec „ extra Italiam in vim privilegiorum, aut „ confirmationum eiuſmodi, quas vel hacte „ nus obtinuerunt, & deinceps fortè obtine- „ bunt; poſſe quemquam abſolvere ab eiſdẽ „ caſibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci „ reſervatis. At ſi ſecus egerint abſolutiones „ nullas, atq; irritas fuiſſe, ac fore. Ab alijs verò caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicę reſervatis, ſiquidem Regulares habeant á Sede Apoſtolica abſoluendi facultatem, illam „ extra Italiam, minimè ſublatam fuiſſe ijſdem Sacræ Cõgregationis decretis hac de „ re editis iuſſu ſanctæ memoriæ Clementis „ VIII. Quam ſacræ Congregationis ſententiã Sanctitas ſua ad ſe relatam approbavit „ mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet „ inviolabiliter obſervari. Romæ 17. Nouembris 1628. „

2 Huius decreti mentionem faciens Trulench *l.* 1. *cruc. §.* 9. *dub.* 3. ait; *Qua declaratione ſtante nullo modo ſuſtineri poteſt oppoſita ſententia.* Nec obſtat quod ſit vivæ vocis oraculũ ac proinde revocatum videatur à Gregorio XIV, & Vrbano VIII. quia tantùm ea Oracula revocata ſunt prædictis Bullis, quę privilegia concedunt, non verò quæ ſunt vel revocationes privilegiorum, vel prohitiones

tiones, & cætera, quæ privilegia non ſunt, ut in manuſcriptis, quæ iam prælo mandabuntur, efficaciter probat ex ipſis Bullis doctiſſimus P. N. Ferdinandus de Mendoza.

3 Adhuc non revocari per hoc decretum privilegia Regularium quoad abſolutionẽ Sæcularium à caſibus Epiſcopo reſervatis probabiliſſimum exiſtimo. Quia ſicut lex non obligat ante ſufficientem publicationem, nec revocatio privilegij, quæ eſt quædam lex, ut docent Suarius *de leg. cap.* 40. Salas *d.* 17. *ſec.* 1. *num.* 8 Bonacina *de privil. d.* 1. *q.* 3. *p.* 8. *num.* 20. & Doctores; ſed hæc non 1 eſt ſufficienter publicata, nec intimata: ergo &c. Maior eſt certa: Minor probatur. I. Quia ut leges Pontificiæ (talis eſt hæc) obligent in toto orbe, neceſſum eſt, ut promulgentur in omnibus Diœceſibus, & Provincijs, ut aſſerunt Serarius, Toletus, Sa, Medina, Angelus, Sotus, Cõradus Miranda, Victorelus, & alij, quos citat, & ſequitur Trulenc *in cruc. l.* 1. § 7. *dub.* 9. *num.* 20. præſertim quę hoc locum habet in legibus revocatorijs privilegiorum, ut notant Sotus, *l.* 1. *de iuſt. q.* 2. *ar.* 4. Medina 22 *q.* 21, *ar.* 4. & plures, quos affert, & ſequitur Lud. à Cruce *d.* 1. *cruc. cap.* 1. *dub.* 13. *num.* 1. cum ergo hæc revocatio in Diœceſibus non ſit promulgata; ut Sapientes, & locorum Ordinarij fatentur; non obligat in illis.

4 Nec Religioſos obligat hæc lex; cum ex doctrina Azorij *tom.* 1. *l.* 5. *cap.* 22. *quæſit.* 7. Bonacinæ *ſup. num.* 24. Salas *d.* 20. *ſec.* 18, *num.* 126. & aliorum Doctorum, ut revocatio privilegij conceſſi Civitati, Communitati, Collegio vel Religioni alicui, obliget, debet denuntiari, vel notificari ipſi Civitati, vel Religioni, ſive Prælatis illius. Hanc autem notificationem minimé factam eſſe omnes fere affirmant Religioſi, ac Prælati, quos etiam in litteris verſatiſſimos hæc revocatio latet.

5 Fateor ſanè mihi nuperrimè innotuiſſe; & video doctiſſimum, ac Eminentiſſimum Cardinalem Lugo, qui tot annis in noſtro collegio Romano Theologię primariam catredam moderatus eſt, ſimiliumque decretorum ſolertiſſimus inveſtigator, ac cõpilator extitit: cum rem hanc ex profeſſo diſcuteret, aliaque decreta afferret, huius nec leviſſimé miminit, cum anno 1638. egregium hoc de Pænitentia opus ediditſet: decem nempe annos poſtquam decretum hoc SS. D, N. Vrbani prodijt. Quo ſatis indicatur, quod vel revocationem hanc Sapientiſſimus Lugo vim nullam habere exiſtimaverit, vel quod ad eius notitiam non pervenerit, ac proinde non ſufficienter promulgatam fuiſſe; ſiquidem eum latuit.

SINGVLARE XVI.

Ex Bullis Pontificijs ante Tridentinum cõceſſis facultas Regularium ad abſolvendum à caſibus Epiſcopo reſervatis, extante etiam decreto SS. D. N. Vrbani VIII, adſtruitur.

CONCESSAM fuiſſe ante Tridẽtinum hanc poteſtatẽ Regularibus aperte conſtat ex ipſorum privilegijs videndis in ipſorum compendio *verb. Abſol.* 2. *quoad ſac. verb, caſus reſerv.* ac apud Emmanuelem *tom.* 1. *q.* 61. *ar.* 3. & Mirandã *to.* 1. *q.* 46. *ar.* 3, referentes privilegia hæc á Sixto IV. Vrbano IV. Eugenio IV. & Iulio II. conceſſa Religionib⁹, & à Paulo III noſtræ Societati Bulla, quæ incipit: *cum inter cunctas*, edita anno 1545. in hunc modum;

Nec non illis ex vobis, qui Preſbyteri fuerint, 2 *quorumcumque utriuſque ſexus Chriſti fidelium ad vos undecumque accedentium confeſſiones audiendi, & confeſſionibus diligenter auditis ipſos, & eorũ ſingulos, eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumcũque gravibus, & enormibus, etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis, & à quibuſvis ex ipſis caſibus reſultantibus, ſententijs, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis (exceptis contentis in Bulla, quæ die Cœnæ Domini ſolita eſt legi) abſolvendi; ac eis pro cõmiſſis pœnitentiã ſalutarem iniungendi: nec nõ vota quæcũque per eos pro tempore emmiſſa (ultra maximis, viſitationis liminum B. Petri, & Pauli Apoſtolorum de Vrbe, ac S. Iacobi, in Compoſtella, nec non Religionis, & Caſtitatis votis dũtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi &c. plenariam, & liberam facultatem auctoritatis Apoſtolicę beneplacito concedimus.* Vbi concedi facultatem abſolvendi a reſervatis Epiſcopo, patet: Qui enim dicit, *omnia*, nil excludit: & excipiendo ſolũm reſervata in Bulla Cęnę, omnia alia concedit; nam *exceptio firmat regulam in contrarium*.

Quòd igitur hoc privilegiũ [quo per cõ 3 municationẽ fruũtur aliæ Religiones] vel ſimilia, illis cõceſſa ſint ante Tridentinum per prædictum decretum Vrbani VIII. nõ revocentur, probo: quia in illo tantùm revocantur privilegia aliunde à Tridentino extincta, licét poſt illud cõfirmata fuerint, ut ex ijs verbis patet: *Cenſuit per confirmationes privilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt ſacrum Concilium Tridentinũ obtinuerunt, nequaquam revixiſſe privilegia prius ab eodẽ Concilio ſublata, atque extincta, abſolvendi à caſi-*

bns Ordinario reſervatis: ergo cum hæc per Tridentinum extincta non ſint, ut probavimus Singul. 14. hoc decretum Vrbani VIII. nec circa illa, nec circa illorum declarationes verſatur, ac proinde nec has, nec illa revocat, ſeu annullat.

4 At verò cũ poſtea additur: *Ac proinde Regulares cuiuſvis Ordinis in vim privilegiorum aut confirmationum eiuſmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel in futurum obtinebunt, nec poſſe quem quam abſolvere ab eiſdem caſibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reſervatis:* cũ de ijſdem privilegijs, & confirmationibus ſermo ſit; ut oſtendit particula *Eiuſmodi*, ſeu *Huiuſmodi*, quæ relativa eſt præcedentiũ cum omnibus ſuis qualitatibus, ut docent Gloſſa *c. Abbat. de elect. l. 6.* Rebufus *l. 1. ff. de verb. ſign.* Navarrus *c. ſi quando, remed. 6. n. 5. de reſcrip.* Octavianus *de præpoſ. dict. Hodie, pag. 4.* Gonçalez *reg. 8. cancel. gloſ. 4. n. 4.* Seraphinus *Rot. Rom. deciſ. 388. n. 6.* & Rota Romana apud Farinacium *deciſ. 373. n. 6. t. 1. p. 2.* ſi nec privilegia, nec confirmationes illę abrogatæ ſunt, per Tridentinum, nec etiam per hoc decretum abrogantur iuxta dicta.

5 Accedit, quod hoc Regularium privilegium abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis eſt inſertum iuri communi, ut probãt pluribus, ſolidiſque fundamentis, ac præcipuè ex Clementina, *Dudum*, & Extravagãti, *Inter cunctos*, Panormitanus, Felinus, Bonifacius, Ioannes de Ligniano, S. Antoninus, Angelus, Tabiena, & Armilla, quos citat, & ſequitur Emmanuel *tom. 1. q. 61. art. 2.* communem Doctorum ſententiam hanc appellans: ergo nec per Tridentinum, nec per hoc decretum abrogatur, cum in his, iuris cõmunis expreſſa abrogatio non fiat: ac in generali derogatione privilegiorum nõ comprehenditur inſertum in corpore iuris communis; ſi non fiat huius ſpecifica derogatio: ut docent Gregorius Lopez *l. 2. tit. 18 p. 3.* Gloſſ. *l. hæres. ff. de iudic. & Auth. C. ubi de crim. agi oport.* Bartolus, & Baldus *ibi.* Felin⁹ *c. 1. de reſcript. n. 12.* Perez *l. 4. Ordin. tit. 4. l. 22. fol. 837.* Menoch. *l. 6. præſum. 4. n. 25.* Sachez *to. 2. conſ. l. 7. c. 1. dub. 23.* & alij.

6 Vndé & ſi eſt revocaretur poteſtas conceſſa quoad hoc ex vi privilegiorum, non verò conceſſa ex vi communis iuris: nã ut rectè Barboſa *in ſeſ. 14. Trid. c. 7.* in id: *cum nil poſſint in caſibus reſervatis*, ait: *Multi ſapientiſſimi Doctores indiſtinctè tenent, Concilium in præſenti non intendere derogare antiquo Regularium privilegio, quod iuri communi inſertum habent ratione favoris, ſicut & ius commune, & poſſe Regulares abſolvere à reſervatis Epiſcopo caſibus, etiã poſt Tridentinum.*

SINGVLARE XVII.

Ex alijs Põtificijs indultis poſt Tridentinum editis prædicta Regularium poteſtas ſtabilitur.

1 SVpponendum eſt, in hoc Vrbani VIII. decreto cõfirmationes privilegiorum quoad hanc poteſtatem poſt Tridẽtinum editas, annullari, non verò novas illorũ conceſſiones: *in vim*, inquit, *privilegiorum, aut confirmationum eiuſmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel in futurum obtinebunt.* Vbi relativũ *Quas* ad cõfirmationes tantum refertur, non ad privilegia; nec ad hæc, & illas ſimul; aliter diceret: *Quæ* iuxta Grammaticæ regulas, ac iuriſperitos, Menochium, Surdum, Cenedum, Pereiram, & alios apud Barboſam *dict.* 273. Cõſonat declaratio Cardinalium apud Bellarminum *in ſeſ. 14. Trid. c. 7.* ubi: *Congregatio cenſuit nõ poſſe Regulares abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis in vim privilegiorum eis ante Concilium conceſſorum. Die 22. May* 1594. Poterunt igitur ſi extent privilegia poſt Tridẽt.

2 Hę autem extare conſtat ex Bulla Pij V. edita anno 1567. (in quo iam diu Tridẽtino finis impoſitus erat, ut patet in Bulla Pij IV. ſuper eius cõfirmatione edita anno 1563.) Pius ergo V. non ſolùm confirmat, ſed de novo concedit omnia, & ſingula privilegia Mendicantibus à ſuis Prædeceſſoribus conceſſa, ita: *Necnon privilegia, immunitates, facultates, libertates, indulta, diſpenſationes, exemptiones, favores, & gratias tam ſpirituales, quàm temporales*, &c. *modo, & forma etiam per viam communicationis, & extenſionis activè, & paſſivè inter ſe, & alios quoſcumque Ordines reſpectivè de novo concedimus, ac ſi de verbo ad verbum nullo penitus omiſſo*, &c. *exprimerentur.* Vbi nota. 1. a Sixto IV. Prędicatoribus, & Minoribus; & à Paulo III. Societati Ieſu hanc facultatẽ abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis expreſſè conceſſam. Nota 2. Ly *de novo concedimus*, idem eſſe, ac novam facultatem tribuimus, ut docent Tuſchus *t. 2. lit. C. conc. 546.* & Gominian. *conſ. 65. princ.* Quod diverſum eſt ac *confirmare*, confirmatio enim eſt *actꝰ præcedentis ſeu iuris, aut facti cõvalidatio, deffectuumque ſupplemẽtum.*

3 Similes novæ conceſſiones inveniuntur in alijs Bullis poſt Tridentinum editis. Sic Clemens VIII. in Bulla incipiẽti: *Romanus Pontifex*, &c. quæ affertur ab Emmanuele *fol. 513.* edita anno 1582. pro confirmandis, & concedendis privilegijs Cõgregationis S. Benedicti Valliſolet: ubi; *Omnia & ſingula privilegia quomodolibet conceſſa*, &c. *concedimus.*

mus. Paulus V. Societati Iesu bulla incipiēti: *Quantum*, data 1606. *Necnon privilegia, facultates, exemptiones, immunitates, & indulta à prædictis, & aliis prædecessoribus nostris eidem Societati principaliter, vel per communicationem cōcessa, qualiacumque sint, & inde secuta quæcumque Apostolica authoritate tenore præsentium perpetuo approbamus, eaque omnia, & singula innovamus, ac de novo concedimus.*

4 Vbi notandū. 1. à Paulo III. Societati cō cessam esse potestatem quoad absolutionē ab his casibus, ut Singul. antecēd. n. 2. vidimus. 2. Quod verbum *innovamus*, quo utitur Paulus V. ac usus fuit Sixtus V. in Bulla: *Et si Mendicantium* anno 1587. apud Emmanuelem *fol.* 47. ubi: *Omnia & singula privilegia*, &c. *Quæcumq; illorum tenores*, &c. *per Romanos Pōtifices prædecessores nostros, ac Nos*, &c. *approbamus, & confirmamus, ac innovamus in omnibus, & per omnia, ac si specialiter, & expressè eisdem Fratrum Minorum per Nos concessa fuissent, decernimus, supplentes omnes iuris, & facti, ac solemnitatis defectus*, &c. novam affert cōcessionem iuxta Doctores: idest, *nova facimus, seu noviter concedimus.*

5 Præterea, quia plurima alia verba, & clausulæ, quas in prædictis, & alijs Bullis apponunt Pōtifices, novam etiam concessionē, dispositionem, aut legem afferunt post Tridentinum habitam. Tale est verbum *volumus*, ut docent Molina *de ritu nupt. l. 1. comp.* 20. *num.* 34. Menochius *cons.* 197. *n.* 21. Barbosa *lit. V. dict.* 378. Item *ex certa scientia*, in quo etiam derogatio cuiusquē rei oppositæ invenitur iuxta Tuschum *tom.* 2. *conc.* 340. Barbosam *claus.* 25. æquivaletque, *De plenitudine potestatis.* Item per clausulas; *Quorum omnium tenores*, &c. *pro sufficienter expressis*, &c. *nihil penitus omisso*, &c. *In omnibus, & per omnia*, &c. ac similes, cōprehendi omnia privilegia, ac si de novo omnia exprimerētur, & concederentur, oppositaque derogari, probant Tuschus *to.* 1. *lit. C. concl.* 339. & 350. & *to.* 2. *c.* 354. Martha *claus.* 62. *part.* 1. & Barbosa *claus.* 3.

6 Hinc rectē Suarius *l.* 8. *de leg. c.* 18. *a n.* 12. & Hieronym. Rodrig. *qq. Regul. resol.* 77. docent, idem esse iudicium ibi de tacitis. ac de inserto & expresso, hisque in clausulis nullum privilegiū excipi; quia qui omnia dicit nullū excipit *l. Iulianus. l. Testatorē. ff. delegatis* 3. Clausula itē *supplentes*, &c. refertur ad solemnitatē iuris positivi (ad quod spectat hæc facultas absolvēdi à reservatis Episcopo) ut docent Martha, Marchesan⁹, Vitalis, & Leo apud Barbosam *claus.* 104.

7 Nec obstat clausula, quæ in his indultis apponitur: *Dummodo decretis Tridentini non cō trarietur*; nam minimē contrariari probavimus Sing. 14. Enim verò si hoc privilegiū solùm haberetur ex vi Bullæ, Maremagnū nuncupata, vim non habere forsan diceremus; cum sacra Congregatio, ut refertur in Mediolanensi *fol.* 25. & à Barbosa *in sess.* 14. *c.* 7. decreverit: *Regulares per privilegiū quod Mare magnum vocatur facultatē non habere absolvendi pœnitentes à casibus Episcopo reservatis*: Alt cum habeatur ex alijs privilegijs post Tridentinū, illud extare dicēdum est iuxta hoc eiusdem Cōgregationis decretū apud Barbosam *sup.* & Sorbum *Comp. verb. casus res. Eadem sacra Congregatio super sess. de pœnit. can.* 11. & *c.* 7. *Trident. declaravit, nec Confessores vi privilegiorum Rosarij, nec Patres Iesuitas posse absolvere pœnitentes à casibus Episcopo reservatis, nisi privilegia ipsa talem tradant facultatē, vel sint obtenta, aut confirmata post Tridentinum.* Huius etiam decreti novissimè meminit Ioānes Maria Novarius *in Lucerna Regularium ver. absol. n.* 4.

8 Sed nota tandē, 1. quod cum prohibetur absolutio à culpis, vel casibus reservatis, nō prohibetur à censura reservata; (nisi hæc inter casus reservatos ennumeretur.) Sic Magala. *c.* 12. *n.* 7. Diana 3. *p. tr.* 2 *res.* 13. & Thomas del Bene *de immun. dub.* 4. *subject.* 31. *corol.* 1 quia ut rectē docet Navarr. *Sum. c.* 27. *n.* 262. censura non est casus, sed pœna casus. Nota 2. Quod non prohibeatur absolutio hæc quoad Regulares, sed solū quoad sæculares absolvendos. ut docent Miranda, Rodriguez, & Peregrinus apud Molfesiū *tr.* 7. *c.* 71. *n.* 19. immo Episcopalis reservatio Regulares non comprehendit, utpotè ab hac iurisdictione exemptos.

SINGVLARE XVIII.

V. Regulares virtute Cruciatæ absolvi possint à peccatis mortalibus non reservatis?

1 NEgativam partem acriter, & sapienter defendit Doctissimus, ac Eminentissimus P. Lugo *disp.* 20. *de pœnit. sect.* 9. *à num.* 194. Fundamentum præcipuum illius est: à Pontificibus omnem prorsus Cruciatæ usum Religiosis prohiberi in ordine ad sacramentum pœnitētiæ. Sic Pius V. in Brevi, anno 1571. dicit: *Sed nostræ intentionis existere, quod iidem Fratres, & Monales quantùm ad sacramentum Pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, dispositioni suorū Prælatorū subiecti sint, & Apostolica authoritate tenore præsentium declaramus.* Eadē habētur in proprio Motu Clemētis VIII. in quo antea

Conceſſionem S. Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium quantùm ad prædictum articulum eligendi Confeſſarium, & abſolvendi à caſibus reſervatis, cum Fratribus, & Sororibus Monialibus quorumcumque Ordinum, ac Congregationum, cuiuſcumque inſtituti Mendicatium, tam Provinciæ Hiſpaniæ, quàm extra eam vbilibet, locum minimè habere, neque cenſeri.

2 Et Vrbanus VIII. ſuo Brevi edito die 19. Iunij anno 1630. ait: *Conceſſionem S. Cruciatæ quantùm ad predictum articulum eligendi Confeſſarium, & abſolvendi à caſibus reſervatis cum Regularibus quarumcumque Ordinum, & Congregationum, Societatiſque, & inſtituti Mendicantium, & non Mendicantium utriuſque ſexus, locum minimè habuiſſe, nec habere, neque illis ullo modo ſuffragari potuiſſe, vel poſſe.* Ergo, cum ad abſolutionem ab his mortalibus, ſit eligendus Confeſſarius, & hęc electio prohibeatur; prohibetur etiam abſolutio. Sic etiam Regulares Societatis Ieſu in ſpeciali Gregorius XIII. Clemens VIII. & Gregorius XV. prohibuerũt uti facultatibus Cruciatæ publicatæ, vel publicandę, quoad eligendũ Confeſſarium. Tandem, quia ſi Religioſus à quocũque poſſet abſolvi virtute Bullæ a mortalibus non reſervatis, magna ex parte defficeret perfectio regularis, quã Põtifices maximè intẽdunt in huiuſmodi decretis.

3 Alij plures, doctiſſimique Recentiores, qui nondum typis opera mandarunt, & quos ſępè audivi, affirmativam partem indubitanter tuentur; ex Scriptoribus verò alios plures, ut certum, id ſupponere teſtatur Trulench *lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 9. *num.* 25. ubi; *Sic hoc*, inquit, *videtur certum poſita conſtitutione Vrbani, & Clementis VIII. poſſe Regulares eligere Confeſſarium ex approbatis, etiam extra Religionem, ſi non habeant peccata reſervata Sedi Apoſtolicæ, ac ſuis Superioribus ut tenent Rodriguez in ſum. tom. 3. cap. 7. & ſupponunt DD. citati: nam ſolùm loquntur de peccatis reſervatis.* Rodriguez ibi, ita ſenſiſſe, & ſubſcripſiſſe viros doctiſſimos Academiæ Salmanticenſis teſtatur: & idem ſentire videtur Ludovicus à Cruce *in cruc. d.* 1. *cap.* 1. *dub* 12. & novissimè Leander à Sacram *to.* 1. *tr.* 5. *d.* 12. *q.* 62.

4 Ratio potiſſima horum DD. eſt quod in prędictis Pontificum indultis hæc abſolutio à mortalibus non reſervatis non prohibetur; nec in eis aufertur poteſtas eligendi Confeſſorem ad illorum abſolutionem. Nam uſus Cruciatæ ſolùm prohibetur in ordine ad pœnitentię ſacramentum, in quo eſt concedenda abſolutio à reſervatis: ut ex preſẽ conſtat ex Bulla Clementis VIII. edita pro Societate noſtra 16. Iunij anno 1565. ubi: *Hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione ſancimus: Nulli Religioſorum Societatis licere facultatibus Cruciatæ in quacumque mundi parte publicatæ, vel publicandę quoad eligendũ Confeſſarium, & obtinendam abſolutionem à caſibus reſervatis, uti: nec eis quoad hanc eligendi Confeſſariũ, & obtinendi abſolutionem, prædictam facultatem huiuſmodi ſuffragari:* Idem ex Bulla Vrbani VIII, qui immediatè poſt dicta ſupra addit: *Et quod ijdem Fratres, & Moniales quantùm ad Sacramentum pœnitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem Ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ quoad ſibi reſervata ſubiecti ſint, eorumdem tenore præſentium perpetuò declaramus.* At dictio *Quoad*, ut ſtatuit Rota Romana *deciſ.* 911. n. 3. per Cardinalem Sephinũ, ac docet Barbola *de dict.* 276. reſtringit, & limitat prȩcedentem diſpoſitionem ad illam rem, ad quam accommodatur. Eã dem limitationem afferũt dictio; *Quantum:* nec non pronomen *Hanc* utpotè demoſtrativum, iuxta Surdum, Tuſchum, Cenedum & alios apud Barboſam *dict.* 114.

Nec Bullę Clementis VIII. & Vrbani
5 VIII. ſtatuentium, *Cruciatæ conceſſionem quãtùm ad prædictum articulum eligendi Confeſſariũ, & abſolvendi à caſibus reſervatis, &c. cũ Religioſis locum non habere,* iuxta hos DD. opponuntur huic ſententiæ, immo eam probant. Nã genuinus ſenſus eſt non valere *ad eligẽdum Confeſſorẽ qui abſolvat à reſervatis:* quia cũ hęc particula *Et*, ponitur inter duas partes, pars unius copulativæ declarat aliam præcedentem, ut docẽt Surdus apud Barboſam, Mantica *deciſ.* 124. *nnm.* 9. Gonzalez *infr.* 9. Cenedus *pract. qq. ſing.* 50. *num.* 12. & Barboſa *dict.* 92. *num.* 5. ſeu, quando ponitur interduo, quorum unum alteri ineſt, ambo in unum reſolvuntur, eſtque unum velut reſolutio in alterum: ut docent Barboſa *num.* 6. & 7. Gutierrez *l.* 3. *pract. q.* 13. *num.* 61. Gonzalez *ad regul.* 8. *cancell. glo.* 3. *num.* 13. Senſus, ergo eſt, in præſenti clauſula, quod ad eligendum Confeſſarium, ſcilicet, ad abſolvendum à reſervatis non ſuffragatur Religioſis conceſſio Cruciatæ &c.

Hanc ſignificationem ineſſe, huncque
6 ſenſum effici ex particula *Et*, in iure docet utriuſque iuris lexicon ubi: *Aliquando Et, ſumitur, pro id eſt, vt c. ij de ſponſal. & in Gloſſa inſtit. de libertinis, verb. Et, & in c. ij. de reſcriptis.* Immo & in ſacra pagina, ut notat Laurentius, à Villavicẽcio de *Phraſib. ſcrip. ver. Et* dicens: *Porro, Et, pro, ut, quod Hebræis frequens eſt. Gen.* 20. *Orabit pro te, & vives, ideſt, ut vivas Et Gen.* 23. *Hebræo legitur: Et dabit mihi ſpeluncam duplicẽ: pro quo latinus interpers, ut det mihi ſpeluncã. Itẽ pro relatione ponitur Eſai.* 3. *Et ſicut*

Grex

Grex quem nemo colligit. Hebræus, Et ſicut grex, & nemo colligit. Hæc ille ibi: ita & nos hîc; ad eligendum Confeſſarium, & abſolvendum â reſervatis, ideſt ut abſolvat, vel qui abſolvat á reſervatis.

7 Hunc ſenſum in prædictis clauſulis continetur ſatis oſtẽdit proemium conſtitutionũ uriuſque Pontificis; nam in Bulla Clementis VIII. ſic habetur: *Cum in Bulla Cruciatæ, & alijs privilegijs, quæ ab Apoſtolica Sede concedi ſolent, detur facultas eligendi Confeſſorem idoneum ab Ordinario approbatum, qui poſſit Chriſti fideles abſolvere à caſibus Ordinario reſervatis, & à quibuſdam etiam, quæ dictæ Sedi reſervata ſunt, Religioſi prædicti Ordinis, ſeu eorum nonnulli, etiam prædictis facultatibus uti præſumant.* Vrbanus verò VIII. repetens hoc idem Clementis proemium ait: *Nihilominus ſicut Nobis, non ſine animi noſtri moleſtia innotuit, nonnulli Ordinis Fratrũ Prædicatorum proffeſſores prętextu Bullæ eiuſdem Sanctæ Cruciatæ, ac dictorum indultorũ Confeſſarium huiuſmodi, qui eos, ut præfertur, abſolvat, eligere poſſe prætendant.* Ecce de abſolutione ſolùm à reſervatis loquitur SS. D. N. ibi; *qui eos, ut præfertur, abſoluat*; ideſt á reſeruatis, de quibus ſupra locuti ſumus &c. Et idem id quod Clemens intendit, intendere manifeſtat dicens: *prędictaque conſtitutioni Clementis prædeceſſoris inhærentes, illamque tenore præſentium innovantes* &c.

8 Igitur cum ex proemio legis, aut ſtatuti Legislatoris animus, ac intentio, nec non totius decreti mens, extenſio, aut limitatio colligãtur, ut docent Tiraquellus *tit. ceſſante cauſa limit. 1. num. 65.* Gutierrez *pract. 99. l. 3. q. 17. num. 90. & 91.* Paz *conſil. 92. num. 6.* Salas deleg. *diſp. 17. ſect. 9. num. 13.* & alij; cum cõſtet ex proemio harum conſtitutionum ſolùm abſolutionem â reſervatis virtute Cruciatæ prohiberi, hanc ſolam contineri in toto illarum contextu ſentiendum eſt.

9 Idem dicendum, eodemque modo explicandum, quod cumque aliud indultum, uſũ Cruciatę prohibens, ſcilicet, quoad reſervatorum abſolutionem, non verò quoad alia. Vnde exceptis caſibus in Religione reſervatis, ex virtute Bullæ poſſe quemlibet Regularem abſolvi ab omnibus peccatis, & cenſuris, á quibus virtute Bullæ poſſunt abſolvi Sæculares, colligitur exprædicta ſentẽtia. Ac idem dicendum videtur iuxta hanc ſententiam de commutatione votorum, & defruitione aliorum privilegiorum, circa Oratoria, circa celebrationem Miſſarum, Sacramentorum adminiſtrationem, & receptionem, & indulgentiarum lucrationem, ac omnium aliorum, quæ generaliter omnibus Bullam ſumentibus concedũtur: quia eadem eſt de omnibus ratio, & ſolùm uſus Bullæ, prohibetur quoad abſolutionem à reſervatis in ea Religione, quam quiſque profitetur; non verò quoad alia: imo nec quoad abſolutionẽ à peccatis, quæ & ſi conſtet eſſe mortalia, non certô conſtat eſſe reſervata, quia dubium, vel opinio de hoc extat. Et per hoc patet ad potiſſimũ fundamentum ſententiæ negativæ.

10 Ad confirmationem R.parum, aut nihil derogari ex hoc diſciplinæ religioſę: ſiquidem graves culpæ, quæ reſervandæ videntur, reſervantur: quę verò non cenſentur reſervandæ, Ordinarijs Confeſſoribus relinquntur abſolvẽdę. Vnde fit conſenſum Religionũ eſſe parùm curare de abſolvẽte ab ijs peccatis, quæ reſervata nô ſunt. Quod ali quantulum deroget diſciplinæ, huic exiguę derogationi præponderat commune bonũ ad quod pertinet, non ita arcum inflectere quod frãgatur: & nullus aditus pateat reſpirandi animabus præ pudore in commiſſis pene periclitantibus: præſertim ſi Ordinarij Confeſſarij rigoroſiores, aut ſcrupuloſiores iuſto cenſentur: & Confeſſarius extra Religionem, ut decet, non eſt quærendus, nec de ignaris, aut minûs timoratis eligendus.

11 Præterea, ut ſummum ius nullum eſt ius ita Religioſorum libertatem in anguſtias adigere, potius erit in deſtructionem, quam in ædificationem ſuæ conſcientiæ: & non reſervati, innumerique caſus exiſtimabuntur reſervati; ſiquidem nec virtute privilegij ullius, nec Cruciatæ ab aliquo mortali abſolvi poſſunt Regulares niſi á deputatis, quod maximè menti repugnat Pontificũ adeò limitantium caſuum reſervationem. Atque propterea Regularium Prælatis dictum putetur id quod ad Ordinarios dirigit Clemens VIII. decreto ſæpè relatô: ſcilicet; *Et ne locorũ Ordinarij, quibus ius hoc reſervandorum caſuum competit, plurium, quam opus ſit reſervatione ſubditis, aut Confeſſarijs in animarum ſalute procuranda cooperatoribus, ſint onoroſi, monentur omnes, ut paucos, eoſque tantùm, quos ad Chriſtianã diſciplinam retinendam, animarumque ſibi creditarum ſalutem procuiuſvis Diœceſis ſtatu, & qualitate neceſſario reſervandos eſſe indicaverint.*

12 Quod ſi adhuc aliquis nimis ſcrupuloſus dubium eſſe cenſeat in hac Bullarum interpretatione, meminerit illius utriuſque iuris principij, quod *In dubio benignior pars interpretanda. & ſequenda eſt*, iuxta *l. ſemper ff. de reg. iur. & cap. ult. de tranſ.* Animadvertat item doctrinam fere communem, quod quando ſub opinione eſt, (ut in preſenti iuxta aliquos contingit) an Confeſſarius ha-

habeat iuriſdictionem, quibuſdam affirmãtibus, alijs negantibus: licitum eſt Confeſſario, & Pœnitenti miniſtrare, & recipere hoc ſacramentum cum opinione probabili. Ita Bonacina *d.2.de pec.q.4.p.9.num.* 16. Ioannes Sanctius *d.44. num.*24. Granadus 1.2.*cõt.* 2, *tra.*22. *d.*4.*ſec.*4. Caſtro Palao *tom.*1.*d.*2. *p.* 5.*num* 9. Sanchez *l.*1.*ſum.c.*9.*num.* 35. Lũi *l.* 2.*c.*29.*dub.*8.*num.*68. Malderus 1.2.*q.*19.*ar.* 5.*d.*& alij plures.

13 Immo, etiam ſi probabilior opinio iuriſdictionem denegaret, & minus probabilis, dummodò verè ſit probabilis, eam concederet, idem liceret Confeſſario, & Pœnitenti, ut docent Naldus, & Sanchez *ſup.* Martinez 2.2.*to.*1.*q.*19.*ar.*6.*dub.*6.*conc.* 7. Villalobos *to.* 1.*tr.*1. *dub.*13.*num.*5. Enriquez, Salas, Vazquez, & alij, quos citat, & ſequitur Diana 2.*p.trac.de opin. prob. reſ.* 2. Quia tunc etiã Eccleſia dat iuriſdictionem propter communem utilitatem, ut in errore communi, & propter magna incommoda, quę niſi ita fieret, ſequerentur. Hanc doctrinam adverte: valdè enim utilis eſt pro reſolutione plurium, quæ in hac materia de pœnitentia occurrũt, præcipuè quoad caſus reſervatos.

14 Sed ſi obijcias, ex relata ſententia ſequi, poſſe quemlibet Regularem abſolvi virtute Cruciatę ab omnibus ijs peccatis, & cenſuris âquocumque Confeſſore Seculari, vel Regulari approbato ab Ordinario loci, vel à Prælato Regulari ipſius Pœnitentis, â quibus poteſt abſolvi à Confeſſario deputato pro audiendis alijs Regularib⁹ ſuę domus: admitto id ſequi, & teneri à viris doctis; Praxim tamen oppoſitam in noſtra Societate credo eſſe, & huic in ea ſtandum planè cenſeo, utpote ad ſpiritualem perfectionem conducenti in Religione, in qua viget perfecta feruentioris diſciplinæ obſervantia.

SINGVLARE XIX.

Quam poteſtatem habeant Confeſſores deputati in Domibus Societatis Jeſu pro audiendis noſtrorum confeſſionibus, in ordine ad abſolvendum eos, à peccatis, & cenſuris: vbi quam etiam habeãt Confeſſores Ordinarij aliorum Regularium reſpectu illorum?

1 DECISIO huius dubij pendet omnino ex ijs, quæ generaliter noſtris Cõfeſſoribus, pro omnium, etiam ſęcularium, confeſſionibus audiendis, á Pontificibus ſunt conceſſa. Hęc que á Paulo III. Bulla, quæ incipit: *Cum inter cunctas* & edita 3. Iunij anno 154[illegible]. ita habemus; *Illis ex vobis, qui Presbiteri fuerint, quorumcumque utriuſque ſexus Chriſti fidelium ad vos undecumque accedentium, confeſſiones audiendi, & confeſſionibus diligenter auditis, ipſos, & eorum ſingulos ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & a quibuſvis, ex ipſis caſibus reſultantibus ſententijs, cenſuris, & panis Eccleſiaſticis [exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini ſolita eſt legi] abſolvendi, plenam, & liberam facultatẽ auctoritate Apoſtolica per præſentes concedimus.*

2 Sed cum ex conceſſione Gregorij XIII uti non poſſimus privilegijs noſtro, vel alteri Ordini cõceſſis, niſi ad beneplacitum Præpoſiti Generalis; ipſe ita hanc poteſtatẽ conceſſit, ac limitavit, ut conſtat ex noſtris privilegijs *verb. Abſolutio §.*1. Hęc facultas communicatur omnibus Confeſſarijs â ſuperioribus deputatis, & ab Ordinario loci iuxta formam Concilj Tridentini ſeſ.23.c. 15. de Reform. approbatis, prętęrquam reſpectu excommunicatorum generaliter ab homine, quos Superiores tantùm, & ij, qui ab eis ſpecialem licentiam obtinuerint, poterunt abſolvere; excommunicatos autem nominatim ab homine, & illos Regulares, qui licentiam non habuerint extra ſuum Ordinem cõfitendi, ne Superiores quidem abſolvant.

3 Qui autem nomine Superiorum hic, & alibi prętęr Generalem, & Viſitatorem intelligantur; ſic declaratur in prefatione noſtri compendij privilegiorum ubi: Nomine Provincialis, Præpoſitorũ, & Rectorum, quorum non rarò in compendio fit mentio; ſub intelligendi quoque ſunt Vice Provinciales, Vice Prępoſiti, & Vice Rectores, quando nimirum nullus eſt Provincialis, Prępoſitus, aut Rector, vel adeo longè abeſt, ut pro rei exigentia conſuli non ſatis commodè poſſit; qui omnes etiam nomine Superiorum in hoc compendio ſignificantur. Nam reliquis Reſidentiarum, & Miſſionum Superiorib⁹, eorum Superiores, â quibus vel mittuntur, vel ſub quorum cura, & directione vivunt, eas ex ſibi cõceſis facultates, iuxta conſtitutiones communicare poterunt, quas pro ratione locorum temporum, & perſonarum communicandes iudicabunt. Sed notandum, quod hic non eſt ſermo de Superioribus Reſidentiarum, vbi noſtri commorantur permanenter, ſeu per modum collegij, licet ex rigore noſtrarum conſtitutionum collegia non ſint, ut in noſtra Bætica provincia, Reſidentia Giennenſis,

sis, Sanlucarensis, & si quæ alia sit; sed de Residentijs, vbi sunt nostri transeuntes quidem, seu per modum diuturnæ missionis.

4 Sit conclusio: Confessor deputatus pro audiendis in domo Societatis confessionibus nostrorum, habet circa illos omnem potestatem, quam habet quilibet Confessarius Ordinarius circa externos, præterquã quoad casus reservatos in Societate; nam quoad hos limitatur eius facultas â Pontificibus, & á Superioribus. Vnde sicut externos potest absolvere ab omnibus peccatis, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis in iure, vel per speciales cõstitutiones, exceptis ijs, quæ continentur in Bulla Cænæ; quia quoad hos casus est limitata eius potestas: ita etiam potest absolvere nostros eiusdẽ domus, vel collegij, ubi Confessor Ordinarius est, non verò alterius; cum iurisdictionem non habeat in illos. Ratio est, quia per nostra privilegia possumus tam quoad nostros, quàm quoad externos (non enim ij debent esse melioris conditionis quàm nostri) omne id, quod nobis non limitatur; nã sic in eorũ præfatione statuitur, & in praxi observatur; sed per nostra privilegia conceditur omnibus Confessarijs Societatis, ut possint absolvere quoscumque Christi fideles, ad eos undecumque accedentes, ab omnibus peccatis & censuris, exceptis contentis in Bulla Cænæ; ergo & possunt absolvere nostros; cum sub nomine Christi fidelium comprehendi non sit dubium; & nec Pontifex, nec Superiores Societatis ibi distinguãt, aut limitent facultatem ad externos tantũ.

5 Confirmatur: quia sicut se habet Confessor Regularis approbatus pro Sæcularibus respectu illorum; ita se habet Confessor deputatus ad audiendas confessiones Regularium in aliqua domo, vel conventu respectu illorum: ergo sicut ille potest absolvere Sæculares ab omnibus casibus, & censuris, in quibus eius potestas non est limitata, ita poterit hic suos Regulares.

6 Sed animadvertenda sunt aliqua. I. Eandem omnino potestatem inesse in Societate omnibus Cõfessarijs, sive primo, seu Præfecto rerum spiritualium, sive secundo, aut tertio loco assignatis; pares enim eos fecerunt differtis verbis Patres nostri Generales; ut constat ex epistola R. P. N. G. Claudij ad Provincialem Beticæ 7. Aprilis 1603. ac ita praxis docet, statuitq; decretũ relatũ Sing. 11. num. 4. à SS. D. N. Clemente, & Vrbano VIII. editum, in quo Pontifices hi graviter obligant Prælatos ad Confessarios hos assignandos, quibus generaliter delegẽt suam iurisdictionem quoad omnia, exceptis reservatis, ut notat Suarez *to. 4. de Relig. l. 2. cap. 16. à num. 3.* Cui non assentior dicenti: *Non esse mentem Pontificis, ut hi Confessores debeant ad minimum, ac necessario esse duo, etiam in parvo conventu*: cum præsumere debeamus Pontificis mentem fuisse occasiones sacrilegiorum rescindere, & aliquam eligendi libertatem permittere subditis; ad quod cõducet, quod duo saltim in parvo conventu, vel plures indifferenter, pro omnibus Religiosis assignentur in maximo; in quo singulos pro decem quibusque saltim assignãdos autumant Sapientes.

7 Et licet Societati nostræ ipse Clemens VIII. vivæ vocis oraculo concesserit, *Ne Superiores in singulis domibus præter Confessarium Ordinarium teneantur deputare duos, vel plures Confessarios, qui á non reservatis absolvant*; iam hoc revocatum est à Gregorio XV. & Vrbano VIII in generali Oraculorum revocatione; ac præterea post hoc Oraculum Vrbanus VIII: oppositum fieri iussit.

8 II. Animadvertes eandẽm potestatem, & non maiorem, quam Confessores Ordinarij habent in Societate, inesse etiam Cõfessoribus deputatis sexto quoque mense pro confessionibus generalibus, vel particularibus excipiendis tempore Renovationis spiritus: ita enim & praxis, & Superiores persuadent.

9 III. Quod omnia, quæ circa votorum cõmutationes, dispensationes, & similia possunt Confessores nostri ex nostris privilegijs circa externos, possunt Confessores Ordinarij nostrorum circa nostros, nisi id expresse eis, vel in privilegijs, vel â Superiore, qui eos designavit, seu à quo facultatem habet audiendi nostrorum confessiones, limitetur.

10 Vltimo notabis, hanc potestatem, quam habent Ordinarij Confessores nostrorum, esse delegatam respectu illorum, sicque nõ posse alijs ab ipsis Confessoribus delegari; quia iuxta decretum relatum Clementis VIII. & Vrbani VIII. Superiores eos deputant committendo illis suam iurisdictionẽ, quod delegatio est, & in hac delegatione eligitur industria personæ, ut constat ex ijs verbis; *Deputent Superiores, in Domibus Confessarios, iique sint viri docti, prudentes, charitate præditi* &c. Et ideo etiam subdelegari nequit, ut docet Suarius *sup. num. 9.* addens; *Quod vero talis iurisdictio committatur á Provinciali, vel, à proximo Superiori parum refert; quia ab utroq; potest esse per modum delegationis.* Et concludit iuxta decretum Clementis VIII. á quolibet ex his posse deputari Cõfessarios; sed attendũ in unaquaq; Religione quid praxi,

&

praxi,& moribus receptum ſit;nam in noſtra Provincialiũ eſt deſignare ordinarios Confeſſores, & eis iuriſdictionem delegare iuxta regulam 24. Provinc. & 7. Rectoris.

11 Circa poteſtatem,quam habent Confeſſores Regularium in alijs Religionibus reſpectu illorum, nil dicendum occurrit;niſi omnia ea poſſe,quoad abſolutionem à peccatis,& cenſuris,diſpenſationes,& commutationes,quæ ſua privilegia illis concedunt: niſi á Superiore limitentur;ſi verò nullum ſpeciale privilegium habent circa Regulares ſuæ domus, vel conventus,tantùm poterunt â non reſervatis in ſua Religione abſolvere.

12 Ampliſſimam porro poteſtatem, quam habent Superiores,& Confeſſores Ordinarij Benedictinorum, Minorũ, Prædicatorum,aliarumque Religionum reſpectu ſuorum Regularium, invenies in compendio Mendicantium, *Verbo Abſolutio Ordinaria, & extraordinaria quoad Fratres*; & in Cõſtitutionibus Prędicatorum. *cap.* 46. *&* 47. Vbi inter alia Innocentius IX. & Pius V,omnẽ eam iuriſdictionem, quam Epiſcopi habẽt quoad abſolutionẽ à peccatis, & cenſuris in ſuos Subditos,Superioribus Prędicatorũ & Confeſſoribus, quibus eam commiſſerint,concedũt, quoad fratres, & Moniales ſibi ſubditos. Ampliorem verò in Bulla Maris magni Sixtus IV. concedit,& in alia eam confirmat. An verò per privilegium unius Religionis poſſit abſolvi Pœnitens alterius Religionis,conſule Suarium *ſup. á. n.* 11.*ad* 16.

SINGVLARE XX.

An,& Quando prohibeãtur Confeſſores Societatis Ieſu abſolvere noſtros,& externos Excommunicatos nominatim,aut generaliter ab homine?

1 IMITAVI proximo Singulari Noſtrorum Confeſſariorum poteſtatem erga huiuſmodi Excommunicatos, ſive ſint Sæculares,ſive Regulares, ut vidimus *ſup.* ex noſtris privilegijs. Iuxta illam igitur limitationem Regularis excommunicatus nominatim nõ poteſt â noſtris abſolvi ab excõmunicatione ſine licentia ſui Prelati. Idem in alijs Religionibus obſervandum eſt, ſi detur eadem limitatio. At cum ex virtute Cruciatæ poſſint validè, & licitè abſolvi huiuſmodi excommunicati nominatim, ſatisfacta parte,in foro interiori,ut docent Covarruvias,Navarrus,Enriquez,Avila, Sayrus,& alij; quos citat,& ſequitur Trulench. *l. in cruc. §. 7. cap. 2. dub.* 10. *num.* 2. & ſit probabilis ſententia aſſerens poſſe Regulares uti Cruciata, ad abſolutionem omnium peccatorum, & cenſurarum [exceptis caſibus reſervatis in Religione] ex vi illius poſſent Regulares abſolvi ab huiuſmodi excommunicatione,niſi hæc ſit reſervata á Capitulo Generali, vel Provinciali.

2 Excommunicatus autem nominatim ille eſt,qui publicè,proprio nomine,ac cognomine expreſſo,excommunicatus,& denunciatus eſt: licet in tabella affixa non ſit eius excommunicatio,ſeu nomen. Sed ſemper, ſivè hic nominatim excommunicatus ſit Secularis,ſivè Regularis, remittendus eſt ad proprium Iudicem,ſeu Prelatum,ut notat Trulench. *num.* 1. ut in foro exteriori abſolvatur.

3 Excommunicatus generaliter ab homine per modum legis, aut ſtatuti bené poteſt abſolvi ex vi noſtrorũ privilegiorum: quia hæc excommunicatio potius eſt à iure, à cuius excommunicatione poſſumus abſolvere. Vnde Confeſſor quilibet Societatis poteſt abſolvere quoſcumque Sæculares ligatos excommunicationibus, quas in ſuis ſtatutis, decretis, Synodis, & alijs legibus Ordinarij, Inquiſitores, Nuntij Apoſtolici & ipſi Pontifices ſummi promulgarunt,& Confeſſores deputati pro noſtris ex vi generalis delegationis, deputationis ſuę poſsũt noſtros abſoluere, ſi incidant in excommunicationes latas á Provinciali,vel à Generali, vel Congregationibus per modum legis,ut ſunt cenſuræ impoſitæ in Societate, quæ potius à iure, quàm ab homine dimanare dicuntur.

4 Et licet peccata,pro quibus illæ cenſuræ imponuntur, ſint in Societate reſervata, nõ ideo ipſæ ſunt. Sic enim ultimus ex reſervatis proponitur; *Cenſuræ Societatis noſtræ, ſeu peccata, quæ in noſtris conſtitutionibus, Bullis, vel decretis annexam habent excommunicationem.* Vbi particula, *ſeu*, accipitur expoſitivè, ut accipi ſolere docẽt Cardinalis Seraphin. Rotæ Romanę *deciſ.* 393. *num.* 9. Octavianus Vulpellus *de propoſit. & adverb. dict. ſeu. num.* 7. Barboſa *ibi num.* 3. Et ita iuxta hos accipitur *cap. licet in princ. de elect. & cap. bonæ el. & ibi* Gloſſa: vel dicere poſſumus accipi *correctivè*, ut ex cap. 1. *de ſtatu Regular. lib.* 6. probat Barboſa *ſup.* Et ſenſus eſt: *Item reſervantur cenſuræ, hoc eſt, peccata, quæ illis ſint annexa.*

Excommunicatus ergo generaliter ab homi-

homine, qui à noſtris ex vi privilegiorum noſtrorum abſolvi nequit, eſt ex ſæcularibus, is qui trãſgreditur præceptum Epiſcopi, vel Nũtij, vel Inquiſitoris, & ex noſtris, qui tranſgreditur præceptum Provincialis: vel Rectoris impoſitum, vel alicui in particulari, vel pluribus in generali ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ, ut deſervando ſæcreto alicuius rei, quæ domi contigit, vel quæ in conſultatione agitata eſt, de non mittẽdis litteris, vel recipiendis abſque licentia, de non divertẽdo ad aliud hoſpitium cum iter agitur, de non tranſeũdo per aliquem locum, & de ſimilibus caſibus præcepti, & excommunicationis, &c. Idem intelligendum eſt ſi ſub excommunicatione lata præceptum noſtris imponeretur ab alijs Superioribꝰ, v.g. ab Inquiſitoribus: vel Nuntijs; vel à Põtificibus Sũmis ut annis præteritis impoſita fuit contra diſputantes, & cenſurantes opinionẽ de Auxilijs; nec non contra cenſurantes ſententiam de Immaculata B. Virginis Conceptione.

SINGVLARE XXI.

Selectæ Adnotationes circa abſolutionem Regularium, & Sæcularium à prædicta excommunicatione; nec nõ circa facultates noſtrorum Confeſſariorum.

1 NOTANDVM eſt 1. Quod ſi imponens hanc excommunicationem, quę generaliter ab homine lata dicitur, illam non reſervavit: probabile eſt ab ea abſolvi poſſe à quocumque approbato ab Ordinario, ſeu qui habet poteſtatem abſolvendi ab excommunicatione â iure. Sic probat Suarius *to.* 5. *diſp.* 7. *ſeſ.* 2. *num.* 23. *& diſ.* 19. *ſect.* 2. *num.* 6. *& tom.* 4. *diſp.* 28. *ſect.* 3. *fin.*, contra Caietanum, Vgolinum, & alios, quos refert *to.* 5. *d.* 7. quia hæc ſive ſit per præceptum ſuperioris, ſive per ſententiam iudicis, ſi ab his non reſervetur, æquiparatur excõmunicationi á iure non reſervatę: ſolumq; differunt in hoc, quod ea, quæ eſt à iure durãt mortuo vel amoto ſtatuente: illa verò, quæ generaliter ab homine eſt, finitur morte, vel amotione ferentis, quod non arguit ſtrictius vinculum, ut notat Avila *infra.* Eãdem ſententiam tenent Navarra *l.* 4. *cap.* 5. *dub.* 8. Ægidius *d.* 14. *dub.* 16. *num.* 257. Navarrus *ſum. cap.* 27. *num.* 44. Enriquez *l.* 3. *cap.* 28. *num.* 5. Auila *de cens.* 2. *p. cap.* 7. *d.* 1. *dub.* 8. & alij, eamque vocat Suarius, communiorem probabiliorem; ac in praxi tutam.

2 Notandum 2. Quod ſi Superior, Provincialis, ſcilicet, aut Rector communicaret Cõfeſſario noſtrorum facultatem ad abſolvendum excommunicatos generaliter ab homine, ut poteſt, & ſolet, poſſet abſolvere quemcumque ex noſtris ita excommunicatum, etiam ſi excommunicatio lata eſſet ab eodem Superiore facultatem communicãte, & in particulari in aliquem ferretur ſuper aliqua re, ut ad manifeſtandum aliquod delictum alicuius, vel ſervãdum ſecretum, aut ſimilia. Quod intelligendum etiam eſt, cum huiuſmodi Confeſſarius eſt expoſitus ad audiendas confeſſiones ſæcularium, & habet hanc facultatem abſoluendi excommunicatos generaliter ab homine, abſolutè, & ſine reſtrictione ad externos tantùm; eo enim ipſo quod deputetur ad audiendas cõfeſſiones noſtrorum, poteſt uti eadem facultate erga noſtros, Quia ubi lex, nec Superior diſtinguit, nec nos diſtinguemus, & *Generalis diſpoſitio, aut conceſſio omnia, ſive omnes ſpecies ſub ſe contentas continet.* Ità ex *l. Si Chorus ff. delegat.* 3. Fräciſcus de Molina *de ritu Nupt l.* 3. *q.* 187. *num.* 17. Tuſchus *to.* 4. *lit. G. concl.* 29. Barboſa *de princip. lit. C. num.* 6.

3 Notandum 3. Quod etiam ſi tunc Superior Regularis hanc ſibi excommunicationem reſervaverit, exiſtimandum eſt, ab ea abſolvi poſſe á Confeſſario prædicto quẽcumque ex noſtris, quia probabiliſſimum eſt, nõ poſſe hunc ſine cõſenſu Provinciæ, vel totius Ordinis, in provinciali, vel generali Capitulo reſervare ſibi cenſuram aliquam, ut docẽt aliqui viri docti, contra Sirium *infra*, hæc enim eſt materia odioſa; & aliter illuderetur decretum SS. D. N. Clementis VIII. pro caſuum reſervatione editũ: Vbi Sanctitas ſua decrevit, ut *Nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſervet exceptis ijs, quæ ſequuntur, aut omnia, aut eorum aliquod prout ſubditorum utilitati expedire in Domino iudicaverint.* Vbi nomine *Superiorũ* Generalis, Provincialis, & Cõventualis Prælatus intelligũtur, ut explicat Suarius *to.* 4. *de Relig. l.* 2. *cap.* 18. *num.* 14. addens: *Quemlibet horum poſſe ſibi Subditis, hos, vel in his, aliquos caſus reſervare, etiam ſi in ſua Religione reſervati non ſint, dummodo per ſuas conſtitutiones ea reſervatio non prohibeatur.* Si verò excommunicationem latam ab homine imponeret Superior Regularis circa caſum aliàs reſervatum in Religione, tunc non poſſet ab hoc Confeſſor Ordinarius Regularium eos abſolvere ſine licentia Superioris.

Notandum 4. Quod iuriſdictio Confeſ-
4 ſoris Ordinarij noſtrorum durat, quandiu ipſe durat in hoc officio, colleg jque habitator exiſtit, ſive moriatur, ſive amoveàtur, aut mutetur Superior, à quo iuriſdictionẽ habuit. Si verò ab officio Cõfeſſor amoveatur, ſive maneat in ea domo, vel ab ea alibi moraturus egrediatur, iuriſdictio expirat. Sic praxis docet in Societate, quidquid ſit in alijs Religionib⁹. Et quidem licentia generalis, & ſine reſtrictione perſeverat, ex iure cõmuni donec nõ revocatur. Hinc fit, quod ſi Confeſſarius noſtrorũ eat in aliud collegium, vel locum, recreationis, vel negotij alicuius cauſa perſeverans adhuc in ſuo munere, ſi inveniat in itinere, vel in ipſo Collegio, aut loco, per quem tranſit, vel in quo manet, ut hoſpes, aliquẽ ex noſtris ſubditum ſui Collegij, vel domus, in qua ipſe Confeſſor noſtrorum eſt, poteſt eum abſolvere ab omnibus cenſuris, ac peccatis, à quibus poteſt Sęcularem, exceptis reſervatis: à quibus etiam poſſet abſolvere, ſi ſuus Superior facultatem abſolvendi ab illis cõ ceſſiſſet.

5 Notandum 5. Quod facultates, quæ aliũde cuilibet Confeſſario ex ſocietate tam pro noſtris, quam pro externis expoſito, conceſſæ ſunt in ordine ad cõfeſſiones, vel noſtrorum, vel Sęcularium: nec non circa privilegia aliqua, ut ad abſolvendum excõmunicatos generaliter ab homine, ad aperiendum litteras ſacræ Pęnitentiarię, ad diſpenſandum in petitione debiti cum eo, qui conſanguineam uxoris ſuæ cognovit, vel cum eo, qui matrimonium contraxit poſt votum ſimplex caſtitatis, aut in votis Epiſcopo reſervatis, aut ad celebrandum per horã antè auroram vel per horam unam, poſt meridiem, & ſimilia, quæ concedi ſolent à Provincialibus, vel Generali, non expirãt morte, vel á motione cõcedentis, ſed durant, donec ab illius ſucceſſore reuocentur, ut ſtatuitur in VII. Cõgregatione *can.* 11. his verbis: *Qui Superiorũ munus obeũt, maximè verò Provincialium, tenebuntur, ut primum illis commodum fuerit ſubditos præſentes, & coram monere, ut privilegia, & facultates à prędeceſſoribꝰ conceſſas aperiant, ut illas ipſi vel confirment, vel abrogent, pro ut in domino expedire iudicaverint: uſquè ad quam denuntiationem facultates omnes in ſuo robore manebunt; quæ peracta ſi ſubditi illas non aperiant, pro abrogatis de facto habendæ erunt. Facultates etiam à Viſitatoribus conceſſas tenebitur quiſque Provincialibus rogãtibus aperire. Has tamen illi niſi Generali admonito revocare non poterunt.*

6

Notandum ultimò hęc non ſolùm de facultatibus conceſſis â Provincialibus, ſed etiam à Præpoſitis localibus, & Rectoribus intelligi, cum hi ſub nominè Superiorum comprehendantur, ut Singulari 19. n. 3. vidimus, & particula *maximè*, ſatis oſtendit: cum hæc exprimat caſum minus dubitabilem; ſcilicet, quod de Provincialibus ibi loquatur, includendo etiam magis dubitabilem, quod ſcilicet etiam de Rectoribus loquatur. Sic hanc dictionem explicant Menochius, Azebedo, Rodriguez, Gutierrez, Cenędus, Tuſchus, Bartholomęus Peret, quos citat, & ſequitur Barboſa *de dict. lit. M, dict.* 168. Et ita etiam Rota Romana apud Farinacium *deciſ.* 257. *num.* 4. *to.* 1. *p.* 2.

7 Aſt ſi ſubditus Prępoſiti. v.g. Domus profeſſę Hiſpalenſis ad Collegium Granatenſe habitationis ergo divertat, licèt in itinere, ſeu in collegijs, per quę in itinere tranſit poſſit uti facultatibus, quas â Præpoſito habebat, tam quoad receptionem, & adminiſtrationem ſacramentorum, quàm quoad alia v.g. ad dandam, vel accipiendam quantitatem grávem, tamen cum iam acceſſit ad Collegiũ, vbi habitaturus eſt, illis non poteſt uti, niſi denuo eas á Superiore illius Collegij obtineat. Secus eſſet ſi hæ facultates â Provinciali forent conceſſę.

SINGVLARE XXII.

Quam poteſtatem habeant Confeſſarij noſtrorum, & aliorum Regularium in ordine ad abſolutionẽ ſuorum à ſuſpenſione, & interdicto, ac ad diſpenſandum cum eis in irregularitate, vel in Eccleſiaſticis præceptis, & legibus?

1 PRIMA concluſio: Confeſſarius Noſtrorum poteſt abſolvere quemcũque ex noſtris â quacumque ſuſpenſione, ſive â iure, ſive ab homine generaliter lata; & idem eſt de interdicto. Patet ex privilegio Pauli III. Singulari, 15. num. 1. relato in ijs verbis. & *à quibuſuis ex ipſis caſibus reſultantibus ſentẽtijs, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, exceptis contentis in bulla, quæ in die Cœnæ Domini ſolita eſt legi, abſolvere plenam, & liberã facultatem concedimus.* Cũ ergo hæc poteſtas detur omnibus Cõfeſſarijs Societatis circa omnes Chriſti fideles, & non limitata ſit â P. N. Generali, ut cõſtat ex noſtris privilegijs, quoad externos tantùm, quoad noſ-

2 Secunda concluſio: Non poteſt Confeſſor Ordinarius diſpenſare cum noſtris in irregularitate proveniente ex prava ordinũ ſuſceptione, aut malo uſu, ex homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione membrorum, ex defectu Natalium, ex vitio corporis, & alijs; quia diſpenſatio in his ſolùm ſpectat, vel ad ſummum Pontificem, vel ad locorum Ordinarios; vel reſpectu noſtrorũ ad Superiores Societatis, ſcilicet Generalẽ Provincialem, Præpoſitum, aut Rectorem iuxta modum, quo ijs in noſtris privilegijs communicatur, & videri poterit, *verbo diſpẽſatio*. Poteſt verò Cõfeſſor diſpenſare in irregularitate ex defectu lenitatis, quæ non cenſetur reſervata Superiori, ut à viris doctis audivi, verum eis non acquieſco

3 Notandum tamen eſt privilegium illud quod in noſtro compẽdio *verb. diſpenſatio §. 6*, ita habemus: *Per privilegium Monachorum S. Hyronimi in Hiſpania, quilibet noſtrùm poteſt ſemel in vita diſpenſari in foro conſcientiæ à Confeſſario per Superiorem deputato ſuper irregularitate, quacumque occaſione contracta. Conceſſit Sixtus IV. ut in libro privilegiorum dicti Ordinis tit. 12. fol. 36. & refertur in manuſcriptis fol. 56. pag. 2.* Poſtea autẽ á P.N. Generali additur: *Hæc facultas cõmunicatur omnibus Superioribus & alijs Confeſſarijs, quibus ipſi eam commiſerint præter quam in irregularitate ex bigamia, & alijs tribus caſibus in ſuperiori §. contentis, qui Præpoſito Generali reſervantur.* Tres autem caſus de quibus hìc fit mentio, ſunt homicidium, mẽbrorũ obtruncatio, ſanguinis effuſio. Quid autem poſſint circa diſpenſationem in irregularitate Superiores, & Confeſſores Regularium reſpectu illorum, videndum eſt in Compendio Mendicantium *verbo. diſpenſatio*, & in priuilegijs, conceſſis alijs Religionibus.

4 Tertia concluſio: Non poſſunt Confeſſores Ordinarij noſtrorum cum illis diſpenſare in ieiunio, in cibis vetitis, & in alijs præceptis Eccleſiaſticis, hoc enim tam ex iure communi, quam ex noſtro, ſolùm competit Superioribus, & pro ijs duntaxat caſibus in quibus aliquod dubium eſt de obligatione præcepti. Sic Præpoſito Gen. Sòcietatis conceſſit Iulius III., bulla, quæ incipit: *Sacræ Religionis*, edita anno 1552. Vbi. *Ad tui, & pro tempore exiſtentis Præpoſiti Generalis Societatis huiuſmodi arbitrium, circa ieiunia, & cibos prohibitos per te, vel alios Societatem ipſam profeſſos, diſpenſandi facultatem concedimus.* Et Gregorius XIII. bulla, quæ incipit: *Exponi nuper*, eddita anno 1575. adquoſcumque, etiam ſi profeſſi non ſint, id à Generali poſſe committi ita concedit: *Quod omnia Societati conceſſa, & in poſterum concedenda prædicto, & pro tempore exiſtenti Generali huiuſmodi, conceſſa eſſe intelligantur, qui illa per ſe ipſum, vel alium, ſeu alios ab eo, vel de eius commiſſione electos, ſeu eligendos quibuſcumque locis, & perſonis Societatis*, &c. *cõmunicare liberè, & licitè valeat.* Et in noſtro privilegiorum compendio *verbo diſpenſatio §. 7.* dicitur: *Hæc autem facultas* (ſcilicet circa ieiunia, & cibos vetitos) *quoad gratiam à Iulio III. factam communicatur, omnibus Superioribus, & ijs quibus ipſi commiſerint.*

5 Poteſtas verò diſpenſandi cum ſuis ſubditis ex cauſa iuſta in alijs legibus Eccleſiaſticis, ut in recitatione Horarum, in audi tione ſacri, & ſimilibus, nõ in generali, nec ſemper, ſed pro hoc, vel illo tempore limitato, competit ex iuri communi, ſeu ratione ſui muneris omnibus Superioribus Regularibus, quia ſunt veri Prælati illorum, ut docent Caietanus 22. Metina *l. 1. ſum. c.* 14. §. 10. Sylveſter *verb. ieiunium q. 7. dict. 3*, Navarrus *cap. 21 num. 21.* Angles *1. p. dub. 3. f. 395.* Sanchez *l. 5. conſil. c. 1. dub. 5. n. 19.* Azor *to. 1. l. 7. cap. 28. aliàs 29. q. 9.* Fagundez *4. præc. Eccl. l. 1. cap. 9. num. 5.* Suarez *to. 4. de Relig. 2. cap. 12. num. 18.* Diſpenſare etiam hi Prælati locales poterunt in præveniendа hora comedendi in die ieiunij, ac ſimilibus, ut cum alijs docet Sanchez num. 21.

6 Confeſſoribus autem Regularium, vel Secularium in quantum talibus, nullum ius id concedit: licet committi poſſit á ſuis Superioribus. Hanc vero poteſtatem adeſſe etiam in Vice Rectoribus, & omnibus alijs qui ex vi ſui inſtituti abſentibus Superioribus, vicem illorum gerunt: non tamen in illis, qui Prælato dòmus ſubditi, ſecundum locum occupant, ipſo præſenti, ut sũt Subpriores, Vicarij, & in noſtra Societate Miniſtri. Eſſet verò hæc poteſtas in eis cũ abſente Prælato, omnis domus cura, & iuriſdictio eis incumbit, ſuntque vices illius gerentes, ut notant Azor, & Fagundez *ſup.*

Sed obijcies: Parochus poteſt diſpenſare in lege ieiunij, etiam ſi facilis aditus ſit ad Epiſcopum: ergo & Confeſſarius, Ordinarius noſtrorum, qui eſt veluti eorum Parochus poterit cum eis diſpenſare in eadem lege, ac per conſequens in alijs Eccleſiaſticis, in cibis prohibitis, recitatione Horarũ &c. Reſpondeo concedendo antecedens: Ita enim docent Innocentius, Ioannes Andreas, Ancharranus, Caietanus, Medina, Vibaldus, Valentia. Sylveſter, Palacios, Azor, & alij, quos citat, & ſequitur Th. Sanchez *l. 8 de mat. diſp. 9. num. 27.* qui addit: *Idẽque aiũt & bene Sylveſter, & Palacios circa diſpẽſatio*

nem in eſu carnium: Immo hoc extendunt Roſella, & Palacios ad confeſſarium; addit Palacios ſi electus ſit per Bullam, quando ad Parochum non eſt recurſus: quod is Confeſſarius vicem eius gerat. Sed meritò Azor l. 7. cap. 29, q. 4. id poſſe Confeſſariũ negat: Quod ea authoritas diſpenſandi in ieiunio non probetur conſuetudine & non ſit ſola declaratio, ſed vera legis relaxatio.

7 Sed negatur conſequentia: Quia Confeſſor Ordinarius Regularium verè non eſt Parochus illorum: talis enim eſt Prælatus conventualis. & ita hic habet iuriſdictionẽ ordinariam, ille verò delegatam, ut probat Suarius *to. 4. l. 2. cap. 16. num. 8.* Et ſi ob conſuetudinem, ut aiũt quidam ex DD. citatis, hæc diſpenſatio Parochis competit, nulla in Confeſſoribus apparet: at licèt ex opinione Roſellæ, & Palacios hoc concederetur Confeſſoribus Sæcularibus reſpectu illorũ in abſentia Parochi; non tamen concedendum eſt Regularibus reſpectu ſuorum, etiã in abſentia Prælati: cum hanc iuriſdictionẽ iam ex iure ſuo, & ex conſuetudine ſibi reſervarint Prælati.

SINGVLARE XXIII.

Quam poteſtatem habeant Confeſſores Superiorum in Societate Jeſu, & in alijs Religionibus circa abſolutionem à reſervatis, & non reſervatis: nec non à cenſuris?

CErtvm eſt, Confeſſarios Ordinarios alicuius Superioris, v. g. Provincialis, Præpoſiti, & Rectoris, eandem omnino poteſtatẽ habere circa illos, tam quoad abſolutionem à peccatis, & cenſuris, quàm quoad commutationem, aut diſpenſationem votorum, quam habent circa noſtros in illa domo, vel collegio: aliter Superior eſſet deterioris conditionis, quam Subditi; & ſicut ea omnia quæ diximus Singulari 15. & 16. cõceduntur reſpectu noſtrorum, quia prohibita non inveniũtur, ita etiam conceſſa ſunt illis reſpectu Superiorum; non enim minꝰ ſunt hi eorum Confeſſores, quam illi ceterorum.

2 Deinde Confeſſores Ordinarij Superiorum localiũ in Societate Ieſu non poſſunt eos abſolvere à caſibus reſeruatis, niſi in abſentia alteriꝰ Superioris ſupremi, & tũc cum onere comparendi coram illo. Ita ut ſi Rector incideret in reſervata, ſi facilis eſt recurſus ad Provincialem ab eo per ſe vel per alium petat facultatem: ſi verò non poteſt haberi ſtatim recurſus, abſolvatur interim à ſuo Confeſſario: & cũ ſe offerat occaſio apta, comparebit. Sic reſpõdit P. N. Generalis Claudius Aquaviva ad Provinciam Caſtellę & ſic ſtatuitur in inſtructione pro reſervatis facta à V. Congregatione *num. 6*, Vbi poſtquam ſtatutum fuerat iter agentes poſſe confiteri Confeſſario Ordinario Collegij, per quod tranſeunt, vel ſi hic deſit alij Sacerdoti: cum onere tamen comparendi coram proprio ſuperiore: additur:

3 *Idem autem quoad obligationem ſe ſiſtendi ſervandum eſt Confeſſarys Rectorum & aliorum Superiorum localium quãdo ij [quod Deus avertat] in aliquem caſum reſervatum inciderent, & nõ eſſet præſens Provincialis, cui talia reſervantur. Idẽ quoque ipſorum Provincialium Confeſſarijs, cum præſens non eſſet is qui ad eum finem á Generali eſſet deſtinatus.* Hoc intelligendum eſt citra periculum omne perſonę cognoſcendę, pro qua petitur licẽtia, vel leviſſimæ violationis ſigilli, nã eius obſervationi utpotè naturali, & divinæ, omnia alia humana, & poſitiva præcepta poſtponenda ſunt: & ita cũ huiuſmodi, vel leviſſimo periculo nec facultatis petitio, etiã ſi adſit Provincialis, nec onus cõparendi obligãt. Hoc autẽ onus numquã obligat Provinciales: ſine illo enim abſolvi poſſunt á ſuo ſocio, ſeu Confeſſore Ordinario: ut idem R. P. G. Claudius in epiſtola miſſa anno 1588. Ianuarij 28. declaravit.

4 Sed caſus hi reſervati, in quibus eſt hæc obligatio Prælatorum localium comparendi coram alijs ſuperioribus, ſunt ij, quos in quantum Superiores, ſeu occaſione ſui muneris, non verò illi reſervati, quos nõ occaſione illius, ſed ut peculiares perſonæ commiſerunt; de his enim á ſuo Confeſſario Ordinario, vel â quocumque, quem elegerint, poterunt ſine onere comparendi abſolvi. Non auderem hanc doctrinam ſequi niſi viris doctis, pijſq; noſtræ Societatiſ placere cognoviſſem, eamque confirmaſſet R. P. N. Generalis Claudius Aquaviva, qui interrogatus, an Superiores, qui quando actu erant Superiores, commiſerunt aliqua reſervata, poſſint quando iam amoti ſunt ab officio, illa confiteri Superiori; cui tunc ſubijciuntur, vel debeant confiteri Provinciali, vel Generali. ſic in reſponſis datis anno 1584. ad Provinciam Bæticam §. 9. reſpondit: *Si ſu pecado fueſſe como de otro qualquiera particular, no ſera neceſſario que tenga recurſo al Provincial, pero ſi el pecado fue como de un Rector. v. g. que uſando mal de la poteſtad, y dignidad que tiene deſperdicio los bienes del Collegio, ò como por tener como Superior las llaves de noche*

hizo

hizo algun exceſo, ſera neceſſario, que ſe confieſſe con el Provincial.

5 Hinc infertur, nec cum actu Superior committit peccatum reſervatũ abſque abuſu officij ſui recurrendum non eſſe ad Superiorem maiorem: quod ſi tunc non eſt recurrendum ad hunc, ſufficiet recurrere ad immediatum; & hic ipſemet eſt, qui in reſervatum incidit, ut perſona particularis; ergo ipſe poterit ſuo Confeſſario, vel alteri quem eligat, confiteri. Et congruum, eſt, ut de his quę, ut particularis perſona commiſit: ut particularis abſolvatur.

6 Hæc obſervanda ſunt in noſtra Societate: in alijs autem Religionibus iuxta conſtitutiones, & conſuetudines á viris probis, & doctis procedendum: ſtandumque, (ni prohibitio ſufficiens in aliqua Religione obſtet) iuri cõmuni, cõcedenti omnibus Superioribus tam mediatis, ut Generalibus, Provincialibus, Viſitatoribus &c. quam immediatis, ſeu localibus, ut poſſint eligere Cõfeſſarium, qui eos abſolvat ab omnibus peccatis, & cenſuris, a quibus ipſi poſſunt concedere ſuis ſubditis, ut abſolvantur. Sic probat Fagundez *in 4. præc. Eccl. l. 1. cap. 10. n. 6.* & latiſſimé, ac noviſſimè Zacharius Paſqualigius *deciſ. 96. 97. 98.* addẽs *deciſ. 99.* hoc etiam concedi Vicarijs Abbatum, Priorum, Guardianorum, & ceterorum Superiorum conventuum in horum abſentia: citatque pro hac ſententia Megalam, Corolianum, Leonem & Dianam.

7 Hæc poteſtas fundatur in *Cap. Ne pro dilatione de ſent. excom.* vbi. *Ne pro dilatione pœnitentię periculum immineat animarum permittimus Epiſcopis, & alijs Superioribus, nec non minoribus Prælatis ex. mptis, ut etiam præter ſui Superioris licentiam providum & diſcretum ſibi poſſint eligere Confeſſarium.* Vbi nota I. non limitari ut electus ſit intra Religionem eligentis, ſed quilibet pius, & doctus eligi poteſt, ſive Regularis ſive Sæcularis. II. Nec etiam limitantur caſus, ad quos eligi valeat, & ita reſervati etiam includuntur. III. Quod etiã ſi Provincialis adſit, poteſt Superior localis eligere Confeſſarium, & Provincialis, etiam ſi adſit Generalis: non enim abſentia hæc petitur ibi, ſed abſolutè concedítur illa poteſtas.

8 Hanc autem etiam ineſſe Superioribus Clericorum Regularium Theatinorũ, etiã ſi in ea extet decretum á Capitulo Generali anno 1601. ita editum: *Nemo noſtrum ſua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, ſed ys tãtummodo noſtratibus Confeſſarijs, qui à Præpoſito domus fuerint deſignati*, &c. aſſerunt Diana *3. p. tr. 2. reſol. 11.* & Paſqualigius *deciſ. 101.* & *102.* tum quia hoc derogare non poteſt iuri communi, ſeu privilegio in illius corpore inſerto, quod pro lege, ſeu iure cõmuni reputatur, ut docent Miranda, Enriquez Layman, Ioannes de la Cruz, Villalobos, Burgos de Paz, Rebufus, Mãdoſius & alij apud Dianam *ſup.* tum quia, ut explicat Paſqualigius *deciſ. 101.* & *102.* hoc decretũ non loquitur de Superioribus in ſpecie, ut loquitur Canon iuris, & ita reſtringi debet ad non Superiores.

9 Secus eſt in noſtra Societate circa decretum relatũ. n. 3. & ſtabilitũ à Cõgregatione V. celebrata Romæ quia expreſſè loquitur de Superioribus, tũ quia confirmatum eſt à Paulo V. bulla quę incipit; *Quantum Religio*, edita anno 1606. ubi: *Laudabile Societatis inſtitutum, cõſtitutiones* &c. *& quæcumque alia decreta ſtatuta, & ordinationes, quæ inſtitutum, & Societatem huiuſmodi, illiuſque gubernandi rationem quomodolibet concernunt, in generalibus Congregationibus edita, nec non privilegia* &c. *perpetuo approbamus, & confirmamus, ac noſtræ Sedis, & Apoſtolicæ auctoritatis robur adiccimus eaq; omnia, & ſingula innovamus, ac de novo concedimus* &c. Et poſtea hoc fieri ait: *Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine* &c. Ecce hoc Cõgregationis V. decretũ approbatum ab hoc Pontifice, utpote editum ante hanc bullam ac à fortiori ſuper hoc conſtitutiones, in quibus *p. 3. cap. 6 num. 2.* ſtatuitur: *Omnes aſſignato ſibi Confeſſario, vel alioqui iuxta ordinem quemquiſque præſcriptum habet à Superiore, confiteantur.* Dictio, *omnes* nullum nec Superiorem excludit, ut ex pluribus DD. probat Barboſa *dict. 207.*

10 Idem decernitur á Gregorio XIII. bulla, quæ incipit, *Decet Romanum.* anno 1575. ibi; *Nulli perſonarum Societatis liceat, niſi intra numerum eorum qui ad confeſſiones perſonarum eius domus, aut Collegij audiendas deputati ſunt, Confeſſarium eligere, niſi ratione itineris, aut alia de cauſa ab eiſdem Superioribus, alijs Confeſſoribus intra, aut extra Societatem confitendi facultas ad id ſpecialiter daretur, Apoſtolica Authoritate tenore præſentium perpetuo declaramus, ſtatuimus & ordinamus; ſecuſque facta irrita, & inania decernimus.*

11 Vbi notandum 1. Dictionem *Nulli* utpotè univerſalem negativã, omnes etiam Superiores, excludere, ut ex Menochio Seraphino, Tuſcho, Cenedo, Bartholomæo Peretti & alijs ſtatuit Barboſa *dict. 195.* Notandum 2. hoc decretũ fieri á Gregorij XIII. ut ipſe addit, *Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & cũ quibuſvis irritativis, revocativis, &c. clauſulis.* Vn cum hoc decretum, & aliud Congregatio-

ni

nis V. nec non conſtitutio noſtra *ſup.* relata, ex certa ſcientia, facta, & confirmata ſint, etiam ſi iuri communi opponantur: vim habeant, ut rectè docet Paſqualigius *ſup. deciſ.* 100. *num.* 5. in hunc modum:

12 *Cum autem conceſſio, aut confirmatio ex certa ſcientia validet conſtitutionem aliàs inualidam, cõtrariam Canoni, ſequitur etiam quod deroget privilegio [etiam ſi habeat vim legis] quoad eos, qui ſub ſunt tali cõſtitutioni. Quia cum Princeps non præſumatur ignorare quæ ſunt in corpore iuris, ex cap. 1. de conſtit. in 6. præſuponitur derogare, dum confirmat, & validat conſtitutionem contrariam. quia facit actum ſuæ poteſtatis, quæ extenditur etiam ad derogandas leges.* Quod verò conceſio, vel confirmatio reddat validũ quod aliàs erat, vel eſſet invalidum, probatur ex *cap. 1. de Pactis. ex cap. 1. & cap. veniens de tranſact.* ac docent Gloſſa, & Innocentius *ibi.* Tuſchus *V. Confir. con.* 340. Cabedo *Luſit. deciſ. 2. num. 3 p. 3.* Gabriel *to. 3. com. opin. l. 6. clauſ. 1. num. 1.* Suarez *l. 8. de leg. cap. 18 num. 12.* Caſtro Palao *p. 1. tr. 3. de prin. d. 4. p. 2. §. 10. num. 3.* & alij, ex quibus Franciſcus Leo *theſau. fori Eccl. p. 4. cap. 1 num. 55.* addit: quod hæc clauſula omne iuris obſtaculum removet: & Moneta *trac. decim. cap. 9. q. 3. num* 134. quod in ea præſumitur Papa voluiſſe uti ſuæ plenitudine poteſtatis.

SINGVLARE XXIV.

An Confeſſores Superiorũ in Societate Jeſu, ac in alijs Religionibus poſſint cum ipſis diſpenſare in ieiunijs, Horis Canonicis, & alijs præceptis Eccleſiaſticis?

1 IRCA diſpenſationem in ieiunijs, cibis vetitis, recitatione Horarum, & alijs Eccleſiaſticis præceptis habet Confeſſarius Superioris Religioſi, vel quilibet alius ab eo electus ad hunc finem, cum eo eãdem poteſtatem, quam habet idem Superior cum ſuis ſubditis, ſi ipſe met Superior eam illis committat, aliter deterioris conditionis, quam ſubditi erit; cum hi ad manus habeant Prælatum potentem cum illis diſpenſare, ipſe verò hoc careat. Sic probat Thomas Sanchez *l. 8. de matr. diſp. 3. num. 3.* ut omnino indubitatum: & ſatis oſtenditur ex privilegio conceſſo Regularibus, quod in noſtro compendio eſt *verbo Prælatus §. 3.* ubi dicitur:

2 *Omnes Præpoſiti Societatis, ac Rectores, quoad Religioſos Societatis ſibi ſubditos, poſſunt per ſe ipſos idem omnino, quod poſſunt Epiſcopi in Clericos, & laicos, ſibi ſubiectos, tam quoad facultatem abſolvẽdi, & diſpenſandi in irregularitatibus, de quibus in Concilio Tridentino ſeſ. 24. cap. 6. quam alias quaſcumque facultates. Conceſſit Pius V. Fatribus Prædicatoribus 22. Iulij anno 1571. & refertur in libro privilegiorum fol. 127. pag. 2.* Et additur à P. N. G. *Hæc facultas reſervatur Præpoſito Generali, niſi prout in particulari in ſuis locis reperitur communicata in hoc compendio.* Communicari verò diſpenſationem in præceptis Eccleſiaſticis vidimus Singul. 22.

3 Poſſe Epiſcopos committere Confeſſario ſuo, vel alteri idoneo, ut diſpenſet cum ipſis in ieiunijs, alijſque Eccleſiæ præceptis, docent Paludanus, Gabriel, Angelus, Tabiena, Sylveſter, Enriquez, Antonius Gomez, & alij, quos citat, & ſequitur Thomas Sanchez *l. 8. de mat. diſp. 3. to. 3.* Immo & poſſe ipſum Superiorem verè, & directè ſecum diſpenſare in ijs omnibus caſibus, & præceptis, in quibus poteſt cum ſuis ſubditis laiſſimè probat Sanchez *à n. 4.* ſingillatimq; pro Epiſcopis allegat *num. 8.* S. Thomam, S. Antoninum, Turrecremmatam, Sylveſtrẽ, Angelum, Tabienam, Armillam, & Viguerium. Pro Prælatis Regularibus affert, num. 9. Armillam, Molinam, Sa, Azorium, & Emanuelẽ, quibus addde Fagundez *præc. 4. Eccle. l. 1. cap. 9. num. 5.* Sotum, & Caietanum apud eundem.

4 Nec obſtat quod ita quis in ſe iuriſdictionem exerceat, ſitque reſpectu ſui Superior, & inferior, poteſt enim ſecundum diverſas rationes. Tutius tamẽ exiſtimo, quod has diſpenſationes Confeſſario proprio, vel ad id eligendo committat Prælatus tã ſæcularis, quam Regularis, ne veluti iudex ſit in propria cauſa. Vnde R. P. N. Generalis in quadam ſua Epiſtola ad Provinciam Bæticam decernit, quod Confeſſarij Superiorũ in Societate cum ipſis diſpenſent in irregularitate, officio divino, ieiunijs, & ſimilibus, cum opus fuerit. Ita teſtatur Pater Iacobus Granado ſe vidiſſe: & quod Provincialis ſocius, qui eſt eius Ordinarius Cõfeſſor, diſpenſet in his cum ipſo, habetur in tèr ordinationes á ſeptima noſtra Congregatione approbatas.

5 Placet pro diſpenſationibus á Superiore cũ ſubdito faciẽdis, ac cũ illo à Cõfeſſario, referre verba Thomæ Sanchez, ne difficiles in his ſe oſtendant. *Hinc*, inquit, *lib. 5. cõſil. cap. 1. dub. 5. num. 26. infertur minus bene, & minus prudenter agere Prælatos, qui ſubditos recurrentes ad eos in ſuis dubijs pro diſpenſatione, nolunt conſolari: ſiquidem tuta conſcientia hoc poſſunt facere, vel diſpenſando omnino ſi cauſa eſt omnino ſufficiens, vel ſi non omnino ſufficiens, diſpenſando, partim*

tim, & partim commutando. Sic Navarri cap. 21 Hisp. num. 21. Lat. num. 22. Caiet. dict. art. 4. Metina lib. 1. sum. cap. 14. §. 10. Angles florib. 1. part. mat. de ieiun. fol. 396. & alij. Hæc ille: ubi nota, quod etiam in cibi vetiti, vel ieiunij diſpenſatione admiſceri poteſt commutatio in aliud pium opus, ut fiat.

SINGVLARE XXV.

U. Confeſſores Regulares, vel Sæculares approbati generaliter ab Epiſcopo Diœceſano pro hominum, & feminarum confeſſionibus audiendis, poſſint ſine ipſius ſpeciali licentia audire confeſſiones Monialium ipſi Epiſcopo, aut Regularibus ſubiectarũ? Vbi alia de his Monialium Cõfeſſoribus.

1 AFFIRMATIVA ſententia ſuaderi videtur ex facultate, quæ ab Epiſcopo omnibus Confeſſoribus in hunc modum communiter conceditur, *Por la preſente damos licencia para que en eſta Ciudad, y ſu Arçobiſpado oyga de penitencia a todas las perſonas, que con el ſe quiſieren confeſſar, y los abſolvera de todos ſus pecados, excepto los a Nos reſervados:* Igitur confeſſiones Monialiũ Ordinario ſubiectarum audire etiam poterunt: cum hę non excipiantur in hac facultate, & Ordinarius illam concedens non minorem poteſtatem habeat in illas, quam in Sęculares ſuæ Diœceſis.

2 Ahuc ſit concluſio, Non licet his Confeſſoribus confeſſiones Monialium, ſive loci Ordinario, ſive Regularibus ſubiectarũ audire ſine ſpeciali ad hoc Epiſcopi approbatione. Sic ſtatuit Gregorius XV, in bulla quæ incipit: *Inſcrutabili*, edita anno 1622. & affertur ab Angelo Maria Cherubino *tom. 4. Bullarij fol. 98.* eſtque in hunc modum *Confeſſores vero ſive Sæculares, ſive Regulares, quomodocũque exempti, tam Ordinarij, quam extraordinarij ad Confeſſiones Monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, audiendas, nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.*

3 Vbi notandum, præter generalem approbationem requiſitam â Tridentino *ſeſ. 23. cap. 15.* novam requiri pro Monialium Confeſſoribus, etiam ſi ſint eiuſdem Ordinis. Sic declaravit Congregatio Cardinaliũ Tridentini Interpretum, nam circa intelligentiam prefatæ Bullę conſultata, reſpondit, *Regulares generaliter ab Epiſcopo approbatos ad Confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas, nequaquã cenſeri approbatos ad audiendas cõfeſſiones Monialium ſibi ſubiectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione.* Quod á fortiori intelligendum de ſæcularibus Confeſſarijs circa cõfeſſiones Monialium Epiſcopo ſubiectarum: cum urgentior ratio militet pro neganda hac facultate; illæ enim Moniales ſub Regularium iuriſdictione vivunt, alię verò ſub Epiſcopi tantum iuriſdictione.

4 Satis hoc declarat Gregorius XV. *ſup.* dictione *Etiam*, quæ eſt implicativa, & exprimit caſum magis dubitabilem, ac implicat minus dubitabilem, ut ex *l. etiam, ff. de verb. ſignif. l. Conventicula C. de Epiſc. & Cler. l. Etiam C. ſi tutor.* docent Vlpian. *de prop. dict. Etiam n. 1.* Bertazol *de clauſ. inſt. clauſ. 4. gloſ. 17.* Cenedus *pract. qq. ſing. 51. n. 1. & 5.* Ferrer *conſt. Cathal. gloſ. 4. num. 272.* Tuſchus *lit. D. concl. 275.* Menochius *de arbitr. l. 4. q. 49. num. 8.* Gutierrez *pract. §. 3. q. 32. n. 13.* Rota Romana apud Farinac. *deciſ. 68, num. 4.* & alij. Igitur implicat ut minus dubitabile dictio *Etiam*, hic, Sæculares, & Regulares non poſſe ſine ſpeciali facultate audire confeſſiones Monialiũ Epiſcopo ſubiectarum; exprimitque ut magis dubitabile ſine ea etiam non poſſe Regulares Monialium ſibi ſubiectarum confeſſiones audire; abrogatque Pontifex conſuetudinem, vel privilegium, ſi in oppoſitum extiterint, ac extendit in hoc Epiſcoporum iuriſdictionem per dictionem *Etiam*; de cuius natura eſt extendere ſe ad caſum antea non dictum, ut ex Rota Romana docet in noviſſimis Farinacius *deciſ. 408. n. 1.*

5 Prælatos Regulares indigere etiam hac ſpeciali approbatione ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubditarũ decernere videtur Cõgregatio Tridentini, relatã Gregorij XV. Bullã ſic de hoc interrogata explicãs; *Reſpondit Cõgregatio, Superiores Regulares electos, ſeu deputatos ante ipſius conſtitutionis explicationẽ, quibus alioqui facultas cõpetat audiẽdi confeſſiones Monialium ſibi ſubiectarum, poſſe durante eorum officio pergere ſine alia Epiſcopi approbatione in confeſſionibus audiendis, illarum tantum quæ ſponte, ac propio motu id ab eis petierint: At vero eos, qui poſt modum deputabuntur, vel qui in eorum officijs, & dignitatibus, expleto iam tempore a conſtitutionibus cuiuſque Ordinis, vel aliàs legitimè prefinito ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam poſſe Monialium confeſſiones audire, niſi prius a Diœceſano Epiſcopo idonei iudicati, atque approbati fuerint.*

6 Poſtea ad dubium 8. *An Confeſſiones quæ audiũt Superiores Regulares electi, ſeu diputáti, vel con-*

confirmati poſt publicationem, & ſcientiam tenoris dictæ bullæ, non obtenta Epiſcopi approbatione, ſint nullę, atquè irritæ? Reſpondet Congregatio: *Confeſſiones huiuſmodi nullas, atque irritas eſſe.* Has omnes declarationes affert Angelus Maria Cherubinus *tom.4. Bullary fol.* 10. & poſt omnes addit; *Quæ ſacræ Congregationis reſponſa ad ſe relata fel.rec. Gregorius XV. & S. D.N. Vrbanus VIII. in omnibus approbarunt.*

7 Nihilominus non improbabile forſan erit, Prælatos Regulares habentes generalem approbationē pro Diœceſi ab Ordinario, nova non indigere ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubditarū: cū hoc expreſsè non prohibeatur in bulla Pontificis, & conſuetudo ab Epiſcopis cognita, iā diu, ac modō vigeat: ex qua, præſumpta faltim ſpecialis hæc licentia colligitur: illiſq; utpote in Prælatorum munere conſtitutis ab Epiſcopis meritò concedi ſapientes exiſtimabunt: cum ab eis etiam harum Monialiū Confeſſores aſſignentur. Nec Congregationis declaratio vim legis habet, etiam ſi approbata à Pontifice, cum ab ipſo eius obſervatio non præcipiatur. Secus iudicandū circa confeſſiones Monialium Epiſcopo ſubditarum.

8 Sed animadvertendæ ſunt aliq huius ſacræ Congregationibus pro his Monialium Confeſſarijs declarationes ab eodem Cherubino ibi allatæ. Prima eſt: *Regularem ad audiendas confeſſiones Monialium unius monaſterij ab Epiſcopo approbatum minimè poſſe audire cō feſſiones Monialium alterius monaſterij.* &c. Idem dicendum eſt de Confeſſore Sæculari. Secunda eſt, *Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium confeſſiones pro una vice audiendas haud poſſe pluries vi approbationis huiuſmodi illarum confeſſiones audire, ſed ab Epiſcopis toties eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit.*

9 Ratio eſt, quia excommuni Doctorum approbatio limitata, ut hæc, evaneſcit, extra limites præſcriptos loci, temporis, vel perſonarum &c. ut probant Suarius *d.* 28. *de pœnit, ſec.*7 & Reginaldus *l.*1 *num.*200. Poſſent verò Confeſſores prędicti ſive ſęculares, ſive Regulares dummodo generaliter ſint ab Epiſcopo pro Diœceſi approbati eligi à quibuſcūque Monialibus virtute Iubilęi, in quo conceditur facultas ad eligendū Confeſſarium ab Ordinario approbatum, ut ex Doctoribus probavi *libel. de Iub. duar. hebd. cap.*19. &.20. Ac idem fieri poteſt virtute Cruciatæ quoad eorum abſolutionem, pro quibus ipſa Regularibus prodeſt.

10 Ex dictis patet ſolutio ad rationem dubitandi num. 1. poſitam: illa enim generalis licentia ad audiendas confeſſiones omnium ſubditorum illius Diœceſis, ab Epiſcopis ex conſuetudine ſemper, ac ex Synodis, aut Edictis ſępius, nec non à Pontifice, ut vidimus, expreſſé quoad Moniales limitatur. Sic etiam docent Suarius, Sanchez, Reginaldus, & Emmanuel, quos citat, & ſequitur Hyeronimus Rodriguez *Reſol.*32. *n.* 12. quod Confeſſores Regulares approbati, vel deputati pro Fratribus non cenſentur approbati pro Monialibus Ordinis, ſed ſpecialem ad id debent habere facultatem à ſuis Superioribus.

SINGVLARE XXVI.

V. Moniales Regularibus, vel Epiſcopis ſubiectæ abſolvi poſsint à caſibus Pontifici, & Ordinario, aut etiā in ſua Religione vel monaſterio reſervatis, per Confeſſores ad earum cōfeſsiones excipiē das deputatos? Vbi de earum Cōfeſſoribus extraordinarijs.

1 SVpponendum eſt caſuūm reſervatione ab Epiſcopo pro ſua Diœceſi, nec nō pro monaſterijs ſibi ſubditis lata nō comprehendi Moniales Regularibus ſubiectas, utpote, quę ab hac iuriſdictione non minūs, quam alij Religioſi Fratres, exemptæ ſint, iuxta ſæpius dicta, & dicenda hic. Secus de Monialibus Epiſcopo ſubiectis, quos horum caſuum reſervatio attingit, ut reliquos eius Diœceſis ſubditos.

2 Sit 1. concluſio: Prædictę Moniales Ordinario loci ſubiectæ non poſſunt à caſibus pro Diœceſi reſervatis per ſuos Confeſſores Ordinarios, abſolvi, niſi eis ſit ſpecialis facultas quoad hoc; poſſunt tamen ſine illa ab his, aliiſque Pontifici reſervatis abſolvi virtute Cruciatæ, vel alterius ſimilis privilegij. Prima pars ſatis probatur ex Singulari. 9. & 14. conſtatque ex *cap. Si Epiſcopus de pœnit.* ibi: *Si Epiſcopus ſuo Subdito conceſſerit, ut ſibi poſſit idoneum eligere Confeſſorem, ille quem is elegerit, in caſibus, qui eidem Epiſcopo ſpecialiter reſervantur, nullam habet penitus poteſtatem; cum in generali conceſſione illa non veniant, quæ non eſſet quis verſimiliter in ſpecie cōceſſurus, nulla quoque poteſt conſuetudine introduci quod aliquis præter ſui Superioris licentiam, Confeſſorem ſibi eligere valeat: qui eum poſſit ſolvere, vel ligare.*

3 Secundam probo: quia cum hi caſus nō ſint pro Monialibus ut Religioſis, ſeu pro Regulari diſciplina conſervanda reſervati, ſed pro recto Diœceſis regimine, eorum

abſo-

lutio non prohibetur â Clemente, & Vrbano VIII. cum usum Cruciatæ quoad reservata interdicũt, sed solùm quoad reservata in Religione, seu pro Religioso statu, & perfectione tuenda, ut satis patet ex harum bullarum proemio. Sic Clemens VIII. ait, quod *Religiosi prædicti Ordinis*, (scilicet B. Mariæ de Monte Carmelo) *seu eorum nonnulli etiam prædictis facultatibus uti præsumebant in detrimentum regularis disciplinæ*, &c. Et Vrbanus VIII. *Nos præmissis quantum Nobis ex alto conceditur, obviare, ac felici tam eorundem Fratrum Prædicatorum, quàm omnium, & quorumcumque aliorum cuiuslibet Ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti, etiam speciali mentione, & nota digni, utriusque sexus tã Mendicantiũ quàm non Mendicantium statui, atque directioni consulere volentes, prefactæque Clementis prædecessoris nostri declarationi inhærentes*, &c.

4 Vbi nota verbum *statu*, cui consulere vult Pontifex, idẽ esse ac Religiosam vivẽdi normam, & obseruantiæ, ac Religiosæ vitæ disciplinam. Vnde casus in generali pro Christianæ vitæ reformatione reservati, ut reservãtur in tota Ecclesia â Papa, & in Diœcesibus ab Episcopis, hic non reservãtur, possuntque ab illis absolvi utriusque sexus Regulares virtute Cruciatæ, vel simi milis privilegij, iuxta dicta Singulari 18.

5 Secunda conclusio; Sine licentia suorum Prælatorũ, etiam virtute Cruciatæ, vel alterius simílis privilegij (excepto duarum hebdomadarum iubilæo, ut docent DD. plures quos in meo tractu c. 19. attuli) non possũt absolvi à casibus pro sua Religione, vel monasterio reservatis Moniales Regularibus subiectæ. Ita Doctores omnes, qui id de viris Religiosis tuentur, videriq; possunt apud Lugum *disp. 20. de pœn. c. 9. n.* 153. & Leandrũ â Sacram *to. 1. tr.* 5. *d.* 12. *q.* 58. & 60. Satisque constat ex bullis Clement. VIII. & Vrbani VIII. quarũ verba expressè, ac æque de utriusque sexus Regularibus, ac de omnib⁹ Monialibus indistinctim loquentia iam Sing. 18. retulimus. Idem dicendum est de Monialibus Episcopo, vel Papæ immediatè subiectis, quoad casus sibi reservatos, ad regularis disciplinæ statum pertinentes iuxta dicta num. 5. dummodo hi sint ex ijs, quos reservari posse statuit Clemens VIII. In horũ autẽ reservatione obseruationes, quas Singul 11. 12. & 13. proposuimus atendendæ sũt.

6 Clementis, & Vrbani VIII. decretis pro culdubio revocantur privilegia concessa à Sixto IV. Carthusiensibus ad hoc, ut semel in anno & â Leone X. Monialibus S. Clarę, ut quater etiam in anno, à reservatis omnibus absolverentur sine licẽcia suorum Prælatorum, ut videre licet apud Emmanuelem *to. 1. q. 26. ar.* 10. Ac idem de similibus privilegijs cuilibet alij Religioni iam antea concessis iudicandum.

7 Tertia conclusio; Non possunt â prædictis casib⁹ reservatis has Moniales, sive Episcopo, sive Regularibus subiectas absolvere Confessores extraordinarij, qui illis iuxta Tridentinũ *sess. 25. de Regul. c.* 10. *ab Episcopo, & alijs Superiorib⁹ bis, aut ter in anno* offerri debẽt. Ratio est, quia nullã novam iurisdictionem, & facultatem habent hi Confessores quoad absolutiones præter ordinariam, quã ordinarij habent. Cõgruum autem erit ut omnem suã, etiã quoad reservata, concedãt Episcopi, & religionũ Superiores, ut certior uberiorq; sit fructus â Tridẽtino intentus.

8 Pro his extraordinarijs proponere libuit declarationes Cardinalium Concilij interpretum. Prima est, quod *Episcopus potest dare Confessorem Monialibus subiectis Regularibus, quæ nulla ratione induci possunt, ut suis Regularibus confiteãtur*. Affertur à Barbosa *in Trid sup.* ubi etiam addit Bellarminus; *SS. D. N. Gregorius ex sententia sacræ Congregationis Concilij declaravit, quod possit Episcopus concedere Cõfessarium Monialibus extra ordinem tam Sæculare m, quam Regularem alterius Ordinis*. Quæ intelligenda, si Superiores nolint, vel negligẽtes sint in Cõfessoribus his cõcedendis.

9 Secunda, quod si pro his tribus vicibus Moniales Ordinario subiectæ, velint Regulares, vel Regularibus subditæ velint Sæculares Confessarios, dummodo ex approbatis sint, tenentur Episcopi, & alij Superiores Regulares eos concedere, & si non concedant, possunt ipsæ eos eligere, & cum eis confiteri. Sic S. Congreg. apud Barbos.

SINGVLARE XXVII.

Quid exequi valeat, vel teneatur Iudex: cum Reus ad mortem damnatus sacramentalem Confessionem facere non vult?

1 ENERI Iudicem sub gravi culpa ad providendũ huic de Cõfessore approbato Sæculari, vel Regulari, ut cõfiteatur peccata sua, & ad concedendũ ipsi tẽporis spatium ad confessionẽ, & comunionem faciendã, cõscientiam excutiendã, animęq; res cõponendas necessariũ docent Navarra *de ref. l. 2. c.* 28. Navarrus *sum. c. 25. n.* 23. Enriquez *l.* 8. *de Eucharist. cap.* 5. *num.* 4. Fagundez *lib.* 5. *in* 5. *præc. de cal. cap.* 16. *num.* 2. & alij; inter quos id probat Antonius Gomez *to.* 3. *Var. cap.* 14. *de delict. num.* 6. *ex text. in l. Archigenes*

tes cap. de Epiſc. audiend. ubi id notant Bald⁹ Paulus de Caſtro, & cõmuniter Doctores.

2 Addũt Caſtro, & Gomez, quod poteſt, & debet Epiſcopus per cenſuras prohibere, ne iudex ſæcularis exequatur ſententiam, niſi conceſſo prius tempore competenti ad confitendum: & hoc concedi deberi, etiam ſi ex conceſſione eius fuga timeatur, docẽt Navarra *l. 2. de reſt. cap. 3. num. 226.* Sylveſter verb. *Iudex 1. q. 11. dicto. 6.* & alij. Iulius Clarus *q. 99. num. 2.* conſulit, ut Iudex mittat virum Religioſum, vel Sacerdotem, qui mortis ſententiam ante confeſſionem nuntiet; ita aliquos cõſueviſſe iudices teſtatur Paris de Puteo. *tract. ſind. verſ. Iudex f. 82.* Sed hoc mihi numquam placuit, nec exequi volui; iudicis enim potius, aut eius Miniſtri munus, quàm Confeſſoris hoc eſt.

3 Hoc poſito, ſi iudex omne tempus ad confeſſionem faciendam morti damnato conceſſit, illud, ſcilicet, quod concedi conſuetum eſt, ſpatium v. g. duorum, vel trium dierum, & Reus noluit malitioſè in his cõfiteri, tenetur iterum ei aliquam dilationẽ v. g. duorum, & ad ſummum, trium dierũ concedere, ſi ſperet fore, ut intra illud tempus pœnitentiam agat, & confiteatur, dum modò non ſit periculum alicuius ſcandali, vel damni præcipuè communis ex ea dilatione: vel fuga Rei prudenter timeatur.

4 Similem concluſſionem apud Bonacinã *diſp. 4. q. 7. p. 1. de Euch.* invenio, aſſerit enim hoc tempus concedi debere à iudice, ut Reus ſe præparet ad confeſſionem, & communionem, etiam ſi noluerit hoc facere intra tempus conſuetum. In quo & ſi quoad Euchariſtiam percipiendam, ego ambigerem, & iudices non ita graviter obligarem, ut hanc dilationem concederent, non verò dubitarẽ illos conſtringere ad concedendũ hoc tempus ad pœnitentiæ Sacramentum; cum hoc ſit magis neceſſarium ad iuſtificationem, & conſequenter ad ſalutem conſequendam.

5 Probatur 1. ex Clem. 1. *de pœnit. & remiſ.* ibi: *Cum ſecundum ſtatuta Canonica ultimo deputandis ſupplicio negari, ſi petant, non deceat pœnitentiæ ſacramentum: abuſum damnabilem, in quibuſdam partibus contra hoc introductum aboleri omnino volentes, iuſtitiarios omnes, & dominos tẽporales, ut ab huiuſmodi deſiſtant abuſu hortamur in Dommo, et obſecramus per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, locorũ Ordinarijs nihilominus iniungẽtes, vt eos ad hoc cum primum commode poterunt diligenter monere. & ſi neceſſe fuerit Eccleſiaſtica cenſura cõpellere non omittant.* Vbi Gloſſa: *Nota, quod aliquando verba exortatoria, & deprecativa imponunt neceſſitatem, quia habemus conſiliũ reverentiæ, quod obligat ſicut præceptum, quando materia eſt neceſſaria ſcilicet, ob reverentiam perſonarum, quibus Papa ſcribit verbis deprecativis.* Ita ſe res habet hic.

6 Ratione probatur 2. Quia Iudex eó ſtrictiùs ex iuſtitia, & iure naturę tenetur conſulere, etiã bono privato cuiuslibet ex ſuis ſubditis, & corporis & animę, quantum recta ratio dictat, & poſtulat, quo gravius damnum, ſi non conſulat, in illum redundabit: ſed ſi non deſſerat ſupplicij executionem, maximum omnium damnum ſuę damnationis ſequetur plectendo, vel prudenter timeri poteſt, ut ſequatur: ergo, &c.

7 Confirmatur 1. quia conſtituto in extrema neceſſitate ſpirituali tenetur quilibet ſub gravi culpa ex charitate ſubvenire, etiã cum maximo boni temporalis: immo & ſuæ vitæ periculo, aut detrimẽto, ut laté probat Fagundez in *præc. 1. decal. l. 1. c. 28.* ſed hic Reus conſtitutus eſt in extrema neceſſitate ſuę ſpiritualis vitę in æternum amittendæ, ſi eis locus non conceditur ſacramento pœnitentię recipiendo, quia eo difficiliór, & incertior contritionis eſt actus; ergo &c.

8 Confirmatur 2. quia ſi infidelis ad mortem damnatus noluerit ſe ad fidem convertere intra tempus, quod alijs Reis morte afficiendis concedi ſolet, & prudenter ſperatur fore, ut ſi ad duos vel tres dies ſuppliciũ differàtur ſe cõvertet, nemo dubitabit ſub gravi culpa teneri iudicem ad hanc dilationem concedendã, niſi maximum damnum ex ea timeatur: ergo ad hoc, ut fidelis ſe ad verã pœnitentiam convertat, ita ad ſalutẽ neceſsariam dilationẽ prædictam concedere iudex tenebitur.

9 Sed oppones, iure optimo privari hoc ſacramento Reum nolentẽ malitioſè uti eo, nec æquũ eſt ut illi proſit malitia ſua, & ſatis ſuæ obligationi facere iudicẽ, qui temp⁹ conſuetum conceſſit: & cũ ipſe ſua culpa in hac ſpirituali neceſſitate ſe conſtituerit, indignum eſſe cui in ea ſuccurratur, vel ſaltẽ ſuccurrere nemo tenebitur.

10 Reſpondeo, extra dubium eſſe, quod illi, qui ludendo, vel luxurioſè vivendo ſua bona temporalia, vel valetudinem, aut ſpirìtualem etiam vitam prodegit, etiam ſi non ſolùm ex humana fragilitate, ſed ex induſtria etiam, ac malitia, & dedita opera conſumpſerit, aut dilapidaverit, ſi in extrema, aut ingenti neceſſitate inveniatur, teneatur qui poſſit, ſuccurrere. Nec enim obligatio pendet ex iuſta, vel iniuſta cauſa, ob quam quis in ita gravẽ devenit neceſſitatẽ; ſed ex ipſa neceſſitate, ad quã ſublevandã charitas Chriſtiana graviter cõpellit: ergo ſimiliter.

Quare

Quare neganda ſunt omnia, quæ aſſumũtur, nec attendere debet iudex ad cũlpam Rei ſe in neceſſitate conſtituentis, ſed ad ſuam ſubveniendi obligationem. 2

11 Si verò duobus, aut tribus diebus tranſactis ipſe adhuc pœnitere, & confiteri noluit; iam certitudine, & experientia morali cognoſcitur velle omnino Reum ſe damnationi exponere, & poterit Iudex ſupplicium executioni mandare; ſatis enim apud Deum, & homines fecit iuſtitiæ, ac obligationi ſuę.

12 Nota tandem in hoc ſententiam Fagundez *in 5. præc. decal. c. 16. n. 6.* cuius hæc ſunt verba: *Si periculum*, inquit, *ſit, ne aliquis ſceleſtiſsimus homo evadat, & maxima inde damna Reipublicæ, vel Principi, vel Innocentibus timeantur, ut proditiones civitatis, plurimæ mortes civium, ſegetum incendia, aut rebellionis damna; tunc quidem, quando aliter optima cuſtodia extrinſecus adhibita, evaſioni talis, ac tam ſceleſti hominis occurri non poteſt, ſufficiet ei tempus ad ſolam contritionem concedere; & poterit perimi abſque confeſsione, & Euchariſtia, quia tunc non tam proceditur via iuridica ad punitionem Rei, quàm via ordinaria defenſionis propriæ, & proximi; nec tam de puniendo crimine, quàm de impediendo malo futuro agitur.* Hæc ille citans Navarram *l. 2. de reſt. cap. 3. num. 226.* & Leſium *tom. 1. l. 2. c. 29. dub. 11. n. 98.*

SINGVLARE XXVIII.

Quæ peccata confiteri debet, qui iã adultus ſub conditione baptizatus fuit ob primi baptiſmi dubium: & quomodo hic abſolvendus?

1 INdubitatum eſt ſolũm peccata mortalia, & venialia poſt validum Baptiſmũ commiſſa, non verò ante illum, eſſe materiam remotam ſacramẽnti pœnitentiæ: hæc enim poſtrema baptiſmus abluit: & cum extra Eccleſiam ſint commiſſa, Eccleſiæ clavibus nequeunt ſubijci, de quibus Eccleſia non iudicat, iuxta illud *ad Corinth. 1. Quid mihi de his, qui foris ſunt?* illa verò priora ſubijciuntur pœnitentiæ ſacramento; cum illud ex Concilio Tridentino *ſeſs. 14. cap. 1. & 2.* ac ex alijs Concilijs inſtitutum ſit *ad reconciliandos fideles lapſos poſt Baptiſmũ.* Ita docẽt Theologi *ad q. 84. S. Tho. 3. p.* Videantur Valentia *1. p. to. 4. d. 7. q. 1. p. 2.* Suarez *d. 18. ſect. 1.* Vaz quez *ar. 2. num. 2.* Enriquez *l. 4. cap. 9.* Bonazina *de pœn. q. 3. p. 3. num. 4.* & plures apud ipſos. Fictionem verò, & alia peccata in ipſa Baptiſmi ſuſceptione patrata, cadere etiam ſub pœnitentię Sacramentum docent Theologi maturiores.

Hoc poſito: ſi primus Baptiſmus verè fuit validus omnia peccata poſt ipſum cõmiſſa confitenda ſunt: ſi ſecundus ſub conditione adminiſtratꝰ, omnia poſt ſecundũ: ſi denique dubitatur de valore baptiſmi primi, ego conſulerem, ne dubitans confiteretur, donec à dubio expeditus conditionaliter iterũ baptizaretur, loquorque de dubio eius generis de quo Tractat. 1. pluribus ſingularibus egi: nam ſi ſit ſcrupulus tantùm levibus nixus fundamentis, debet quieſcere animo, & confiteri.

3 At poſtquam verè aut cum aliquo fundamento dubitans iam baptizatus eſt ſub conditione, & ante hunc Baptiſmum peccãta, vel pauca, vel plura præceſſerunt, quomodo confiteri, & abſolvi debeat, ita expoſuit noſter Didacus Ruiz de Montoya *in inſtruct. pro Nigrorum Baptiſmo num. 40. & 41. Al que ſe uviere baptizado ſub conditione, no le oigan de penitencia, haſta que tenga de que acuſarſe pecados hechos deſpues del ultimo baptiſmo, y de eſtos primero que de otros ningunos le examine el Cõfeſſor, y luego le examine de los peccados, que avia hecho deſde la ultima confeſſion haſta el baptiſmo, y abſuelvale con la forma acoſtumbrada, ſin condicion alguna, teniendo intencion que la forma caiga ſobre todos los peccados, que fueren cometidos deſpues de el verdadero baptiſmo. A los enfermos, que eſtan peligroſos ſi uvieren ſido baptizados ſub conditione, deben preguntarles luego los peccados hechos deſpues de la ultima confeſſion y abſolverlos diciendo: ſi es capax abſolutionis, ego te abſolvo.* Hæc ille.

4 Vbi notandum, quod loquatur de ægroto, qui ſtatim ac baptiſmum conditionalẽ recepit, confitetur, vel poſt illum nullum peccatum commiſit: ſi enim aliquod commiſiſſet examinandꝰ, ut abſolvẽdus eſſet, de hoc priùs, & poſtea de alijs ab ultima confeſſione uſque ad baptiſmum conditionalem commiſſi, ſicut ſuperiùs dixerat.

5 Adde idem dicendum eſſe de illo, qui baptiſmum ſub conditione recipit, quod de Adulto, qui abſolutè recipit, Sic notat Ioãnes Sanchez *ſelect. d. 44. num. 41.* his verbis *Adulto volenti baptizari opus non eſt in memoriam revocare omnia peccata ſua, ut de illis atritionem nanciſcatur, quod neceſſarium eſt in ſacramento pœnitentiæ, ſed ſatis eſt illi atritionem generalem habere: quo ſanè dolore in generali concepto congrua diſpoſitione præficitur ad baptiſmi, & illius effectus ſuſceptionem, ut docet Ragucius in luçerna Parochorum de baptiſmo, queſito 14. fol. 87.* Hæc ille: hæc & ego.

SINGVLARE VLTIMVM.

Quando obliget ſtatutum Synodi Hiſpalenſis de non ſubſcribendâ ſchedula confeſsionis, quam quis non audivit?



1 Sic hoc ſtatuitur *tit. de Regul. c. 4. Porque ſomos informados, que algunos Religioſos, o Clerigos ſeculares confiſſan a algunas perſonas ſin eſtar aprobados, ni tener licencia nueſtra, y otros que aunque la tienen es limitada para ſolos hombres, por no tener los 40. años, que la conſtitucion antigua requiere, para poder confeſſar mugeres uſan de una grande fraude, que es hazer que otros Confeſſores, que eſtan aprobados firmen las tales cedulas, o contrahazen, o falſean ellos ſus firmas, en que cometen grandes delitos, y graves ofenſas de N.S. Para remedio de lo qual S.S.A. mãdamos, que el meſmo que confeſſare al penitente le de la cedula firmada de ſu nombre, diciendo en ella como ſe confeſſo con el, ſin que otro la firme por el, ni contrahaga la firma agena, ſopena de excomunion maior latæ ſententiæ, en la qual aſsi meſmo incurra el que la firmare por el.*

Suppono hac excommunicatiõne non ligari Regulares, etiam ſi contra hanc legẽ
2 faciant, quia exempti ſunt a iuriſdictione Epiſcopali, eiuſque ſtatutis, ut laté probat noſter Ioſephus de Alderete in ſua pro hac exemptione iuris allegatione: ſolùm ergo Confeſſores Sæculares huius Diœceſis ſub illa comprehenduntur; in eamque incurrẽt quando ſine gravi, aut rationabili cauſa hanc ſchedulam ſuſcriberent, ſecus ſi hæc adeſſet. Vnde dicendum eſt. 1.

Si Cõfeſſor approbatus ſubſcriberet ſche
3 dulã confeſſionis, quam non audivit, ſed auditã eſſe, ſcit ab alio approbato, & cum ſufficienti licentia iuxta hoc decretum, in eius excommunicationem non incidit; quia ab approbato ſubſcribitur, & legis huius finis mens, & intentio eſt evitare, ne á non approbato legitimè audiatur confeſſio, vel falſó, vel veré ſubſcriptio ſit approbati, & iuxta hũc ſenſum interpretari debemus legem hanc: quia *Ratio legis eſt anima illius, l. ſcire leges ff. de leg. l. non. aliter ff. delegat.* 3. Et *Vbi ceſſat legis caſus, eius diſpoſitio, & pœna ceſſat:* ut ex pluribus legibus docent Bartholus, Tiraquel lus, Pichardus, & alij apud Barboſam *prin. iur. lit. L. num.* 14.

Dicendum. 2. Quoties de non ſubſcribẽ
4 da [idẽ de non concedenda] ſchedula hac timeretur ullo modo violatio ſigilli Sacramentalis, non ſolùm poteſt, ſed graviter tenetur Confeſſarius illam ſubſcribere; ſicut & concedere: etiam ſi poſt auditam confeſſionem, abſolutionẽ negaret: quia pœnitẽs, vel é domo ejicere, vel debitũ ſoluere, vel tẽſtimoniũ falsũ retractare, aut quid ſimile exequi recuſat. Ac proinde in hanc excõmunicationẽ nõ incurrit: quia obligatio ſigilli, utpote naturalis, & divina, legi humanæ præferri omnino debet: ſeu potius hæc cum illius violatione nullo modo obligat.

Et licèt aliqui Doctores Salmanticenſes
5 confulti ab Enriquez, ipſeque *l. 2. de. pœn. c. 22. n. 4.* Medina *l. 2. cap. 4. §. 1.* Bonacina *d. 5. q. 6 ſec. 5 p. 4. n. 7.* & Lugo *d. 22. ſect. 4 n. 8.* tunc negari poſſe ſchedulam aſſerant, quia Confeſſor non tenetur cõoperari occultationi peccati pœnitentis; cum tamen ex huius negatione prudenter aliqua ſiniſtra ſuſpicio pœnitentis timeri poſſit, vel aliqua verecundia, aut confuſio illius: ea illi concedi, aut ſubſcribi debet: quia hoc aliquo modo conducit ad ſigillum, nam ut rectè Vivald⁹ *can del. n. 9. de ſigil.* ait: *Sub hoc ſigillo cadit quidquid per ſe, vel per accidens, directe, vel in directe poſſet verecundiam, vel confuſionem, vel aliquod aliud nocumentum generare pœnitenti.*

Quod autem ex negatione ſchedulę ſæpe
6 vel ſaltim aliquando timeatur aliquod periculũ violationis ſigilli, autumant aliqui ſapientes, præſertim cum parentes á filijs, domini à famulis, magiſtri á diſcipulis, Superiores à ſubditis eiuſmodi ſchedulas expoſcere ſoleant. Rectè inter alios Bellonius *to. 2. de ſacram. d. 9. dub. 1. num.* 14. *Quando aliqui,* inquit, *ſtudioſi, aut famuli alicuius Principis tenẽtur ferre teſtimonium ſuæ confeſsionis, Confeſſarius debet hoc dare, etiam ijs, quos nõ abſolvit, ne negãdo teſtimonium hoc aliquomodo prodat ſigillum, & pœcatorem, nec dando illud mentitur, quia tantùm teſtatur eos eſſe confeſſos, quod verum eſt.* Hęc omnia proportionatè acommoda ad cõceſſionem ſchedulæ communionis.

Dicendum 3. quando intra tẽpus paſ-
7 chale; ſeu intra quindecim dies à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, petit confeſſionis ſchedulam is, qui frequenter, vel aliquoties in annò confeſſus eſt alicui Confeſſori, etiam ſi tunc illi non confiteatur, poterit eam concedere, vel ſubſcribere, præſertim ſi vir timoratus ſit, & affirmat iam confeſſum eſſe. Idem dicendum ſi ſacramenta frequentare eum viderit, vel certò ſcierit, nec ſit cur ſuſpicetur, Cõfeſſario nõn approbato eum fuiſſe confeſſum.

FINIS TRACTATVS III.

AD EVCHARISTIAM, QVARTVM ECCLESIÆ SACRAMENTVM, SINGVLARIVM TRACTATVS QVARTVS.

SINGVLARE I.

V. Culpa lethalis sit lampadem coram Sanctissimæ Eucharistiæ Tabernaculo accensam non conservari: Et cuius sit hæc obligatio?

1 ANTIQVISSIMAM esse consuetudinem, ut lampas accensa ad Eucharistię Tabernaculum adstet, satis indicant, qui de Ecclesiæ Ritibus scripsere; hoc enim maxime decet tanti Sacramenti maiestatem, & fidelium devotionem; illis enim hoc lumine innotescit, in altari illo adesse lumen inaccessibile Christum Dominum. Huius rei curam Parocho mandavit, nisallor, Paulus V, in Rituali ubi *de Euchar.* §. 2. ita: *Parochus igitur summum studium in eo ponat ut tum ipse venerabile hoc sacramentum, qua decet reverentia, debitoque cultu tractet, custodiat, & administret, tùm etiam populus sibi commissus religiosè colat.* &c. Et §. 6. *Lampades coram eo plures, vel saltèm una die, noctuque perpetuò colluceat curabitque Parochus, ut omnia ad ipsius Sacramẽti cultum ordinata, integra, mundaque sint, vel conserventur.* Idem statuitur in Synodo Mediolanensi *tit*, *de Euchar.* Secus erit si consuetudine, vel statuto ad Ecclesiæ Æconomum, aliam ve personam hæc cura spectet.

2 Igitur dicendum existimo, quod si ob notabilem, seu ob graviter culpabilem Parochi, vel eius, cuius cura hæc commissa est negligentiam per integrum diem, ipso sciẽte. & consentiente, lampas accensa non sit coram Tabernaculo, peccatum mortale ab eo committeretur, & hoc videtur, etiam remoto scandalo; quia si intercedat, non est dubium. Probatur ex sententia Doctorum asserentium, ita stricté requiri lumen accẽsum in Missæ Sacrificio; *ut sine eo numquam sacrificare liceat*, ut loquitur Lugo *de Eucharist disp.* 30. *sect.* 2. *num.* 77. & addit ex Fagundez sententia *cap.* 22. *in* 2. *præc. num.* 19. *Imo addunt aliqui, si lumen extinguatur ante consecrationem, nec haberi possit, relinquendam esse missam, etiam si necesse esset consecrare ad dandum viaticum moribundo.* Sed cum hoc præcipuè sit, ne Eucharistiæ Sacramentum sine lumine existat; licet simul etiam sit propter sacrificij celebrationem; dicẽdum saltẽm erit, quod per integrum diem hoc sacramentum in Ecclesiæ Sacrario sine lumine esse: sine gravi culpa non licebit, quia defectus hic est in re gravi contra antiquissimam Ecclesię consuetudinem tum celebrandi cum lumine, tum illud apponendi coram Tabernaculo, & eadem reverentia digna est Eucharistia in altaris sacrificio oblata: ac in Sacrario custodita: & licet hìc non ita manifesté Hostia consecrata pateat, & consecratio ibi, & non hìc exerceatur, at consecrationis terminus, seu effectus, â quo consecratio dignitatem suam sumit, in oblata Hostia invenitur, & excessus manifestationis ita brevi tempore durans uberius compensatur perseverãtia per spatiũ unius diei. Vnde si solùm per dimidiam, aut integrã horam, aùt aliquid amplius sine lumine existeret Eucharistia, peccatum grave non committeretur.

Hinc colliges, peccare Ædituos, qui ne 3 oleum consumatur, noctu lampadem corã Tabernaculo positam extinctã relinquunt. Quod si per tres, aut quatuor noctes scienter exequãtur, cum irreverentia non lèvis sit, non leviter delinquent: & similiter Parochi qui sufficientem diligentiam in hac re non adhibent. Vnde illos admonet Barbosa *de off. Paroch. cap.* 20. *num.* 27. *Lampas ante sanctissimum Eucharistiæ Sacramẽtũ noctu, diuque semper ardeat, tum propter eius reverentiam, tum etiã, ut ingredientes Ecclesiam sciant ubi primum adorare debeant præsentiam Salvatoris nostri. Monet enim lumen adesse ibi candorẽ lucis æternæ Christum dominum, & ad pietatẽ sumptionẽque tam eximij Sacramẽti nos assiduè solicitat*, Eadẽ Possevin. *de offic. curati c.* 12. *n.* 68.

SIN-

SINGVLARE II.

V. Liceat intra Monialium chorũ, vel clauſuram Euchariſtiam perpetuò conſeruari, aut per unum, vel alterum diem collocari?

1 AFFIRMATIVE reſpondent Emmanuel, & Hyeronimus Rodriguez, ille *qq. reg. q.* 47. *ar.* 4. hic *Reſol.* 98. *num.* 4. & conſentiunt doctiſſimi viri ſuppreſſo nomine citati à Miranda *tract. de de Monial. q.* 2. *ar.* 19. licèt ipſe nec negare, nec affirmare audeat. Probantque ex indulto Clemtis VII, qui conceſſit, *quod Moniales ſub obedientia Miniſtri Generalis Fratrum Minorum exiſtentes poſſint in Eccleſia interiori in loco decenti habere Euchariſtiam, ſicut habent in exteriori.* Sic ab his refertur, & in cõpendio Mendicantium *verbo Moniales §.* 26.

2 Sed nullo modo id licere, expreſſit meo iudicio, Tridentinum *ſeſ.* 25. *cap.* 10. ſic: *Quod vero Sanctiſsimum Chriſti corpus intra chorum, vel ſepta monaſterij, & non in publica Eccleſia conſervetur, prohibet ſancta Synodus, non obſtante quocumque indulto, aut privilegio*; ergo privilegium Clementis VII. omnino abrogatum eſt ex hac prohibitione. Reſpondet ita Emmanuel cum alijs huic decreto: *Ecce vides dumtaxat Concilium prohibuiſſe, quod Sanctiſſimum Chriſti corpus intra chorum, & non in publica Eccleſia conſervetur: ergo qui illud conſervat intra chorum, & ſimul in publica Eccleſia non violat hanc inhibitionem.*

3 Sed mirõr ſanè Emmanuelem, & alios in re adeo manifeſta ita ſentire: cum evidenter, ut exiſtimo, pateat, hìc à Concilio utrũque præcipi, & quod intra Chorũ non conſervetur Euchariſtia, & quod in publica Eccleſia ponatur, ut expreſſiùs habetur inter declarationes Concilij. quas edidere Ioãnes Gallemart, & Ioannes Soteallus. Sic enim Cardinales dèclarant hoc decretum: *Euchariſtia non in choro Monialium reſervetur. ſed in choro exteriori: non obſtante quacumque conſuetudine contraria*. Præterea particula *Et* in verbis Concilij nectens utranq; prohibitionem, ſeu primam cum ſecundo decreto, hunc ſenſũ reddit, *Intra chorum Euchariſtia non cuſtodiatur, & tantummodo in publica Eccleſia conſervetur*. Cum ita æqualiter particula *Et* copulet, ut idem ſit de uno, quod de altero ex copulatis, ut *ex l. ſi mihi ex Titio ff. de verb. obligat. & in l. Reos §. cum in tabulis ff. de duobus Reis* docent Menochius *conſ.* 56. *num.* 35 Brunor. à Sole *loc. comm. verb. copula num.* 2. Cenedus *canon. qq. ſing.* 50. *nn.* 1. Rebuffus *comm. ad l. coniunct.* 29. *verſ.* 1 *intell. ff. de verb. ſignif. p.* 168. & alij.

4 Vnde æqualiter & prohibetur, quod cõſervetur intra chorũ, & ſtatuitur ut in Eccleſia publica apponatur; ſeu cum iuxta Surdum *deciſ.* 124 *n.* 9 & Barboſam n. 25. per dictionẽ *Et, pars unius copulativæ declaret aliam*: dũ in publica Eccleſia poni Euchariſtiam iubet Tridẽtinum, à choro removendam præcipit. Sicut præcipi à Tridentino Hiſpalenſis Synodus *tit. de cuſt. Euch. cap.* 16. ita ſtatuit: *Aſſi miſmo mandamos, que en quanto á los Monaſterios de Monjas ſe guarde lo diſpueſto en el S. Concilio Tridentino, donde ſe prohibe, que no tengan el ſantiſsimo Sacramento dentro de ſu Coro, y clauſura.*

5 Præterea, rationes quę videntur graviſſimos Concilij Patres moviſſe ad prædictũ decretum, ſatis oſtendũt eos intendiſſe præcipere, ne in choro conſervaretur Euchariſtia. Nam indecens apparebat, hanc inter Moniales, & Monialium famulas ita proximè, diu, noctuque perpetuò adeſſe, & conſervari, quia inſipientes famulæ aliquando Tabernaculum ſacratiſſimum tangerent, immo, & hinc inde aliquibus ex cauſis moverent. Sacerdotes item intra clauſuram ſæpius ad renovandam Euchariſtiam ingredi neceſſum eſſet. Quorſum ergo ſimul, & in choro, & in publica Eccleſia foret conſervandum hoc auguſtiſſimum Sacramẽtum? Inſuper, quis finis aſſignari valeat ad hanc cuſtodiã cũ conſuetudo, oppoſita vigeat, & ſervari in Eccleſia ſatis ſuperq; ſit pro veneratione, & ſuſceptione tam Sæcularium, quàm Monialium? Propter has, & alias rationes meritò abrogatum eſt privilegium relatum Clementis VII. ut notavit Hyeronimus Sorbus *in privil. Mendic. verb. Monial. fol.* 421. ſic: *Hæc conceſſio Clementis VII. hodie non habet locum per Concilium Trid ntinum ſeſ.* 25. *c.* 10. *dicitur enim ibi, quod Sãctiſſimum* &c.

6 At verò Euchariſtiam collocari per unũ vel alterum diem intra chorum Monialiũ ob aliquam magnam ſolemnitatem, aut neceſſitatem. v. g. tempeſtatis, afflictionis &c. Tridẽtino nõ adverſari probabile videtur; cum hoc non ſit conſervari: nam verbum hoc perpetuò, aut permanenter, vel ſaltim per longum tempus cuſtodiri, aut retineri ſignificat, ut ex latinę linguę peritis conſtat. Hinc Cicero *ad Att. l.* 5. *ut nos eam neceſſitudinem, quę eſt nobis cum publicanis obtinere, & cõ conſervare patiamur. & in Cat. Iucundi ſunt dies illi quibus conſervamur.* & probatur; quia Tridentinum ſolùm intendit, abrogare uſum ſeu abuſum monaſteriorum, in quibus duplici modo, ut teſtantur Emmanuel, & Mi-

ran-

randa *ſup.* conſervabant, ſeu perpetuò habe bant Euchariſtiam, vel in Eccleſia, & in choro ſimul, vel in choro tantùm, & non in Eccleſia: quod utrunque abrogat Tridẽtinũ: non verò quod per duos, aut tres, dies in choro collocetur: dummodò ſimul ſit in Eccleſia, & quoad hoc Clementis VII. privilegium locum habet.

7 At neque hoc expedire exiſtimo, nec fieri conſulerem ob oppoſitam conſuetudinẽ á Tridentino uſque ad præſens cõſervatam & ob rationes n. 5. aſſignatas: præſertimque arbitror nullo modo permittendum, quod ob ſolã muliebrem devotiunculam in choro reponatur adorandum Sacramentum, quod in conſueto, decentiorique loco ſatis ſuperque adorari poteſt, ac decenti' eſt: immo nec per aliquod temporis ſpatium duarum, nec unius horæ in teneſtella illa, in qua communicant Moniales collocandum eſt: cum extet in oppoſitum hæc declaratio Cardinalium Conc. interpr. apud Bellarminum *hic: Non poteſt retineri Euchariſtia in fenęſtra illa parietis, quæ diſiungit chorum ab Eccleſia, & tollatur conſuetudo contraria.*

SINGVLARE III.

VTrum liceat Monialium Capellano intra clauſurã ingredi ad miniſtrandum Euchariſtiam Moniali ægrotanti quoties ipſa eam petierit: etiam ſi quotidie petat?

1 IN PRIMIS certum eſt Vicario, vel Capellano Monialium pro Sacramentorum adminiſtratione aſſignato licere ingredi intra clauſurã quoties pro conferenda Euchariſtia, vel confeſſione audienda neceſſum fuerit. Hanc autem neceſſitatem non ſolùm adeſſe in mortis articulo, ſed etiam in infirmitate gravi, & in morbi initio: poſſeque tũc ingredi Monialium Confeſſores aſſerunt Emmanuel *to. 1. q. 47. ar. 4.* Miranda *tract. de Monial q. 2. ar. 17.* Thomas Sanchez *to. 3. ſum. l. 6. cap. 16. num. 45.* Et probant ex *cap. cũ infirmitas. de pœnit & remiſ.* & ex Pio V, ſub gravibus pœnis præcipienti Medicis, ut initio morbi infirmis omnibus ſuadeant, ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ recipere, tamquam valde cõducentia, etiã corporis ſaluti recuperãdæ, ergo a fortiori hoc conſulendum erit Monialibus, & ad hoc exequendum ingreſſuri ſunt earum Confeſſarij.

2 Quod verò non ſolùm tempore neceſſitatis, ſed in alijs occaſionibus poſſint ingredi Vicarij, & Capellani clauſtra monaſteriorum ad Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ adminiſtrationem, expreſsè conceſſit Alexander VI. Monialibus S. Claræ, ſub Minorum regimine cõſtitutis, dicens: *Pro adminiſtratione Sacramentorum tempore neceſſitatis, & alijs rationabilibus cauſis occurrentibus, prout ſecundum Deum expedire viderint, clauſuras interiores ingredi poſſunt Confeſſores.* Sic refertur in compendio *verb. ingredi Monaſteria §. 27.*

3 Suadetur hoc: quia ſi præter urgentes domus neceſſitates, aut graves corporis infirmitatis licet artifici, aut operario, Medicoq; corporali ingredi: cur ſpirituali non licebit præter graves ſpirituales neceſſitates? Heu quoties ad ea, quę omnino excuſari poſſent opifices, ſemẽtarij, pictores, famuli vé ingrediuntur, ad dealbandum parietem, ad imaginem in illo pingendam, ad exornandũ chorum, ad baiulandam ſarcinam, quæ ex ianua poterat à famulabus dèferri, & ad ſimilia, in quibus utinã non ita faciles Prælati & Abbatiſſæ, aut Prioriſſæ ſe ſe oſtẽdent: ſed ut deberent, ſcrupuloſiùs ſe agerẽt ut huiuſmodi ingreſſus negarẽt, ac impedirent: iuſto ſaltim, & prudenti cenſurarum metu.

4 Sit 1. cõcluſio; Quoties Monialis infirma Euchariſtiã petierit, ſi ſunt dies, in quibus ex regula cõmunicare debet, poteſt Capellanus clauſuram, ingredi ad adminiſtrandã communionem Moniali ęgrotanti, aut impeditæ. Sic tenent Emmanuel, Miranda, & Sanchez *ſup.* & Hyeronimus Rodriguez *reſol. 26. num. 21.* Ioannes de S. Iuan *de Eucha. q. 8. ar. 9. dub. 10.* Ioannes Sanchez *ſelect. diſp. 22. nu. 22.* addens, ex indulto Leonis X. poſſe ingredi ad celebrandum pro illa cõmunicanda, *Et quod quandoque Confeßarius intra clauſtra celebrare valeat*, decernitur à S. Congregatione apud Bellarminum *in ſeſſ. 25. cap. 10. Trid.* Probatur concluſio quia ibi eſt caſus neceſſitatis, cum nimis neceſſaria ſit regulæ obſervatio, quæ non minus obligat Monialem ægrotantem, quam ſanam, immo magis: cum illa magis indigeat hoc ſalutari medicamine, pro animę, & corporis ſalute recuperanda.

5 Secunda concluſio; Quoties non ex regula, ſed ex laudabili Monaſterij uſu ſolent Moniales communicare, ſi infirma Euchariſtiam petierit, ad eam miniſtrandam poterit Capellanus ingredi. Sic Sanchez, & Emmanuel *ſup.* Conſuetudo enim circa rem ita animæ favorabilem vim regulæ, aut legis habet iuxta legem *de quibus ff. delegat. §. ex*

non ſcripto inſtit. de iure naturali gent. & civil. cap. final. de conſ. l. 2. quæ ſit longa conſuetudo cap. conſuetudo 1. diſt. Nec par eſt, ut infirma hæc cæleſti Pane defraudetur, quando magis eo indiget. & ita laudabiles conſuetudines ſui monaſterij æquum eſt ut obſervet, quas tũc obſervare facilè valet, nec iuſtum erit infirmis conſolationem ſpiritualem negare eo tempore, quo ſanis conceditur; ſeu non eſt æquum, ut loquitur Alexander in bulla relata apud Emmanuelem *fol.* 229, quod *ſpirituali conſolatione omnino careant, qua cetera Moniales in recèptione Euchariſtiæ recreantur.*

6 Tertia cõcluſio: Quoties Monialis infirma Euchariſtiæ perceptione ſe indigere dixerit, etiam ſi graviter non laboret, poterit illi Capellanus eã miniſtrare. Ita quoad pœnitentiam miniſtrandam ſentiunt Sanchez, Emmanuel, & Hyeronim⁹ *ſup.* Ergo etiam quoad Euchariſtiam concedendum eſt: cum ratio concedendi ingreſſum pro pœnitentia miniſtranda, non ſolùm ſit neceſſitas animæ ut in ſtatum gratiæ ex peccato redeat (ſecus examinanda foret hæc neceſſitas, immo, & pro licentia obtinenda propalandum Superioribus, aut Confeſſoribus aliquod peccatum) ſed etiam utilitas magna ex Euchariſtiæ perceptione proveniens ad tentationes ſuperandas, triſtitiam depellãdam, percipiendumq; ſpirituale ſolamen; quæ ſufficiunt ut cauſa rationabilis huius ingreſſus.

7 Hinc rectè Thom. Sanch *ſupra* dixit: *Nec ſtrictè hanc indigentiam ſumendam exiſtimo, ſed quando ad veram & propriam conſolationem cõfiteri Monialis deſiderat: quia iuſtum eſt triſtitiam infirmatam ſalutari medicina levari.* Et ſatis hoc ſuadetur hoc exemplo. Si enim Monialis dicat ſe indigere Medico, aut Chirurgo, qui ad eius morbũ curandum, vel ſublevandum, vel vulnus inſpiciendum ingrediatur, licét non gravis, ſed levis ſit morbus, permitti poteſt, ut ingrediatur; ergo potiori iure ad curandos, vel ſublevandos animi morbos, vulneraq; ſanãda Medicus ſpiritualis ingredi valebit quoties Monialis; ægrotãs dixerit, ſe hoc levamine indigere? Anima enim pluris eſt, quàm corp⁹, ac propterea magis illi, quam huic conſulendũ eſt.

8 Quarta concluſio; Si Monialis ægrotans ſolita ſit Euchariſtiam recipere quotidie, ſaltim tertio quoque die, ad miniſtrandam ei Euchariſtiam poterit Capellanus ingredi. Conſonat huic aſſertioni Sanchez *ſup.* dicens, poſſe Confeſſarium ad miniſtrandã Euchariſtiam ingredi Monaſteria, *quoties iuxta laudabilem Monaſterij uſum ſolent Monialꝭ confiteri, Euchariſtiamque recipere, vel infirma ſolita eſt his Sacramentis uti, quia rationi conſonum eſt infirmas hoc ſolatio non deſtitui.* Suadetur hoc ex Vrbano VI. qui in regula S. Claræ *c.* 7. ſic ait: *Cum aliqua Soror tanta fuerit infirmitatis, quod ad locutorium commodè venire nõ poſſit, & neceſſitatem habuerit confiteri, vel Dominici corporis ſeu alia recipere ſacramenta, exhibiturus huiuſmodi ſacramenta ſcilicet Confeſſor, alba, & ſtola & manipulo, cum duobus idoneis, & Religioſis Socijs, vel uno ad minus alba, vel ſaltem ſuperpeliceo veſtititi ingrediantur, ac morentur indutí, & audita confeſſione, vel alio tradito ſacramento ſicut ingreſſi fuerint ſic egrediantur indutí, nec moram ibi faciant longiorem.*

9 Vbi notandum 1. cum Emmanuele, & Miranda *ſup.* quoad modum, ſeu veſtitum ſociorum non obligare, neque in uſu eſſe hanc conſtitutionem. 2. non limitari à Pontifice tempus communionis, ſed ſolùm dicere hoc eſſe: *Cum illius neceſſitatem infirma habuerit*; ſub nomine autem neceſſitatis, utilitas & profectus, ac conſolatio comprehenduntur, ut docẽt Miranda, Sanchez, & Emmanuel, & hic addit: *Obſerva verba; Ad locutorium ire non poſſit, ut hinc diſcas, regulam hoc ſolum requirere ad licitum ingreſſum pro confeſſione & communione infirmarum*; Ergo quoties ire non poſſit præ infirmitate ad locutorium, licèt non iaceat in lectulo, quià non obligat ad id infirmitatis genus, ut non obligat pedum vel cruris fractio, aut læſio gravis impediens ſolùm motum localem, ut impedit interdum calcularis morbus, inteſtinorum, aut renum dolor, vel podragæ vis, ſi Euchariſtiam petat, poterit ei deferri.

10 Exiſtimarem tandem, quod ſi Monialis ſit vitæ exemplaris, aut ſingularis obſervantiæ, & ſolita quotidie communicare, quotidie ad ipſam deferri licèret Euchariſtiam quia illi huius ſumptio neceſſaria viro prudenti videbitur ad medellam, profectum, & conſolationem ſpiritualem: qui enim hoc cæleſti cibo paſcuntur tam crebro, eius eſuriem ægrè valde ferunt. & cum Pſalmiſta merito clamãt *Arvit cor meum quia oblitũ ſum comere Panẽ meum.* Alexander VI. concedens facultatem Monialibus S. Claræ infirmis, ut etiam extra neceſſitatem Euchariſtia adminiſtretur, ait, hoc concedere, *ut ſpirituali conſolationi Monialium, præſertim infirmarũ circa hoc paterna charitate conſulat.* Quis verò dubitabit maximam triſtitiam, & ſpiritualem deſolationem huiuſmodi Monialí proventuram ſi Euchariſtiæ plus ſolito privetur? Immo è contra ex eius frequenti perceptione maximam lætitiam, & ſolamẽ atque etiam ad ferendã infirmitatem vires hauſturam ægram nemo nõ dicet. Sanchez

ſup.

ſup. dicens, *Quamuis Rodriguez tantùm cenſeat, poſſe Euchariſtiam miniſtrari infirmę Monialì in omnibus feſtivitatibus, in quibus Religioſæ tenentur ſecundum regulam, Sacram ſynaxim ſumere; rationem ſatis efficacem non video, quare quotidie non poſſit porrigi.*

11 SED oppones Tridentinum *ſeſſ.25.de Reg. cap.*5. prohibens ingredi intra ſepta monaſterij ſine Epiſcopi, vel ſuperioris licentia. *Dare autem*, inquit, *tantùm Epiſcopus, vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſarijs.* Neceſſarium autem non eſt ingredi, pro illa frequẽti, aut quotidiana Euchariſtię recep tione, cùm hæc nec ex præcepto, nec ex regula, nec ex conſuetudine monaſterij obliget; ergò non licet in hoc caſu huiuſmodi adeò creber ingreſſus.

12 Reſpondeo neceſſariam eſſe hanc quotidianam receptionem, tùm ob conſuetudinem recipientis, tum ob ſpiritualem eius conſolationem, & profectum, ut explicuit Sanchez *ſup.* Prętereà addo quod ly *in caſibus neceſſarijs* idem eſt, ac in caſibus non contemnendæ utilitatis. Vnde rectè Fuſcus *de viſit. l.*2.*cap.*18.*num.*26. ait; *Iuxta decretum Concilij licentia ingrediendi monaſteria debet eſſe rationabilis, & manifeſta vel per utilitatem, aut neceſſitatem.* Et in Concilio Matiſconenſi celebrato anno 580. dicitur *cap.*1. *Nullus Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, Clericus, vel quicumque ſæcularis in monaſterijs puellarum, niſi probatæ vitæ, & ætatis prouectæ præter utilitatem, aut pro quacumque neceſſitate habitare, aut ſecretas colloquutiones habere præſumant, neque intra ſalutatorium, aut oratorium ingredi permittantur.*

13 ECCE ex his, quomodo utilitas, vel quæcumque neceſſitas ſufficiat ad hunc ingreſſum. Quis autem dubitet neceſsariam quodam modo, & utiliſſimam fore Moniali ægrotanti eam frequentem Euchariſtię ſũptionem? Quod ſi corporalis Medicus quotidie ingreditur, etiãſi ita neceſsarium non ſit, ut cum nulla Monialis graviter laborat ſed ſolũ ſunt leves alicuius curandi, præſertim vandive morbi, cur ad animæ morbos ſanãdos, & ægrotantis profectum, & conſolationẽ augendam Medicus ſpiritualis, ac ſpirituale medicamentum non ingredientur?

14 Sapienter ad hanc rem in S. Dominici conſtitutionibus, dum de hoc ingreſſu *cap.* 13. agitur, dicitur: *Quantò præſtantior eſt anima corpore, tanto etiam diligentius procuranda eſt ſalus animæ ſupra ſalutem corporis: & ſi ob corporis neceſſitates introire in monaſteria licet, multo magis id licebit Confeſſarijs, qui curæ animarum Monialium deputati ſunt.* & Ioannes Sanchez *ſup.* aſſerens, quotidie poſſe huic Euchariſtiam porrigi, ait, *Nam ſi ob utilitatem temporalẽ conventus v.g. ob deliniendũ parietẽ, aut ſolium permiſſum eſt fabris clauſtra introire, quare ob utilitatẽ ſpiritualem Monialis id negandum erit miniſtris ſervantibus requiſita?* Hęc ille.

15 ANIMADVERTE tandem: eodem modo, ac frequentia licere Confeſſario cuicumque, Regulari, vel Sæculari ingredi ad confeſſiones Monialium audiendas, ſi eos ipſæ petierint (habita prout moris eſt facultate Prælatorũ) ac eorum Capellanis: cũ æquè in omnibus militet ratio. Sicut eadem eſt quoad ingrediendũ ad confeſsiõnes audiẽdas feminarum ſæcularium, quę commorantur, vel inſerviunt in monaſterijs. Maximèq; curẽt Prælati, & Abbatiſſæ, ut quoties opus fuerit, cõſolationiſque cauſa adſit, ingrediantur etiam Confeſſores pro adiuvandis Monialibus moribundis, necnon ſæcularibus feminis, quę in Conventibus habitant: hęc enim eſt ſufficiens cauſa huius ingreſſus, ut docent Thom. Sanchez *ſup. n.* 48. & Llamas *in method. append.* §.6. Quippe id minus eſt Cõfeſſoris, vel Sacerdotis proprium; eo vel maximè quod poteſt occurrere tũc aliqua animi perturbatio, vel ſcrupulus, immo & peccatum aliquod nunquã propalatum Confeſſori, ad quæ ipſe ſit omnino neceſſarius.

16 Nota tandem, quod in his omnibus caſibus non eſt neceſſaria ſpecialis licentia, ut ſocius Confeſſoris Regularis ingrediatur: ſed conceſſa tũc, ut Sacerdos principalis ingrediatur; cenſetur quoque conceſſa ad ſocium. Sic Sanchez *ſup. num.* 47.

SINGVLARE IV.

An requiratur ſtatus gratiæ in eo, qui Euchariſtiam populo ſolemniter manifeſtat, aut publicè in proceſsionibus defert, ſeu ob aliquã cauſam Euchariſtiæ pixidem, aut ſpecies ſacramentales extra ſacrificium immediatè tangit.

HAnc difficultatẽ leviſſimè tãgit Suarius *diſp.* 27. *de Euchar. ſect.* dubiamq; relinquit, & ſi magis propendere videatur in partem affirmantẽ; quoniã ait: *Vnde fit, maiorem rationem ſcrupuli eſſe in Sacerdote, qui exiſtens in peccato mortali tangit hoc ſacramentũ, vel immediatè, vt ab uno in aliud vas mutet; vel mediatè, ut deferendo in proceſſione, vel in aliũ tranferẽdo: nã totum hoc munꝰ videtur pèr* 1

ſe proprium Sacerdotis. Quapropter, ut minimum videtur res dubia, & in Sacerdote reprehendenda. & Villal. 1.*p.tr.* 7.*dif.*37.*n.*3. agens de confeſſione requiſita à Tridentino ante cõmunionem ait; *Mas no ſe ade entender eſte precepto deſuerte que diga, que obliga a que el Sacerdote que eſta en peccado mortal ſe confieſſe para llevar el Sacramento en proceſſion, o tocarle, o paſarle de una cuſtodia a otra, que eſſa no es accion ſacramental: ni para adminiſtrarle a un enfermo que baſtaria para eſſo contricion.* Ecce videtur expoſcere gratiæ ſtatum, cum contritionẽ expoſcat.

Confirmatur hæc pars ex ſententia Sylveſtri, Navarria, Nugni, Toleti, Filiucij & aliorum apud Dianam 3.*p.tr*, 4.*reſ.*195. docentiũ, Diaconum, & Subdiaconum miniſtrantes in mortali mortaliter peccare: ergo a fortiori, qui immediatè, vel mediatè tangunt Euchariſtiam in mortali, mortaliter peccabunt: cum ſit maxima irreverentia; quod ſatis oſtendit Ozæ caſus, qui morte mulctatus eſt, eõ quod manibus cõtingere auſus ſit Arcam Teſtamenti, dum ruinam minaretur; licèt cauſa pietatis id faceret: nã plures accidiſſe hoc aiunt, eo quod illa nocte rei vxoriæ operam dederat: ergo qui cũ mortali peccato tangit Sacramentum maioris reverentiæ dignum, magnum piaculum cõmittet, & maius ſupplicium merebitur.

3 Sit concluſio; Neque in Sacerdote, neq, in Diacono, neque in Laico requiritur ſtatus gratiæ ad prædictas actiones, ſivè immediatè tangant ſacramentales ſpecies, ſive mediatè, manibus proprijs pixidem aſſumẽdo, ut populo ſolemniter oſtendant, aut in proceſſione deferãt. Hanc concluſionem ſine dubio amplectuntur omnes Doctores qui tenent non peccare mortaliter Sacerdotem Euchariſtiam in ſtatu peccati mortalis alijs adminiſtrantem. Sic docent Gaſpar Hurtado, Vazquez, Pétrus de Reyna, Ioannes de la Cruz. & Nugnus, quos citat, & ſequitur Diana 2.*p.tr.* 14.*reſ.*23. Quibus adde Poſſevinum *de offic. curat. cap.* 5, *num.* 44. & Barboſam *de offic. Paroch, c.*20.*num.*17. Quamvis oppoſitum tenent Valentia, Suarez, Coninch, Villalobos, Filiucius apud eũdem Dianam. Quibus adde Bonacinam *diſp.* 4.*q.*5.*p.*2.*num.* 1. Reginaldum *l.* 29. *num.*56. Fagundez *præc.* 3.*l.*3. *num.* 10. Lugum *cap.*8. *de Euch.ſect.*9, Paludanum *in* 4.*diſt.*13.*q.* Sotum *ibi ar.*3. ac Sylveſtrum *Euchariſt.* 3.*n.*4. et eſt communior.

4 Fundamentũ prioris ſententiæ eſt, quod Sacerdos miniſtrans duntaxat, non conficit Sacramentum; ſed tantũm applicat: ſi ergo iuxta hos DD. non requiritur in illo ſtatus gratiæ, etiam ſi tunc immediatè tãgat ſpecies ſacramentales; nec etiam requiritur cum ob prẽfatas cauſas tanguntur, vel pixis in manibus aſſumitur: ſi non conficiatur Sacramentum, ut tunc non conficitur, ſicut nec recipitur. Confirmatur ex Fagundez *ſup. cap.*1.*num.* 12. qui inquit: *Licet Laico reverenter elevare Hoſtiã ſi in terram cadat, nec adſit ſacerdos, qui id faciat, aut facere velit: nec ad hanc contrectationem tenetur eſſe in gratia; quia non eſt actus, nec miniſtratio ſacramenti ſed tantùm contrectatio, & alevatio, reverenter facta.* Et idem docuerat Enriquez *lib.* 8. *de Euchar. cap.* 54. *num.*3. ergo ſimiliter, cum in actionibus prædictis ſolùm ſublevatio, aut contrectatio reperiantur, ſtatus gratiæ non requiretur.

5 Immo, etiam ſi in adminiſtratione Euchariſtiæ requiratur ſtatus gratiæ, non tamẽ in prædictis actionibus: cum mediantibus ijs nec Sacramẽtum adminiſtretur, nec iuſtificatio, aut gratia proximè, vel remotè cõmunicetur, ſicut in adminiſtratione illa. Hinc eſt, quod ita concludat difficultatem hanc Suarius *Nihilominus non audeo dicere, hoc eſſe peccatum mortale, quia res non videtur adeo gravis, neque per ſe ita requirit Miniſtrum conſecratum, & ex officio ad id deputatum.* Et Filiucius, Enriquez, Navarrus, Fagundez, Hurtado, Ochagavia, & Bonacina, quos citat, & ſequitur Leander *to.*2.*tr.* 7.*d.*4.*q.*23. aſſerũt culpam lethalem non eſſe, tangere Euchariſtiam in peccato mortali ob rationabilem cauſam.

6 Ad Confirmationem reſpondeo, longe veriorem, & certiorem eſſe ſententiam affirmãtem Subdiaconum, & Diaconum ſui Ordinis actus ſolemniter in mortali exercentes, non peccare mortaliter, & hanc tuẽtur Sotus, Vazquez, Suarius, Valentia, Coninch, Villalobos, & Fernandez de Heredia, quos citat; & ſequitur Diana 3.*p.tr.*4.*reſ.* 195. quibus cum alijs adde Lugum *d.* 8, *ſect.*9.*num.* 152. Qui idem dicit de Sacerdote canente ſolemniter capitulum, vel orationem in Choro, & de Epiſcopo conſecrãte Eccleſiam, vel Calices, aut benedicente corporalia, & ornamenta ſacra. Hos ergo omnes, ſicut & eos, de quibus in hoc Singulari agimus, ſentio veniãliter peccare, ſi has fũctiones in mortali excerceant, cum aliqua in hoc ſit irreverentia.

7 Et licèt Diaconi. & Subdiaconi peccarẽt tunc mortaliter, quia excercent actiones intra Miſſæ ſacrificium, maximè & proximè ad conficiendum, & miniſtrandum Sacramentum ſpectantes, non verò peccabunt

bunt mortaliter illi; quia adhoc non tendunt actus oſtendendi, vel deferendi Euchariſtiam, aut eius ſpecies mediatè, vel immediatè tangendi. Si verò peccator eſſet publicus, & notorius, qui hæc exerceret, mortali culpæ Reum propter ſcandalũ forſan exiſtimarem; iuxta ſententiam eorũ qui docent, non eſſe peccatum mortale cõcionari in peccato mortali occulto; eſſe verò ſi quis concionetur, cum ſit in peccato mortali publico. Sic Sotus *in 4. d. 1. q. 5. ar. 6.* Vazquez *ſup. cap. 5. num. 52.* Suarius *in 3. p. to. 3, diſp. 16. ſec. 3.* Valentia *to. 4. diſp. 3. q. 5 p. 3.* Cabrera *de ſacra. p. 64. ar. 6. diſp. 1. §. 7. num. 67.* Hurtado *diſ. 11.* & alij.

9 Ad argumentum ex Ozę morte de ſuptum: Reſpondeo cum Abulenſi *q. 10. in l. 2. c. 6.* eam non eveniſſe ob tactum Arcæ immundum ex copula uxoria, *quia* inquit, *cum Oza tetigiſſet, Arcam Domini, ante hoc, ſcilicet quando ipſe, & fratres ſui poſuerunt eam ſuper plauſtrum perijſſet, ſed non periit; ergo videtur quod nõ fuit mors eius, quia cognoverat uxorem nocte illa.* Alias cauſas ipſe aſſignat, uel quod cum irreverentia tetigit, & ſine neceſſitate, ac prophanè tũc ſe geſſit: vel iuxta Nicolaum de Lyra: quia plauſtro vehendam impoſuit, cũ Levitarum humeris deferẽda eſſet; vel iuxta Ioſephum *l. 7. antiq.* quia nudam tetigit, cũ hoc Levitis illicitũ eſſet, ut patet *Num.* 4. vel alias ob ſimiles huius tactus cauſas; quæ non inveniuntur in præſenti: cum Euchariſtia oſtendatur, deferatur, & tangatur cum magna reverentia, & â Sacerdote, cui hæ functiones competunt. Ac forſan ex Ozani tactus ſupplicio non colligitur culpa gravis: quia, ut rectè noſter Lugo *num.* 152. in ſimili agens de Diacono, qui coram Carolo Magno ſolemniter miniſtrans aranea occiſus fuit, dũ verba ſacra proferret, ait; *Poteſt dici, Deũ punire culpam non mortalẽ pœna aliqua gravi temporali: deinde illa potuit eſſe pœna peccati præcedentis luxuriæ.*

SINGVLARE V.

V. Sub mortali teneantur omnes Sacerdotes ſæculares, vel Regulares Euchariſtiam accipere de manu proprij Parochi, vel Prælati feria V. in Cœna Domini?

1 HAC DE OBLIGATIONE ſic Gavantus *in Miſſal. p. 4. tit. 8. num. 8 Sacra Rituum Congregatio 27. Septembris* 1608. *cõmunionẽ Cleri iubet in hac Miſſa in memoriam, quod Chriſtus communicavit Apoſtolos, & hoc eſt ſervandum. Communicent autem Presbiteri cum ſtola de collo pendente ex Concilio Bracharenſi III. can. 3. ante altare quidem Sacerdotes, & Levitæ, extra chorum populus ex Concilio Toletano, IV. cap. 17. Si tamen ſtola omittatur non eſt peccatum mortale ex Doctoribus apud Bonacinam diſp. 4. q. 6. punct. 2. num. 2.* Hæc ille, ubi notandum, quod verbum iubet, præceptum importat, ut ex Doctoribus notat Bonacina *de leg. d. 1. p. 7. à num. 7.*

2 Confirmatur 1. *ex cap. in cœna diſt. 2.* ubi Papa Soterus ait; *In cœna Domini, à quibus perceptio Euchariſtiæ negligitur, qua quoniam in eadẽ die ab omnibus fidelibus percipienda ſit, Eccleſiaſticus uſus demonſtrat.* Confirmatur 2. ex ſententia Francolini *1. p. de temp. Horar. can, cap. 30.* Azoris *l. 10. cap. 24. q. 5.* Gavanti *ſup. num. 7.* Bonacinæ *d. 4. de Euch. q. ult. p. 2. num. 17.* & aliorum aſſerentium, non licere Sacerdotibus eo die celebrare ob receptam conſuetudinem, vim legis habentem, faciendi unũ ſacrum ſolemne, in quo exemplo Apoſtolorum omnes Presbiteri communicent, ut communicare ſolitos, de manu ſui Paſtoris in Miſſa ſolemni teſtatur ipſe Marcellus Francolinus *ſup.* ex Ordine Romano *c. de Cœna Domini;* & *in eod.* ex Alvino *de divi. of fic.* & ſtatuitur in actis Eccleſiæ Mediolaſis *l. 5. de pœnit. tit. 6. cap. 29.*

3 Sit prima concluſio; Nullo modo ſub gravi culpa tenentur Sacerdotes, nec alij ſacris vel minoribus ordinibus initiati, Euchariſtiam accipere Feria V. in cœna Domini de manũ Epiſcopi, Prælati, Parochi vel cuiuſvis alterius Superioris, niſi præceptum in aliqua Diœceſi, vel Religione ſit hac de re, vel niſi conſuetudine ita introductum ſit ut hæc vim legis habeat, quam ſibi perſuadeant omnes graviter obligare.

4 Probatur: quia nullum extat præceptum de hac communione. Nam Congregationis decretum, ſeu declaratio, licèt eã maximè revereri oporteat, & obſervari deceat, ſed doctrinalis eſt, nõ deciſſiva, & obligatoria, ut aſſerũt Molfeſi⁹, Antonius Yañez, Hurtadus de Mendoza, Laymã, & alij apud Dianam *p. 5. tr. 2. reſol. 96.* Sanchez, Valerus, Portel, Pontius, Zipæus, Serarius, Vega, & alij, quos contra DD. alios citat Leander à Sacram. *to. 2. tr. 6. d. 1. q. 16.* Vt autem vim legis habeant graviter obligantis; ſi materia gravis ſit, Eminentiſſimorum Cardinaliũ declarationes, debent concurrere hæ condiciones. 1. ut de earum authoritate ſufficiẽter conſtet, & exhibeantur in forma aucthentica ſub ſigillo, ſubſcriptioneque Cardinalis, & Secretarij. Secũda, ut in ipſis exprimatur fuiſſe pronunciatũ conſulto Põti

fice. III. ut Cardinales ſolùm declarent, & interpretentur: non verò diſpenſent, aut reſtringãt aliquid, aut amplificent ultra vim verborum, aut Iuris. IV. quod de illis ſit notitia publica, & iuridica. Has conditiones requiri, ut in foro interiori, & exteriori obligent, docent Ochagavia *de ſacr. tract. de pœnit. q.* 40 *num.* 12. Torreblanca *pract. iuris Eccl. l.* 14. *cap.* 13. *num.* 19. Coroliarus *de re ſer. p.* 1. *ſect.* 1. *art.* 21. *num.* 5. Boſſius *de Lib. ſec.* 3. *caſ.* 2. §. 7. *num.* 255. Sanctius *ſelect. d.* 48. *num.* 1. Merola *to.* 2. *diſp.* 4. *dub.* 12. *num.* 174. & alij. Et per hoc patet ad auctoritatem, qua nititur Gavantus.

5 Ad 1. confirmationem reſpondeo; Pontificis Soteri præceptum, licèt olim Fideles obligaverit, iam, ut plures Doctores fatentur: non obligat; cùm ad tempus Paſchatis redactum ſit ab Eccleſia *in cap. omnis utriuſq.* &c. ſicut & alia, quæ antea Fabianus Papa *cap. Et ſi. diſt.* 2. & Concilium Agathenſe promulgaverãt; ut habetur *c. Sæculares, diſ.* 2. *Quod Sæculares, qui in Natali Domini, Paſchate, & Pentecoſte non communicaverint, Catholici nõ credantur, nec inter Catholicos haberentur:* ſicut ergo hoc, & illud Fabiani præceptum abrogatum eſt, ut docent Doctores; ita & iſtud Soteri.

6 Ad 2. confirmationem: Nego, non licere Sacerdotibus privatas Miſſas celebrare in die Cænæ domini: nam licerè tuentur Suarius *diſp.* 8. *ſect.* 2. Navarrus *cap.* 25. *num.* 88. Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *ar.* 2. Angles *flor. q.* 8. *de miſſ. ar. ult.* Vazquez *diſp.* 232. *cap.* 2. *num.* 14. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 107. Azor *tom.* 1. *l.* 10. *cap.* 24. *q.* 5. *num.* 14. Fagundez *l.* 3 *præc.* 1. *cap.* 15. *num.* 14. Coninch *q.* 83. *ar.* 2. *dub.* 2. *num.* 110. Lugo *de Euchariſt. d.* 20. *ſect.* 1. *num.* 14. ac illi, & Suario communis ſententia hæc videtur. Et probatur ex eo, quod huiuſmodi prohibitio non extet, nec extiterit, neque etiam conſuetudo, quę vim legis habeat: *Quia licet multi Sacerdotes,* inquit Suarius, *eo die nõ ſacrificant, tamẽ alij plures docti, pij ac timorati ſacrificãt ſine ullo ſcrupulo: ut autẽ cõſuetudo obliget, oportet, ut ſit omnium, & non tantũ aliquorum.* Sed nec Prælati licentiam ullã ad hoc requiri notat Vazquez, addẽs Romę, & in Hiſpania ſe plures vidiſſe eo die celebrãtes: ſed Miſsa debet dici antequam ſolemnis finiatur, & Euchariſtia in loco deſignato recondatur: quia iam incipit officiũ Paraſceves.

7 In præſenti etiam ſunt plures docti & timorati, qui eo die nec communicant, nec ſacrificant, & qui communicant; ex devotione, non ex obligatione ſciunt, ſe id facere, ſicvt de ijs, qui Miſsam eo die omittunt, notat Suarez, addens, hanc conſuetudinem non ſacrificandi introductam eſſe vel propter occupationes Sacerdotum in audiendis confeſſionibus, vel propter alias cauſas: non verò quia aliquod ſit illo die miſterium, in hac omiſſione, ſicut eſt in Paraſceve. Et ſi dicas ſufficiens myſterium eſſe repręſentationem communionis Apoſtolorum: reſpõdeo 1. hanc communionem potius fuiſſe laicorum, quàm Sacerdotum; quia Apoſtoli non ut Sacerdotes, ſed ut laici communicarunt: tunc enim non erant Sacerdotes: prius enim illis Chriſtus Sacramentũ dedit, & poſtea dixit: *Hoc facite* &c. 2. quia ſi propter hoc myſterium tenerentur Sacerdotes convenire ad generalem communionem: etiam tenerentur ad pedũ ablutionem, ſicut Apoſtolis fuit facta. Hinc rectè Gutierez *l.* 1. *qq. canon. cap.* 30. *num.* 36. ait; *Quamvis mos ſit, ut in illo die publicè non celebretur, niſi Miſſa maior, in qua omnes clerici illius Eccleſiæ publicè communicant, hoc tamen nõ tollit, ut in alijs Eccleſijs particularibus, vel in privatis capellis alij Sacerdotes celebrare non poſſint.*

SINGVLARE VI.

V. JN die Paraſceves Clericis, vel Laicis Euchariſtiam accipere in Eccleſijs, etiã Regularium: vel in Sabbato ſancto liceat?

1 SIC GAVANTVS DE HOC DVbio *in Miſſal. p.* 4. *tit.* 9. *num.* 25. *Sacra Rituum Congregatio* 9. *Maij* 1606. *reſpondit, ſervãdam eſſe univerſalis Eccleſiæ præſentem conſuetudinem non miniſtrandi, niſi infirmis die Paraſceve Euchariſtiam.* Et Barbola *de Parocho cap.* 20. *num.* eãdem deciſſionem Cõgregationis affert, ſub 19. Februarij 1622. Confirmatur 1. *ex cap. Sabbato diſt.* 3. ubi Innocentius Papa epiſt. 1. ait: *Non dubium eſt in tãtùm eos ieiunaſſe biduo memorato, ut traditio Eccleſiæ habet, iſto biduo ſacramenta penitus non celebrari.* Vbi Gloſſa: *Non celebrari ſacramentum Corporis & Sanguinis Domini.*

2 Confirmatur 2. ex Rubrica 6. Miſsalis de feria 5. ubi dicitur: *Quod in ſolemni Miſſa Feriæ V. Sacerdos ſervat aliquas particulas cõſecratas ſi opus fuerit pro infirmis:* ergo ſanis nõ licet eas recipere: ut non licere aſſerunt Francolinus 1. *p. cap* 30. *à num.* 10. *de tempor. Hora. can.* & Gavantus *ſup.* Confirmatur 3. Quia ut Lugo *de Euch. diſp.* 20. *ſect.* 1. *num.* 14. ait: *De feria 6. omnes fatentur nec publicè, nec ſecreto id licere,* ſcilicet Miſſam celebrare: ergo

go cum eadem ſit ratio in communione, ac celebratione, idem in utroque dicendũ videtur.

3 Prima concluſio; In Eccleſijs Regularium, in quibus adhuc viget ex aliquo privilegio conſuetudo Euchariſtiam percipiendi in Paraſceve, & in Sabbato Sancto, licet Sæcularibus, vel Regularibus, clericis, vel laicis eam accipere. Probatur; quia hoc ex ſe opus bonum eſt, & aliunde ibi non eſt prohibitum, cum ex privilegio hoc fiat, vel ſaltém cum ſcientiâ & tolerantia Prælatorum, ut ſatis manifeſtat prędicta conſuetudo; ergo ibi licet. Sic in aliquibus D. Benedicti Eccleſijs hac die laicis Euchariſtiã miniſtrari audivi: ex privilegio, quod utiq; non vidi. Quod ſi illis ſine exceptione ſuppetit: idem omnibus etiam, privilegiorum cõmunicatione gaudentibus ſuppetit. Idẽ dicendũ, ſi in Eccleſijs ſæcularibus, Cathredalibus, Collegiatis, Parochialibus, vel Eremitorijs, aut in capellis id inveterata conſuetudine, vel legitimo privilegio introductum ſit.

4 Secunda concluſio: In quacumque Regulari, vel Sæculari Eccleſia, capella, aut oratorio, ſi omninó ſcandalum abſit, poteſt quilibet in die Paraſceves Euchariſtiam accipere. Probatur ex Suario *de Euch. diſp.* 8. *ſect.* 2. ubi ait: *Exiſtimo probabilius licitum eſſe per ſe loquendo eo die Paraſceves communicare: nam cùm hoc ſit per ſe bonum, & prohibitio non probetur, non eſt curtanquam malum damnetur.* Vazquez etiam *diſp.* 232. *cap.* 2. *num.* 21 ait; *Ego ſanè non invenio tus aliquod ſcriptum, aut nõ ſcriptum, quo laicis vetita ſit communio in Paraſceve.* Probatur forſan 2. ex Cruciata, ubi id conceditur: *Nec non Euchariſtiam, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta, præterquàm in die Paſchatis, recipere poſſint*: ergô cum bulla concedat quód à quocumque, & inquacumque Eccleſia, & etiam in privato Oratorio poſſint ea gaudentes Euchariſtiam ſuſcipere, & ſolûm excipiat diem Paſchatis, ne tunc extra propriam Parochiam communicent, omnibus alijs diebus poterunt extra propriam Parochiam, vel in illa communicare: ergo etiã in die Paraſceves, & Sabbato ſancto, cum hi dies non excipiantur, ſed potius Paſchatis diei exceptio firmet regulam in contrarium, ex Cruciata poterunt communicare.

5 Idem argumentum fieri poteſt ex privilegio Regularium; nam ijs conceſsum eſt, ut excepto die Paſchatis, poſſint omnibus Fidelibus Euchariſtiam miniſtrare, & ipſi eam accipere. Sic Paulus III. conceſſit Societati noſtræ bulla, quæ incipit: *Licet debitũ* edita anno 1548. ibi; *Nec non omnibus, & ſingulis Chriſti Fidelibus Euchariſtiæ Sacramentum quocumque anni tempore, præterquam in feſto Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ, & mortis articulo accipere liberè, & licitè valeant.* Si ergo omni tempore, excepto die Paſchatis, poteſt fidelibus miniſtrari Euchariſtia; in triduo etiam hebdomadæ maioris miniſtrari poterit. Quód verò hæc cõmunio fieri queat ſine ſcandalo, patet, cum ianuis clauſis in Eccleſia, vel in ſacello, capella, aut oratorio, ubi particulę conſecratæ cuſtoditæ ſunt pro infirmis, tres, quatuor, aut plures Regulares vel ſæculares etiam, ſimul communicare valent, & ſi forſan ſint alij, qui non communicent, admoneri poterunt, hoc licere.

6 Ad authoritatem Congregationis ſatis reſponſum eſt Singulari antecedenti: neq; enim de hac prohibitiõne præceptum invenitur, & Congregationis declaratio illud non inducit. Ad 1. confirmationem reſpondetur; quod Innocentius Papa celebrationem Euchariſtię prohibet: non verò adminiſtrationẽ: nam *celebrare Sacramenta* nõ eſt proprie miniſtrare, ſed conficere. Sic Suarius & Fagũdez *ſup.* Ad 2. dico, quod ſolùm pro infirmis ſervatur Euchariſtia, quia illi eã indigere ſolent, & ob hanc neceſſitatem præcipuè cuſtoditur, ſed non dicit illicitum eſſe ſanis eã adminiſtrare. Hinc Amalarius *lib.* 1. *de Eccl. offic. cap.* 11. non ſolùm pro infirmis: *ſed etiam*, inquit, *pro his omnibus, qui ſequenti die communicare voluerint, ſacramentum in die Cænæ Domini reſervari.* & Durandus *lib.* 6. *c.* 75, dicit: *ſervari pro infirmis, & Religioſis.*

7 Nec conſuetudo urgère poteſt, cum hęc a rarò accidentibus ſumi, nec per non uſũ introduci valeat, nec per hãc prędicta Cruciatæ, & Regularium privilegia amittũtur; tum etiam quia ille non uſus ſolùm introductus eſt, quia omnes fere communicant feria V. vel quia ob occupationes non poteſt commodè fieri. Præterea quia conſuetudo, ſi legitima eſt, ſolùm publicam in Eccleſijs cõmunionem, nõ verò occultam in ſacello, capella, aut oratorio ſecreto vetat. Immo publicã olim fieri ſolitam Ordo Romanus oſtendit; nam in fine officij diei Paraſceves dicitur; *Et communicent omnes cum ſilentio*; & Gregorius Magnus *lib. ſacram.* ut Pamelius refert in liturgijs latinis, inquit, *Communicet Sacerdos, & omnis plebs.*

8 Ad ultimam confirmationem concedo in Paraſceve non licere Miſſam celebrare ex *c. Sabbato ſup.* nam, ut ait Suarius *ſup. Authores omnes ſine controverſia ita docent, & decretum illud vim ſuam retinet.* Vnde eo die celebrare peccatum mortale eſſe docent Sotus,

tus, Azor, Richardus, Gutierrez Navarrus, Maior, Paludanus, & Angles, quos citat, & ſequitur Fagundez *infra num.* 15. & ſi antiquiſſima traditione non privata ſacrificia: ſed ſolemne ſolûm, & publicum omitti cõ ſueverit: nec ſolûm ob repræſentationem Paſſionis Domini ceſſat in Paraſceve celebratio ſacrificij: ſed quia, ut verbis utar noſtri Ioannis de Lugo *ſup. Officium illius diei ſit abſque conſecratione, & ideo non eſt Miſſa, neq; eam tenentur audire Fideles, etiam ſi ſit dies feſtus, ut declaravit ſacra Congregatio Rituum die 19. Februarij 1622.* Si igitur Miſſa in Eccleſia univerſali non eſt pro eo die, quomodo eã celebrare licebit? Communioni verò non aptantur hæ rationes, & ſic illâ uti licet illo die.

8 In Sabbato autem ſancto licèt Navarrus *cap. 25. num. 88.* & Francolinus *1.p. de Hor. can. cap. 30.* aſſerant eſſe peccatum mortale privatim celebrare, & Vazquez *diſp. 232. de Euchar. cap. 2. num. 25.* id non licere defendat; attamen licitum eſsè, docent Suarius *ſup. § ult.* Sotus *in 4. diſt. 13. q. 2. ar. 2.* Gutierrez *l. 1. can. qq. cap. 30. num. 36.* Fagundez *1. præc. lib. 3. cap. 15. num. 17.* Et addit ad hoc minimè requiri facultatem Epiſcopi, aut ſuperioris. idè ait Lugo *á n. 15.* Nec prohibitio Innocentij circa hunc diem ita manifeſta eſt: & ſi ſolemnis Miſsa conceditur, non eſt cur privata negetur. Nec conſuetudo obſtat: quia forſan propter occupationes inducta fuit: præter quã quód, plures huic cõſuetudini reclamant, & modò celebrant aliqui viri docti, & timorati in ſacellis, & Oratorijs, etiam ſummo mane. Vnde fit, quod á fortiori communicare licebit illo die. Hęc & omnia quoad celebrationem, & communionem intelligenda ſunt, ſecluſo ſcandalo.

9 Poſt hæc ſcripta offendi in Ioanne Sanchez hanc ſententiam *diſp. 22. num. 20. Ex dictis*, inquit, *tota hac diſputatione infertur licitum eſse laicis fidelibus communicare die Veneris ſancti & Sabbati ſancti, & conſultius acturos communicando, quam abſtinendo. Non enim aliquo iure eſt prohibitum, & conſuetudine fuleiri neutiquam poteſt, tum quia ex aliquibus Eccleſijs illo die ſacra Synaxis miniſtratur, cuius teſtis ocularis ſum; in hac enim Curia Matritenſi quolibet anno in parochia S. Martini, & in Eccleſia illi annexa S. Placidi ſacra Euchariſtia porrigitur omnibus confluentibus illo die, qui pene innumerabiles ſunt; tum quia eſto nullibi illo die miniſtraretur, non inferendum eſſet, induci poſſe conſuetudinẽ poſitivam, & prohibitivam adminiſtrationis, ſed ſolum negativã quæ potius non uſus eſt*, &c. ſtatim pro ſententia aſſerente poſſe in die Veneris ſancti miniſtrari ſanis ad Eccleſiã confluentibus Euchariſtiã, citat Sa, Vazquez, Suarium, Hurtadum, Ledeſmam, Vegam, Ioannem de la Cruz, Durandum, Fagundez, Filiucium, Victorelum, Arboledam, D. Perez, Enriquez, Laymanum, & Sylvium. Nec obſtat quod poſt hos decretum relatum, á Congregatione manaverit, cum hoc ob dicta non obliget.

SINGVLARE VII.

AN, & quando teneatur Parochus Euchariſtiam miniſtrare infirmo in lecto iacenti, non pro viatico, ſed pro ſua devotione illam petenti?

1 GENERI PAROCHVM SVB gravi culpa aliquoties huiuſmodi infirmo Sacram Euchariſtiam deferre, & miniſtrare ſatis colligitur ex Doctoribꝰ aſſerentibus, Parochum tèneri eam miniſtrare cuicũque ſibi ſubdito, ſi rationabiliter illam petat, & non nimis frequenter: ſed quatenus conditio, & vita ipſius, reverentiaque ſacramenti poſtulant. Sic Adrianus *in 4. q. 5. dub. 8.* Sotus *diſt. 12. art. 6.* Navarrus *in cap. placuit de Pœnit dub. 6. num. 15.* Bonazina *de ſacra. d. 4. q. 1. p. 1. num. 14.* Reginaldus *l. 29. num. 96.* Fagundez *præcep. 3. l. 9. cap. 3. num. 4.* Barboſa *de Paroch. cap. 20. num. 15.* Suarius *d. 72. ſect. 3.* Pitigianus *de Pœnit. d. 17. q. unica ar. 4.* Azor *p. 1. l. 2. cap. 17 q. 10.* & alij; Si ergo cuicumque ſano tenetur miniſtrare Euchariſtiam, non ſolûm cum præceptum urget, ſcilicet in Paſchate, ſed aliquoties in anno; ęgroto etiam tenebitur eam miniſtrare, non ſolûm pro viatico, ſed aliquando petenti ob devotionem.

2 Probatur, quia Parochi aluntur à ſuis Parochianis, non ſolûm, ut ſibi miniſtrent nę ceſſaria, cum implenda ſunt divina, vel eccleſiaſtica prȩcepta, ſed ętiam cum ſibi ſũt utilia, & ſaluti ſpirituali opportuna, ac ad animę profectum, immo & conſolationem conducentia; ſed ægrotis, potius quam ſanis ad tolerandos morbi labores, ac ſuperandas dæmonum tentationes, animumque ad mortem præparandum, ac divinę voluntati ſe conformandum, atque ad ſpiritualẽ conſolationem valde utilis, ne dicam maximè neceſſaria eſt Euchariſtiæ ſumptio: quia ut rectè Ambroſius *in pſalm. 118. Hoc ſacramẽtum inebrat affectus fidelium, ut curam ſæculi huius, metũ mortis, ſollicitud. nemque deponãt*: ergo illis eam miniſtrare tenetur Parochꝰ ad quem ſpectat, ut ſtatuit Paulus V. infra vide-

videre quibus potiſſimum tentationibus æger ſit ſubiectus, eique, pro ut opus fuerit, apta remedia prudenter adhibere. Et quod aptius, quam Euchariſtia, omnium laborum levamen, omnium que peccatorum, & tentationum antidotũ? & ſic eam â Parocho ægrotis aliquando ad miniſtrari iubet idem Pontifex in ſuo Manuali *tit. de commun. infirm.* ſic: *Si æger ſumpto viatico dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaſerit, & communicare voluerit, eius pio deſiderio Parochus non deerit.* Tempus autem, & frequentiam, qua adminiſtrari ægro debet Euchariſtia, concluſiones ſequentes oſtendent. 7

3 Sit 1. concluſio: Quoties ægrotus exiſtimaverit neceſſariam omnino eſſe Euchariſtiæ ſumptionem ad vincendam aliquam gravem tentationem, vitandum ve aliquod peccatum, aut proximum illius periculum effugiendum, tenebitur Parochus eam ad domũ eius deferre, eiq; miniſtrare: quia cũ tunc ipſe ęgrotus ex divino iure teneatur ad communionem, ut cum communi Doctorum docet Lugo *d. 16. de Euch. §. 2. num.* 25. ad eam miniſtrandam tenebitur Parochus: nam ut recte ipſe ait *n.* 28. *Fruſtra videretur præceptum dirigi ad ſubditos, cum ipſi non poſſent ſibi Euchariſtiam accipere, ſed debuit ad Paſtores dirigi, quibus ſic congruit, ut ſumant, & dent ceteris.* 8

4 Immo, ſi Euchariſtiæ ſumptio eſſet neceſſaria ad vitanda venialia, patienter ve ferendos ęgritudinis labores, cordiſque triſtitias pellendas, aut profectum in ſpiritu obtinendum, tenerentur etiam Parochi miniſtrare, ſi non nimis frequenter petatur, & in hoc credendum eſt ægroto, ſicut creditur in confeſſionis, & aliorum ſacramẽtorum adminiſtratione. 9

5 Secunda concluſio: cum feſtum aliquod ſolemne occurrit Chriſti Domini, vel ſanctiſſimę Virginis, Nativitatis v.g. Circunciſionis, Penthecoſtes, aut Sanctiſſimę Trinitatis, ſeu Conceptionis, Nativitatis Aſſumptionis, aut aliquod ex ſolemnibus B. Virginis, aut Apoſtolorum, ut S. Petri, & Pauli, aut S. Iacobi in Hiſpania, cum aliquot dies, puta quindecim, plus, minusve, prętierierint poſt antecedentem communionem, tenebitur Parochus eam concedere ægroto, niſi aliquid obſtet: v. g. moralis impoſſibilitas, aut magna difficultas Euchariſtiam ad ęgroti domum deferendi.

6 Probatur, quia, tunc non nimis frequenter, & certe rationabiliter eam petit ratione illius magnæ ſolemnitatis, in qua ſolent fideles maiori ex parte communicare, & ita iuxta Doctores *num.* 1. relatos tenetur Parochus eam adminiſtrare. Sic Paulus V. *in Rit. tit. de communione infirmorum, num. 2. Hortetur*, inquit, *Parochus infirmum, ut ſacram communionem ſumat, etiam ſi graviter non ægrotet, aut mortis periculum non immineat, maxime ſi feſti alicuius celebritas id ſuadeat, neque ipſe illam miniſtrare recuſabit.* 10

Tertia concluſio: Si occurrat ſolemne iubilęum. v.g. duarum hebdomarum, aut ſimile pro quo obtinendo requiratur communio, eam miniſtrare ęgroto tenebitur Parochus. Probatur quia hanc iure, & rationabiliter petit: ſiquidem Pontifex hortatur, ut illud iubilæũ obtineatur ob graves fines, & ſine communione obtineri nequit: nec hęc cõmutari poſſit in aliud piũ opus, niſi cum prętari n queat, iuxta ea quæ docui *in lib. de Iubilæo duarum hebdomarum. c. 5. num. 2.*

Confirmatur ex ſententia Adriani, Soti, Navarri, & *Azoris ſup.* Antonij Fernandez *exam. p. 3. cap. 6. §. 9. num.* 24. Vgolini *de offici Epiſc. cap.* 15. §. 8. Coninch *d. 8. dub. 17. num.* 129. Molfeſij *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 22. *num.* 36. Barboſæ *de Paroch. cap.* 19. *num.* 8. Homoboni *reſp. 10. p. 2.* & aliorum docentium, teneri Parochum per ſe, vel per alium confeſſiones ſubditorum, audire, cum ipſi petierint ratione alicuius feſti, iubilęi, indulgentiarũ aut conſuetudinis confitendi v. g. ſingulis menſibus: aut decimo quinto quoque die: ſic proportionaliter de communione dicẽdum eſt. Sed forſan non eſt miniſtranda ita frequẽter ob maiorem difficultatem, & reverentiam.

Quarta concluſio: Præter hos caſus, quoties Prudentum iudicio non nimis frequẽter, nec irrationabiliter, attentis circunſtantijs omnibus, petit ægrotus Euchariſtiam, eam tenebitur miniſtrare Parochus iuxta Doctores, & rationes relatas. At non frequẽter, nec irrationabiliter eam petere exiſtimabitur quicumque ægrotus, ſi ſingulis mẽſibus petat, etiam ſi is, cum ſanus eſſet, non ita frequenter ad communionem ſoleret accedere, v.g. quarto, aut ſexto quoque mẽſe; immõ etiam ſi antea vitijs deditus eſſet; Quia *Quo magis æger, magis indiget Medico*, ut loquitur S. Bonaventura *proœ. 7. cap. 7.* Et ut refertur *cap. ſi non diſt. 12.* Ex S. Hilario: *Si non ſunt tanta peccata, ut ex communicetur quis non ſe debet à medicina Corporis, & Sãguinis ſeparare.* Dum modò intelligẽ, à peccatis iam abſtinuerit, eaque fuerit confeſſus.

Qui verò quarto, octavo vè quoque die ſanus communicare aſſueviſſet, rationabiliter decimo quinto quoque die, dum ægrotat, Euchariſtiam expoſcet: nec par eſt illũ privare cõſolatione, fructu, utilitateq illi⁹.

Recte

Rectè ſanè Ioannes Sanchez *d.* 47.*num.* 5. ſic Parochũ alloquitur: *Nec ſolum teneris ne ceſſitati ſuccurrere: verùm & utilitatem, ac profectum tui gregis procurare. Eſt autem contra evidentem harum ovium utilitatem, & bonum, eas paſtu ſpirituali, quem è ſacramentis reciperent, defraudare,* Et Paulus V. *manuali tit. de viſit. infirm.* ait: *Parochus imprimis ſpiritualem ægrotantium curam ſuſcipiat, omnemque diligentiam in eo ponat, ut in via ſalutis eos dirigat, atque a diabolicis inſidijs ſalutariũ præſidio defendat, ac tueatur.*

11 Aſt ob aliquas circunſtantias aliquando excuſabitur Parochus Euchariſtiam ad hũc ægrotum deferre; vel non ita frequenter. Eæ autẽ eſſent, quod eius domus nimis ſit ab Eccleſia diſita, & viæ ita immundæ, ac luctuoſæ, ut ſine notabili irreverentia, & labore deferri nequeat, vel ſi deſt commitatus, & ornatus neceſſarius, ut decenter deferatur: vel Parochus in alijs ſui muneris magis neceſſarijs occupatur: in audiendis v.g. confeſſionibus, communicandis moribundis, baptizandis infantibus, & ſimilibus viri ſapientis arbitrio diſcutiendis.

12 Nec labor eos excuſabit: cum enim ita ſeduli ſint in exigendo ab ovibus ſuum victum, cur ita deſides in paſcendo eas ſacramentorum cibo? Sentiant igitur onus qui ſentiunt, & commodum. Nec oppoſita conſuetudo, toleranda erit: non enim adeò generalis: nam plures Parochi ſapientes, & timorati ſæpé hos ægrotos ieiunos Euchariſtia reficiunt, nec ſimilis, conſuetudo deobligans foret, ſed corruptela, ſuiq; muneris deſſertio eſſet: cum ſit contra ius divinum, ut oves ſuas veluti Paſtores paſcant; contra hoc autem conſuetudo prævalere nequit, ut probant Baldus *l.* 2. *cap. de uſuris* Baſilius de Leon *l.* 6. *de matr. cap.* 5. *num.* 2. Sanchez *d.* 47. *num.* 7. & ſtatuitur *cap. Ad audientiam. cap. venerabilis. cap. fin.* ubi communiter Doctores. Graviter igitur iniuſtum, & impium erit ægroto Euchariſtiam negare, ſi petat poſt ſextum, immo, & poſt tertium & forſan poſt ſecundum ægritudinis menſem,

SINGVLARE VIII.

V. Teneatur Parochus deferre Euchariſtiam moribundo, ſi timeat, eam non poſſe illi adminiſtrare, niſi valde feſtinet?

1 NEGATIVE reſpondet Barboſa *de offic. Parochi cap.* 20. *nu.* 46. propter irreverentiam Sacramenti, in decentiam, & irriſionem Miniſtri, quę ex illa feſtinatione oriętur; cum quibus Eccleſiaſticum: & divinum præceptũ ſumendi Euchariſtiam in mortis articulo obligare non videtur.

2 SED affirmativè ego reſpondendum exiſtimo; niſi eam magnam irreverentiam feſtinatio afferat, quę periculum ignat decidẽdi in terram Sacramẽtum, aut Parochũ cum illo, vél verum aliquod [non puerile, aut pharyſaicum,] ſequatur populi ſcandalum. Hęc autem rariſſimè evenient; nam qui veloci curſu Euchariſtiam deferri videat, exiſtimare debet periculum eſſe in mora. Et ſi Parochus propterea ab inſipiẽtibus irrideatur, non ideo ab adminiſtratio nis obligatione excuſabitur. Si enim iuxta Theologos *in* 2.2.*q.* 185. quilibet tenetur honorem, famam, & vitã prodigere, ut proximo in extrema neceſſitate ſpirituali ſuccurrat, cur Parochus illam levem irriſionem ſuſtitinere non tenebitur, cum ex charitate & iuſtitia obligatus ſit ovi ſuæ in mortis articulo ſubvenire ſacramentorum adminiſtratione?

3 NEC irreverentia ex feſtinatione orta ea eſt, ut excuſet ab hoc præcepto, eique utilitas ſuſcipientis, ob quam inſtituta eſt Euchariſtia, præponderat, & ob eam cedit qua ſi iuri ſuo Sacramẽtum. Quemadmodum aliquid irreverentiæ eſt, quod à Sacerdote non ieiuno Miſſa celebretur, & tamen poteſt, ad communicandum alium, vel ſe ipſum in mortis articulo, ut docent Zambranus *de Euch. cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 1. Layman *l.* 5. *tr.* 4. *cap.* 6. *num.* 20, & Lugo *d.* 15. *ſec.* 4. *n.* 69. & alij. Sicut & ſi quid irreverentiæ ſit, ut Laicus proprijs manibus Hoſtiam conſecratam tangat; poteſt tamen, & eam ſibi in mortis naturalis; vel violentę diſcrimine miniſtrare, ſi abſit aliquis Sacerdos, vel Diacon°, ut ſentiunt Filiucius, Suarius, Coninch, Chapeaville, Reginaldus, Granadus & alij apud Dianam 3. *p. tr.* 4. *reſ.* 47. & 5. *p. tr.* 3. *reſ.* 47. contra Hurtadum, Præpoſitum, Fauſtum, Tãnerum, Fagundez, & Ochagaviam. Hinc patet ad rationem Barboſæ.

4 Immo & in caſu nõ adeò ingentis neceſſitatis, leges communes aliquando trãſgredi licet adminiſtraturo ſacramẽta. Sic Diaconus, (non alius ipſo dignitate inferior) non ſolùm in mortis articulo, ſed in magno feſto, v.g. Nativitatis Domini, aut Conceptionis B. Virginis, vel ſimili, ſi Sacerdos abſit, poterit ex ſacrario Euchariſtiam educere, & ſe ipſum, ac alios communicare. Si enim in tali caſu Sacerdoti, qui non poteſt celebrare hoc conceditur à Suario, Laymano, & Coninch, apud Diannã *ſup.* Diacono etiã concedatur, cui in abſentia Sacerdotis cõpetit Euchariſtiam miniſtrare.

SIN-

SINGVLARE VIII.

V. Parochus deferens Euchariſtiam infirmo longé diſtanti poſſit vehi equo: & an Laicus eam deferre tunc valeat?

1 PRIMVM non poſſe, niſi loci cõ ſuetudo id permitteret, & equs eſſet manſuetus docent Ponevinus *de off. curati cap. 8. num. 4.* & Barbosa *de Paroc. cap. 2. num. 51.* addentes, quod quantumvis ſit defatigatus debet non tradere Euchariſtiæ pixidem ferendam Laico, ſed hinc inde à Laicis ipſe humeris ſuſtentetur, vel burſa collo appenſa portet Euchariſtiam.

2 Aſt ego in prima dubij parte ſentio, quod niſi prudẽter timeatur, pixidẽ Euchariſtiæ, vel Sacerdotem cum ea interiam caſſurũ, poteſt ille equitans eam deferre. Quod periculum non aderit, cum in mãſueto equo, vel in mula, aut aſino iter ageret. Quod ſi contingat, quod nimis diſtet ęgroti domus, & equs non inveniatur, Parochuſque ob debilitatem non poſſit totius itineris curſu ſolus deferre, adhibeat ſibi alium Sacerdotem, vel Diaconum in Sacerdotis abſentia, ſocium, qui eam etiam deferat; vel, quod facilius eſt, collo appendat in burſa.

3 Si verò contingeret, quod nec Sacerdos, nec Diaconus adſint, qui poſſint in hoc caſu iuvare deferentem: nec hic queat ablq; iuvamine Laicꝰ iuvet, ac deferat iuxta ſententiam Laymani *l. 5. trac. 4, cap. 7. num. 4.* Coninch *q. 2. ar. 3. num. 23.* & Dianæ *3. p. traç. 4. reſ. 47.* docentium, poſſe laicum Euchariſtiam miniſtrare moribudo, ſi abſint Sacerdos, & Diaconus. Quod probabile reputat Valentia *to. 4. d. 6. q. 10. p. 1.* licet inſerabilis opinio vocetur à Soto: ſed immeritó: nam id nec naturali, nec divino præcepto repugnat: immo nec Eccleſiaſtico: quia caput *Perveniat, diſt. 2. de conſecr.* loquitur extra caſum neceſſitatis. Nec conſuetudo obſtat, nam hæc adeſſe in præſenti nequit: quia cum illa ſit actuum repetitio: & hic caſus rariſſimè, aut numquam evenerit, non poteſt circa eum eſſe propriè conſuetudo. Per quod patet ad ſecundam dubij partem.

4 Circa modum, quo deferre debent Parochi Euchariſtiam ad infirmum longé diſtantem, animadvertant oportet quod ſapiẽter ſtatuit Synodus Hiſpalenſis *tit. de Cuſt. Euch. cap. 1.* his verbis; *Mandamos a los Curas ſopena de excomunion maior latæ ſententiæ, que de aqui adelante en ſaliendo de la Igleſia con el Santiſſimo Sacramento para el efecto juſodicho, vayã via recta al lugar donde eſtá el enfermo ſin diſtraerſe, ni divertirſe a otra coſa haſta averle comulgado, y no lleven mas formas de las que fueren meneſter conforme al numero de los enfermos, que ubieren de comulgar, de manera, que quando vuelba no trayga ſacramento. Y Mandamos, que a la ida vaya con mucha devocion: y compoſtura, rezando algunos Hymnos, y Salmos.* Et antea dixerat: *Que lleve el Santiſsimo Sacramento guardado en el pecho.* Hæc excomunicatio imponẽda foret meritó in alijs Dicœceſibus; ſemperque curandum eſt, ut lumen vel ex cera, vel ex oleo, ſaltèm intra laternam incluſum in tegro itinere accenſum, quoad fieri poſſit, deferatur.

SINGVLARE IX.

V. Sacerdos in Societate Ieſu profeſſionem ſolemnem in die Nativitatis Dominicæ emittẽs, ac de manu Prelati communionem more laici accipiens, poſtea eadem die ſemel, aut bis celebrare poſſit, vel e contra priùs celebrare, & poſteriùs communicare? Et an aliquando id liceat?

1 HOc omnino illicitum eſſe exiſtimo. Fũdamentum eſt, quod non ad communicandum ter, aut bis, & ſimul bis, aut ſemel celebrandum in Natali Domini facultas à iure, & conſuetudine concedi tur: ſed ſolùm permittitur illa die Sacerdotes ter celebrare, ac per conſequens ter intra ſacrificium, & nullo modo extra illud communicare. Sic Innocentius III. Epiſcopo cuidam interroganti; Vtrum Sacerdos poſſit celebrare plures Miſſas eodem die, reſpondit: *Excepto die Nativitatis Dominicę, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam Miſſam celebrare.* Affertur *cap: conſuluiſti de celebr. miſ.* ac eadem ex Teleſphoro *cap. Nocte Sancta. de conſecr.*

2 Hinc rectè ſapientiſſimus Lugo de hac facultate *diſp. 20. de Euch. ſec. 1. num. 43.* loquens ait: *Hęc facultas ſolùm eſt ad communicandum bis, aut ter in Miſſa, ſeu facienda duo, aut tria ſacra; per quod ſolum diſpenſatur in prohibitione celebrandi pluries, non verò in prohibitione communicandi bis eadem die.* Et Vazquez *q. 244. cap. 8. num. 30. Tunc conceſſa eſt facultas pro illa die ſolùm ad communicandum pluries, non quomodolibet, pro ut fieret, ſi ſemel, aut bis in Miſſa, & ſemel extra Miſſam communicaret.*

3 Igitur in tantùm conceditur Sacerdoti ter eo die communicare, in quantùm tres illæ communiones ordinantur ad eſſentialem integritatem ſacrificij, ita ut ſi celebrare poſſet ſine communione, ſeu ſumptione Hoſtiæ, non ter, ſed ſolùm ſemel ex hoc privilegio Euchariſtiam ſumere liceret: ergo ſi deficiat ſacrificium, ratione cuius hę tres communiones conceduntur, illæ fieri nequeunt. Vnde noſter Lugo *ſup.* aſſerit, quod Diaconus Cardinalis qui miniſtrans Summo Pontifici Nativitatis die, communicat in ea Miſſa ſub utraque ſpecie, non poteſt, ſi Sacerdos ſit, alias duas Miſſas, nec unam privatam celebrare, nec ante, nec poſt illã communionem, niſi Pontifex cum eo peculariter, & expreſſè diſpenſet. Eo enim ipſo, quod, hic, ſicut & quivis Sacerdos more laici Euchariſtiam ſemel ſumpſerit, ius amiſit, quod antea habebat ad eam ſumendam bis, vel ter; ſi bis, vel ter celebraret; nam tunc nec ſemel communicare, intra, aut extra ſacrificium ei licet, ſed debet ſe gerere, ac veluti laicus, ut notavit Vazquez *ſup.* Sicut è contra, eo ipſo quod ſemel celebraverit ius amiſit ad communicandum ut laicus.

4 Nec in hoc caſu cauſa eſſet ſufficiens ad illam communionem faciendam, & ſimul celebrandum, quod Sacerdos emiſſurus ſit profeſſionẽ; etiam ſi conſtitutiones Societatis ſub gravi peccato ad cõmunionem obligarent in emiſſione profeſſionis, immo etiã ſi hæc ſine illa foret nulla; quia vel tunc poteſt in alium diem profeſſio differri, ſi bis aut ter Sacerdos profeſſurus celebrare vellet, aut ſi ob gravem cauſam, præceptum, aut votum ad profitendum in ea Nativitatis die cogatur, communicet, & non ſacrificet; vel ſi communio non eſt aliquid eſſentiale, vel ad peccatum grave obligans, ut non eſt in Societate, ſine ea profiteatur.

5 Quoad poſtremam dubij partem, reſpõdeo, eam cauſam, & ſolam ſufficere ad ſemel communicandum, & ſimul bis, aut ſemel poſtea celebrandum, vel è contrà in eo Nativitatis die, quæ ſufficeret ad hoc exequendum quolibet alio totius anni die; æquè enim in hoc, atque in illo id prohibitum eſt propter dicta. Vnde rectè Lugo *ſup.* ait; *Obligatio non celebrandi ea die, qua communio accipitur extra Miſſam, non eſt ablata unquam pro illa die Nativitatis.*

6 Ex caſibus igitur, in quibus hoc non ſolùm Nativitatis, ſed quolibet alio die liceret primus eſt: ſi poſt communionem, etiã poſt cibum acceptum, neceſſarium ſit iterũ celebrare ad dandum viaticum ęgroto, ut docent Navarrus, Ledeſma, Paludanus, Sylveſter, Tabiena, Angelus, & Azor, quos citat, & ſequitur Fagundez 1. *præc. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 8. Secundus, ſi poſt celebrationem Miſſæ incidat quis veſpere in mortis articulum; poterit enim pro viatico eodem die Euchariſtiam accipere ſicut etiam poterat laicus, qui manè ex devotione ſua communicaverat, ut aſſerunt Gaſpar Hurtado *de Euchar. d.* 10. *dif.* 2. citans pro ſe Vazquez *in manuſcriptis*, aç alios graviſſimos viros Academiæ Complutenſis, & Salmanticenſis. Idem tuentur contra alios Hurtado de Mendoza, Turrianus, Ochagavia, & Ludovicus de S. Iuan, quos citat & ſequitur Leander à Sacram. *tom.* 2. *tr.* 7. *d.* 2. *q.* 6. *&* 7. docentes, non ſolùm poſſe, ſed teneri. Qui intelligendi ſunt, primò etiam ſi non lõgi temporis intervallũ ſit inter unam, & alteram communionem, una hora, v. g. aut forſan ſolum ſpatium ſufficiens ad conſumptionem ſpecierum ſacramentalium communionis anteceden tis: ſecundò, etiam ſi prior communio fuerit ex prȩcepto annuæ cõmunioris, per hãc enim non adimpletur Viatici præceptum. An hæc ſententia accomodari poſſit deficienti morte violenta, ſeu Reo capite plectendo, qui manè pro ſua devotione, non pro viatico communicavit, exiſtimans ſe illo die non plectendum, & plecti iubetur repentè, tu videas, iuxta dicenda Sing. 12.

7 Alios caſus præter hos non admitterẽ; & licèt Sacerdos habeat facultatem ad celebrandum bis in die feſto, quia ſolus præeſt duabus Eccleſijs Parochialibus, ſi priꝰ ut laicus communicavit in uno oppido, nõ poteſt poſtea in illo, nec in alio celebrare propter dicta n. 1. 2. & 3. Nec populus peccabit ſi tunc Miſſam non audiat; cum hanc inculpabiliter omittat. Si verò quis ex voto, aut præcepto teneretur ad emittendam profeſſionem in die Nativitatis, & ad cõmunicandum in eius emiſſione; aliũde vero alicui Parochię, aut oppido præeſſet; ita quod alius non eſſet, qui populo Miſſam dicere poſſet; tunc deberet omittere communionem, & ſine ea facere profeſſionem; niſi hæc ſine illa eſſet irrita ob ſingulare Religionis ſtatutum: tunc enim transferre in alium diem profeſſionem, & celebrare debet Sacerdos, ut populus Miſſam audiat: ſtrictior enim hæc obligatio utpotè ex iuſtitia, quàm emiſſio profeſſionis, vel communio: etiam voto, aut præcepto ad illum diem alligata; unde hęc illi poſtponenda, quia tũc non obligant. Et hæc ſtrictiùs intelliguntur, ſi profeſſurus ſit Parochus.

SIN-

SINGVLARE X.

An Sacerdos ob communionem laicam, & celebrationē deinde factam accusari possit apud sanctū Inquisitionis Tribunal; illudq; de hoc crimine cognoscere possit?

AFfirmativè respōdendum exist 1 timo, cum certum sit Inquisitores cognoscere de ijs, qui sacramentis palam abutuntur: de Confessoribus, v.g. sollicitantibus in confessione, vel ante, aut post illam, illius ve prętextu, aut loco; de violatoribus sigilli; de cogentibus Pęnitentes, ut sibi revelent Cōplicem, sub prętextu, quod nisi revelent, eos absolvere non possunt: ltē de ijs, qui absque ordine sacerdotali celebrant, aut confessiones audiunt; de ijs, qui sacro ordine initiatis, vel in Religione professis matrimonium ineunt, & de contrahentibus bina coniugia simul, ac de similibus videndis in Edicto fidei quotānis promulgato: ergo cognoscent de hoc crimine; cum bis communicans, aut semel, & semel celebrans in eadem die abutatur sacramento Eucharistię contra rectum Ecclesiæ usū ab Apostolorum tempore dimanantem, omnibusque Sacerdotibus prohibentē, bis eadem die cōmunicare, ut docent Alexander, S. Thomas, Sotus, Tabiena, Cardinalis, Enriquez, & alij apud Fagundez 3. *præc. Eccl. l.* 3. *cap.* 7. *n.* 11.

2 Probatur. 2. Quia quoties quis in aliquo casu, aut in observatione alicuius præcepti divini, vel Ecclesiastici suspicionem, etiam levē de hęresi generat, potest in iudiciū vocari ab Inquisitoribus, & hi possunt ipsum convictum punire. Sic Decianus *tract. crim. l.* 5. *c.* 20. Rolandus à Valle *l.* 3. *cons.* 8, *n.* 6. Parisius *l.* 4. *consil.* 2. *num.* 100. Mascardus *de prob. volum.* 2. *conc.* 861. *num.* 3. Sigismundus Scotia *de iudicijs l.* 1. *cap.* 5. Scio aliquos aliter sentire. Sed hæc doctrina maximē locum habet cum suspicio, seu actus, quo illa gignitur est contra ius, & consuetudinem Ecclesiæ, ut notant Suarius *de fide d.* 42. *sec.* 2. *num.* 4. & Castro Palao *tract.* 4. *d.* 7. *punc.* 1. *num.* 7. Quis verò dubitet aliquam suspicionem generare de sensu non iuxta Ecclesiæ doctrinam, & praxim quod Eucharistiæ sumptionem. qui bis eadem die communicat, aut semel celebrat, & semel communicat?

3 Probatur 3. Quia de propositionibus, scā dalosis, & offensivis in ordine ad fidem, vel mores cognoscunt Inquisitores; ergo & de hoc crimine cognoscent; cum in gravi materia generet scandalum, & offendat piorū, & doctorum aures, ac oculos, vel videre Sacerdotem eadem die communicantem, & celebrātem, vel hoc de ipso audire, insipientibusque causa ruinæ dabitur: existimabunt enim hoc licere. Vnde offensio, & scandalum non leve erit. iuxta ea quę, docet Torres *de fide disp.* 55. *dub.* 3.

4 Probatur 4. Quia minus Ecclesiasticæ, & Catholicæ doctrinæ, ac praxi repugnat accipere ex industria plures, & maiores formas in cōmunione, ut diutiūs duret corpus Christi in stomacho, quàm bis communicare, aut semel communicare, & semel celebrare in eadem die, & tamen primum spectat ad sacrum Tribunal, ut docēt Heredia *de Euch. dist.* 2. *p.* 9. *dub. unico num.* 1. ac Ioannes de la Cruz *p.* 2. *direct. q.* 4. *de Euch. conc.* 2. & patet ex Edicto fidei: ergo & secundum. Sicut etiam ipsum S. Tribunal cognoscit de ijs, qui communicant non ieiunij, sicut & de Sacerdotibus, qui sine licentia, excepto Nativitatis die, bis celebrāt: ergo & in nostro casu cognoscet, cum non minus Ecclesiæ usui, & doctrinæ præfatus Sacerdos opponatur, quam illi.

SINGVLARE XI.

Petrus Eucharistiam pro viatico accepit in Dominica Palmarum; intra illos quindecim dies convaluit: dubitatum est, an in illis teneatur iterum communicare, ut præcepto annuæ Communionis satisfaciat?

SEntentiam negativam sua 1 det. 1. Auctoritas Doctorum asserentium, unico actu satisfieri posse pluribus, & diversis præceptis; ut unica Horarum recitatione satisfit Ordini sacro, Religioſę professioni, ac beneficio Ecclesiastico; & unico ieiunio satisfiet aliquando voto, præcepto, ac sacramentali pœnitentiæ. Sic ex communi DD. Sanchez *l.* 1. *sum. c.* 14. *n.* 5. & Bonacina *de leg. d.* 1, *q.* 1. *p.* 4. *n.* 4. ergo illa unica cōmunione satisfecit Petrus præcepto divino communicandi in mortis articulo: & Ecclesiastico communicandi in Paschate. Confirmatur, quia illa communio fit intra tempus pro ea assignato ab utroq; præcepto: & verificatur, quod Petrus in mortis articulo, & in Paschatæ communicavit: ergo verificatur, quod utrūque præceptum ea communione adimpleverit, & aliam facere ijs diebus non tenebitur.

2 Probatur 2. ex ſententia Suarij *d.7. de Euch. ſec.* 3. Enriquez *l.* 8. *cap.* 4. Conrad *tr.* 11. *dub.* 3. *num.* 93. Laymani *l* 5. *tr.* 4 *num.* 4. Homoboni *volum.* 2. *p.* 5. *reſp.* 47. Lugo *d.* 16 *ſect.* 2. *num.* 3. & communiter Recentiorum aſſerentium, eum qui paulò ante quam incideret in mortis periculum ex devotione communicavit, in eo non obligari ad novam communionem: præſertim ſi intenderit omnem adimplere obligationem: ergo ſi ſimiliter, qui communicavit in mortis periculo in Paſchate, utrique obligationi ſatisfecit: cum iam facta ſit communio, non dico paulò ante, ſed in ipſo tempore à præcepto præſcripto.

3 Probatur 3. ex Doctorib⁹ ſtatuẽtibus, eũ, qui ſemel confeſſus eſt in anno ante 15. dies Paſchatis, non teneri ad iterum confitendum in illis: quia hoc præceptum ſolũ obligat ad hoc quod ſingulis annis confeſſio fiat grauium delictorũ; ergo ſimiliter ſi non tranſit annus ſine cõmunione; nec tẽpus paſchale pro ea aſſignatum, illius præcepto ſatisfit. Vrgetur, quia aliter ſi quis in Sabbati, vel Veneris die ante Dominicam in Albis pro viatico communicavit; & ea Dominica mane omnino convaluiſſet, ut poteſt contingere, teneretur in Parochia iterum communicare; quod dici nequit; ergo nec, quod Petrus illa communione pro viatico accepta non adimpleverit Eccleſiæ præceptum.

4 Hæc eſſe poſſunt fundamenta pro negativa ſententia, quibus ſatis vero ſimilis redditur. Pro affirmativa ſupponendum eſt 1. duo eſſe diſtincta præcepta hæc; aliud divinum communicandi in mortis articulo; aliud humanum, ſeu Eccleſiaſticum communicãdi quotãnis in paſchate. Sic ſapienter, ut ſolet, probat Lugo *d.* 16. *ſect.* 2. & 4. Supponendum 2. hæc duo præcepta dici poſſe in præſenti caſu abſolutè concurrere in diverſo tempore: cum primum tunc obliget illo tantùm die Dominicæ Palmarum, & ſecundum illis quindecim diebus, ſcilicet ab ea Dominica ad Dominicam in Albis incluſivè.

5 His poſitis affirmativa ſententia, cui aſſentior, ſic probatur, Quoties duo præcepta diſtincta, etiam ſi earum materia ſit eiuſdem ſpeciei, ſub diverſis temporibus permanẽt, & obligant, nõ poteſt illis ſatisfieri unico actu; ergo nec his duobus præceptis, cũ diſtincta omnino ſint, & in diverſo tẽpore concurrãt, & obligent; diverſũ enim tempus eſt una dies, ſcilicet Dominica Palmarum, ac quindecim dies ab illa numerati, etiam ſi in illis Dominica contineatur: quia continens, & contentum diſtincta ſunt abſolutè, licet ſimul ſecundum quid, ideſt, ſecundum exiguam partem eius diei, quam continent quindecim dies, ſint idem.

6 Confirmatur, quia ſi Petro in pœnitentiam iniũgeretur, ut intra quindecim dies communicaret, & alias voviſſet, ac ſimul præcepiſſet Prælatus intra eoſdem dies cõmunionem facere; tenebitur adtriplicem cõmunionem faciendam intra illos dies; immo ad quadruplicem ſi cum eiſdem çõ currerent dies Paſchalis communionis, nã ut quadruplici illi obligationi unica communione ſatisfaceret neceſsum erat, ut vel certò, vel probabiliter ſaltim cognoviſſet, Petrus diverſam non eſſe communionem impoſitam â Confeſſore, uel Superiore præter illam, ad quam ex voto, & præcepto Eccleſiæ adſtringebatur. Hanc regulam tradũt Medina *cap. de ſatisf. q.* 4. Sanchez *l.* 4. *ſum. cap.* 14. *à num.* 5. Salas *deleg. d.* 2. *ſec.* 2. Suarez *to.* 4. *in* 3. *p. d.* 37. *ſec.* 6. Bonacina *q.* 1. *p.* 9. *n.* 4. & alij: ergo cum nec conſtet, nec prudenter præſumatur, quod Chriſtus & Eccleſia præcipientes intra illos quindecim dies communionem viatici, & Paſchalem, una pro utriuſque obſervantia contenti ſint, duas omnino exigũt.

7 Vrgetur 1. Quia quando diuerſa præcepta ob diverſos fines imponuntur diverſis actionibus impleri debent, ſi temporis diverſitas non deſit, in qua exerceri poſſint. Sic ex alijs probat Fagundez *l.* 2. *in* 1. *præc Eccl. cap.* 4. *à num.* 5. *& l.* 1. *in* 4. *præc. cap.* 10. *nu.* 7. Sic diverſus eſt finis præcepti communionis Paſchalis, ſcilicet, ad nutriendam, conſervandam, & augendam uitam ſpiritualẽ; ac communionis pro viatico, hoc nempe eſt, ad iter omnium difficillimum, & poſtremũ aggrediendum, ac tentationes ſuperandas, animumque confortandum ad pericula mortis ſalubriter ſubeunda, & aliunde extat temporis diverſitas: ergo non unica, ſed duplici communione ſatisfaciendum eſt. Sicut ex adverſo eadem communione duplici præcepto, voto, vel regulæ ſatisfieret ſi in eundem diem utriuſque obligatio incideret, & nulla differri poſſet, ut notat Sanchez *ſup. num.* 5.

8 Vrgetur 2. In oppoſita caſus huius contingentia; quia ſi quis ſanus communioni annuæ ſatisfeciſſet Dominica Palmarũ, & poſt duodecim dies, intra 15. videlicet Paſchalis communionis, periculoſè ægrotaret, certum eſt teneri ad viaticum accipiendũ; ergo é contra, ſi prima die viaticum acciperet, cũ poſt duodecim dies extet præceptum

tum annuæ communionis, ad eam tenebitur.

9 Ad 1. fundamentum oppositæ sententiæ R. tunc unico actu satisfieri pluribus præceptis, cum hoc ex mente legislatoris constat, vel præsumitur, vel cum necessariò ad idem tempus adstringuntur; nihil autem horum invenitur in nostro casu iuxta dicta. Ad confirmationem aio, tunc non verificari Petrum communicasse in Paschate communioni Paschali, seu pro Paschatis præcepto requisita, cum hęc debeat esse aliàs non debita, sicut qui pro voto implendo in illis 15. diebus communicasset, non verificaretur communicasse pro Paschate.

10 Ad 2. R. minimè mihi placere sententiã illam, sed cum Vazquio *d.* 214. *cap.* 2. Hurtado *d.* 10. *dis.* 2. & alijs sentio, communione præcedenti mortis periculum, satisfieri nõ posse communioni pro viatico accipiẽdæ; quia non potest satisfieri præcepto per actũ qui fit antequam præceptum incipiat obligare. Consule Singulare 14. num. 3. Nec intentio adimplendi omnem obligationem illa unica communione, si adesset in Petro, conduceret ad satisfaciendum cum ea præceptis duplicis communionis: sicut non cõduceret intentio satisfaciendi duplici debito unica solutione.

11 Ad 3. R. discrimen esse nõn leve inter præceptum annuæ confessionis, & communionis; quia primum solùm obligat ad confitendum semel intra annum, non assignando determinatum anni tempus pro sui impletione: secundum verò duo præcepta virtualiter continet, alterum communicandi saltim in anno, alterum communicandi in Paschate: & quando hòc nõ impletum est, aut impleri non potuit, perseverat, & tenetur postea quis communicare, ut docẽt Suarius, Vazquez, Coninch, Layman, Nugnus, Pitigianus, Fagundez, Azor, Sylvius, Grasis, & Diana apud Lugum *sect.* 4. *num.* 65. ac innuit Tridentinum *sess.* 13. *can.* statuens, *Teneri Fideles singulis annis, saltẽm in Paschate ad communicandum iuxta præceptum S. Matris Ecclesiæ.* Ad instantiam R. concedẽdo sequellam; cum tunc nondum satisfactum sit annuæ communioni ob dicta. Sicut é converso: si quis Sabbato ante Dominicam in Albis communioni Paschali, vel voluntariæ satisfeciisset; si illa Dominica incideret in mortis periculum, iterum communicare teneretur.

(?)

SINGVLARE XII.

V. Parochus valeat, absque ulla prorsus causa, cõcedere sibi subdito, ut Eucharistiam recipiat in quacumque, etiam Regularium, vel alterius oppidi Ecclesia, aut oratorio: sicque præcepto annuæ Cõmunionis satisfaciat?

CONSVETVDO, optima legum interpers. id Parocho non licere statuere videtur. Huic accedit positiuum ius: cũ enim Pontifex in Cruciata concedat, ut in oratorio privato quis possit Eucharistiã recipere, excipit diẽ Paschatis, idest, pro Paschalis communionis præcepto, ut cum alijs explicat Lugo *d.* 18. *de Euch. sec.* 2. *num.* 5, ergo statuit, ut hæc in propria Parochia fiat: exceptio enim firmat regulam in contrarium. Ita etiam declaravit S. Congregatio apud Fagundez *l.* 1. *in* 3. *præc. Eccl. c.* 5. *num.* 7. dicens: *Nec laicos in Regularium monasterijs servientes huic præcepto satisfacere, nisi in propria Parochia communicent*: ergo fortiori omnes alij sæculares non satisfacient. Cum igitur hæc sit lex Pontificia, non potest in ea dispensare Parochus: quia inferior non potest dispensare in lege Superioris, ut ex l. *formam. ff. de officijs Prat. cap. cum inferior, de maior. & obed.* docent Bartholus, Surdus, Gõzalez, Cardosus, & alij apud Barbosam *de princ. lit. L, nu.* 21. Confirmatur, quia in hoc sensu vulgó dicitur: *Cumplir con la Parrochia*: & si circa locum potest Parochus dispensare, poterit etiam circa tempus, quod est absurdum.

2 Sed id Parochis licere, salvo speciali iure alicuius Provinciæ, vel Diœcesis, sentio, & probo 1. nam, ut ex *l. Nec non §. quod eius ff. ex quibus caus. l.* 1. *ff. de testibus. l. mutus §. quæritur de procur.* statuunt utriusque Iuris Doctores: *Concessum dicitur quidquid expressè prohibitum non reperitur*: seu, *Quæ non inveniuntur prohibita per legem, permissa censentur*: sed hoc non solùm non invenitur prohibitum Parochis, sed ex lege videtur concessum: ergo eì concedendum est.

Lex igitur Cõmunionis huius præceptum imponens sancita ob Innocentio III, ita refertur *in cap. omnis de pœn. & remis.* ubi *Omnis utriusque sexus Fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, sua peccata semel saltem in anno confiteatur proprio Sacerdoti, suscipiens reuerenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ sacramentum: nisi forte de propri Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huius*

modi

modi perceptione duxerit abſtinendum. Vbi nam explicitè, aut implicitè hic decernitur, ut hæc communio in propria Parochia fiat? Immo legis huius fini magis conſonum vi detur, ut fieret in quacumque Eccleſia de expreſſa Parochi licentia: cum enim finis ſit, ut Parochus, velut Paſtor oves ſuas cog noſcat, & hę illũ: melius eas cognoſcet, & hæ illum, ſi ſubditi præſententur ad hanc li centiam obtinendam, quam ſi in propria Parochia, â quocumque alio, etiam inſcio Parocho, ut ſępiſſimè fieri ſolet, Euchariſtiam accipiant. Et ſi circa temporis commutationem lex facúltatem Parochis tribuit: à fortiori circa commutationem loci.

4 Igitur præceptum hoc Fideles obligat, ut in propria Parochia, vel in alio loco de licentia Parochi Euchariſtiam accipiãt. Sic Navarrus, Suarius, Azor. & Reginald. apud Bõnazinam *de Euch. d. 3. q. 7. p. 2. num*. 7. Ex preſſiùs hanc ſententiam ſic propoſuit doctiſſimus Lugo *d. 18. ſect. 2. Si quis*, inquit, *in priva to oratorio accipiat Euchariſtiam à Parocho, vel eius licentia in die Paſchatis, proculdubio ſatisfaciet præcepto annuæ communionis.*

5 Nec cauſa ulla ad hanc licentiam concedendam requiritur: cum non ſit diſpenſatio in lege aliqua: hæc enim non extat, ſed ſolùm uſus iuriſdictionis, quam habet Parochus, ut pro libito ſuo Euchariſtiam per ſe, vel per alium in hoc vel illo loco miniſtret ſibi ſubdito, ut præcepto Paſchatis ſatisfaciat; ſicut infirmo in extremis conſtituto, ut ſatisfaceret præcepto divino, & Ecclefiaſtico, poſſet Parochus pro libito, & ſine cauſa licentiam concedere, ut pro viatico Euchariſtiam reciperet à quocumque Sacerdote Sæculari, vel Regulari; Immo ſi abeſſet ſcandalum, ut poteſt aliquoties abeſſet; poſſet permittere ut ab alia, quam à propria ſua Parochia, & ab aliquo oratorio, ubi celebratur, viaticum miniſtraretur ægroto.

6 Ad conſuetudinem in oppoſitum oblatam R. hanc non ita univerſaliter adeſſe: mihi enim conſtat aliquos doctos, & timoratos Parochos id conceſiſſe: & quamvis ita adeſſet, nullo modo vim legis haberet, cum ex ignorantia Parochi ea facultate nõ uterentur: nec par eſt, ut ob eã, aut per non uſum ſua iuriſdictione illi privẽtur. In Cruciata illam Pontifex non reſtringit, ſed in exceptione Paſchatis ſolùm intendit, quod pro communione Paſchali non detur Euchariſtia ſine conſenſu Parochi: Quia ut loquitur Lugo ſup: *Facultas illa, Cruciatæ, præſcindit á licentia Parochi: & ideo excepit communionem Paſchalem: ſicut excepta eſt etiam in privilegijs Mendicantium*.

Nec Congregationis declaratio urget, cum non neget Parocho poteſtatem hanc: nam ly, *in propria Parochia*, idem eſt ac *de propij Parochi licentia*, ut in hoc præcepto expli cãt Navarrus, Azor, Enriquez, Emmanuel, & alij apud Fagundez *ſup. n.* 5. Præterea certum eſt ex privilegijs Alexandri IV. Clementis IV. Gregorij XI. Leonis X. & alio rum, Sæculares in Conventibus Regulariũ ſervientes, cum eiſque velut familiares habitantes, annuę cõmunionis prȩcepto ſatisfacere in eorũ Eccleſijs, aut Capellis cõmunicando: ſicut de Viatico & Extrema unctione dicemus Tract. 5. Sing. 3. & 4. Immo quoſcũque ſęculares adimplere poſſe hoc præceptũ in Eccleſijs Mendicantiú ex cõceſſione Nicolai V. Pij IV. & Pij V. aſſerũt Beja 4. *p. caſ.* 4. Rodriguez *to. 1. q. 56. ar.* 3. Sorbus *comp. verb. cõmunic.* & probat Fagundez *num.* 13. licet addat: *ſavendum eſſe Parochis, & conſuetudini ſtandum*. Et Lugo *d. 18 ſect. 2. num.* 94. de hac conceſſione ait: *Cæterùm ſi inveniatur per Bullam, vel Breve, non video cur non habeat adhuc ſuum vigorem.*

7 Ad Confirmationem R. illud, *Cumplir con la Igleſia*, potius confirmat noſtram ſententiam; cum non ſit, *Cumplir con la Igleſia material, ſino con la formal, que es el Parocho*, id eſt Parocho, qui Eccleſiæ nomine intelligitur, quoad debitum annuę communionis ſatisfacere; illi enim obſervantiam huius præcepti exigere competit. Sic dicitur *Math.* 18. *num*. 17, *Quod ſi non audierit* [ſcilicet teſtes] *dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus, & Publicanus*. Vbi Chriſoſtomus; *Dic Eccleſia*, ideſt, *iis, qui Eccleſiæ prę ſident*, Lyra, ideſt, *Prælato per denunciationem publicam. Si Eccleſiã non audierit, præceptum Prælati contemnendo* &c. Ad ultimum R. cũ præceptum expreſſé imponatur pro Paſchali tempore non poteſt Parochus diſpenſare ſine cauſa; cum illa poteſt, quia illi ibi committitur; ſicut & poſſunt omnes alij Confeſſores ſęculares, vel Regulares, differendo pœnitentis communionem, per interpretationem huius legis: declarando hunc in particulari non obligari hoc præcepto illis 15. diebus.

8 Dixi in concluſione; *Salvo ſpeciali iure alicuius Diœceſis*, quia in hac Hiſpalenſi id Parochis interdicitur in Synodo *de off. Rec. fol.* 26. ubi: *Para eſcuſar algunos inconvenientes q̃ ſomos informados, an ſucedido de dar los Curas con facilidad a ſus feligreſes licencia para q̃ comulgũe fuera de ſus Parochias la paſcua de Reſurrecciõ. S. S. A. eſtatuimos y mandamos a los Curas, que de aqui adelante no puedan dar, ni den la dicha licencia à ninguna perſona de quaqualquier eſtado*

oca-

o calidad, que ſea ſopena de un ducado para la fabrica, y a los que uſaren della, no cumplan con el præcepto de la Igleſia, que a los que tubierẽ alguna preciſa neceſidad Nos, ó nueſtro Proviſor ſe la daremos. Circa quam obligationem nota 1. præceptum non imponere verba illa: *Eſtatuimos, y mandamos* iuxta dicenda Tract. 9. item 2. hãc legem non obligare Parochos; cum nullum incommodum apparet in concedenda præfata licentia; & eam poſſe concedi à Parocho cum iuſta cauſa adeſt, v.g. infirmitatis, diſtantiæ Parochiæ, temporis incommodé, aut ſimilis iuxta ea, quæ inſimili dixim⁹ Tract. 3. Sing. ult. ſi facilis aditus non adeſt ad Prælatum, vel eius Vicarium.

SINGVLARE XIIJ.

V. Reo ad mortẽ damnato ad ipſum ſupplicij diẽ Euchariſtiæ ſuſceptionem, data opera, differenti Iudex in ſequentem diẽ ſententiæ executionem differre teneatur?

1 TENERI ſub mortali Iudices ad concedendum tempus neceſſarium, ut morte afficiendi ſe præparent ad Euchariſtiam ſuſcipiendam, illamque ſuſcipiant communis ferè eſt omnium Doctorũ ſenſus, docentque Navarrus, Maiolus, Angelus, Silveſter, Armilla, Robertus Gaguinus, Simãcas, Spenceus, Molanus, Antonius Gomez, & Paludanus, quos ſequitur, & citat Enriquez *l.* 8. *cap.* 5. *num.* 4. *lit. Z.* & idem docent Suarius *q.* 69. *ſect.* 3. Petrus Navarra *l.* 2. *de Reſtit. cap.* 3. *num.* 225. Toletus *l.* 2. *ſum. cap.* 28. Fagundez *in* 5. *præt. Decal. cap.* 16. *num.* 2. Turrecremata *cap. de his* 26. *q.* 6. Rodriguez *cap.* 68. *num.* 1. Reginaldus *l.* 29. *num.* 70. Chamerota *de Euchar. cap.* 10. *dub.* 1. Bonacina *d.* 4. *q.* 2. *p.* 1. *num.* 5. & plures alij. Præcipi ſanè hoc videmus in Motu Pij V. edito anno 1569. ut teſtatur Enriquez *ſup.* & in pragmatica Philipi II. Matriti eodem anno 27. menſis Martij, quę vagatur extra librum novæ Rẽcopilationis.

2 Nihilominus quidam olim excuſabant Iudices à peccato mortali propter conſuetudinem, quamvis eam damnarent: Ita Sotus, Victoria, Ledeſma, Covarrubias, & alij apud Enriquez. Sed conſuetudinem in cõtrarium vim non habere probat Navarra *l.* 2. *de reſt. cap.* 3. *num.* 227. cum ſit contra ius canonicum, immo & divinum, & idem tenet Antonius Gomez *to.* 3. *var. cap.* 14. *de de lict. num.* 6. afferens, ita communiter tenere omnes Doctores *in cap.* 2. *de furtis*; & addũt Bonacina, Paludanus, & Fagũdez apud Leãdrum à Sacram *to.* 2. *tra.* 7. *d.* 2. *q.* 12. Iudicem teneri Reo concedere tempus ſumendę Euchariſtiæ, etiam ſi timeatur fore, ut conceſſo debito tẽpore ad illam ſumendam Reus eripiatur ab eius manibus. At Petrus Navarra *in cap.* 3. *num.* 225. & 226. *lib.* 2. *de Reſtit.* Silveſter *ver. Iudex* 1. *q.* 11. *dict.* 6. Reginaldus *num.* 710. Leander, & apud ipſum Navarrus, & Sotus ſolũm de confeſſione hoc docent, quibus aſſentior.

3 Hoc poſito Iudicem teneri ad differendum in ſequẽtem diem ſupplicium in noſtro caſu probatur 1. ex l. 9. Regni Caſtellæ *lib.* 1. *tit.* 2. *novæ recop.* Sic, *Por quanto N. S. P. Pio V. en conformidad de lo que por los ſacros Canones eſta eſtatuido, por un propio Motù a proveido, que alos condenados á muerte, en quien ſe a de hazer execucion de Iuſticia, no ſe les deniegue, antes ſe les de, el Sanctiſſimo Sacramento del altar, mandamos que a todas las perſonas, que fuerẽ çondenadas à muerte, y ſe hubiere de executar la iuſticia, pidiendoſe de ſu parte, y pareciendolç a ſu Confeſſor, que ſe le puede, y deve dar, ſe les de un dia antes, que en el tal condenado ſe aya de executar la ſentencia*: ergo etiam ſi malitioſè differat Reus communionem, ali⁹ dies ei erit concedendus; præſertim ſi vera eſt ſentẽtia aliquorum, quos ſupra citavimus, qui aſſẽrunt pridie ante mortem Reis eſſe miniſtrandam Euchariſtiam; & hanc eis eſſe negandam à Iudice, ſi ipſo ſupplicij die expectierint, etiam ſi antea non acceperint. Sic aſſerũt Corſet⁹ *Sing.* 68. Zerola 2. *p. prax, ver. Damnatus* Vega *cap.* 61. *caſu* 21. Iulius Clar⁹, & alij apud Dianam 3. *p. tract.* 6. *reſ.* 59. Et Gaguinus refert, negatam fuiſſe Euchariſtiam anno 1475. regnante Ludovico X. Comeſtabili Frãciæ Ludovico Levemburgo, illam vehemẽter petenti ipſo ſupplicij die, cum ante ſuſcipere non valuiſſet: quia eo die notificata fuit ei mortis ſententia.

4 Probatur 2. ex reverentia, quæ tanto Sacramento debetur: irreverentię enim *ſpecies eſt*, ut loquitur Navarrus *ſup. ducere ad mortem eum, qui credi poteſt habere reverendiſſimam Chriſti humanitatem, eius divinitati unitam, quæ omnium vita eſt, intra ſe latentem, contra Gloſ. c. tribus gradibus de conſec. d.* 2. Conſonat Gomez Arias *in l.* 2. *Tauri num.* 72. *Valde*, inquit, *honeſtum eſt, vt illa die, qua commnicavit, Reus ultimo ſupplicio non afficiatur in tantũ, quod Hoſtienſis in ſumma de imm. Eccl. § an quantum, dicit, quod accipiens corpus Chriſti pro ea die erit immunis a pœna mortis.* Ratione huius irreverentiæ in Gallia, & in Hiſpania olim negabatur Euchariſtia ipſo ſupplicij die, immo; nec pridie dabatur, ex vano timore, ne quis

Reus

Reus de ignominioſa ſententia monitus, mortem impia ſui occiſione præveniret. Sic teſtatur Enriquez *ſup.* Ne igitur hæc irreverentia committatur concedendus eſt dies dictus huic Reo.

5 Adhuc dicendũ eſt, non teneri Iudicẽ, ad differendum in ſequẽtem diem ſupplicium; etiam ſi nullum in dilatione hac periculum appareat, poſſeque in eodem die, quo pletendus eſt, capitaliter damnatus Eucharistiam accipere. Probatur 1. pars, quía ex nulla lege ad hãc dilationem obligatur. Patet, quia non *ex cap. Quæſitum. cauſ.* 13. *q.* 2. ſolúm enim ibi communionem Reo huic dãdam ſic ſtatuitur: *Si omnibus de peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus, & digne pœnitentibus communio in fine ſecundum Canonicum iuſtũ danda eſt: Cur non eis, qui pro peccatis ſuis pœnam extremam perſolunt?* Nec ex lege novę Recopilationis citata; nam ibi dicitur, quod hæc Reorum cautela non permittatur; ita: *Y por que no ſe tome eſto por medio para dilatar la execucion de la juſticia, diciendo los Condenados, o ſus Confeſſores, que no eſtàn bien prevenidos para ello; mandamos a las Iuſticias, eſten advertidos, que por ſemejantes cautelas no ſe difiera la execucion:* ergo iure ipſo approbante, non eſt concedendus dies dilatorius Reo, ipſum malitioſè petenti.

6 Secunda pars probatur ex eadem lege, *quæ*, ut inquit Ioannes Sanchez *ſelect. diſ.* 40. *num.* 4. *intervallum unius diei expoſcit inter Euchariſtię ſuſceptionem, & ſuſcipientis mortem, non ut omnino neceſſarium id temporis ſpatium interventurum iudicet: ſed ut convenientius facultatem ſemper Iudicibus relinquens, ſi cauſa adſit, Eucharistiam damnato adminiſtrare permittat, etiã non expectato tempore illius diei, utiſi forte nolluiſſet Reus die mortem præcedente ſuſcipere Euchariſtiam, & vellet iam ipſo die mortis, manifeſtum eſt legem illam nequaquam prohibere in tali eventu Euchariſtiam damnato miniſtrari.*

7 Confirmatur hoc ex lege 7. *lib.* 8. *recop. tit.* 13. ſtatuente tempus communionis Reis qui ſagittis cõficiendi ſunt, ubi dicitur: *Pro curando los dichos Alcaldes, como el tal mal hechor reciba los ſacramentos, que pudiere recebir como Catolico Chriſtiano.* Quod ſi lex 9. relata obligaret Iudicem, ut prędictum temporis intervallum, ut neceſſarium concederet, quod Sanchez nõn admittit, ſatis obligationi huic ſatisfecit: ſi non per ipſum, ſed per Reum ſtetit, quominus non interveniret hoc ſpatium, & iure ſuo privari voluit, Eucharistiam antecedenti die accipere nollẽs; & idem eſt tenendum etiam ſi hac die, data opera, id non feciſſet, ſed advertenter aliquid comediſſet, vel bibiſſet, & ideo communicare nõn potuiſſet. Tunc ergo lege ulla non vetante poſſet, ut legi ſatisfaceret Iudex permittere, ut ipſo die ſupplicij Euchariſtiam Reus acciperet; nec irreverentia eſſet timenda, ſi ſufficiens ſpatium ad conſumptionem ſpecierũ inter ſupplicium, & communionem intercederet.

8 Vnde probatur hęc pars 2. & ſimul obiectioni reſpondetur. Non enim indecens eſt communicare eo ipſo diè, quo quis in periculo mortis exiſtit, ſive ratione morbi, ſive ultimi ſupplicij, ut docent Navarrus, Maiolus, Sa, & Sanctius apud Leandrum *ſup. q.* 13. ac Villalobos, Zambranus, Enriquez, Suarez, Layman, Sylvius, Reginaldus, Coninch apud Dianam 3. *p. tr.* 6. *reſol.* 5. ſi præfatum ſpatium intermitteretur. Et hoc prę cipuè locum tenet; cum Princeps eo die vult omnino Reum ſuſpendi, ut notant aliqui ex relatis, cum Petro de Cenedo *in qq. can. q.* 3. *num.* 4.

9 Et licèt indecens eſſet, ut hic capite plectetur, adhuc Sacramẽti ſpeciebus nondũ conſumptis; attamen hæ duarum horarum [non quatuor, ut voluit Voctorelus *not. ad Tolet. l.* 2. *cap.* 28.] ſpatio intermiſſo ſufficienter conſumerentur, immo brevius ſufficeret, præſertim ſi exigua ei particula pręberetur, ut præberi conſulit Palacios *in* 4. *d.* 9. ut ſic longé faciliùs conſumptio fiat. Præterea Sa *verb. Euch. num.* 2. & Sayrus *clau. l.* 6. *cap.* 12. *num.* 9. docent, poſſe infirmo morienti miniſtrari ante unam horam mortis Eucharistiam: ergo à fortiori licebit miniſtrari ſano, ſupplicio afficiendo, in quo, cum calor nativus morbo non ſit debilitatus, velociùs ſpecies abſumet. Et id de damnatis ad patibulum exprimunt Fagundez *præc.* 3. *l.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. & Sayrus *l.* 6. *cap.* 12, *num.* 9. Ioan. Sanctius *ſup.* Sà. *V. Euch. num.* 2. Leander *q.* 14. Sotus *in* 4. *d.* 12. *q.* 1. *art.* 12. additque hic, quod nihil irreverentiæ eſſet, ſi illico poſt ſuſceptam Euchariſtiam ad mortẽm raperetur Reus: ergo poſt unam horam mĩnus timenda fòret irreverentia.

10 Confirmatur, quia ſi ſtatim, ac quis reciperet Euchariſtiam, certò ſciretur ex ſententia Medici, vel divina revelatione eum moriturum, ei danda foret, niſi periculum irreuerentiæ ex alio capite timeretur, ut cõſtat *ex cap. Ijs, qui q.* 6. ibi: *Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phrenęſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & recipiat pœnitentiam, & ſi continuo creditur moriturus reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia.* Nota id *continuò*; & crede nullam huic ſacramento

mento ex hac ſuſceptione irreverentiam irrogari, cum Chriſtus illud inſtituerit ad noſtram utilitatem, & cum debita diſpoſitione tunc ſuſcipi poſſit.

11 Vnde etiam ſi illico poſt Euchariſtiæ ſuſceptionem Reus eſſet tradendus carnifici, ut eum per vias publicas ad patibulum duceret, immo, ut ſtatim laqueo ſuſpenderet, aut capite plecteret, non dubitarem Euchariſtiam ei miniſtrandã, ſi differri nolet Iudex ſupplicium; Sacramenti enim huius neceſſitas, & utilitas efficiunt, ne in hoc irreverentia ulla verenda ſit. Quod enim ſpecies illius in corpore vivo, vel mortuo abſumantur, non eſt inconveniens, & tũc minima poterit particula Reo dari, ut citiꝰ conſumatur. At magis indecens videtur, quod in Energumenis, ſeu in corporibus â Dæmone poſſeſſis abſumantur, & tamen his cõceditur Euchariſtia etiam extra mortis articulum, ſi abſit irreverentię periculũ, ut probat Ioannes Sanchez *d.16.an.5.*

SINGVLARE XIV.

V. Reo ad mortem damnato omnibus diebus à ſententiæ denuntiatione uſque ad illius executionem labentibus expediat, vel liceat Euchariſtiam miniſtrari: ſive ſit ieiunus, ſive non?

1 NON ſolum licere, ſed etiam magnopere expedire, ut huic damnato omnibus diebus à notificatione ſententiæ labẽtibus etiam ſi ad viginti accederent, adminiſtraretur Euchariſtia, dummodò ieiunus eſſet, nemo ambiget: cum eò magis tunc egeat mirificis huius Sacramẽti fructibus & ſupernaturali gratia, quam alij moribundi, quò vitijs priꝰ irretitus; enormioribuſque peccatis inquinatus hactenus fuit; ac mortẽm terribiliorem ſubiturus eſt; eamque non ſenſuum, aut mentis alienus, ſed omnino compos proximè futuram expectat: *Et qui vulnus habet*, ut inquit Ambroſius *l.5. de ſac. cap.4. medicinam requirit, vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus: medicina eſt cæleſte, & venerabile Sacramentum.*

2 At cum proximior morti, ipſomet ſupplicij die invenitur Reus, in hoc non denegãdam eſſe Euch. exiſtimo; quantũvis conſuetudo reclamet. Nec obſtat lex proximo Singulari relata, hæc enim ſolũ diſponit quod ſatis eſt, ut præcepto præciſe ſatisfiat: nec maiori utilitati conſulere vetat, & eadem eſt vis communis conſuetudinis, quemadmodum, & ſimilium: ſic enim infirmis domi ęgrotantibus per duos etiam menſes rariſſimè, aut numquam Euchariſtiam Parochi deferũt, donec eam pro viatico ad præcepti impletionem adminiſtrant; hoc tamen non tollit conſultius eſſe ſæpiſsime ęgrum communicari. Placet hac in re verba Ioannis Sanchez *ſelect.d.40.num.4.* referre. *Et hercle.*, inquit, *quamvis pridie ad mortem eſſet ſumpta Euchariſtia a damnato: ſi tamen devotionis cauſa ipſo die mortis vellet iterum communicare, minus pium eſſet communionem impedire, immo pij iudices ad ſuſcipiendam hortari deberent, ut puniendi tolerabilius mortem patiantur, & Dæmonis tentationes illa hora maximè turbãtes facilius ſuperent.* Audiatur etiam Maiolus *de irreg.l.3.cap.34.num.15. Ego*, inquit, *nonnullis locis, quibus pro Epiſcopis magiſtratum geſſi, validiore auctoritate, qua potui induxi, ut damnatis ad mortem ea ipſa die communio concederetur.* Sic ille, & ita Romę obſervari teſtantur Sanctius Corſetus *Sing.68.* & Antonius *de iusr. non ſcrip.l.5.cap.210.num.7.*

3 Difficultas verò eſt, an his damnatis non ieiunis poſsit his omnibus diebus, vel ſaltim tribus, qui frequentiùs Hiſpali intercẽdunt à ſententiæ denũtiatione ad illius executionem, concedi Euchariſtia. Affirmativę parti favere videntur Doctores aſſerentes, poſſe hanc infirmis non ieiunis in mortis periculo conſtitutis quotidie miniſtrari ex iuxta cauſa, ut ſi *quis aſſuefactus ſit frequenter cõmunicare, vel ſacrificare.* Sic Laymã *l.5.tr.4. cap.5.num.40.* & Gaſpar Hurtado *de Euch. d.9.dif.16.fin.* citans Armillam, & Conciliũ Conſtantienſe; *Quod*, inquit, *videtur indicare, toties poſſe ab infirmis non ieiunis ſumi Euchariſtiam quoties à ſanis ieiunis.* Negativę parti favẽt Nugnus, Villalobos, Suarez, Enriquez, Fagundez, & Andreas Caſtaldus apud Dianam *p.2.tr.14.reſol.77.* aſſerentes interc. de re debere inter unam, & alteram communionem ab infirmo non ieiuno faciendã octo, vel decem dies: ſeptem ait Sylvius *3. p.q.8. ar.9.* ſex ſufficere ex Tabiena, Zambrano, Poſſevino, & Filiucio docent Diana *ſup.* & Bonacina *infr.n.23.* Ludovicus de S. Iuan *to.1.q.7.ar.10.diff.4.* ait, tertio quòquè die ab ipſo Euchariſtiam miniſtrari ſuis ægrotis, idque placuiſse Academiæ Cõplutenſi, ac poſtea Patri Vazquez.

4 Dicendũ eſt nullo modo licere his damnatis non ieiunis ſacram Euchariſtiam ſumere ullo die ex ijs, quibꝰ iã morti addicti ſunt (ſive pauci, ſive multi intercedãt) excepto poſtremo, in quo ſunt plectendi, de quo

Sing. ſequenti) niſi ex infirmitate, alia ve cauſa ieiuni ſumere nequeant. Probatur hoc communi Doctorum ſenſu, ut teſtatur Hurtado *ſup.* & latè docet Suarius *tom. 3. in 3.p.q.8.ſect.5.* qui aſſerunt, Euchariſtiam tãquam viaticum ſumi poſſe a non ieiuno, quando ſine graui detrimento, aut periculo nequit tempus expectare, ut ieiun⁹ eam ſumat. Sic in Conſtãtienſi Cõcilio *ſeſſ.13. Sacrorum canonum auctoritas, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit, & ſeruat, non poſſe recipi à non ieiunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis à Iure, vel ab Eccleſia conceſſo, vel admiſſo.* Reus autẽ hic poteſt ſine gravi, immo ſine ullo detrimento ieiunus viaticum accipere; ergo lethaliter peccabit, ſi nõ ieiunus accipiat; ſicut etiam lethaliter peccaret, qui eam illi ita adminiſtraret, ut notat Zambranus *cap.3.de Euch.dub.3.num.1.*

4 Si verò aliqua ex cauſa damnati ad mortem non poſſent communicare ieiuni: v.g. quia diebus poſt ſententiam notificatam deliquia patiuntur, ni ſummo mane cibum ſumant, nec commodè ad tũ ante cibi ſumptionem Euchariſtia deferri vàleret; pridie, vel ipſo ſupplicij die poſſet Reus tũc non ieiunus communicare; quia infirmus eſt in mortis periculo conſtitutus, & tunc caſus eſt, & infirmitatis, & neceſſitatis aſſignatus à Concilio Conſtantienſi. Et animadvertẽdum eſt, quod licèt poſſit hic Reus una vel altera hora poſt mediam noctem ieiunus accipere hoc Sacramentum, & ampliùs expectare propter deliquia, aut vehementes capitis vertigines non poſſit, nõ eſt propterea neceſſarium ea intempeſtiva hora illud recipere, quia nec eſt in uſu, nec decet reverentiã tanti Sacramenti, nec ſine difficultate id fieri poteſt. Ita de infirmorum Viatico Zambran. *ſup.n3.* & Suarez *q.8.d.68.ſect.5.* idemq; dicendũm addit de viatico morte violenta deficientis. Vnde poſſe ad mortẽ damnatos non ieiunos communicare, cum ieiuni non poſſunt, docent Lugo *de Euch. d.15.ſect.4.num.2.* Fagundez *præc. 3.l.3.cap.5. num.21.* Præpoſitus *in.3.p. q.8. ar.8.dub.2.nu.42.* Granadus *de Euch. contr.6.tr. 10. diſp.8. num.9.* Tannerus *to.4.d.5.q 8.dub.4. num.84.* Hurtado *de Euch, diſp.9.dif.16.* Leander *to.2. tr.7.d.11* citans Ægidium, Laymanum, Silvium, & Reginaldum: rectèque addit ex Lugo, nullo modo teneri Iudicem ad differendam mortem delinquentis, etiam ſi commodè poſſit, ut ieiunus communicet.

5 Maior difficultas eſt; an ſi morti damnatus pridie ante ſupplicium ex devotione; non pro viatico Euchariſtiam ſumpſit: nã hoc reſervavit ad ipſum ſupplicij diem, vellit communicare in ipſo, ac cibum iam vel ex oblivione, aut inadvertentia, vel ex aliquali corporis infirmitate ſumpſit, utrũ poſſit tunc non ieiunus communicare? Reſpondeo, poſſe; quia tunc certè eſt in mortis periculo, immo & in articulo iuxta Rodríguez *q.62.tom.1. art,7* præſertim cum ille iam cibum ſumpſerit, & differendum non ſit ſupplicium, ac proinde non valet ieiunus communicare. Huic ſententiæ maximè favent Navarrus *l.5.tit.de pœnit.conſil.40,* Suarez *ſup.* Layman *l.6,tra.4.cap.6.num.20.* Reginaldus *to.2.l.29.cap.6.* Coninch *q.80.ar.8. num.50.* Zambranus *ſup. num.3.* Enriquez *l. 8.cap.50.num.1.* Bonacina *de Euchar.d.4.p.2. num.22.* Bartholomæus ab Angelo *dial.4.§. 3.* Villalob. *to.1.tr.7.diff.39.tit.11.* Sylvius *in 3.p.q.80.art.8.* & alij docentes, ſanum damnatum morte, ſi Iudex nolit expectare, poſſe, immo debere Euchariſtiam non ieiunũ accipere eodem ſupplicij die, ſi ieiunus nõ poſſit. Et ita feciſſe cum quodam Reo plectendo Guerrerum Archiepiſcopum Granatenſem teſtantur Zambranus, & Enri-
6 quez *ſup.* Ac ita ego aliquando feci.

Sic etiam poſſe Reum hunc communicare ſine ullo privilegio tempore interdicti vel ceſſationis docent Calderinus *de interdicto §.viſo.* Sylveſter *interdict.5.q.7.diſt.4.* Covarruvias *cap.Alma mater l.2.§.3.* Zambranus *ſup.* & alij. Et addendũ eſt, quod, etiam tempore hoc interdicti, vel ceſſationis poteſt Sacerdos celebrare ad hunc communicandum, ſi aliter communio dari non va-
7 leat.

Præterea adderem: quod ſi non ieiunus propter aliquã cauſam accepit pro viatico die ante mortem Euchariſtiam; & in ipſo ſupplicij die non ſolùm ex neceſſitate, ſed etiam ex ignorantia, vel inadvertẽtia cibũ ſumpſit, ſi vellet iterũ Euchariſtiam ſuſcipere poſt cibi ſumptionem, poſſet: immo etiam forſan poſſet, ſi advertens ſumpſiſſet ſed poſtea pœnitens facti vellet communicare; quia utitur Iure ſuo, & adhuc eſt in mortis periculo. & incapax recipiẽdi Euch. non ieiunus. Hęc ſententia uidetur eſſe, quã Doctores *n.1.* aſſerunt, dicentes, duobus, aut tribus diebus, immo, & pluribus ſequentibus, ſi adhuc perſeverat mortis periculum poſſe infirmum non ieiunum communicare. Quę ſententia magis urget in hoc Reo, quẽ certò ſcitur alio die amplius non communicaturum. Sed adde cum Coninch, & Bonacina *ſupra*, eum, qui advertit, ſe eo die plectendum capite, teneri ieiunare, do-

donec ſumpſerit Euchariſtiam, modò ieiunare poſsit abſque notabili incommodo, ſi cut etiam ægrotus, ſi commodè poteſt, tenetur accedere ieiunus ad Euchariſtiam ſumendam.

9 Opponis: Ratio, ob quam cõceditur periculosè laboranti Euchariſtia non ieiuno, eſt propter ad impletionem divini præcepti communicandi in articulo mortis, quod ieiunus implere commodè non valet, & cum divinum ſit, debet Eccleſiaſtico de non percipienda Euchariſtia, niſi â Ieiuno, præferri: ſed damnatus in relatis eventibus iam præceptum adimplevit; ſiquidem pridie communicavit; ergo non valet hic Reus non ieiunus ipſo ſupplicij die Euchariſtiã recipere. Maior patet. Minor probatur, quia ut docent Caietanus *verb. communio.* Armilla *ibi. num.* 4. Sa *Euchariſtia num.* 1. qui in Paſchate communicavit, ſi in articulo mortis non communicet ex negligentia quadam ſine contemptu, non peccat mortaliter: ergo à fortiori, ſi pridie ante mortem communicavit, nequibit ipſo die communicare non ieiunus.

10 Verbis Suarij *ſup. ſect.* 5. §. 2. placet reſpondere: qui *Nec ſola*, inquit, *obligatio divini præcepti eſt in cauſa, ut Eccleſia in eo articulo non obliget ad ieiunium, ſed etiam ipſa neceſſitas, quæ in illo tempore, & periculo maxima eſt: non eſt enim veriſimile Eccleſiam voluiſſe hominem maximè indigentem in hoc articulo tanti ſacramenti privare illius ope, & ſubſidio: præſertim cum non ſit in eius poteſtate morali ieiunus accedere, & alioquin poſſent eo tempore multa occurrere, quæ neceſsitatem augerent, ut v. g. tentationes, peccatorum pericula: ad quæ vincenda, & ſuperanda maximè indiget homo auxilio, & ſolatio huius Sacramenti.* Hæc ille. Quę ſi in moribundis naturali morbo locum habent potiùs habebunt in morte violenta afficiendis, qui multò magis indigent hoc ſubſidio, & conſolatione.

11 Ad minoris probationem fateor, hunc Reum non teneri ad ſecundam communionem in his eventibus: ſed nihilominus poſſe licitè eam non ieiunum facere iuxta doctrinam traditam num. 2. & 3. Cui conſonãt Layman *ſup. num.* 4. Homobonus *de bon. conſul. vol.* 2. *p.* 5. *reſp.* 47. & Zambranus *cap.* 3. *de Euchar. dub.* 1. *num.* 6. citans Sotum, Paludanum, & Toletum, & alios. Sententia Caietani, Armillæ, & Sa omnino reicienda eſt, ut reijcitur à Laymano *ſup.* Fagundez *præc.* 3. *l.* 1. *cap.* 3. *num.* 3. Sylvio *in* 3. *p. q.* 80. *ar.* 11. & Zãbrano *cap.* 3. *dub.* 1. ac univerſalis Eccleſię conſuetudine damnatur.

SINGVLARE XV.

An dentur aliqui caſus, in quibus Iudices non teneantur Reis ad mortem damnatis tempus cõcedere, ut Sacram Euchariſtiã ante ſupplicium percipiant?

SIt primus caſus, cum Reus ob aliquam ęgritudinem Euchariſtiam gluttire non valet, aut cum eſt periculum eam ejicendi ob tuſim, aut vomitum, aut cum datur alia irreverentiæ cauſa, quæ ſi in infirmo moribundo Euchariſtię receptionem iuxta Doctores impediret, etiam in Reo ad mortem damnato: eadem enim eſt in utroque ratio, à Sacramenti perceptione in mortis articulo excuſans. Poſſet verò ſi vellet Iudex, ne ſine communione moreretur Reus uno, vel altero die expectare, ſi credit Reum impedimento illo, tuſis v. g. aut vomitus liberandum, ut communicet; non verò tenetur, cauſa enim a perceptione Euchariſtiæ Reum excuſans, Iudicem excuſat. 1

Secundus caſus ſit, cum tempus conceſſit Iudex opportunum, vel conſuetum, ad communicandum, & noluit Reus in illo, data opera, communicarè: nõ enim tenetur Iudex ſuppliciũ differre, ut cõmunicet; cum iure iſto voluerit ſe Reus privare, & inde daretur alijs occaſio procraſtinandi cõmunionem, & mortem intra tẽpus prę fixum, ac etiã ſi poſſent, ſupplicium: ſicque publica poteſtas eluderetur, & alia ſequerẽtur incommoda. Iudex quoque iam muneri ſuo ſatisfecit concedens tempus conſuetum: immo & ſi intra hoc non ex malitia, ſed ex oblivione, aut ignorantia Reus cõmunicaret, non teneretur, ut arbitror, amplius expectare; cum non obligetur ad credendum hoc inadvertenter factum; aliter alij omnes ad hanc inadvertentiam confugientes, ſupplicia differrent. 2

Secus eſt ſentiendum de ijs, qui confiteri noluiſſent, ut ſtatui tr. 3. Sing. 27. ob maiorẽ confeſſionis, quám Euchariſtię neceſſitatẽ ad ſalutem; ac ad Pœnitentiam, & communionem ſimul; non verò ad hanc ſeorſim, dare debere longius tempus Iudicem in his eventibus docent Bonacina *d.* 4. *p.* 1. *num.* 6. & Reginaldus *lib.* 29. *num.* 71. hicque Petrum Navarram *li. de reſtit. cap.* 3. *num.* 227. pro ſe afferunt; cuius hæc ſunt verba: *Si nullum ſcandalum in dilatione iuſtitiæ, nec* 3

damnum timeretur, etiam ſi Iudex tempus ſufficiens confeſſionis concedat, ut ſi eſſet integer dies á ſententia promulgata: & tamen ille nollet eo tempore confiteri: dicere quis poſſet, quod Iudex illum inconfeſſum licitè ſuſpendere, vel alio mortis genere afficere poſſet: quia ex quo tempus ſufficiens dedit, ſibi non imputatur, ſed Reo. Tamẽ ego putarẽ, quod ſi ſecluſo ſcandalo & ereptionis periculo, eſſet aliqua ſpes, quod poſt duos, aut tres dies pœniteret, teneretur Iudex, etiam ſi ex malitia peccaret, iuſtiam ad id tempus differre; lege enim charitatis tenetur ruinæ animæ proximi ſuccurrere, præcipuè irreparabili, & ſpirituálem eleemoſynam graviter indigẽti conferre, cum ſpes ſalutis ſit, & aliunde nõ urgeat occidendi neceſſitas. Addit Sylveſter. *Iudex 1.q. 11. dic. 6. Confeſſionem Reo tunc non negandã, niſi crederetur non ex devotione petere, ſed ſpe ereptionis, quia ſub patibulo petijt, qui non petivit in carcere.* At ſi nollet confiteri, non tenetur Iudex liberare eum, etiam ſi certò ſciret in peccato mortali moriturum, ut cum Soto docet Navarra *num.* 224. Et hic eſt tertiꝰ caſus, in quo Iudex poteſt denegare tũc tempus falſò petitum ad Euchariſtiam ſumendam.

4 Quartus caſus eſt, ſi ex eo, quod Iudex cõceſſiſſet tempus conſuetum ad communionem, prudenter timeretur Reum eripiendum, vel aliud notabile damnum ſibi, aut alijs, vel etiam Reipublicæ futurum: tunc enim non tenetur concedere Iudex dilationem ad communicandum. Sic Navarra *ſup. n.* 228. Sit caſus; cum inſignis Pyrata, fur, vel homicida, aut alius quilibet mortis Reꝰ in itinere capitur: ſi Iudex timet, eum, ſi ad populũ deferat, vel ab alijs ſocijs eripiendũ, vel in populo ſeditionẽ eius acceſſu cõmovendam, vel ab aliquibus impediendũ ſupplicium; tunc Iudex poſſet morti abſq; Euchariſtiæ perceptione Reum plectere, vel ſuſpendere.

5 Neque enim hic illam percipere, nec Iudex eam procurare ſub his circunſtãtijs tenentur: cum Iure naturali, & divino hæc gravia incommoda evitare debeat Iudex: & tunc Euchariſtię ſuſceptio in voto ſufficiet, ut cùm hac occidatur Reus; cum impoſſibilis ſit moraliter ſine graui incommodo realis ſuſceptio: ſed hoc faciat, non negata confeſſione, quam etiam in hoc caſu concedendam à Iudice exiſtimo: ſi adſit copia Sacerdotis, aut hic, ſine dictis incommodis afferri poteſt, ut ſalutem conſequi tutiùs poſſit Reus. Videatur Tract. 3. Sing. 27.

6 Quintum caſum aſſignat Enriquez *l.* 8. *cap.* 5. *num.* 5. dicens, *Dandam Reo communionẽ, niſi facinus ingens urgeat, ut ſine dilatione facinoroſum debeat ſuſpendere.* Sic Hiſpali çontigiſſe vidi: ad Tribunal enim Regij Senatus, cum quidam de homicidio accuſatus adſtaret, ut ſuæ cauſæ relationem audiret, ita ex ea, ira accenſus fuit, ut cutellum, quem abſcõſum ferebat, eximeret, & relationem faciẽti vulnus infligeret, ſtatimque Regios ipſos Iudices, pro Tribunali ſedentes petijt, ut eos vulneraret, immo & occideret; quod eveniſſet, niſi compedibus impeditus fuiſſet Tribunalis gradus aſcendere: atque tũc in illorum primo compræhenſus, pedibus, manibuſque ligatus, ac ſtatim, confeſſione præmiſſa, ad patibulum ductus eſt: quò eũ commitatus ſum, cum fortuitò ad carceris ianuam tunc acceſiſſem: cum ex ea ad patibulum Reus eggrediebatur. Et ſi tunc ego aliter faciendum exiſtimaverim; conſultiꝰ enim fuiſſet flagellis ſeveriſſimis eum tũc pro delicto in Tribunali commiſſo cedere, & immediatè poſt ſupplicium hoc, pro homicidio, quod patrarat, & iam probatum erat, in carceris ſacellũ inducere; triumq; dierum conſuetum tempus ei concedere, ut ſacramentum Euchariſtiæ reciperet, ac ſedula, & lenta præparatione ad mortis ſupplicium diſponeretur.

7 Confirmatur huius 5. caſus ſententia ex Concilio Eliberitano ſtatuente, ut teſtãtur Reginaldus *l.* 29. *num.* 7. Suarius *d.* 69. *ſect.* 3. Bonacina *d.* 4. *p.* 1. *num.* 6. & alij poſſe aliquẽ peccatorem privari in articulo mortis Euchariſtia ad aliorum exemplum, & correctionem. Sed exiſtimo, nullo modo Reum, quicumque ille ſit, & quamtumvis facinoroſus, & ſcandaloſus extiterit, dum verè pœnituerit, ſi Euchariſtiam petierit, defraudari ea licitè poſſe; niſi fortè timeantur incõmoda num. 4. relata. Sic praxis docet, & ſic ratio perſuadet, cum ad hanc percipiendã ex Iure divino teneatur unuſquiſque, & aliunde per confeſſionem, pœnitentięque ſigna benè diſpoſitus, illa non ſit privandus; præſertim cum huius Sacramenti avxilijs, ac robore ad mortem ſubeũdum, qui moriturus eſt maximè indigeat. Ita Suarius; Reginaldus, & Bonacina, ac apud ipſum, Angles, Grafis, & Chamerota. Quod deteſtabilius facinus, eo, quod cõmiſſum eſt ab illo, qui in hæreſim eſt relapſus? & tñ his relapſis ad mortem damnatis, ſi poſt relapſum reconcilientur, iubetur á Fidei Quæſitoribꝰ communio miniſtrari in articulo mortis, ut referũt Simancas *de cath. inſt., cap.* 56. *num.* 16. Alexander 4. *in cap. ſuper ea. de hæret. in.* 6. Paludanus *d.* 9. *q* 4. *conc.* 9. Sylueſter, & Enriquez *ſup.* ac apud hunc Petrus Raven. & S. Antoninus. Concilium verò Elibertinum *cap.* 1. *can.* 32. ſolùm ait; *Non eſſe Presbyterorũ,*

aut

aut Diaconorum communionem, talibus, ideſt, ijs, qui gravi lapſu in ruinam mortis inciderint, præſtare, niſi iuſſerit Epiſcopus: ubi non abſolutè negat, ſed cum Epiſcopi facultate concedit, quam modó non eſſe petendam, conſuetudo, legum interpers, ſatis oſtendit.

SINGVLARE VLTIMVM.

Cum quis ad patibulum duceretur, Sacerdos ad eum acceſſit afferēs in pectore abſconſam ſacram Euchariſtiam, parva pixide incluſam, & illam manifeſtavit, ac Reus amplexatus eſt Sacerdotē oſtendentem; dubitatum fuit, an ille à ſupplicio liberandus ſit, Eccleſiæq; tradendus?

1 CASVS HIC facto ipſo contigit; in cuius ſolutionem ſuppono, ut omnino certum, & ab omnibus receptum, eum, qui ad Sacerdotem publicè deferentem ſacroſanctam Euchariſtiam confugit, perinde immunitate gaudere, ac ſi ad Eccleſiam confugeret, in eaque exiſteret. Hoc tuentur Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Dominus Antonius, Archidiaconus, Ioannes de Vueſchis, Guilielmus de Monte, Oldradus, Angelus, Albertus, Immola, Iaſon, Corſet, Antonius Gomez, Covarruvias, Clarus, & Plaza, quos citat, & ſequitur noſter Petrus de Gambacurta *l.4. de imm. c.6, n.4.* communemque vocat hanc ſententiam Navarrus *c.4. n.* 18. & magis communem eſſe refert Farinacius *1.p. crim. q.* 28. *n.* 11. Et ita ſi præfatus caſus in publica portatione Euchariſtiæ contigiſſet, non eſt dubium, quod Reus ille liberari debuiſſet à Iudicibus.

In præſenti ergo difficultate vídetur prę
2 dictum Reum nec gaudere Eccleſiæ immunitate, nec à ſupplicio liberandum. 1. Quia Doctores ſolúm loquuntur de confugientibus ad Sacerdotem publicè Euchariſtiam adſportantem, hic autem Sacerdos occultè adſportat. 2. Quia expeditiſſima via apperiretur Sacerdotibus, ut facillimo negotio liberarent à morte, quem maluiſſent: ſiquidē exiguam Hoſtiam conſecratam ab ipſis eo die, quo executioni mandandum eſt ſuppliciū, poſſent ita occultè cuſtodire & cum ea ad Reum accedere ſub prætextu eum exhortandi, vel alio quæſito colore; 3. Quia ſe ditioſis hominibus, ac alijs criminum perpetratoribus ingens occaſio daretur ad plura, & graviſſima crimina perpetranda; cùm mortis ſupplicium non timerent: ſiquidem abeo etiam cum illis deſperatæ iam omnino ſunt vita, & libertas, nullo negotio evadere poſſent, ſi amicū Sacerdotem, vel Diaconum haberent, qui ipſorum gratia hoc exequeretur, & ſaltim non deeſſet, qui pecuniæ præmio ſtimulatus id faceret; ergo non eſt dicendum quod in noſtro caſu immunes evadant: cum tot incommoda ſequātur. 4. Quia ipſos Reos non liberat à morte Euchariſtia intra proprium pectus recepta; ergo nec liberabit ſibi oſtenſa, & tradita, cum hac diſſimulatione.

Adhuc dicendum exiſtimo, non minus
3 immunitate gaudere, liberarique deberi à Iudicibus Reum amplexantem Sacerdotē, qui occultè, ut diximus, Euchariſtiam portaret, quàm qui ad eū, qui publicè deferret, confugeret. Ratio eſt. 1. quia publicitas illa, ut ita dicam, & ſolemnitas, qua portatur Euchariſtia, non eſt cauſa, ob quam Rei gaudeant immunitate, ſed ipſum venerabile Sacramentum, quod eandem dignitatem maieſtatem, venerationemque habet, ſive publicè, ſive occultè deferatur.

Ratio 2. Quia potiſſima cauſa, ob quam
4 Rei Eccleſię gaudent immunitate eſt, quia in illis Eúchariſtia conſecratur, & populo diſpenſatur, vel ſaltim à Sacerdotib⁹, qui eam conficiunt, ſumitur; quia in eis aſſervatur, ut & à populis adórari, & infirmis miniſtrari poſſit. Atqui ad inſtar huius eſt protectio Sacerdotis deferentis Euchariſtiam, quam Sacerdotes conſecrant, ſumunt, & diſpenſant, omneſque adorant, & ſub illa invenitur Reus: ergo ob eius reverentiam debet Reus gaudere immunitate, longè meliùs, quā ſi ſub Regis umbram confugiſſet. Quod ſi Eccleſię, ſeu templa ea veneratione, aut immunitate præcipuè ſunt digna propter Euchariſtiæ exiſtentiam, cur Sacerdos in præſenti propter eandem ſibi proximiús aſſiſtentē nō dignior erit, ut hac immunitate gaudere debeat Reus in caſu noſtro ſub illius protectione conſtitutus, & à fortiori ipſamet Euchariſtia ibi exiſtens?

Confirmatur 1. ex ſententia Bartoli, Go
5 mez Arię, Placæ, & aliorum, quos affert Iulius Clarus *l.5. pract. crim. q.98. num.5.* aſſerentes, quod ſi Condemnatus dum ad ſupplicium ducitur, obvium habet Cardinalem, & hic pileum ſuum, ſive galerum purpureum in capite ipſius Condemnati poni faciat, liberabitur Reus. Et ita obſervari teſtātur Paulus de Caſtro, & alij, quos refert Tiraquellus *de panit. cauſa* 55. Idem Paris de Puteo, & Dueñas apud Clarum *ſup.* Qui addit; *Ego nunquam vidi hoc in practica contigiſſe; ſi tamen caſus contingeret, eſſem in ſententia, ut poſſet*

ſet pœna mortis mitigari. Reus ad triremes tranſmitti, & hoc in reverentiam ampliſſimi ordinis Cardinalium, qui æquiparantur Regibus.

6 Sed hoc privilegio frui Cardinales, aſſerunt Baldus, Anaſtaſius Germonius, Albanus, & alij apud Dianam *to. 5. tr. 2. reſol. 29.* Et Cardinalis Ximenius Archiepiſcopus Toletanus hoc modo quemdam liberaſſe perhibetur, qui ad ultimum ſupplicium vehebatur. Sic Gomez *de eius reb. l. 3.* Item cũ Hugo Sãctiſſimus Epiſcopus fuiſſet obviã magnæ Miniſtrorum, & Satellitum turbæ, qui Reum quendam ad extremum ſupplicium deducebant, iuſſit illis, ut ſolverent, ac liberum abire permitterent, illique libe rum omnino abire paſſi ſunt, præmiſſis tamen proteſtationibus ad declinandam Regis iram. Ita refert Maphęus *in eius vita*: ergo hoc privilegium non eſt unquam ne gandum Euchariſtiæ.

7 Confirmatur 2. eventu quodam ſingula ri; Cum enim in caſtris miles quidam ſcel' morte dignũ perpetraſſet, confugit ad Eccleſiam, ſeu altare portatile pro Miſsa cele branda in caſtro poſitũ. Militũ Generalis Gubernator, volens eum ab iſta Eccleſia, ſeu altari extrahere, ut debitum mortis ſupplicium inferret; territus eſt excommu cationis pœna, lata â quodam viro docto, So cietatis noſtræ, Epiſcopi vices in exercitu, quoad ſpiritualia, gerenti: ſi Reũ ab Eccle ſia, ſeu altari illo extraheret: at Generalis dux ne in excommunicationẽ incideret, & mortis pœna Reũ plectere poſſet, caſtra in alium locum diverti iuſſit, ut divulſo altari, Reum caperet, ac puniret. Sed Socie tatis Ieſu doctiſſimus vir Ducis General is animũ penetrans, tradidit Reo Arã, ut quæ eſt Eccleſię præcipuum inſigne, & immunitatis, qua Eccleſia gaudet, ratio præcipua; admonens, ne eam à ſe removeri permitteret, donec in alio loco altare poneretur. Sic factum eſt: & Dux Generalis non eſt auſus capere Reũ, utpote Eccleſiæ immuni tatẽ gaudẽtem eo quod ſecũ Arã deferret.

8 Hac de re ipſemet ex noſtra Societate, qui hunc novum immunitatis modum invenit, conſuluit doctiſſimum Suarium, qui ei reſpondit, rectè egiſſe, probabileque eſſe valde, Reum illum eò quod Aram ſecum adſportaret, immunitate gaudere, & puniri non poſſe; ergo à fortiori deberet gaudere ſi confugeret ad Sacerdotem Euchariſtiã portantem; immo & ad ipſammet Eucha riſtiam, cum hæc, & ille in quantum ipſã portans, ſuperioris dignitatis ſint in ordine etiam ad immunitatem, quàm Cardinalis, Epiſcopus, & Ara. Denique ſi cum damna ti ad ultimum ſupplicium vehebantur, libe randi erant ex Romanorum legibus Virgi nem Veſtalem obviam habentes: quis hoc privilegium Sacerdoti Euchariſtiam quo modocumque portanti, negabit?

9 Ad primam ex rationibus oppoſitis reſ pondeo: Doctores ſolùm loqui de Sacerdo te publicè ſemper, & nõ occultè Euchariſ tiã portante: nã de frequenter; non de rarò cõtingentibus loqui debebant: ſed cũ om nes rationes ab ipſis aſsignatæ, ob quas Reus tunc immunitate potitur, æquè militent in occulta Euchariſtiæ portatione; nõ eſt cur in illa idem non ſit dicendum. Ad 2. dico. Non ita expeditam dari occaſionẽ Sacerdotibus ad liberandos prædicto modo Reòs: cum præter grauiſſima peccata, quæ committunt in cuſtodienda, & afferenda ſic Hoſtia conſecrata, maximo ſupplicio à Iudice Eccleſiaſtico in fligendo, ſe exponent. Ad 3. Nec ſeditioſis hominibus anſa datur ad faciliùs flagitia perpetranda; cum rarò hæc liberatio contingere poſſit, & Iudices Sæculares, ſi eam timẽt, cavere facillimé valeant, vel prohibendo ne ad Reum, dum ad ſupplicium ducitur, præter comitantem, alius accedat Sacerdos, de quo id timeri queat, vel in carcere mortis ſupplicium inferendo, ut ob ſimiles timores aliquando ego vidi Hiſpali fieri.

01 Ad 4. reſpondeo cum Gambacurta *ſup. num. 7.* Euchariſtiam eſſe ſuſcipienti medicinam ordinariam animæ, non verò corpo ri, ut à corporis pœnis liberet: aliter omnes è carceribus liberari poſſent, cũ in ipſis poſ ſint Euchariſtiã ſuſcipere, & ſuſcipiãt: immo, & ficte ob hanc cauſam ſuſciperent; & ita hoc neque conſuetudo unquam recepit, neque Doctorum quiſpiam dixit. Deniq; contra noſtram ſententiam obijci poteſt in illius caſu Iudices non teneri credere il lam Hoſtiam eſſe conſecratam: Reſponde tur, nõ ſecus id licere, ac ſi idem iudicium fieret de Hoſtia, quę publicè defertur, & quæ in Miſſa elevatur, conſumitur, & ado ratur. Credendum ergo eſt Sacerdoti atteſtanti cõſecratam Hoſtiã eſſe, quam defert; preſertim ſi probet, quod ſi egeat probatio ne, minus utilis erit hic liberandi modus: ſed in ſuppoſitione probationis efficax.

FINIS TRACTATVS IV.

AD

AD EXTREMAM VNCTIONEM,

QVINTVM ECCLESIÆ SACRAMENTVM,

SINGVLARIVM

TRACTATVS QVINTVS.

SINGVLARE I.

V. OLEI non benedicti additio, ſeu cũ benedicto ad mixtio, quæ in aliquibus Diœceſibus fieri ſolet: materiam præbeat ſufficientem pro Extrema Unctione adminiſtranda?

1 SIC HAEC additio in Synodo Hiſpalenſi *de ſacra Vnctione cap.* 2. facienda decernitur, & in hac Diœceſi obſervatur: *Tẽgan quenta los Curas con renovar el Oleo Cathecumenorum, & infirmorum y el Criſma amenudo, y ſiempre en menor cantidad de la que tiene, echando menos azeite, que ay oleo.* Eadẽ verba habentur, in Synodo Granatenſi ſub D.P. Guerrero anno 1572. Conſonant Petrus de Ledeſma *cap.* 2. *dif.* 3. Angelus, Roſella, & alij, quos refert, & ſequitur Antonius Marſilius *l.* 3. *de aqua benedicta* Fuſcus *de viſit. l.* 1. *num.* 10. Sylveſter *verb. aqua benedicta q.* 3. ubi ait; *In minori quantitate miſcendũ.* Enriquez *l.* 3. *cap.* 8. *num.* 2. *dum oleo*, inquit, *benedicto ſit additio, debet paulatim miſceri in minori quantitate*. Ita de aqua benedicta ſenſiſſe D. Thomam, Tabienam, Sylveſtrem, Angelum, Roſellam, & Panormitanum notat Enriquez *lit. L.* Idem docuit Ioannes de la Cruz *ſum. dub.* 2. *de Ext. unct. num.* 1.

2 Fundamentum horum Doctorum eſt; quia ideo minor quantitas olei non benedicti addita maiori quantitati olei à principio confecrati, efficitur benedicta, quia additur maiori parti olei benedicti, & dignitrahit ad ſe minus dignum, ſed etiam in ſequentibus vicibus quantitates minores, ſucceſſivè adduntur maiori quantitati olei benedicti: ergo omnes manent benedictæ: licèt omnes ſimul efficiant maiorem quantitatem, quam fuit illa, quæ à principio fuit benedicta ab Epiſcopo.

3 Hinc fit, quod ſi in principio benedicta fuit quantitas olei v. g. unius arrobæ, ut ita loquar, poſtea paulatim, & per diverſas vices addi poſſit quantitas octo arrobarum, quę cõmuniter neceſſariæ ſunt huic Hiſpalẽſi Diœceſi, in qua de hoc ſacro oleo innumeras in Eccleſias, & monaſteria oleum diſtribuitur, quia tum in hac, tum in alijs Diœceſibus vicinis, ſede vacãte, ad hãc Metropolitanam ſẽdem conveniunt, ut ex illa Oleum adſportent.

4 Sed hanc ſententiam in praxi tenendã non exiſtimo, & probabilius, verius, & tutius, iudico, quod ad hoc ut oleum maneat benedictum, requiritur, ut quantitas in principio benedicta, ſit maior tota non benedicta ſuperaddenda, vel ſuperaddita, ſive ſimul, ſucceſſivè, ſive varijs vicib⁹ fiat totius additio. Sic expreſſè docet Zambranus, *c.* 5. *de extr. unct. dub.* 5. *num.* 5. citans Armillam, & ſuplementum *verb. aqua benedicta.* Hanc etiam tenere videntur Poſſevinus *de Paroc. cap.* 9. *num.* 2. Bonacina *diſp.* 7. *de extr. unct. p.* 2. *num.* 8. Granadus *d.* 2. *num.* 3. & alij docentes, Oleum non conſecratum, quod additur, futurum minoris quantitatis conſecrato. Conſonant Zanardus *tom.* 1. *cap.* 8. *num.* 2. Ludovicus de S. Iuan *art.* 2. *dif.* 6. *fol.* 229. Leander à Sacram. *tom.* 1. *tr.* 4. *q.* 9. & alij, contra Naldum *V. Extr. unc. num.* 4. & Hinojoſam *direct. fol.* 49.

5 Igitur his Doctoribus annuens ſentio, quantitatem minorem addendã, commenſurandam ſemper eſſe cum Oleo à principio benedicto, v.g. Oleo unius libræ benedicto nõ poteſt fieri additio Olei nõ benedicti niſi in quãtitate minori libra; duodecim ſcilicet, aut quatuordecim unctiarum, ubi libra ſexdecim cõſtat non verò ſeptẽdecim, immo nec ſexdecim unciarũ, libra unã conſtituentiũ. Hanc tandem ſententiã doctiſſimi viri ex noſtra Societate, & inter eos Didacus Ruiz de montoya, Ferdinandus de Mendoza, & Matheus Rodericus Hiſpali conſulti approbaverunt.

Sa-

6 Satis manifestè meo iudicio hoc statuit Paulus V. in Rituali ubi *de Extr. unct.* sic ait; *Sacrum oleum infirmorum singulis annis feria V. in cœna Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto renouandum est. Id tamen, si fortè intra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico Oleo non benedicto in minori quantitate, quæ sufficiens esset pro totius anni de cursu, super fuso, reparari potest.* Vbi notandum 1. præcipi, quod oleū consecrādum initio sit in omni ea quātitate, quæ sufficiens esset pro totius anni decursu. 2. Non permitti huic ex non consecrato addi, nisi in casu, quo consecratum non reperiatur, & tunc in minori quātitate. Sic Posselvinus, Bonacina, & Granado *sup.*

7 Confirmatur ex *cap. Quod in dubijs. de consec.* § 1. ubi dicitur, quod *tabula* (ideſt altare) *debet denuo consecrari quando fuerit mota, vel enormiter læsa.* Quia scilicet cum ratione talis læsionis non maneat eadem, non censetur manere benedicta: cum idētitas subiecti sit ratio retinendi benedictionem: sed Oleum á principio benedictum ab Episcopo ita enormiter læditur per tot mutationes, ut maior pars illius non remaneat, immo vix minima supersit: ergo post illas nulla remanet benedictio in partibus superaditis.

8 Probatur rationè, quia subiectum huius benedictionis est illudmet Oleum, quod á principio fuit ab Episcopo benedictum; ergo necessum est, ut benedictio conservetur quod maneat idēmet: quia benedictio nō potest esse sine subiecto, nec ad aliud absoluté diversum transire; sed quando Olei quantitas etiam in diversis vicibus addita pervenit ad tantam ex additis factā, ut sit maior illa, cui facta est additio, & iuitio fuit consecrata; iā non manet absolute idē individuum physicum Olei, & à principio consecratum; cum vix maneat aliqua pars exigua illius, ob quam dumtaxat dicipossit non simpliciter, sed secundū quid idem: ergo in eo nō potest manere benedictio, quæ conservari non valet nisi servata identitate subiecti physici.

9 Confirmatur 1. Quia si Oleo consecrato addatur simul, seu una vice maior pars nō consecrati; nullum manet consecratū; quia non manet idem individuum physicum, sed idem est cum diversis vicibus additur maior pars non benedicti; ergo nec benedictio manet. Cōfirmatur 2. nam ideo quādo minima pars Olei non benedicti miscetur maiori Olei benedicti, totum manet benedictum: quia in commixtionibus maior quantitas debet in se minorem convertere, vel saltim ad sui identitatem trahere, & ei communicare suas qualitates: sed hoc fieri non potest cum pars addita est notabiliter maior: ergo nec hęc poterit participare benedictionem illius. Quod verò maior pars Olei non benedicti addatur unica vel pluribus vicibus benedicto, non tollit, quod sit maior pars.

10 Sed respondebis 1. Quod licét non maneat idem subiectum in ratione individui physici, manet idem in ratione individui moralis, & benedicti, quia totum illud, cui qualibet vice fit additio, semper est benedictum, & in maiori quantitate, quam quod additur. Sed contra, quia non potest manere idem in ratione benedicti, nisi maneat idem in entitate physica; cum hæc sit ratio retinendi benedictionē, & si identitas hęc amittatur in individuo, illud ita notabiliter mutatum est, ut secundum maiorem sui partem sit diversum, & consequenter nec moraliter idem. Respondebis 2. Ex intentione Ecclesiæ hanc benedictionem extendi ad quodcumque Oleū successivè miscendum in minoribus quantitatibus. Sed contra, quia hæc benedictio non est ex sola institutione Ecclesiæ, sed ex Iure divino ex institutione Christi, qui commisit Ecclesiæ, ut hanc benedictionem adhiberet ad constituendam materiam essentialem Extremæ Vnctionis; at semel posita benedictione non est in potestate Ecclesię illam extendere, nec mutare: sicut nec potest reliquas materias, & formas sacramentorum mutare.

11 Ex dictis satisfit obiectionibus, negando fieri additionem minoris partis Olei non consecrati, maiori consecrato; cum ex non consecrato, quod in diuersis vicibus additur simul sumpta, coalescit maior quātitas, quā quæ ab initio cōsecrata est; & si ita non moderetur, ex exiguo vase Olei, vel aquæ, benedictæ innumeræ amphoræ benedici possent: & necessum non erit ita frequenter aquam benedicere.

12 Illud autem axioma: *Dignius trahit ad se minus dignum, ex l. quę religiosis, ff. de rei vendic.* intelligitur in commixtionibus corporeis, quando est simul maius in quantitate; quia hæc benedictio non communicatur per solum contactum: sed per hoc, quod id quod admiscetur sit tam paruū, ut nō tollat idētitatem individui, cui additur, sed idem reputetur cum illo, & cum illud retineat benedictionem, consequenter illam communicat illi parti, quę facit unum individuum cum illo. Alioqui si per Oleum contactū

com

communicaretur pars olei benedicti in fuſſa in ingens dolium Olei non benedicti: & minima pars aquæ benedictæ iniecta in mare, redderet totum illud benedictum.

SINGVLARE II.

V. Sub gravi culpa teneantur loco rum Ordinarij materiam certam providere Extremæ Vnctioni: Olei quantitatem ita ad integrũ annum ſufficientem cõſecrantes, vel conſecrari facientes, ut nullã vel exiguam addi Olei non benedicti ſit opus, vel exigua additio ſufficiat?

1 COnſecrationem, ſeu benedictionẽ Olei, quod eſt materia Extremæ Vnctionis, neceſſariam eſſe non ſolũm neceſſitate præcepti, ſed etiam Sacramenti communis eſt Theologorum ſenſus cum S. Thoma 3.*p.q.* 72. *ar.* 3. ex Concilijs Florentino *inſtr. Arm.* Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 1. Vvormacenſi *ca.* 72. & Aquiſgranenſi *ti.* 2. *cap.* 8. Hinc Paulus Griſaldus *verb. Extr. Vnc. num.* 7. ait: oppoſitum eſſe erroneum. Verum adhuc Caietanus *d.* 3. *q.* 5. dubitavit, & negavit Victoria *n.* 217. cuius ſententia meritò expũcta eſt à S. Inquiſitionis Tribunali in indice anni 1640.

2 Hoc poſito affirmativè reſpondedũ in hoc dubio omnino exiſtimo, & probo ex cõmuni Doctorum ſententia aſſerentium, Sacramentorũ Miniſtrum ſub gravi culpa teneri ad applicandã, ſi poteſt, materiã, & formã certam, omiſſa dubia, vel probabili. Sic docent Vazquez 1.2. *d.* 63. *c.* 3 *n.* 10. Sanchez *l.* 1. *ſum. c.* 9. Salas *q.* 21. *tr.* 8. Suarius *to.* 3. *in* 3. *p. d.* 6. *ſect.* 2. Granado *tr.* 2. *de bap. d.* 1. *n.* 6. & Sayrus *c.* 6. *n.* 6. addens in hoc omnes convenire; ergo cũ Prælati ſit miniſtrare materiam ſacrę Vnctionis, hoc eſt Olei benedicere; tenebitur in ea quantitate bene dicere, in qua ſit materia certa: conſecrando Oleum ſufficiens ad integrum anni decurſum in ea quantitate, in qua neceſſe nõ ſit maiorem quantitatem addere de nõ benedicto, ſi enim infunditur maior quantitas nõ benedicti minori benedicti, relinquitur materia dubia, ſeu ſub opinione probabili, ut iam probavimus.

3 Igitur cum Prælatus, velut, Parochus univerſalis ſuę Diœceſis, & alij ſingularium Parochiarum Parochi teneantur ad Sacramenta adminiſtranda ex pacto inito cum Fidelibus, a quibus ob hanc adminiſtrationẽ accipiunt decimas, primitias, ac alia Eccleſiaſtica ſtipendia; nõ ex charitate tantũ, ſed ex iuſtitia etiã tenentur ad vera, & indubitata ſacramenta, ſi poſſunt adminiſtrare, quod enim ex officio debetur ex iuſtitia debitũ eſt. Nec dubia adminiſtratione ſuæ ſati-facient obligationi.

4 Sed dices, hãc obligationem intelligi de Sacramentis neceſsarijs ad ſalutem, nõ verõ de Extrema Vnctione, quæ nõ eſt obligatoria, nec neceſſaria, atq; ita in huius adminiſtratione non tenebuntur Prælati, & Parochi applicare materiã omnino indubitatam. Sed contra; quia licet Extrema Vnctio nõ ſit obligatoria ex parte recipientiũ: non enim graviter peccant illam ommittentes ſi non adſit contemptus, ut eſt communis Theologorum; at Miniſtri v.g. Parochi grauiter tenentur illam miniſtrare, quãdo à Fidelibus petitur, ut docent Coninch *diſp.* 16. *dub.* 10. *n.* 31. Bonacina *p.* 5. *n.* 12. Navarus *c.* 25. *n.* 131. Filiucius *c.* 5. *n.* 97. Suarez *d.* 44. *ſec.* 2. *n.* 1. Layman *tr.* 8. *c.* 7. *n.* 3. Chapeaville *c.* 5. *q.* 1. Poſſevinus *c.* 9. *n.* 9. Barboſa de Paroc. *c.* 22. *n.* 10. & alij cõmuniter; ac Prælati ſub gravi culpa debent Miniſtros, & materiam certã ad illius adminiſtrationem providere; cum his, & illis ex officio incumbat ſaluti animarũ conſulere, & oves proprias Sacramentorũ uſu paſcere: propterea enim accipiunt ſupradicta ſtipendia. Sic in Confirmationis materia docet Suarius *ſup.*

5 Nec obſtat 1. quod cõfeſſarius poſſit abſolvere pęnitentẽ cum atritione cognita: cum nõ ſit niſi ſub opinione, quod tũc conferat Sacramẽtum ſuũ effectum: nam atritio tũc ſe tenet ex parte pænitentis, & ipſe poteſt, ſi vult, ſe privare fructu Sacramenti: at Miniſter non poteſt illum privare, quando ex parte ſua poteſt adhibere omnia requiſita. Nec obſtat 2. Quod Cõfeſſarius alijs in caſi b°liçitè utatur opinione probabili circa materiã, iuriſdictionẽ, vel alia neceſſaria ad valoré ſacramẽti; quia vel tũc non poteſt maior certitudo haberi, quo caſu licet uti probabili opinione, vel tũc Eccleſia ſupplet iuriſdictionem, ut optimé Thomas Sanchez *l.* 3, *de matr. d.* 22. *nu.* 27. *&* 65. Nec obſtat 3. Quod in Pontificali Romano in conſecratione Olei dicatur, quod Subdiaconus deferat ampullã Olei conſecrati: hoc enim non tollit quod plures amphoræ ſimul cum ampulla deferantur, & conſecrentur; licèt in harum omnium conſecratione non fiant omnes ceremoniæ, quæ in ampulla: ſed ſolum neceſſariæ ad conſecrationis valorem; ſicut cum plures formæ in pixide conſecrãtur, non fiunt omnes ceremonię, quæ circa

Hoſtiam à Sacerdote in ſacrificio conſecrandam, & conſumendam.

6 Efficatiùs hoc probatur: quia tunc Parochi, & Prælati priuant ægrotum omnib⁹ fructibus huius ſacramenti, & forſan ſalute etiam corporali, quæ conferri non poteſt niſi materia ſit certa: & quidē inhumanū eſt periculo forſan illum ſuæ damnationis exponere: quia ſi Sacramentum eſt nullum defectu materię non poteſt conferre gratiam ſactificantem ęgroto, nec hic iuſtificari ex vi illius, qui ſi gratiæ non eſt reſtitut⁹ recipiendo alia ſacramenta, iuſtificaretur in Extrema unctione, & de atrito fieret contritus iuxta DD. ac ſalutem conſequeretur æternam, quam alioquim amitteret, & damnaretur.

7 Hæc, & omnia, & quæ Singulari antecedenti ſtabilita ſunt, intelliguntur etiam de Chriſmate, & Oleo, quod eſt materia Sacramenti Confirmationis, propter eaſdem rationes; ſicque ſufficiens ad integrum annum conſecrari debet, ut materia certa adhibeatur, & ne tot pueri, & adulti periculo exponantur non conſequendi gratiam huius ſacramēti, caręātque auxilijs ei annexis ad fidem roborandam, tentationeſque adverſus illam inſurgentes, vincendas. Vtinā hæc apud ſe conſiderent Prælati, & exequā tur: ſicut exequi ſub gravi culpa teneri docuerunt plures viri docti ex noſtra Societate P. Didacus Ruiz de Montoia, P. Iacobus Granado, P. Petrus de Aviles, digniſſimus nunc Moderator huius Beticæ Provinciæ, P. Ferdinandus de Mēdoza, P. Mathęus Rodericus, P. Ioannes Mendez P. Chriſtophorus Ruiz, & alij a me Hiſpali conſulti.

SINGVLARE III.

Quibus Sæcularibus licité Regulares valeant Extremæ unctionis Sacramentum adminiſtrare? Vbi de adminiſtratione Viatici.

SVppono 1. Regularē Vnctionē adminiſtrantem ex Iure divino Sacerdotem futurum fore, ut cōſtat ex Iacobo *epiſt. cap.* 5. Florentino *decr. Eug.* & Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. Cabilonenſi *cap.* 48. & alijs Cōcilijs: docentque Theologi *in* 4. *diſt.* 23. & ex illis plures notant ex fide hoc tenendum. Vnde graviter decepti fuerunt Petrus Creſpetius *ſumma cath. fid. verb. unct. extr. lit. E.* & Vuvaldenſis *p.* 2. *de ſacr, c.* 163. aſſerentes, poſſe laicum in neceſſitate Extremam unctionem miniſtrare: cum nec hoc valide poſſe Diacōnum, etiam ex commiſſione Pontificis, doceant Theologi cum S. Thoma 3. *p. q.* 13. *ar.* 2.

2 Suppono 2. Quod ſi quilibet Regularis, vel ſæcularis Sacerdos ſine expreſſa, vel tacita licentia Parochi Extremam unctionē adminiſtret, peccabit mortaliter: cum alienam ſibi uſurpet iuriſdictionem. Ita communiter DD. videndi apud Bonacinam *p.* 4. *num.* 5. & Leandrum à Sacr. *tra.* 4. *d.* 4. *q.* 2. Nec audiendus Vazquez *de Euch. d.* 219. *cap.* 5. aſſerens, hoc licere ex Cruciata, quod optimè impugnat Lugo *de Euchar. d.* 18. *ſec.* 2. *num.* 43.

3 Suppono 3. Quod Regularis, qui ſine licentia, vel privilegio Sæcularibus Extremā unctionem [idem de Viatico] miniſtrat, incidit in excōmunicationem latam in Clementina 1. *de priu leg.* ſic. *Religioſi qui Clericis aut laicis Sacramentum Vnctionis Extremæ, vel Euchariſtiæ miniſtrare, matrimonia vè ſolemnizare, non habita ſuper his Parochialis Preſbyteri licentia ſpeciali, præſumpſerint, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, per Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſolvendi.* Ita communiter DD. animadvertentes in hanc ex communicationem non incidere Sæculares invito Parocho adminiſtrantes Vnctionēm: ut nō ita rectè ſub ea comprehendi excogitarunt Vivaldus *de unct. num.* 18, Rodriguez *q.* 79, *to.* 3. & Miranda *to.* 1. *q.* 49. *ar.* 1.

4 His poſitis ſit 1. concluſio: Poſſunt Regulares adminiſtrare Sacram unctionem omnibus Sæcularibus pro quibus adeſt licētia non ſolùm expreſſa, ſed etiam tacita ratihabitio Parochi, aut Epiſcopi, aut ſummi Pontificis, ut quando infirm⁹ eſt in mortis articulo, & Parochus aut non poteſt, aut nō vult eam adminiſtrare; cum non ſit credibile Eccleſiam velle tunc infirmum privari tanto Sacramento, quo poteſt ex atrito fieri contritus, ac conſequenter ſalvari. Eſt communis Doctorum: innumeros videbis apud Nugnum *q.* 31. *ar.* 3. Bartholom. ab Angelis *dial.* 3. §. 149. Bonacinam *punc.* 4. *num.* 6. & Leandrum *q.* 3. & 4.

5 Hoc intelligendum eſt: etiam ſi adſit alij⁹ Sacerdos Sęcularis, qui unctionem velit adminiſtrare; dum non ſit Parochus illius Parochiæ, in qua infirmus habitat, etiam ſi ſit alterius; cum hic, neque Sacerdos alius Sęcularis maiorem tunc iuriſdictionem habeat, quā Regularis: & omnes nullam aliā præter conceſſam a præſumpta, aut interpretativa Parochi, Epiſcopi, aut Pontificis voluntate: & cum evidenter non conſtet ab his potius eligendum ſæcvlarem Sacerdotem: quàm Regularem, utrique ius æqua

le

le eſt;immo maius eſt Regulari ex privilegio *Sing.ſeq.num.6.*afferendo. Si uerò conſtaret ex certis ſignis,aut conſuetudine, Parochum alterius parochiæ, vel Sæcularem Sacerdotẽ aſſignandum eſſe â proprio Parocho, & non Regularem; tunc ego hunc ab hac adminiſtratione abſtinere conſulerem.

7 At veró etiã invito Parocho, ſi ipſe,vel alius Sacerdos nolit Vnctionẽ miniſtrare, pôteſt Regularis præſtare,ut docent Suarº Filiuciº, Torreblãca, Granado,& alij apud Leandrũ *q.*4.& tenetur miniſtrare,ſi ægrotus aliud ſacramentũ ſuſcipere non valeat, ut notãt Ioannes de la Cruz *dub.*2.3.*cõcl.*& Leãder *ſup.* Nec obſtat quod non ſit Sacramentũ ad ſalutem neceſſarium:cũ poſſit,ut diximus, aliquando eſſe omnino neceſſariũ, & ſemper ſit utiliſſimum. Vnde non rectè S. Antoninus,Silueſter,Cardinalis,Navarrus,& Victoria apud Vivaldũ *n.*19. ob hanc rationem, Religioſis hanc adminiſtrationẽ abſente Parocho non licere,& excõmunicari,ſi eam exequantur,docuerunt.

8 Secunda cõcluſio;Poſſunt Regulares Extremã unctionem,nec nõ Viaticum miniſtrare omnibus Cõverſis, Oblatis, Donatis, Novitijs, & Seruitoribus, aut pauperibus in hoſpitalibus ſuis degẽtibus.Sic docẽt Mirãda *ſup.*Portel *dub.Reg.ver.famuli,et familiares n.*1.Barb. *de Paro. c.*22.*n.*4. Hyeronimº Rodriguez *reſ.*64.*n.*1.Villalobos *diff.*6. *de unc. n.*3.& conſtat hoc expreſſẽ ex bullis Alexãdri IV,Gregorij XI.& aliorũ Pontificũ indultis, quæ videri poſſunt apud Emmanuelem *t.*2.*qq.reg.q.*77.*ar.*1.Mirandã *n.*1.*q.*49. *ar.*1.& in cõpendio Mendicãtium *verb.communio,& Familiaris.*

9 Item Eugeniº IV.conceſſit fratribus Minoribus Obſervantibus Provinciarũ Regni Caſtellæ,ut Prælati, & Cõfeſſores ab eis deputati, *poſſint omnes,& ſingulos Fratres profeſſos, Cõverſos, Novitios necnõ Donatos ſeu Oblatos,præſentes, & futuros,& quoſcumq; pro tempore Familiares, ſervitores,officiales,& continuè,cõmenſales domorũ, conventuum,ſeu Eremitoriorum ab omnibus peccatis,etiã Sedi Apoſtolicæ reſervatis,& ab omnibus, & ſingulis huiuſmodi cẽſuris ſupradictis, quas ex ignorãtia, vel in aduertentia incurrerint, abſoluere,eiſque Euchariſtiæ Sacramentũ, & Extremæ Vnctionis,& alia Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, toties quoties neceſſarium fuerit.*Sic refertur *in monum.ordin.*1.*impres.f.*61.*&.*2.*f.*64. *conceſ.*385.& docet Miranda *ſup.ar.*1.advertitq;cum Collectore,hoc extetſum eſſe à Pio II. ad familiam Ciſmontanã,& idem conceſiſſe Monialibus S.Clarę Nicolaũ V.

SINGVLARE IV.

Practicæ adnotationes circa privilegia cõceſſa Regularibus quoad Extremæ Vnctionis, nec non Euchariſtiæ adminiſtrationem.

1 NOTANDVM eſt 1.quod Villalobos *tr.*10.*de Extr.unct.d.*6.*num* 3. animadvertit dum de privilegio immediatè, relato loquens dixit; *Y lo miſmo ſe a de entender aunque el criado ſea caſado, que de noche ſe va a ſu caſa a dormir, que en el convento ſe le pueden adminiſtrar los ſacramentos, y ſi cayeſſe malo darle la Extremauncion, como tiene el Padre Portel ver.ſacram.adminiſtr.num.*9. *compend. D. Hyeron.ver.Euch.*§.2.*&* 6.*por unos privilegios de la Orden de S.Geronimo: Mas ſi cae malo en ſu caſa a le de dar el ſantiſſimo Sacramẽto,y la Vncion el Cura de la Parrochia.*

Notandũ eſt 2. quod animadvertit Emmanuel *tom.*2.*q.*67.*art.*1.docens: quod nomine *famulorum, familiarium, & commenſalium domeſticorum* intelliguntur,qui in expenſis Regularium Commenſales continuè exiſtunt,etiam ſi aliquando pro conventus negotijs gerendis abeſſe contingat.Sic conſtat ex Gloſſa *cap. fin.de verb. ſignif, l.* 6. Immo etiam ſi non alantur conventus expenſis, ſed ſolùm in eo habitent, ſeu cum Familiaribus cohabitent, Familiarium nomine intelliguntur,ut in Gloſa *in* 3.*q.*5.habetur. Et licet ex *cap,Inſinuante, de officio deleg. & c. in litteris,de teſtib.Familiares*, appellantur *Conſanguinei, Colonus, Adſcriptitius, Mercenarius, Filius in poteſtate, Libertus,ſervus,& omnes habitantes in Domo*: at in præſenti non eſt ea latitudine accipiendum,ut coloni,mercenarij, & conſanguinei Regularium, Familiares illorum quoad hoc cognominentur.

Notandum 3.contra Emmanuelem,nõ excludi ab hoc privilegio famulos intervenientes particularibus fatribus,ex eorum etiam libito : ſolùm enim ait in illo comprehẽdi ſervientes toti Cõmunitati, ut Officiales conventuum, vel ſi alicui particulari ex ſtatuto, conſuetudine,aut licentia Prælatorum ſerviãt,ſed immeritò, cum omniũ eadem ſit ratio, omnes enim habitant in conventu,& in illo ſunt cõmenſales. Idem intelligendũ eſt de Servitoribus in prędijs, ſeu grangijs Regularium.

Notandum 4. eſt privilegium,quòd conceſsit anno 1476.Benedictinis de Obſervantia in Hiſpania Nicolaus Francus Apoſtolicæ Sedis Nuntius in Hiſpanijs cum poteſtate Legati à latere, dicens; *Quod ſi qui in-*

fra ſepta monaſteriorum ipſorum infirmati fuerint, Extremam unctionemem dare authoritate Apoſtolica, cuius legationis officio fungimur in hac parte, tenore præſentium, plenariam, & liberam concedimus facultatem: Parochialis Presbiteri, vel alterius cuiuſquam, Epiſcopi, vel Superioris licentia, vel aſſenſu nullatenus requiſitis. Ita habetur in libro privilegiorum huius Religionis, impreſſo Valliſſoliti anno 1595. & refertur â Miranda & Emmanuele *ſup.*

5 In quo indulto notandum eſt 5. conferri Extremam unctionem poſſe à Regularibus. I. Familiaribus Regularium, hoſpitib⁹, iter agentibus, peregrinitatibus, qui infirmati fuerint in eorum monaſterijs II. ijs Architectis, aut cuiuſvis artis, aut officij Officialibus, qui in Monaſterio operam dant, ſive ſint exteri, vel cives illius urbis, domiciliumque in ea habentes, ſi contingat periculoſo, & repentino morbo in conventu corripi: III. ſimiliter ijs, qui Eccleſiæ immunitate gaudentes ibi gravi infirmitate corripiũtur; IV. omnibus tandem laicis, quibus cõtingit intra conventuum ſepta repentino caſu hoc ſacramento indigere: V. etiam ijs, quibus in prædijs, ſeu grãgijs Regularium, hoc evenerit, cum hęc ſint velut quædam conventuum partes, ut bidevimus in Apepẽdice: *ubi de Iub. comm. generalis.* & illa ſub nomine, *Eremitorium*, comprehendi poſſunt. Hæc ex ipſo privilegio ſatis colliguntur, quod, ut recte Emmanuel *t. 2. q. 67. ar. 1.* ait, explicari debet ut aliquid ultra ius cõmune operetur de ijs, qui neq; ſunt famuli, neque familiares; ſi his intra ſepta monaſteriorum infirmari, & curari cõtingat, pro quibus tamen non recurendum eſt ad Parochos, ut eis Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ unctionis poſſint miniſtrare. Idem Hyer. Rodrig. *reſ. 63.*

6 Notandum eſt. 6. non ſolũm ex vrgenti neceſſitate poſſe Regulares laicis in his caſibus Euchariſtiam, & Vnctionem adminiſtrare, nolente Parocho, ſed etiam ex privilegio conceſſo à Sixto IV. in bulla, quæ nũcupatur; *Maremagnum*, edita Romæ anno 1484. ubi: *Concedimus*, inquit *ipſis Fratribus Prædicatorum quibus Rectores præfati ſine rationabili cauſa denegaverint, ſeu malitiosè diſtulerint Euchariſtiæ, & Extremæ unctionis ſacramenta miniſtrare; ſuper quo eorundem Confeſſorum aſſertioni ſtare debent, illa petentibus poſſint impunè exhibere*. Declaravit verò, ſeu reſtrinxit hanc conceſſionem Leo X. in Concilio Laterancnſi; ut conſtat ex eius bulla, quę incipit; *Dum intra mentis*, edita anno 1516. ita; *Euchariſtiæ, & Extremæ unctionis, aliaque Eccleſiaſtica Sacramenta illis, quorũ etiam infirmorũ, ac decedentiũ confeſſiones audierint, dicentibus prius Sacerdotem illa ſibi dare denegaſſe, dare nequeant, niſi denegatio ſine legitima cauſa, vicinorum teſtimonio probata, aut requiſitio coram Notario publico facta diceretur.* Et immediatè addit: *Eorundem verò Fratrum obſequio inſiſtentibus ſacramenta huiuſmodi nullatenus miniſtrare valeant, niſi illorum durante obſequio.* Sed animadverte in hoc caſu nõ eſſe neceſſariũ, ut ipſi Regulares confeſſiones audierint ſæcularium, quibus adminiſtrabunt hæc ſacramenta.

7 Notandum 7. quod omnibus ijs laicis, quibus pro viatico, ſeu in mortis articulo adminiſtrare poſſunt Regulares Euchariſtiam; poſſunt & Extremã unctionem, & è contra: eadẽ enim eſt in utroque Sacramento cauſa, & privilegium, ut ex dictis patet. Notandum 8. quod omnibus his privilegijs circa adminiſtrationem Euchariſtię, vel viatici, & ſacrę Vnctionis fruuntur non ſolùm ij quibus immediatè factę ſunt hæ cõceſſiones, ſed quicunque gaudent privilegio communicationis, ut hìc notat Miranda *ſup.* & conſtat *ex comp. priuil. verb. communicatio.* In noſtra verò Societate ijs tantũ gaudemus, quæ à P. N. Generali ſunt communicata, videliq, poſſunt in noſtro compendio *verb, Extrema unctio: Familiares, & ſacramenta*.

8 Hæc & alia privilegia circa hanc adminiſtrationem nullatenus ſunt revocata in Clementina *de privilegijs num. 2.* ut conſtat ex ipſa ad finem ſic; *Sane Religioſis illis, quibus eſt ab Apoſtolica Sede conceſſum, ut familiarib⁹ ſuis domeſticis, aut pauperibus in hoſpitalibus ſuis degentibus, ſacramenta poſſint Eccleſiaſtica miniſtrare, nullum ex præmiſſis volumus quoad hoc præiudicium generari.* Nec ullum ex his privilegijs revocatũ ſcio per bullas Gregorij XV. & Vrbani VIII. oracula revocantes, cum ex bullis authenticis conſtent.

SINGVLARE V.

An lethalis culpa ſit ſine lumine ad ægros ſacrũ Extremæ unctionis Oleum deferri: & ſine eo, vel veſtibus, & ſolemnitate miniſtrari.



1 Vm lumine, ſuperpelliceo, ſtola, cruce, & Miniſtris deferendum ſtatuit Manuale; cum his miniſtrandũ Rituale Pauli V. & Sinodi Hiſpalẽſis, & Granatenſis decernunt; quippe hoc decet huius Sacramenti reverentiam; ergo nefas erit ſine lumine illud deferre, & miniſtrare.

2 Sed hoc tantùm eſſe culpam venialem do-

docent Posſevinus *de Paroc. num.* 12. Barbo ſa *cap.* 21. *num.* 44. & Leander *ſup. q.* 23. His aſ ſentior: maxime cum videã in Rituali Pau li V. non decerni, ut cum lumine deferatur neque in Sinodis Hiſpalenſi, & Granaten ſi *c. de unct.* ſtatui, cum lumine deferendum hoc ſacrum oleum cum ex Metropolitana aut Cathedrali ciuitate ad alia loca adſporatur. Et cum tunc ſolùm materia remota Sacramenti adſit, & ſi hæc abſque lumine deferatur, ſacramento irrẽ verentia non ſit: ſicut nec aqua benedicta ad baptiſteria, nec chriſma Confirmationis ad locum ubi eſt ad adminiſtranda: nec aliæ aliorum Sacramentorum materiæ cum lumine deferuntur, aut cuſtodiũtur, ita nec in præſenti.

3 Conſuetudo autem, & Synodorum decretum ſub veniali Parochos ligabit, ſi ſine lumine deferant. Et idem dicendum eſt, ſi ne eo adminiſtretur Extrema unctio; ſicut etiam de alijs Sacramentis, ſi adminiſtrarentur ſine lumine, excepta Euchariſtia, & maiorum Ordinũ adminiſtratione. Vnde ſi minores, vel Confirmatio, & matrimonium, ſine lumine adminiſtrentur, non erit lethalis culpa, ſicut nec gravis irreverentia; & pœnitentiæ Sacramentum ſine eo cõficitur ſemper. At cum in cõmunione, & ſacris Ordinibus conferendis neceſſario, vel adſit corpus Chriſti, vel Miſſa celebretur, lethalem culpam committeret ſine lumine conferens hęc ſacramenta; tum propter traditionem, ſeu conſuetudinẽ ab Apoſtolorum tempore dimanantem, tum propter maiorem reverentiam præſentię Chriſti D. debitam.

4 At verò abſque veſtibus, & ſolemnitatib⁹ ab Eccleſia præſcriptis, Extremam unctionem non licere miniſtrari, etiam in neceſſitate ſentit Suarius *d.* 44. *ſect.* 3. *num.* 7. dicens: *Nunquam credo licere ſine ornatu Sacerdotali debito, & uſitato miniſtrari Sacramentum hoc, quia non eſt neceſſitatis, & reverẽtia Sacramẽti præferenda eſt ſemper.* Conſonant Bonacina *d.* 8. *p.* 1. *num.* 6. Barboſa *ſup. num.* 41. Reginaldus *l.* 28. *fine*, & Naldus *extr. unct. num.* 1. Sed cum cauſa, ſeu in neceſſitate id licere ſentio cum Poſſevino *cap.* 5. *q.* 37. *num.* 52. & Leandro *q.* 23. ſtatuiturque in Actis Medio lanenſis Eccleſiæ 4. *pag.* 542. Et licèt non ſit ita neceſſarium hoc ſacramentũ, ut Baptiſmus, tñ cum ſit valde utile, & aliquando neceſſarium, ut de atrito faciat ægrotum contritum, & prœſtari interdum nequeat, ſi ritus obſerventur, ſine illis adminiſtrandum eſt: horum enim obſervationi morientis utilitas eſt præferenda.

SINGVLARE VI.

V. Femina Sacerdoti Extremam unctionem conferenti miniſtrare, ſeu reſpondere valeat?

1 ALIQVANDO continget Sacerdotem ſolùm ad huius ſacramenti adminiſtrationem ſine viro ullo exiſtere: & ægrotus, vel eſt mulier, vel ita ſenſibus deſtitutus, ut reſpondere nequeat. Igitur in hoc caſu minimé decere, nec licere feminam proximè miniſtrare, tergendo ſenſus inũctos, aut reſpondendo Sacerdoti ſacrã Vnctionem conferenti, omnino exiſtimo; cum hoc munus alienũ nimis à femina ſit: iureque, & Eccleſiæ cõſuetudine ab eo illa arceatur: & Clericis, ac ad ſummum laicis viris competat: eo modo, quo ex cap. 1. *de cohabit. Cleric.* docent Theologi cum S. Thoma 3. *p. q.* 83. etiam in caſu neceſſitatis non poſſe feminam in celebratione Miſſæ Miniſtram adhiberi. Sic Suarez, Villalobos, Zanardus, Squillante, Molfeſſius, Homobon⁹, Layman, Ioannes de la Cruz, Pitigianus, & alij apud Dianam *p.* 2. *tr.* 14. *reſ.* 44. & idẽ dicendũ exiſtimo de adminiſtratione Baptiſmi, Cõfirmationis, & â fortiori Ordinis, & Euchariſtiæ.

2 Sed dices: quid igitur tunc facturus eſt Sacerdos? Reſpondeo; ſibi ipſi reſpondere debet: quia ſine Miniſtro poſſe Extremam unctionem miniſtrari, communis eſt Theologorum ſenſus. Ita Bonacina *d.* 8. *p.* 1. *num.* 6. Poſſevinus *cap.* 9. *num.* 11. Sa *verb. extr. unct. num.* 9. Toletus *l.* 7. *cap.* 2. Barboſa *de Paroch. cap.* 21. Layman *tr.* 8. *cap.* 3. *num.* 2. Chapeabille *de ſacr. adminiſ. cap.* 5. *q.* 38. Archangelus *diſt.* 23, *pag.* 283. *col.* 2. Paulus Gryſaldus *de unct. fin.* citans Guillelmum, & Hoſtienſẽ, Vivaldus *num.* 40. *de unct.* Gloſſa *in cap. Quaſi vit, de verb. ſignif.* & ex eodem capite, ſic ita tuit Manuale; *Sacerdos hoc ſacramentum adminiſtraturus* &c. *cum miniſtris, & Presbyteris, ſi adſint, alioqui ſolus, infirmum ungere poteſt.* Et de unctione abſtergenda ſic in Rituali Pauli V. *Miniſter verò, ſi eſt in ſacris, vel ipſemet Sacerdos poſtquamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacei.* Vbi nec laico, nec in minoribus conſtituto hoc permittitur: reſpondere autem licet cuilibet ſæculari viro, ut notant Tabiena, & Vivaldus.

3 Objices: probabile eſt in caſu neceſſitatis abſente viro licere feminæ, reſpondere Miſſam celebranti, ut ſentit Nugnus *in* 3. *p. tom.* 1. *q.* 3. *ar.* 6. *dub.* 1. & Sacerdotem ita celebrantem non peccare lethaliter, ut putat

Syl-

Syluius *ibi art.5.reſponſ.ad* 12.ergo cum nullus excogitari valeat urgentior neceſſitatis caſus, quam is, in quo ſi femina non ſit miniſtra, vel Sacerdos unctionem extremę ęgęnti non miniſtrabit, vel miniſtrabit ſine Miniſtro,in hoc caſu poterit femina miniſtrare. R. data, & non conceſſa Nugnij, & Sylvij opinione: (maximè enim viris doctis diſplicet) adhuc diſcrimen eſt: cum ita ſtrictiùs requiratur miniſter ad Miſſæ celebrationem, ut ſine eo celebrantem mortalis culpę Reum dicant, etiam in die feſto, Fernandez *exam.Theolog.p.* 3.*cap.*5. §. 4.*num.*8.Bonacina *de ſacr. q ult.p.* 9.*num.* 33. Bartolomęus ab Angelo *dial.*5.§.401.Ledeſma,Sotus,Grabiel,Tabiena,Armilla, & alij apud Enriquez *l.*9.*cap.*30.*num.*1.*lit.C.* licét Villalobos, Pitigianus, Squilante, Sylvius apud Dianam *p.*2, *tr.* 14.*reſ.* 44. & Suarius *to.*3.*de Euch.d.*87.*ſect.*2.licere ſentiant,ut diebus feſtivis præcepto ſatisfiat: & à fortiori, ut viaticũ moriẽti adminiſtretur. Nõ verõ ita ſtrictè, ad Vnctionis adminiſtrationẽ, requiritur Miniſter,qui ſerviat: cum in ipſo Manuali ſtatuatur, ut ſi abſit Miniſter, Sacerdos ſolus ungat, & ſibi reſpondeat.

4 Sed ſi inſtes feminam reſpondere Parôcho miniſtranti Matrimonium;ergo & reſpondere poterit miniſtranti Sacram Vnctionem. R. maximam eſſe diſparitatem;cũ huius ſacramenti Miniſter ſint ipſa femina, & vir, & ipſi ut tales formam hanc, vel ſimilem exprimunt, *Accipio te in meam uxorem,& accipio te in meum virum*; Parochus autem, cuius præſentiã exigit Tridentinũ, teſtis ſolũm fide digni locũ tenet;at in Extrema unctione ſolus Sacerdos eſt Miniſter.

5 Nihilominus non peccaturam mortaliter feminam Sacerdoti Sacram Vnctionẽ conferenti reſpondentem, nec Sacerdotẽ id ei conſentientem exiſtimo; non enim ita prohibitũ, & indecens eſt,ut in Miſſæ celebratione,& aliqualis neceſſitas excuſat, immo,& ſine hac non erit mortale.

SINGVLARE VII.

Parochus quidã initio cuiuſcumq; morbi infirmũ ungebat, ut ſe ab hac cura expediret: interrogatũ eſt,an hic valide, & licitè hoc Sacramentum adminiſtraverit?

1 PRIMA concluſio: Si morbus omnino deſperatus ſit, ab initio illius valide,& licite conferri poteſt ſacra Vnctio:licet infirmitas nondum ægrum,& vires eius graviter debilitaverit; nec mors iam inſtet. Sic docent Petrus de Ledeſma 1.6.*num.*3. Enriquez *l.*3.*cap.*1. *num.* 1. Zambranus *cap.*5.*dub.*3.*num.*4. & alij. Vnde conferendam eſſe ſtatim in principio peſtis docent idem,Suarius 3.*p.tom.*4.*diſp.*44.*ſect. ult.* & Barboſa *de Paroc. cap.* 21. & ſtatuitur in Concilio V. Mediolanenſi *p.*2.*de cura.peſtis*; ſicut etiam ſecundum Zambranum,& Barboſam in phthiſi iam confirmata cum probabili dubio,an hodiè,vel cras,vel brevi accidat mors,poteſt miniſtrari, & cum difficilis eſt reſpiratio, & periculum ſuffocationis inſperatæ: quia tunc eadem eſt ratio de principio,ac de medio.

2 Idem exiſtimarem de ſene præ ſenectute deficienti,immo & de eo,cui aliquod vehemens remedium applicãdum eſt,in quo timetur poſſe deficere.v.g. Si alicui reſecãdus ſit pes, vel manus,alia ve corporis pars ob vulneris gangrenam vel venenum ſerpens:in cuius abſciſione de vita periclitatur: vel ſi cui aperiendum eſt magnum ulcus;aut poſtegma;vel ſi mulieri,unũ ex uberibus abſcindendum ſit: vel e ventre fętus, aut infans eſt extrahendus violenter;vel ſi proxima eſt partui, in quo eius mors ob ſpecialem circunſtantiam timetur, uel ex diſpoſitione parientis,vel quia aliâs experta eſt tali tempore periclitari, vel quod eo anno omnes fere in partu moriuntur: quia tunc eſſe mortis periculum docent Sylveſter,Navarrus, & Alcozer apud Zambranũ *prælud* 1.*n*,2.

3 Et idem dicendum eſt cum in aliquo nõ ita graviter ægrotanti aliud ſimile exequẽdum ſit,in cuius executione magnum timetur vitæ diſcrimen, vel quod ex ea infirmitate ita ſenſibus deſtituendus ſit ægrotus,ut debita cum attentione, & devotione non valeat Extremam unctionem poſtea recipere: ſicut etiam in prędictis circunſtantijs adminiſtranda his eſt Euchariſtia,licet ieiuni non ſint. Neque in hoc èſt multum ſcrupulizandum, an certô timeatur mors; ſufficit enim prudens timor, aut probabile dubium;quod ſatis generabunt,& remedij violentia,& experientia,ex qua conſtet,ut in plurimum infirmos infimili executione obijſſe,aut periclitatos valde fuiſſe. Quod etiam,dicendum eſt, ſi frequenter exanimes,aut minimum relinquit violentia.Sic ſæpius in ſimilibus repetit Zambranus.

Secunda concluſio, in alijs morbis, aut eventibus Vnctionem ſacram miniſtrare cuilibet ægrotanti,communi, & ordinario morbo,ita quod morbus nec in ſpecie,nec in individuo infirmum in mortis periculo, vel prudenter exiſtimato conſtituat, lethalis

lis culpa eſt. Sic Suarez *d.42 ſect.2.num 4.* Sotus *in 4. diſt.23.q.2. ar. 2.* Ledeſma, & Coninch *infra.* Miranda *to.1.q 49.ar.2.concl.* & alij, docentes hoc requiri, ut minimum ex neceſſitate præcepti à Concilio Florentino, Eccleſiæ conſuetudine, & ratione, ipſius Sacramenti inſtitutioni conſona: cum enim hoc ſit inſtiturum tanquam extremum remedium hominum infirmorũ, & morientium, quo & in graviſſimo mortis periculo iuventur, & ad gloriæ introitum, quoad fieri poſſit, diſponatur, expoſcit: hominem ita decumbentem, ut ex tali infirmitate mors poſſit moraliter timeri quantum eſt ex natura talis ægritudinis in tali ſubiecto, & circunſtantijs: & cum ſit ordinatum ad corporis ſalutem reſtituendam per ſupernaturalem ipſius virtutem, congruum non eſt, ut in quacũq; levi infirmate, cui per naturalia medicamina facile ſuccurri poteſt, præſtetur. Vnde prædictus Parochus tõties mortale committit, quoties non periculoſè ęgrotantibus ſacram miniſtravit unctionem: niſi ignorantia eum excuſat, ſed nec excuſare potuit, cum eſſet circa rem: quam ratione muneris ſcire tenebatur.

Tertia concluſio: Probabile eſt, validũ 5 eſſe hoc ſacramentum, ſi conferatur infirmo non periculoſè, immo nec graviter ægrotanti. De non periculoſè laborante docet Ægidius *diſp.19. dub.7. num.* 25. de non graviter, ægrotante Pet. de Ledeſma *cap. 6. concl.*3, Armachanus *l.9.de qq. Arm.* Fabrus *in Dion.cap.7.Eccl.Hier.* Archangelus *diſt,*23. *quæſt.*281. & alij, inter quos Suarius *ſup.nu.*3, ait non omnino conſtare ex Iacobo, neque ex Florentino, & Tridentino requiri periculum mortis in ægroto, ut valide ungatur.

Quarta concluſio; illis, qui cum adhuc 6 grauiter, aut periculosè non ęgrotarent, adhibita eſt ſacra Vnctio à prędicto Parocho, danda eſt hęc iterum; etiam ſi in eadem infirmitate perſeverent, cum ad mortis periculum pervenerint. Patet ex doctrina communi Theologorũ aſſerentium, quod quãvis hoc Sacramentum in eadem infirmitate, ſeu in eodem ſtatu infirmitatis, iterari non poſſit, cum ſemel ſuſceptũ, ſit medicina ſufficiens ad conferendũ effectum, quo infirmꝰ indiget, nihilominus, ſi ſtatus eiuſdem infirmitatis mutetur; etiã ſi in eadem perſerveret infirmus; ungi iterum poteſt. Sic S. Thomas, Sylveſter, Tabiena, Armilla, Nugnus, Philiarcus, Reginaldus, Suarez, Enriquez, Coninch, & alij apud Bonacinam *punct. 6.num.*4, Mutatus verò eſt in præſenti ſtatus infirmitatis: nam primò ſuſcepit Vnctionem leviter infirmus; cum non egebat effectu Sacramenti, nempe ſanitatis conferendi ex ſupernaturali virtute, & quam re media naturalia facile pręſtare non valerent: & roboris ad mortis periculum ſubeũdum: iam verò his indiget, cum graviter, & periculoſè infirmatur; ſicque reputandꝰ eſt quaſi illa prima Vnctionis adminiſtratione, ſiue irrita, ſive valida hęc extiterit, ac ſit unctus non eſſet; & ita iterum ungi debet.

SINGVLARE VIII.

V. Peccet mortaliter Parochus, qui data opera nollet Extremam unctionem infirmo adminiſtrare, niſi cũ iam ſenſibus eſt deſtitutus, ipſiuſque omnino deſperata eſt ſalus?

HOc extremum vitæ periculum 1 non expectãdum. Extremamque unctionem conferendam cũ ſenſus, mens, vitæque ſpes ſine miraculo adſunt, concors eſt Theologorum ſenſus cum S. Thoma *q.* 30.*ar.* 2. Sic ſtatuitur in actis Eccleſię Mediolanenſis *p.4.pag.* 542. in Synodo Hiſpalenſi *cap.*1. & Granatenſi *num.* 1. & in Manuali *can.de Vnct.num:* 2. Vbi dicitur quod hoc Sacramentum conferri debet *infirmis in periculo mortis conſtitutis; nec tamen obſeruari debet tempus, in quo ſit de ſalute infirmi deſperatũ ita vt ſenſibus carere incipiat: conſtat enim ad uberiorem ſacramenti gratiam percipiendam plurimum ualere, ſi ægrotus liniatur cum in eo integra mens, & ratio vigent, ut fidem, & Religioſam voluntatem afferat.* Vnde hoc tempus expectari derogat reverentiæ, & utilitati huius Sacramenti, ipſiuſque ſecundario fini, ſcilicet ſaluti recuperãdę, ſi animæ expediat bono, ſiquidem infirmus iam naturaliter, ſeu ſine miraculo uivere non valet.

Difficultas verò eſt, an lethalẽm com- 2 mittat culpam Parochus, qui ob negligentiam, oblivionemque graviter culpabilem hoc tempus expectat. Negativa pars ſuaderi videtur, ex eo, quod Parochus non teneatur ſub mortali Extremam Vnctionem miniſtrare: cum illam recipere non teneatur ægrotus, utpote ad ſalutem non neceſſariam; ergo nec opportunum illius tempꝰ obſervare, graviter tenebitur; nam qui ad ſubſtantiam rei graviter non tenetur à fortiori nec ad circunſtãtias 2. Quia etiam ſub eo ſtatu capax eſt æger alicuiꝰ ſacræ Vnctionis effectus, gratiæ nempe ipſius, & aliorũ effectuũ, quos Theologi aſſignã, ergo &c.

Sed

Sed graviſſimè peccare hos Parochos ſtatuit Chateciſmus Pij V. *p. 2. de Vnct. cap. 6. num. 9.* ſic; *Grauiſſimè peccant, qui illud tempus ægroti ungendi obſeruare ſolēt, cum iam omni ſalutis ſpe amiſſa, vita, & ſenſibus carere incipiat.* Sic etiam Naldus *ver. Extr. unct. num. 1.* Ad hanc autēm culpā neceſse eſt, ut hæc dilatio dedita opera, & negligentia gravi fiat.

4 Nec ratio in oppoſitum convincit; cum certiſſimum ſit, Parochum ſub mortali teneri ad Extremam Vnctionem miniſtrandam fidelibus, eam (ut mos eſt) petentibus: licèt alia Sacramenta ſuſceperint, & ſi ipſi ad eam ſuſcipiendam graviter non adſtringantur: cum ex iuſtitia etiam, ſaluti ſubditorum, maximè in mortis articulo conſulere teneantur Parochi. Sic Sa *num. 5.* Adamus *diſp. 7. num. 62.* Hurtado *diſſ. 12.* Molfeſius *ti. 4. cap. 3.* Chapeaville *cap. 5. q. 1.* Barboſa *de Paroch. cap. 22. num. 10,* Granadus *d. 8. num. 6.* Tannerus *dub. 3.* Nugnus *q. 33. ar. 2. diſſ. 1.* Cocinh *d. 19. dub. 10.* Enriquez *l. 3. cap. 10. num. 3,* Poſſevinus *cap. 9.* Bonacina *num. 12.* Suarez *d. 44. ſect. ult.* Layman *l. 5. tra. 8. cap. 7. n. 3.* & eſt communis. Et ſi aliquo huius Sacramenti fructu tunc ſit capax infirmus; alijs eum iniuſtè privat Parochus, illud differendo; ergo, &c.

SINGVLARE X.

V. Parocho liceat domi ſacrum Extremæ Vnctionis Oleum cuſtodire, ut commodiùs ex ea ad ægrotos noctu deferat, vel ne Eccleſiā adire ſit opus?

1 SIc reſpondet Barboſa *de Paroc. cap. 22. num. Addit Poſſeuinus cap. 9. num. 12. ſecluſa Epiſcopi conſtitutione, non benè agere eundem Parochum, timentem de nocte ſe vocandum, pro infirmo periculoſo; ſi veſpere ferat Oleū Extremæ Vnctionis ad ſuum cubiculum, ut vocatus expeditiùs vadat; vel ſi de nocte reverſus ab Vnctione infirmi, ut ſe citius expediat, Oleum non referat ad ſolitum locum, ſed retineat domi uſque mane: nullum tamen credit peccatum mortale contrahere citra ſcandalū, vel periculū alicuius irreuerentiæ.*

2 Non diſplicet hæc reſolutio: præſertim cū videā, neq; in Rituali ſtatui, ut obſerve tur hoc infirmorum oleum, ſicut nec Catechumenorum, & Chriſmatis in Eccleſia. *Habeat Parochus,* decernit Rituale Paul. V. *de Extr. Vnct. n. 3. loco nitido, & decenter ornato in vaſe argenteo, aut ſtanneo diligenter cuſtoditum ſacrum oleum infirmorum*, & de alijs Oleis prō Baptiſmo ſic: *Chriſma & Oleum ſacrum ſint in ſuis vaſculis argēteis, aut ſtāeis benè obſeruatis.*

3 Adhuc, ſi ſemper domi eiuſmodi oleū retineret, cum vetuſtiſſimę Eccleſiæ conſuetudini ſe opponeret, & ſcandalum forſan non leve ob huius conſuetudinis tranſgreſſionem generet ex eo quod Sacramentum hoc a domo ſua ad ęgrotum deferri conſpiceretur; non auderem eum a mortali excuſare: hęc enim cuſtodia in particulari domō irreverentiam ſine dubio, Oleo ſacro irrogat. Et ſic in Eccleſia, quę promptuariū eſt ſacramentorum, cuſtodiendum hoc oleū ſine dubio etiam ſupponitur â Rituali, & Manuali. Vnde in Synodo Grannatenſi ſub D. Petro Guerrero *ti. de Extr. Vnct. n. 1.* dicitur: *A los que lleuaren Olio, y Chriſma, y el Olio de los enfermos deſta Ciudad a ſus lugares mandamos lo lleuen con la reverēcia, que conuiene, y ſi durmieren en algun lugar antes de llegar a ſu Igleſia, lo lleuen a la igleſia del tal lugar, y alli eſte de noche, y tambien mientras el comiere, y eſtuuiere en la poſada, ſopena de dos ducados.* Idem ſtatuitur in Hiſpalenſi Synodo *cap. 1.*

SINGVLARE VLTIMVM.

V. Liceat Parocho Sacrum Extremæ Vnctionis Oleum ad infirmos mittere, ut eo ungātur: ficq; ſanitatem recuperent?

1 HOc Oleum infirmorum (ſacrę Vnctionis remotam materiā) licitè concedi poſſe a Parocho, vel Sacriſta, ut infirmi debita veneratione eo ungantur, conſtat ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine ab Apoſtolis deſſumpta, qui *Marc. 6.* à Chriſto Domino mittebantur: *& ungebant Oleo multos ægros, & ſanabantur.* Sic Innocentius I. *ep. 6. ad Decent.* ait; *Oleo ab Epiſcopo confecto non ſolùm Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate.* Vbi Cornelius *in Iacob. 5. verſ. 14.* docet Innocentium loquí de uſu Olei extra Sacramentum ad curandos infirmos.

2 Perſuadent hoc Sanctorum exēpla, quæ apud Surium, Metaphraſtem, & Sulpicium invenies, ex quibus conſtat hoc Oleū extra ſacramentum ſanctos applicatie ægris, eoque miraculoſè ſalutem recuperaſſe. Sic etiam docent Vivaldus *de Vnct. fine.* Molfeſius *to. 4. c. 3. n. 25.* ac alij. Sed adhuc rarò, & prudēter hoc Oleo ad hūc finē uti oportet.

FINIS TRACTATVS V.

AD ORDINEM, SEXTVM ECCLESIÆ SACRAMENTVM, SINGVLARIVM *TRACTATVS SEXTVS.*

SINGVLARE I.

Quomodo conferendus ſit Ordo Sacerdotalis, vel quilibet alius ijs, qui ob probabile dubium de valore ſui baptiſmi, illum ſub conditione iterum ſuſceperunt?

1 NEceſſarió hos ordines ſuſcipiendos eſse ab his, qui de ſuo baptiſmo dubij illum ſub conditione iterarũt, ſtatuim⁹ *Tr.* 1, *Sing.* 10. &. 11. Reſtat modo praxis in horum ordinum collatione ſervãda: in qua tenendum eſt 1. circa tempus, nõ eſse neceſsarió expectandum, quod aſſignatur a iure pro ordinibus conferendis, ſed poſsunt quovis anni tempore, mèſe, & die conferri ordines, de quorum valore dubitatur, ob dubium baptiſmi, vel quid ſimile. Probatur ex ſententia Recentiorum, quorum tacito nomine, meminit, ſequtus Granado *controv.* 9, *de ord. tract.* 2. *diſp.* 3. hi ergo aſserunt, eos, qui ſtatutis a iure temporibus, & ceremonijs ordinati ſunt: ſi poſtea cognoſcant aliquem defectum ſubſtantialem ad valorem Ordinis in ſua ordinatione interfuiſse v. g. quia debita materia non fuit; vel non fuit debitè applicata, aut calicem, librum ve non tetigerunt, aut abfuit in Sacerdotio manus impoſitio, poſse quolibet tempore eiuſmodi defectus ſuppleri: hoc enim non eſt Ordinem celebrare, ſed perficere, quod imperfectè prẽſtitum eſt tempore ordinationis; & licèt quando quid Subſtantiale omiſsum eſset, deberet ſuppleri ſtatutis temporibus, ut docènt aliqui DD. apud Thomam Sanchez *l.* 7, *conſ. cap.* 1. *dub.* 13. *n.* 7. at cum iterantur ordines ex dubio primi baptiſmi, non deberent ſuppleri ijs temporibus; cũ in his ordinib⁹ nihil defuerit, quod debito tẽpore non ſit collatum, & hoc ſtatutũ eſt pro vera, & abſoluta ordinum collatione, non pro conditionata.

2 Similiter non èſt neceſse, ut in Eccleſia, aut alio publico loco cõferantur, ſed ſat eſt in ſecretiori conferri. Propter hęc ego etiã exiſtimarem licere eodem die omnes Ordines tam minores quam maiores ſimul iterari: licet cõſulerem, minores cum Subdiaconatu uno die, & duobus ſequentibus, Diaconatum, & Sacerdotium ſuſcipere, niſi aliquod ſcandalũ, aut incommodum notabile ex hoc oriretur: quod quidem vitandũ erit, & maximum eſset in publicitate, & in teſtitijs: videre nempe quem Sacerdotem cognoverũt homines, modo ſacris initiari.

3 Deinde ſolemnitates omnes, quibus Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus, vel alij minores Ordines conferuntur nõ eſse neceſsarió adhibendas in hac conditionali Ordinum repetitione exiſtimo: ſed ſolùm præciſé ſub conditione iteranda eſſe ea, quæ requiruntur ad valorem ſacramenti. Ita Granado *ſup.* & alij ex Recentioribus ab ipſo tacito nomine, relati, aſſerentes in defectu ſubſtantiali iteranda ſolùm èſſe ea, quæ omiſsa ſunt, vel de quibus dubitatur, v. g. contactus inſtrumentorum, vel manuum impoſitio ſimul cum prolatione formę. Quod precipuè obſervari ſufficiet in defectu dubio, & in iterando conditionaliter ordine, cuius ceremonias omnes certó ſcitur eſsé factas. Conſule Trac. 1, Sing. 18. num. 3. &. 4. & Sing. 10, & ſcito, hæc ſuppleri poſſe á quocumque Epiſcopo.

4 Animaduertendum tamèn, quod nullũ actũ ſui ordinis poſſunt huiuſmodi Sacerdos, Diaconus, aut Subdiaconus exercere, antequam, ſuppoſito baptiſmo, ordines repetãtur: ſecus graviter peccabũt, ut dixim⁹ Tr. 1. num. 8, Singul, 10. & Probatur ex Armilla *ver, irregularitas num.* 67. Sylveſtro *q.* 12. Tabiena 4. §. 3. Soto *ſup.* & alijs aſſerentibus: peccare mortaliter miniſtrantem in ordine ſuſcepto, antequam ſolemnitas omiſsa ſup-

pleatur, quod explicant Sotus, & Sanchez *n.* 4 quando res omiſſa eſt præcipua, ut manus impoſitio, unctio &c. Secus, ſi ſit quid minimum, ut ſi canonem cum Epiſcopo non legat Sacerdos, à fortiori ergo lethalis culpa erit miniſtrare cum dubio probabili de Ordinum nullitate. Sed in nullo caſu ex his incidet miniſtrans in irregularitatē, cum hæc contrahatur ob adminiſtrationē ordinis, quem verè, & abſolute quis nō habet; ut docent Sotus, Tabiena, Armillá, & Angelus apud Sanchez *num.* 5.

SINGVLARE II.

Quidam Epiſcopus de ſui baptiſmi valore verè dubius, ſciſcitatus eſt quomodo Ordinem Epiſcopalē, & alios revalidare valeat?

1 VNC TENERI ad baptiſmi & Epiſcopalis ordinis conditionatam iterationem ſatis probavimus Tract. 1. Singul. 10. & dubiū reſtat quoad praxim quomodo ſcilicet iterandus ſit hic Ordo? Et dicendum eſt 1. quod licèt non teneatur iterum ſub cōditione minores ordines, ſubdiaconatum, & diaconatum recipere iuxta dicta Sing. 10. n. 5. Tract. 1. tenetur tamen ſacerdotium repetere, quia nihil valebit conſecratio Epiſcopalis, niſi illud ſupponat verè, ut ſupponit neceſſitate Sacramēti; cum ordo Epiſcopalis nihil aliud ſit quā ſacerdotium perfectum, & conſummatum, iuxta Doctores videndos apud Thomam Sanchez *lib.* 7. *c.* 1. *dub.* 14. *n.* 8, qui cum Salzedo, Sylveſtro, Tabiena, & S. Antonino rectè notat *n.* 7. quod licēt ſolum ſacerdotiū requiratur ad valorem Epiſcopatus; at ſi alij ordines, ſubdiaconatus, v. g. & diaconatus deficiāt, non debet illud conferri ante illorum ſuſceptionem. Vnde hos repeti etiā in Epiſcopo hoc deberi ſentio propter dicta Sing. 10, Tract. 1. num. 7. Circa locum verò, tempus, & ceremonias, quibus ſub conditione Epiſcopus accipiet ſacerdotium, & alios inferiores ordines, immo, & Epiſcopatum, obſervanda ſunt, que Singulari antecedenti diximus.

2 Sed in ſpeciali circa Ordinem Epiſcopalem notandum eſt 1. in hoc caſu, & in ſimili, in quo dubitatur de valida ipſius collatione; quod licèt iterari hic valeat ſub conditione eodem die cum Sacerdotio; tamen ſi nullum interveniret incommodum, conſulerem iterari ſacerdotium in Sabbato, & ſequenti Dominica Ordinem Epiſcopalem. Quod obſervari poſſe, etiam ſi abſolutè cō terendi eſſent ordines hi, docet Thomas Sanchez *ſup. dub.* 15. *num.* 15. ex S. Antonino, Sylveſtro, Hugo, & Turrecremata.

3 Notat 2. quod licet ex iure cōſecratio faciēda ſit in Eccleſia, quam aſſignat Metropolitanus, vel iuxta Tridentinum fieri poſſit in Eccleſia Conſecrandi, vel in Prouincia, aut cur à Romana ut videre eſt apud Sanchez *n.* 8. ſed hæc conditionalis conſecratio, ſicut & alia, in qua aliquis defectus ſuppletur, nullo modo fieri expedit in ulla Eccleſia; ſed in ſecretiori Oratorio Epiſcopi, vel Cōſecrantis, vel Conſecrandi, aut alioi abſque Arbitris, & Miniſtris, ne ſcandalum ex repetitione oriatur. Nota 3. Quod cū de conſecrationis eſſentia non ſit quod fiat in Miſſa, ſed ſolùm de neceſſitate præcepti, ut tenent Abulenſis *cap.* 29. *Exodi. q.* 18, Gloſſa, *quod ſicut de elect. verſu, dividetur* & cap. *Ordinationē* & 1. *diſt.* 75. *verſ.* 3. vbi Hugo Turrecremata *n.* 10, & alij; expedit ut extra Miſſam hæc conſecratio fiat, ut Miniſtrorum notitia, & teſtimonium excludātur ſcandalumque evitetur.

4 Propter eandem rationem trium Epiſcoporum aſſiſtentia non eſt neceſſaria, nec expediens: tot enim teſtes huius defectus fugiendi ſunt, nec defectum ſuum propalare tenetur Epiſcopus de ſuo baptiſmo dubius, cum ad validā ipſius cōſecrationem unicus Epiſcopus illam perficiens, ſi efficiat, ut recte probant noſter Enriquez *n.* 24. & Granado *controu. 9. de ord. Trac.* 1. *d.* 3. §. 1. *num.* 5. ac conſonāt Hoſtienſis, & Gofredus, quos referunt Sylveſter *conſecratio* 1. *n.* 1. & Sanchez *n.* 17. aſſerentes unum ſolum Cōſecratorem eſse, alios verò ex præcepto Eccleſiæ *c. ordinationes d.* 75. Aſſiſtentes, & Coadiutores: ſicque ſolus Chriſtus conſecravit Petrum, & Petrus reliquos Apoſtolos.

5 Poſtremò licet unctio chriſmatis in capite, & manibus nō ſit de eſſentia cōſecrationis, ſed de præceptò, ut probat Sāchez *ſup. du.* 6. & 12. ex Doctorib⁹, tñ quia eſt ex principalioribus ceremonijs, & in ei⁹ repetitione nullū incōmodum invenītur, illa nō eſt omittenda in hoc caſu; ſed nec eſt neceſſario faciēda, ſicut nec reliquę ſolemnitates, licēt fieri poſſint, dum interveniat ſcandalum: ſolùm tamen eſt omnino neceſſaria ad validam conſecrationem impoſitio manuum Epiſcopi Conſecrantis ſuper caput Conſecrandi cum illis verbis, *Accipe ſpiritum ſanctum*, quę ſunt forma; ſicut impoſitio manuum materia, & tunc infunditur gratia, & character imprimitur, ut ſentiūt Theologi communiter, qui etiam aſſerunt impo-

impoſitionem libri ſuper caput Epiſcopi de eſſentiâ non eſſe, ſed de præcepto. Vide Sãchez, & Granado *ſup.* Atque hanc in conditionali cõſecratione non relinquendã exiſtimo ob dicta.

SINGVLARE III.

Quid exequi teneatur Epiſcopus de ſuo baptiſmo dubius circa eos, quibus Sacramenta Ordinis, Cõfirmationis, & Pænitentiæ adminiſtravit?

1 VPpoſito quod *Tract.1. Singul.* 10. & 11. ſtatuimus, eos, qui ordines ſuſceperunt ab Epiſcopo de ſuo baptiſmo dubio dubios eſſe debere de valore ſuorum Ordinũ, & omnes, aut ſaltim Sacerdotiũ iterari debere: modò dicendũ eſt, eiuſmodi Epiſcopũ teneri ſub mortali ad præſtandã omnẽ diligentiã ſibi moraliter poſſibilem, ut Sacerdotibus ab eo ita ordinatis Sacerdotij Ordo ſaltim, ſub conditione adminiſtretur: & ad hoc tenetur etiam cũ periculo vitæ, honoris, & divitiarum. Probatur 1. quia in gravi neceſſitate tenentur ij, quibus incumbit cura alienæ ſalutis, eam procurare cum periculo vitę, vel honoris, vel famæ, ut docent Valentia 3. *p. d.* 3. *q.* 4. *punct.* 3. Filiucius *tract.* 28. *cap.* 2. *q.* 3. *num.* 36. Trulench *lib.* 1. *Decal. cap* 5. *dub.* 6. *nu.* 13. Bonacina *d.* 3 *de char. q.* 4. *p.* 4. *num.* 5. Caſtro Palao *de char. tract.* 6. *d.* 1. *p.* 9. *num.* 12. Suarez *d.* 9 *ſ.* 2. *num.* 4. Villalobos 3. *p. tract.* 3. *dif.* 7. *num.* 7. & alij. Graviſſima autem neceſſitas eſt, ne dicam, extrema, in qua ij Sacerdotes inveniuntur, cum ſint expoſiti ad non conſecrandum, & non abſolvendum, & ad ea, quæ Sacerdotis, & Confeſſoris ſunt invalide exercenda, & aliunde alia via non extat, qua ex hoc periculo eximantur, niſi quod diligentia illius Epiſcopi, cui horum Sacerdotum cura incumbit, eo quod illis ordinẽ adminiſtravit, licet ſint ex aliena dioœceſi, iterum ordines recipiant: ergo.

2 Eadem cura incumbit circa eos, quibus hi Sacerdotes Euchariſtiam, & pænitentiã miniſtrant, quia periculo exponuntur non accipiendi verum domini corpus, nec abſolutionem in ſuis confeſſionibus: ſi forſan illi veré ſacerdotes non ſunt ob defectum Epiſcopi eos ordinantis. Hinc ergo tenebitur etiam cum vitæ aliquali periculo huic graviſſimę neceſſitati ſubuenire, præcipue cum ipſe ſit cauſa, licèt inculpabiliter, huius damni, ſeu graviſſimi periculi ſpiritualis, & ita ad illud præcavendum adſtringitur, etiam cum detrimento ſuo temporali, iuxta ea, quæ Theologi docent in materia de Reſtitutione, & de Charitate, ſtatuentes cum S. Thoma 22. *q.* 26. *ar.* 5. teneri homines potius ſubuenire proximo in bonis ſpiritualibus, ſi ſit in extrema neceſſitate, quã ſibi in temporalibus. Sic plures apud Suariũ *ſup. nu.* 2. Bonacinam *n.* 2. Trulench. *n.* 10. Palao *n.* 9. Quæ pręcipuum locum tenent in hoc Epiſcopo, qui proprius eſt Paſtor Sacerdotis illius; & bonus Paſtor animam ſuã dat pro ovibus ſuis.

3 Diximus, *cum periculo vitæ, & honoris*, in hoc caſu teneri Epiſcopum ad adhibendã diligentiam. Hoc autem periculum, cui pro diligentia hac præſtanda debet ſe exponẽre Epiſcopus. 1. non debet eſſe ita magnum & certum, ac foret ſi certò cõſtaret ſui baptiſmi, ac proinde aliorum Sacerdotij nullitas: pro vitando enim damno ſpirituali ſub dubio tantúm exiſtenti, in dubium obligaretur facultatum, & vitę periculo, nõ in certo, & abſoluto. II. ad iterationem aliorum Ordinum v. g. Minorum, & Subdiaconatus aut Diaconatus, nulli vitæ, ut famæ periculo ſe exponere debet Epiſcopus, cum horum functiones nõ ſint neceſſariæ ad ſalutẽ proximorum, & eminenter contineãtur in Sacerdotio: ab eoq; ſuppleantur, & ad illius validam collationẽ non requirantur.

4 Debet III. diligenter inquirere Epiſcopus omnes hos, quos Sacerdotio inſignivit, ut nullus, in quantum fieri moraliter poſſit abſque conditionali iteratione maneat: nã ij, quibus alienæ ſalútis cura incumbit, non ſolùm tenentur neceſſitatibus proximorũ occurentibus ſubvenire, ſicut ij, qui hac cura non adſtringuntur: ſed etiam inquirere eos, qui laborãt gravi neceſſitate ſpirituali, ut eis ſubueniãt. Sic cum S. Thoma 22. *q.* 22. *ar.* 1. docent Theologi. Vide Bonacinam. & & Trulench *ſup.* Inquiſitionem autem hanc facere oportet computato tempore, ex quo initiare incepit Epiſcopus in ſua Diœceſi, & ex matriculis, in quibus deſcribũtur Ordinandi, ac ex notitia, quam valet adquirere a tempore, ex quo ſui Presbiteri ſacerdotio funguntur, & ex alijs.

5 Commodé autem hęc inquiſitio fieret, & notitia ſumeretur, ſi Diœceſis Vicarij monerentur, ut deſcribant omnes qui in ſua vicaria ſacerdotali ordine ſunt initiati a tali anno, [eo ſcilicet, à quo ordinationes facere cępit] & iuberet, ut ſecretò illos ad ſe remiterent aliquo quæſito colore, tunc enim unicuique ſeorſim ſub conditione adminiſtrare poſſet ſubſtantialia ad Sacerdotium neceſſaria, niſi res ita iam foret divulgata, ut dubium de baptiſmo, & Sa-

cerdotijs eſſet publicum; nam tunc publicè omnibus, vel fere omnibus hæc miniſtrare nullum eſſet incommódum, aut ſcandalum. Animaduertat tamen Epiſcopus, cũ ſecretò ordines iterat, quod præcipiat ita ordinatis, ne hoc diuulgent, & ſi dificillimum ſecretum exiſtimem, ac illis non manifeſtet, hanc iterationem fieri ob dubium valoris ſui baptiſmi: ſcandalum enim generabit huiuſmodi notitia; ſed fieri, ut ſe à quodam ſcrupulo expediat; illum non declarando; potius enim ſcrupuloſum, quam de baptiſmo dubium reputari expedit. Circa praxim verò in hac conditionali adminiſtratione obſervandam, vide quę antecedenti Singulari, & Tract. 1, Singul. 18. & 19. adnotavimus.

6 Denique Confirmationes, quas fecit nullo modo iterari expedit: cum enim hoc Sacramentum nec neceſſitate medij, nec præcepti ſit neceſſariũ ad ſalutẽ, & ex notitia huius defectus, iterationiſque cura non levis perturbatio, aut ſcandalum poſsit oriri, omittenda eſt repetitio. At circa confeſsiones, quas hic Epiſcopus audivit, idem omnino dicendũ, quod diximus Tract. 1. Sing. 11. circa eas, quas audivit Confeſſor de ſuo baptiſmo dubius. Oleum etiam, quod pro Baptizãdis, Vngendis, Confirmandis, & Ordinandis ad illum annum conſecravit, cõfumi faciat, & aliud, etiam ante Feriam V. in Cœna Domini, conſecret, mittatque per Diœceſim, ne forſan verè benedictione illud careat, quam de neceſsitate Sacramenti rẽquiri diximus iã Tract. 5. Alię verò functiones, ſeu actiones nõ dependẽtes à charactere Sacerdotali, & Epiſcopali, ſed â iuriſdictione Eccleſiæ, validæ exiterunt propter titulum coloratum, & errorem communem iuxta ea quæ diximus Tract. 1. Sing. 11. à num. 4.

SINGVLARE IV.

V. Capitulum, Sede-vacante, poſſit infra annum concedere litteras dimiſſorias ad accipiendam primam Tonſuram, etiam ſi beneficium, aut capellania non ſit conferenda?

1 COmmunior eſt negativa ſentẽtia, quã tuentur Gloſsa *in c.* 1. *ver. Cleric. de temp. ordin. in* 6. Navarrus *conſil* 27. *de tẽpore ordin.* Emmanuel Rodriguez *ſum. t. cap.* 14. *num.* 6. Mari. Antonius Genuenſis *c.* 85. *num.* 15. Quaranta *verbo capitulum* §. *deçimo quęro.* Barboſa *in Trid. infr.* Majolus *de irregul. l.* 4. & alij, inter quos Garcia *tom.* 1. *de benef. p.* 5. *cap.* 7. *num.* 9. ait: *ita communiter intelligi, & practicari.* Ac probant omnes ex Trident. *ſeſ.* 7. *cap.* 10. ubi dicitur; *Non liceat Capitulis Eccleſiarum Sede vacante infra annum à die vacationis ordinãdi licentiam, aut litteras dimiſſorias, aut Reuerendas.* &c. *alicui, qui beneficij Eccleſiaſtici recepti, ſiue recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere.* Cum autem prima Tonſura Ordo ſit ſecũdum omnes Canoniſtas, ad illam recipiendam Capitulum intra annum a vacatione Sedis, Reverendas dare prohibetur.

2 Prima concluſio; Omnibus ijs, qui præſentantur ad quamlibet capellaniam, aut beneficium, etiam ſi neceſſitas, aut tempus id eis conferendi nõ urgeat; poteſt ſine dubio Capitulum intra primum vacationis annum concedere litteras dimiſſorias ad primam Tõſuram. Satis id habetur ex Tridentini verbis has dimiſſorias concedentis illi, qui beneficij Eccleſiaſtici recepti, ſive recipiẽdi occaſione arctatus fuerit. Nam ut rectè dicit Garcia *ſup. n.* 100. *Videtur arctatus occaſione beneficij recipiendi, qui cum non ſit ordinatus prima tonſura, eſt præſentatus ad beneficium.* Conſule ipſum *p.* 7. *c.* 1. *num.* 30. & ita declaravit ſacra Cõgregatio Tridentini, his verbis; *Vicarius Capituli Sede-vante infra annũ poteſt concedere dimiſſorias ad primam tonſuram ei, qui eſt præſentatus à Patronis laicis ad beneficium Eccleſiaſticum iuris Patronatus ipſorum, ut illud obtinere valeat.* Sic refertur a Garcia, & Barboſa *infra*, & a Bellarmino *Addit. ad Trid. hic num.* 2.

3 Secunda concluſio; etiam ſi nullum beneficium, aut Capellania conferenda ſit alicui; nec eam ullo modo habeat, poteſt Capitulum intra primum vacantis Sedis annum illi dimiſſorias litteras concedere, út a quocũque Antiſtite primam Tonſuram accipiat. Hanc ſententiam expreſsè ſacra Congregatio Concilij tradidit anno 1586: nam inter alias huius capitis 10. declarationes hanc edidit circa Tridentini Textum, prohibentem Capitulo intra annũ has Reverendas; *Congregatio, cenſuit textum hunc non comprehendere primam tonſuram, & in minoribus ordinibus conſtitutos non ſuſpendi.* Sic refertur a Garcia *ſup. num.* 9. & a Barboſa *declarat. in Trid. hic.*

4 Probatur ergo oppoſitũ fundamentum ſimul evertendo: Nam Concilium ſolùm prohibet Capitulo: ne dimiſsorias concedat ad ordines ſuſcipiendos, ſed prima Tõſura non eſt ordo; ergo non prohibet dimiſsorias ad illam; cum ſolùm hic limitetur poteſtas

teſtas Capituli Sede-vacante quoad expreſſa in hoc Tridentini textu, in reliquis autẽ remanet iuriſdictio, quæ ex iure communi illi competit, ut rectè notat Bellarminus *hic in obſerua. num.*1. ex Gloſſa *in cap.*2 *Sede-vacante*, ex Panuino, Navarro, Antonino, & alijs apud ipſum. At ex Iure communi ante Tridẽtinum poterat Capitulum Sede-vacante etiam intra primum annum concedere dimiſſorias, non ad Tonſuram ſolùm ſed ad omnes ordines, ut cõmunis eſt Canoniſtarum, & Theologorum ſententia, & conſtat *ex cap. cum Nullus §. Epiſcopo. de temp. ordin. in 6.*

5 Quod autem prima Tonſura non ſit ordo, ſed diſpoſitio, aut introductio ad ordines, eſt communis omnium Theologorum, quos longum eſſet recenſere, & videri poſſunt apud Thomam Sanchez *tom.*2. *conſil. l.* 7. *c.*1. *dub.*6. *n.*6. & Bonacinã *infra.* ſolus Maior ex Theologis 4. *d.*24. *q.* 1. ordinem eſſe docuit, & per conſequens Eccleſiæ Sacramentum, quam ſententiam Petrus de Soto *lect.*4. *de ordin.* & Bartholomæus à Ledeſma *de ord. dub.*5. temerariam appellant, cui cenſuræ Sanchez *ſup.* & Bonacina *q. un. de ord. p.* 1. *num.* meritò arrident. Quamvis autem ſententiam hanc communiter à Canoniſtis *ex c. cum contingat de æt. & qual.* teneri referant Sylveſter *ordo* 1, *q.*1. & alij Theologi, immeritô tamen hęc illis iniuria irrogatur: cum plures nunc utriuſque iuris Doctores, & præcipue Canoniſtæ ſint: qui oppoſitã tueãtur, negentque ordinem eſſe primam Tonſuram. Ita Covarruvias *q. pract. cap.* 31. *num.* 6. Avendannus *l.*29. *Tauri gloſſa* 3. *num.* 10. Antonius Cuchus *l.* 5. *tit.* 8. *de ord.* Ioannes Altentaiſg. *lexic. verb. Tonſura*, Surdus *conſil.* 259. *num.*8. *l.* 2. Petrus Toloſanus *in cap.*1. *quia nos. de teſt. nu.*8. Menochius *conſ.*612. *num.*21. *l.*10. Vicentius de Francis *deciſ.*189. *num.* 9. Thomas Valaſchus 1. *to. alleg.* 3. *à num.*8. Alphonſus de Caſtelbranco Epiſcopus Conimb. *tit.*8. *conſt.*2, & alij.

6 Perperam igitur hęc ſententia omnib⁹ Canoniſtis tribuitur, quod ſi eorum aliqui ordinem Tonſuram appellant, hos exiſtimo in rigore non loqui, nec quia eam Sacramentum reputent, ut alios ordines: nec quia in ea detur ſpiritualis poteſtas ad aliquid, ut datur in alijs ordinibus: alitèr eſſẽt octo: loquuntur ergo, largo modo, quia eſt quædam deputatio, aut electio ad chorum ſicut dicitur ordo Religio, quia eſt deputatio, aut inſtitutio ad divinũ cultũ ſub aliqua regula. Sic rectè ex Concilio Calcedonenſi docèt Conſanguineus meus Dom. D. Antonius de Quintanadueñas, Marchio de la Floreſta, ac ab Italiæ Conſilijs olim in Supremo Senatu Præſes, in ſuo eruditiſſimo Eccleſiaſtico *l.*3. *num.*11. Ordinis, aut *Ordinationis*, inquit, *vocabulum, non ſolùm initiationẽ, ſed etiam electionem, creationem, inſtitutionemque ad aliquid complectitur.*

7 Sed eſto illa ſit Iuriſtarum, & Canoniſtarum opinio, ſine dubio præferenda eſt Theologorum ſententia, quam ſequimur, nam ut rectè Sylveſter *verbo opinio q.* 2, *Si Doctores contraria opinantes ſunt Theologi, & Canoniſtæ, vel Legiſtæ: præferuntur Theologi in materia iuris diuini veteris, & noui: Canoniſtæ verò in materia Canonica: & Legiſtæ in legali.* Et Azor tom. 1. *l.*2. cap. 17. *q.*3. ait: *Reſpondeo in re Theologica opinionem Theologorum omnino eſſe Iuris prudentium ſententiæ præferendam.* Conſonant omnes communiter. Sed an ſit Tonſura Sacramentum, vel non, eſt res omnino Theologica, & divini iuris: cũ ex ipſo Sacramentorum eſſentia oriatur, & eorum inveſtigatio ad Theologos ſpectet. Igitur cum non ſit prima Tonſura ordo, non prohibentur à Tridentino eius dimiſſoriæ concedi à Capitulo infra annum.

SINGVLARE · V.

Quinam ex Sæcularibus ordinari valeant ab Epiſcopo, cui Capitulum intra primum vacationis annum facultatem conceſſit, ut in vacãti Eccleſia ordines celebret?

1 VPpono ex Singularibus ſequentibus poſſe Capitulum licentiam concedere Epiſcopo ſive Titulari, ſive alterius Diœceſis, ut intra primum annum Sedis vacantis ordines celebret, in eoque Regulares omnes poſſe ordinari. Vnde ſit 1. concluſio: omnes illi, qui arctatum beneficium habent: etiam ſi ſubditi ſint Sedis-vacantis, poſſunt tunc ordinari. Patet, quia illis poteſt Capitulum cõcedere Reverendas, ut ordinentur a quocumque Antiſtite; ergo, & licentiam, ut ordinẽtur ab Epiſcopo ordines licitè celebrãti intra Diœceſim vacantem: cum idem ſit Reverendas concedere alicui, ac licentiam dare, ut ordinetur.

2 Et ſi roges, qui intelligantur à Tridentino *Arctati occaſione beneficij Eccleſiaſtici recepti, ſive recipiendi?* nc explicat Garcia *to.* 1. *de benef. p.*5. *cap.* 7. *nu.*97. *&*, 98. *Clarum eſt*, inquit, *illos dici arctatos ratione beneficij Eccleſiaſtici accepti qui obtinent aliquod beneficium ratione cuius tenentur ſe promoueri facere, vt qui obtinent parochialem Eccleſiam eſt arctatus ad Sacerdotium intra annum, & qui obtinet Canonicatum ad ordinẽ illi*

illi annexum. Et idem eſt in aliquibus beneficijs, ſeu Capellanijs requirentibus ex inſtitutione ſeruitium perſonale, ſeu aliquem Ordinem. Et num. 99. *Et credo illos dici arctatos occaſione beneficij recipiendi, qui habent ius, ſeu ſunt vocati ad aliquod beneficium uacans, ſeu capellaniam, quod tamẽ requirit actu certum ordinem, quo illi carẽt.* Et *num.* 101. & 102. addit, electum in concurſu ad beneficium curatum, cuius collatio facienda eſt à Papa, non dici interim coarctatũ, quia nõ requiritur actu Sacerdotium, neque dici arctatum Præſentatum ad beneficium, aut capellaniam, habentia annexum Ordinem, neque eum, cui aliquis vult reſignare beneficium, requirens actu ordinem, quo caret: hoc enim eſt merè voluntarium.

3 Clariùs hoc explicuit Thomas Sanchez *tom. 2. cons. l. 7. cap. 1. dub. 20. num.* 37. tunc beneficium arctari, & obligare ad talem ordinem, ait, *Si ex Fundatoris diſpoſitione ius habeat quis ad capellaniam, quam nequit obtinere, niſi ſit Presbiter, vel ex ſtatuto, vel conſtitutione particularis Eccleſiæ beneficium illud exigat certum ordinem. Sic Enriquez, & quidam Doctor Salmãtinus.* Advertas quod, & omnes Canonicatus, & portiones requirunt ordinem ſacrũ ex Tridentino *ſeſ. 24. cap.* 12. coadiutoria Canonicatus, vel præbendæ non requirit, & ita hæc beneficium arctatum non eſt.

4 Secunda concluſio: omnes illi, qui Dimiſſorias à ſuis Epiſcopis, vel Ordinarijs âferunt, ordinari poſſunt, etiam in prædictis ordinibus. Patet ex declaratione Cõcilij, & Doctoribus Singulari ſequenti referendis, cum his conceſſum ſit ordinari à quocumque Antiſtite, vel ab hoc determinatè. Subditi etiã ipſius Epiſcopi Ordines celebrantis, non eſt dubium, quin etiam ordinari valeant ab illo; ſicut & ij omnes, qui dimiſſorias habent ab alijs Ordinarijs ſæcularibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus; quibus ex iure, vel privilegio competit Reverendas cõcedere, ut ſunt Abbates, Priores, ſeu Vicarij Ordinum militarium, & alij Prælati in Subditos ſæculares eam poteſtatem habentes. Quos poſt Tridentinũ etiam poſſe Reverendas concedere, tenere videntur Aragon 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. & Enriquez *l.* 10. *cap.* 22. *num.* 3. *com. lit. H.* Et docẽt Ioannes de la Cruz *dub.* 4. Ledeſma 1. *p. c.* 8. *de ord. poſt.* 2. *concl.* Villalobos 1. *p. tr.* 11. *diſ.* 9 *num.* 4. Hyeronimus Rodriguez *reſolut.* 1. *num.* 26. Molfeſius *tit.* 2. *de Ord. cap.* 2 *num.* 17. & Thomas Sanchez *ſup. num.* 6. qui plenè ſatisfaciunt ijs, quæ ex Tridentino *ſeſ.* 23. *de reform. cap.* 10. ac ex eius Congregationis declarationibus in oppoſitum afferri poſſent.

5 Tertia concluſio; Poſſunt etiam tunc ordinari omnes illi, qui, à Pontifice, vel a Nũtio Apoſtolico litteras dimiſſorias, aut licẽ tiam habent, etiam ſi ſubditi ſint Sedi-vacantis. Expreſsè hanc tenent in caſu in quo celebrẽtur ordines in Eccleſia intra 1. annum vacantem Petrus de Ledeſma *l.* 8. *de ordinib. diſ.* 3. Sanchez *ſup. cap.* 26. *num.* 2. & Nauarrus *tom.* 1. *conſil.* 27. *a num.* 1. & alij, aſſerentes poſſe quẽvis ad ordines promoveri cũ litterijs dimiſſorijs Legati de latere. Quã ſententiam & ſi Garcia *tom.* 1. *de benef. p.* 5. *cap.* 7. *num.* 105. approbet, intelligendam ait, modò eius probitas, & mores teſtimonio ſui Ordinarij commendentur; *ad quem effectum*, addit, *non dicetur Ordinarius intra annum Capitulum, ſeu eius Vicarius Sede-vacante reſpectu eorum, qui non ſunt arctati.*

6 Requiri verò in præſenti caſu teſtimonium idoneitatis, & probitatis ab Ordinario præſtitum docent Navarrus, & Ledeſma *ſup.* ac ſine illo non poſſe ordinari eum, qui obtinuit litteras dimiſsorias a Nuntio, ut ordinetur intra annum Sedis-vacantis. At hoc teſtimonium, ſeu litteras comendatitias, aut idoneitatis ad ordines ſuſcipiendos poſſe dari a Capitulo Sede-vacante intra annum, ſeu ab illius Vicario innuit Zerola *prax. verbo Capitulum num.* 2. citatque Geminianum, & aſſerunt Zechius *de Repub. Eccl. cap.* 24. *num.* 11. Thomas Valaſcus *tom.* 1. *allegat.* 5. *num.* 15. citans Antonium, & Abbatem *in cap. Relatum num.* 4. *de cler. non reſid.* Navarrus, & Ledeſma *ſup.* San hez *dub.* 26. *num.* 3. Molfeſius *ſup. num.* 29. Fornarius *cap.* 5. *de ord.* §. 4. Quaranta *verb. ord. fol.* 383. Bonacina *de ordin. p.* 4. *num.* 24. Manuel Rodriguez *to.* 2. *cap.* 71. *concl.* 19. ac alij, hę enim teſtimoniales litteræ non ſunt propriè dimiſsoriæ quas in preſẽti Capitulo dare prohibet Trid. ut docent præfati DD. & illas requiri etiam cũ hæc facultas conceditur â Summo Pontifice ad ordines tenent DD.

SINGVLARE VI.

Dum ad ordines generales examinarentur, mortuus eſt Epiſcopus feria ſexta quatuor temporum: rogatum eſt an Capitulum Sede-vacante poſſet tunc concedere licẽ tiam Epiſcopo Titulari, vel alterius Diœceſis, ut Sabbatho ſequẽti ordines celebraret?

EVenit hic caſus Hiſpali anno 1622. cum vita functus eſt ſapientiſſimus, & meritiſſimus Præſul D. Petrus de Caſtro & Quiñones. Pro parte negante videtur ſtare Tridentin. *ſeſ.* 7. §. 10. cuius ver

ba Sing. anteced. num. 1. retulimus, in eiſq; negat Capitulum, tunc *Ordinandi licentiam, aut litteras dimiſſorias concedere.* Et vtrumque ſimul negari probatur, quia illa particula, *Aut* equivalet ibi copulativæ *Et*, quæ frequẽter ita accipitur, & requirit concurſum utriuſque extremi, ut docent ex l. *ſæpe ff. de verbor. ſignif. l. cum quidam. vers. melius itaque eod. tit. cap. omnibus vobis. in fine* & ibi Gloſa *verbo Aut.* Cenedus *queſt. Canon. Sing. 6. num. 2.* Franciſcus Gallet. *in Margar. caſuum verb. dictio* Octavianus Vulpellus *de præpoſit. & ad verb. pag. 12.* & Pichardus *ad §. Plane 4. num. 26. inſtit. de inutil. ſtipul.* Aliter ſi disiunctiva eſſet, ad verificationem illius ſufficeret, alteram partem eſſe verã; & quod ſi ordinãdi non poſſet concedere facultatem, poſſet tamen Reverendas concedere, hanc enim partem, & non illam eligere poſſet Capitulum.

2 Confirmatur, quia licentia, quam Archiepiſcopus Hiſpalenſis tunc dederat Epiſcopo Titulari D. Ioanni de la Sal, Epiſcopo de Bona, pro Archiepiſcopo Pontificalia exercenti, iuriſdictio erat delegata, quæ dũ res eſt integra perit morte concedentis, ut communiter Doctores *ex l. Et quia ff. de iuriſd. om. iud. c. relatum, & Gratum. & cap. licet de officio delegati*. Res verò Epiſcopo ſupradicto commiſſa, ſcilicet, Ordinum collatio, omnino integra erat; nihil enim ex ordinum collatione cæptum, nulluſque nec maiores, nec minores ordines acceperat; ergo ex vi illius facultatis non potuit Titularis Ordines conferre: & aliunde Capitulum, cum eſſet intra annum nõ poterat cõcedere facultatem eos conferendi.

Sed affirmativam partem prorſus tenen-
3 dam exiſtimo. Et probo 1. ex authoritate Congregationis ſacræ, prò dubijs Concilij decidendis deſtinatæ: cuius inter alias hæc declaratio, eſt. *Capitulum Sede-vacante poteſt concedere licentiam extero Epiſcopo exercendi Põtificalia in eorum Eccleſijs, & Ordines conferendi tam Clericis illius Diœceſis, quam ceteris habentibus litteras Epiſcoporum: iuxta tamen formam huius decreti.* Sic refertur à Garcia *t. 1. de benef. 5. p. cap. 7. num. 93.* Barboſa *declarat in Trid. ſup.* & ibi a Bellarmino. Quod verò hęc declaratio verſetur circa præſentem materiã, & quod in caſu propoſito in titulo intra primum vacationis annum hanc facultatẽ cõcedere poſſit Capitulum, dubium non eſt, cum poſt annum illam expreſſẽ concedat Tridentinum ex univerſalis Eccleſiæ conſuetudine, & ita de hoc dubiũ numquã fuit, nec declaratione hoc indiguit. Immo, & ipſa Congregatio ibi prius hoc tam quam manifeſtum ex Tridentino ſupponit, ſicut & quod beneficio arctatis poſſit intra annum Capitulum dimiſſorias concedere.

4 Hanc declarationem ita intelligi ſupponunt Barboſa, Bellarminus, & Garcia citati, Villalobos *dif. 9. de ord. num. 9.* & Molfeſi° *ſum. tra. 2. cap. 2. de ord. num. 28.* qui ait: *Poteſt Capitulum infra annum per alium Epiſcopum exercere Pontificalia, & Ordines conferre, ſeruata diſpoſitione Concilij Tridentini, vt declarauit ſacra Congregatio eiuſdem Concilij; vt poſt Nauar. refert Fornar. in d. 4. notab. ex tex. in cap. Si Epiſcopus. de ſupplend. negl. Prælat.*

5 Hanc etiam ſententiam ẽxpreſſè docet Quaranta *verb. Capitulum §. undecimo quæro.* Et expreſiús Thomas Sanchez *tom. 2. conſ. l. 7. c. dub. 26.* Innunt Enriquez *l. 10. c. 22.* Barboſa, Bellarminus, & Garcia *ſup.* relati: & probatur. Quia Capitulum Sede-vacante fungitur vice Epiſcopi, & illi ſucedit in omnibus, quę ſunt iuriſdictionis ordinarię, ſive voluntariæ, ſive contentioſæ, exceptis caſibus in iure expreſſis, ſed Epiſcopus poteſt concedere illam facultatem, ergo & Capitulum in quovis tempore Sedis-vacantis. Minor patet. Maior eſt veriſſimũ Theologorum, & Canoniſtarum axioma, ut *ex cap. his quę. cap. cum olim de maior. & obed. & c. eod. in 6.* & ex alijs docent Doctores innumerosque videbis apud Garciam *de Benef. to. 1. p. 5. cap. 7. a num. 4.* & Suarium *tom. 5. de cens. diſp. 50. ſect. 5. num. 6.* Sed nullum eſt ex preſſum ius Capitulo intra vacationis annum prohibens, ut licentiam Epiſcopo cõcedat ad Ordines in ſua Diœceſi celebrandos, cum in prædicto Concilij decreto non prohibeatur, nec aliud prohibens extet; ergo &c.

6 Quod non prohibeatur in prædicto decreto patet: quia ibi ſolùm dimiſſoriarum conceſſio negatur, ut docent Doctores hãc ſententiam tuentes; immo & tradit Congregatio Concilium declarans, non prohiberi ex vi illius, licentiam concedi à Capitulo infra annum, ut in ipſius Eccleſia ordinẽtur tam Clerici illius Diœceſis, ideſt, qui beneficium coarctatum habetent, aut dimiſſorias à Pontifice, vel eius Nuntio afferrẽt [ideoque poſtea addit *iuxta tamen formam huius decreti*, ſcilicet *Tridentini*,] & alij omnes, litteras Epiſcoporum ſuorũ habentes.

7 Probatur deinde efficaciter: quia verbũ *Ordinandi licentiã* in textu Concilij capitur paſsivé, quod patet ex dictione *alicui*, quam ſtatim ſubiungit: atque ita idem eſt ac concedendi Reverendas: & ſenſus eſt, quod nõ liceat Capitulo intra primum annum vacã-

tis

tis Sedis concedere alicui ſcilicet ex ſubditis illius Diœceſis, ut ordinetur, quod eſt alicui dari licentiam ordinandi, ac proinde idē, ac litteras dimiſſorias dare, niſi quod hæ ad ordinationem paſſivā extra diœceſim diriguntur, vel dictio, *Aut* ibi, ex poſitiva, aut declaratiua eſt, ut aliquando eſſe docent Brunor. à ſole *locis comm. verb. alternatiua.* 1. Barboſa *de dict. Aut.* dicentes, *poni inter ſimilia, & æqualia*: nam ſimile, & æquale eſt, *licentiam ordinandi, ac dimiſſorias litteras concedere.* Et ita æquivalet dictioni *ſeu*, quam expoſitivam eſſe docuit ſacra Rota Romana apud Farinacium *deciſ.* 570. *num.* 3.

8 Confirmat hanc explicationem Thomas Sanchez *tom. 2. conſ. l. 7. cap. 1. dub. 26. nu.* 2. ubi, *Concilium*, inquit, *poſſunt licentiam, & litteras, ad maiorem claritatem. Dari autem licentiā Epiſcopo ad ordines celebrandos, non eſt licentiā cōferre, ut aliquis ordinetur: quia iā ſupponitur, quod ordinandus debeat licentiā affere, aut illam habere ab Epiſcopo iam mortuo, vel Nuntio Apoſtolico.* Et per hæc patet ad argumentum in oppoſitum. Ad Confirmationem R Epiſcopum Titularem, vel alium alterius Diœceſis nō conferre tunc ordines ex vi facultatis delegatæ ab Epiſcopo mortuo, ſed conceſſæ à Capitulo.

SINGVLARE VIII.

Quinam ex Sæcularibus Ordinari valeant in caſu præcedentis Singularis?

1 SVppono 1. Regulares omnes ordinari tunc poſſe etiam ſi nec approbati, nec examinati ſint, ut ſequēti Sing. patebit. Suppono 2. ſimiliter ordinari poſſe omnes eos, qui habēnt arctatum beneficium: nec non Subditos Hiſpalenſis 5 Diœceſis, qui a Nuntio, vel a ſuo Epiſcopo aut Ordinario litteras dimiſſorias habent iuxta dicta Singularibus præcedentibus.

2 His poſitis ſit prima concluſio: omnes illi, qui ante Archiepiſcopi motem iam ab Examinatoribus, & Proviſore examinati, & approbati erant quoad mores, & quoad ſcientiam, poſſunt in caſu præcedentis Singularis ordinari ab Epiſcopo illo, cui Capitulum Sede tunc vacante conceſſit: ut Ordines celebraret Sabbato immediatè ſequēti poſt Feriam ſextam, in qua Archiepiſcopus obijt. Probatur 1. Quia illa approbatio facta ob Archiepiſcopo, ſeu illiūs Vicario idem eſt, ac Reverendarum cōceſſio: ſed ſi conceſſis Reverendijs moreretur Archiepiſcopus ex vi illarum poſſet ordinari ille, cui fuerunt conceſſæ: ergo etiam qui eſt approbatus quoad ſcientiam, & mores. Maior patet, cum Reverendæ nihil aliud ſint, quā teſtimonium, in quo Ordinandi *probitas, ac mores Ordinarij ſui teſtimonio commendantur*: ſic enim dimiſſoriæ à Trid. *ſeſ. 23. c. 18.* definiuntur, ut notat Zerola *verb. dimiſſoriæ §. 4.* dicens, dimiſſorias continere Ordinandum, *idoneum & habilem prævio examine repertum.*

3 Minor probatur tum ex dictis in præcedenti aſſertione, tum ex illo cōmuni Doctorū principio: *Gratia facta non expirat morte concedentis*, quod habetur *cap. ſi ſuper Gratia de offic deleg. in 6. & c ſi cui. de Præb. eod. lib.* Et nominatim Reverendas has eſſe gratiam factam, & non expirare morte concedentis illas, etiam ſi non ſint preſentatę, communis eſt Doctorum ſenſus. Ita Navarrus *in c. Placuit n. 163. de pœnit. diſt. 6, & to. 1. conſil. 49. de temp. ordin.* Enriquez *l. 10. de ord. c. 22.* Bonacina *de ord. d. 8 p. 4. n. 21*, Gutierrez *l. 2. can. qq c. 1.* Naldus *v. Ord. num. 12.* Ioannes de la Cruz *dub. 5. de ord.* Ledeſma *cap. 8.* Sa *ver. dimiſſ.* Sayrus *deciſ. 52. de temp. ordin.* Gonzalez *ad Regul. 8. Cancel. Gloſſa 12. num. 37.* Sanchez *l. 28. de mat. d. 28. num. 83.* Quarāta *verb. Capitulum.* Barboſa *in 7. ſeſ. Trid. c. 10.* Rebufus, & Geminianus, apud Zerolam *verb. dimiſſ. § ad nonum.* Perez *l. 6. tit. 2. lib. 3. ordi.* Villalobos *diſ. 9. num. 6.* & alij plures.

4 Præterea, quia ſicut dimiſſoriæ cònceſſæ à Capitulo Sede-vacante non expirant per adventū Epiſcopi, ut docēt Rodriguez *tom. 2. ſum. cap. 14. concl. 5.* Valaſcus *ſup. num. 13.* Ledeſma *de ord. cap. 8. concl. 4.* Quaranta *ſup. verſ. ſecundo.* Pavinus *de poteſt. cap. Sede uac. 1. p. pag. 18. n. 9.* Ledeſma, Enriquez, & Ioannes de la Cruz *ſup.* ac alij Doctores ibi relati: ita nec Reuerendæ conceſſę ab Epiſcopo ipſo mortuo expirant.

5 Si vero ante Epiſcopi mortem ab illo, vel ab illi? Vicario (idem enim quoad hoc unus, ac alter, cum unicum & idem Tribunal uterque conſtituat) ſolùm foret facta approbatio, vel ſcientiæ diſiunctim, vel morum, ſic dimidiatè approbatus ordinari nequibit: cum utrumque includant litteræ dimiſſoriæ, & in eis dicatur, quis idoneus quo ad mores, & examinatus & approbatus dimitti; nec concedi communiter dimiſſorię poſſunt ante ante prævium examen, & approbationem, ut ex Tridentino *ſeſ. 25. c. 3. de Refor.* notat Sanchez *duh. 20. num. 10.* Immo hæ iam ſupponunt beneficij titulum, ætatem, & alia ad ordines re quiſita approbata eſſe.

6 Sed cum hoc ſtat probabilitate non carere

careat quòd ſi ab Epiſcopo demortuo, vel Proviſore eius approbatus quis quoad mores fuerit, licet non quoad ſcientiam, quia in ea non examinatus eſt, poſſet tunc Ordinari præmiſſo ſufficientiæ examine: quia dimiſſoriales iam habere videtur ex morum approbatione, quę eſt dimiſſorialium præcipua pars, & Capitulum poteſt tunc dare licentiam ad examen faciendum, vt Sing. ſequenti probabimus: ſecus cenſeo, è contra, ſi habuerit approbationem ſcientiæ, non verò vitæ propter ibi dicenda.

7 Secunda concluſio: Nulli alij ſubditi Diœceſis vacantis, in caſu propoſito Singularis præcedẽtis, Ordinari potuerunt, etiam ſi iam exibuiſſent ſcrutinia de genere, & moribus, & ab Officialibus hæc conſpecta, & approbata eſſent; ſed non ipſi in litterarum, & morum examine ſunt approbati. Ratio eſt, quia hi neque ab Archiepiſcopo mortuo habent, nec ab alio habere poſſunt dimiſſoriales. Et hoc intelligendum eſt de ſubditis Sedis vacantis quovis titulo, vt domicilij, beneficij, aut naturalitatis, ac etiam de ſubditis incolis alicuius oppidi, in quo Capitulum haberet iuriſdictionem ordinariam, quia eſſet illius Dominus, ac Ordinarius Iudex, ab Epiſcopoq; omnino, quo ad hoc exemptus. Sic ſentiunt Emmanuel *ſup.* 1 *n.* 2. Quaranta, Barboſa *ſup.* Enrriquez *l.* 10. *c.* 22. *n.* 3. referens ita Epiſcopum Salmantinum obtinuiſſe contra Capitulum ſuæ Eccleſiæ anno 1581.

8 Sed exiſtimo, quòd ſi Capitulum eam iuriſdictionem habeat, vt extra Sedem vacantem concedat litteras dimiſſorias habitatoribus illius oppidi ſibi ſubiectis, poſſit etiam infra Sedis-vacantis annum, illas cõcedere: ſicut de Abbatibus, & alijs Prælatis iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentibus paulo ante dicebamus: tunc enim non concedit illas Capitulum in quantum vacante Sede in Epiſcopi iuriſdictionem ſuſcedit, ſed in quantum independenter ab iſta vacatione iuriſdictionem habet exemptam, nec inferioris conditionis debet eſſe Sede vacante, quam ante vacationem.

9 Nec obſtat aſſertionibus his Tridentinum *cap.* 5. *ſeſſ.* 6. ibi: *Nulli Epiſcopo liceat cuiuſvis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarij loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubiectas tantùm:* nam vt recte inter declarationes Concilij *hic n.* 3. *Quæ non ſunt ſubiectæ illi Ordinario*; additur: *Niſi habeãt dimiſſorias generales à ſuis Ordinarijs.* Et infra; *Non ex iduntur propterea Clerici aliarum Diœceſium (ſi ſuas litteras dimiſſorias habeant) quominus poſſint ad Epiſcopis extraneis in aliena Diœceſi de licentia Ordinarij Pontificalia exercentibus ordinari.* Et animadverte; Quòd nomine *Ordinarij*, vbi non eſt ſpecialis prohibitio, comprehenditur Capitulum, Sede-vacante, etiam intra primum annum; & quoad ea, quæ ad Ordinum promotionem ſpectant; ſi quidem habet eandem iuriſdictionem ordinariam, ac Epiſcopi. Sic Thomas Sanchez *ſu. du.* 26. *n.* 3.

Animadverte etiam non eſſe neceſſariã tunc expreſſam licentiam Capituli, vt ordinentur, qui a ſuis Epiſcopis dimiſſorias litteras afferunt, vt docent Venerus *exam. Epiſc. l.* 1. *c.* 12. *n.* 52. Navarrus, Toletus, Fornarius, quos citat & ſequitur Mauricius Salzedo *prax Epiſcop. p.* 2. *c.* 5. *n.* 30. ſed ſufficit licentia generalis Capituli, & vt Epiſcopus in eius Eccleſia ordines celebret. Oppoſitũ docent Barboſa, & Miranda apud Dianam *p.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 144.

SINGVLARE VIII.

V. In caſu propoſito Sedis-vacantis, poſſent ordinari omnes Regulares, etiam non examinati ante mortem Epiſcopi?

1 SVPPONENDVM eſt, vt omnino certum, inveterataque Diœceſum conſuetudine confirmatum, Regulares omnes litteris dimiſſorijs à ſuo Regulari Prælato, non ab Epiſcopo Diœceſano conceſſis Ordinari poſſe à quocumq; Antiſſite, & de facto Ordinari. Sic probant Navarrus *l.* 2. *Conſil.* 22. *&* 23. *de temp. Ord.* Enriquez *l.* 7. *de indulg. c.* 26. Miranda *to.* 1. *q.* 39. *art.* 3. Emmanuel Rodrig. *to.* 1. *q.* 18. *art.* 5. & plures alij: ac patet ex Regulariũ priuilegijs, quæ in eorum cõpẽdio *verbo Ordo, & Dimiſſoriæ*, videri poſſant: Ac ita decrevit Cõgreg. Trid. martij 15. an. 1596. *ap. Barb. ſeſſ.* 23. *c.* 10.

2 Et non ſolùm licere Epiſcopis ordinare Regulares afferẽtes ſuorum Provincialiũm, Abbatum, aut Generalium dimiſſorias; ſed graviter ad id teneri, ex Mandoſio, & Navarro docet Emmanuel *ſupra*, & colligitur ex Bulla Clementis VIII. quæ incipit: *Vt ea, quæ pro Eccleſiaſticarum, &c.* edita anno 1592. vbi conceditur Monachis Beatæ Mariæ de Alcoçaba Cirtercienſibus Regnorũm Portugalliæ; *Poſſe a quibuſuis Ordinarijs ad Ordines promoveri, nec non Monachos à Diœceſanorum ſuperioritate, & iuriſdictione exemptos abſque illorum litteris dimiſſorijs, cum teſtimonialibus litteris ſuorum ſuperiorum tantùm, ad omnes etiam ſacros, & presbyteratus Ordines admitti debere.*

Et addit poſtea Clemens: *Hæc decreta approbare, eaque per quoſcumque Archiepiſcopus, Epiſcopos, vel alios locorum Ordinarios inviolabiliter perpetuò obſeruari debere ſtatuimus, & ordinamus.* Affertur ab Emmanueli. *to.1. q.* 18.*art.*5. Et eius meminit Miranda,*ſup.*

3 Nota verbum *debere*, quod plerumque inducit neceſſitatem, & coactionem, vt *in l. Prætor, in princip. ff. de edendo l.*1. *§. qui magiſtratum. ff. quod quiſque iuris*, ac in Gloſſa, *verb. debent. in Clem.* 2.*de ſtatu Monach.* notant Tiraquellus *de retract. lig. §.* 1. *gloſ.* 15. *n.* 1. Burgos de Paz *in l.* 3. *Tauri p.* 2. *concluſ.* 4. *n.* 1153. Hypolitus *conſ.* 60.*n.*4. Menochius *de præſumpt.l.*5.*q.*47.*n.*9. Perez *l.*1.*tit.*1.*lib.*5. *ord pag.*25.Seraphinus *de privileg.iuram.priuil.* 33.*n.*70.Ioſeph de Seſſe *Aragonię deciſſ.*230. *n.* 15. Emmanuel *to.*3. *q.*47. *art.*4. Tuſchus *lit.D cono.*32.*n.*2. & alij.

4 Sed clariùs hæc obligatio declaratur a Gregorio XIII.nam Bulla edita anno.1582. quæ incipit: *Pium, & utile, &c.*& Societati Ieſu conceſſa ſic ait: *Omnibus Epiſcopis, & alijs Antiſtibus præſentibus, & futuris in perpetuum præcipimus, atque interdicimus, ne ab huiuſmodi promovendis, qui licentiam à Præpoſito Generali dictæ Societatis pro tempore exiſtente, vel ab eo delegatis habuerint, quidquam prædictorum requirant, vel exigant; ſed ipſos etiam abſque ulla functione in Ordinibus ipſis, inteſtitiorumq; ad illos ſuſcipiendos obſeruatione, aut inquiſitione de cantu, officijs, & ceremonijs Eccleſiaſticis, idoneitate, propry Ordinarij licentia, & alijs in alijs requiſitis, &c. ad ſacros, etiam Presbyteratus Ordines promoveant.* Et hoc intelligendum eſſe ante ſolemnem profeſſionem poſt biennij vota declaravit, & conceſſit Paulus III. Bulla edita anno 1546.quę incipit: *Exponi nobis, &c.* Et ipſe Gregorius XIII. Bulla anni 1573. quæ incipit *Ex Sedis Apoſtolicæ*: ibi: *Nec non vt ij, qui tria vota prædicta ſcilicet poſt biennium; in eadem Societate emiſerint de licentia ſui Præpoſiti Generalis, ad ſacros, etiam Presbyteratus Ordines, etiam ante ſolemnem profeſſionem emiſſam promoueri valeant.*

5 Vnde exiſtimo graviter peccare Ordinarios, qui ſine gravi cauſa, forſanq; paſſione moti, ad Ordines non admittunt Regulares quoſcumque dimiſſorias à ſuis ſuperioribus afferentes; quia gravem illis & Religioni iniuriam irrogant, privilegia Pōtificia contemnunt, & Pontificis præceptis in regravi non obediunt.

6 His poſitis, certum eſt poſſe Regulares Ordinari ab Epiſcopo, cui Capitulum infra vacantis Sedis annum conceſſit, vt in ſua Diæceſi Ordines celebraret. Probatur 1. Quia id conceſſum, vel permiſſum cenſetur alicui quod ei ex preſsè prohibitum non reperitur; ſed Capitulo Sede tunc vacante hos admittere ad Ordines non eſt prohibitum; quia nihil aliud ei circa Ordines eſt prohibitum, niſi dimiſſorias ſubditis ſuæ Diæceſis dare: ergo omnia alia, quæ ad Ordines ſpectant; ut concedere quod in ſua Eccleſia Ordinentur Regulares, eſt illi conceſſum, vel permiſſum. Maior conſtat, *ex l. Nec non. §. quod eius. ff. ex quibus cauſis maior. l.*1. *ff. de teſtib. l. manus. §. quæritur, ff. de procurat. l. ſtatuas, C. de Religioſ. & ſumpt. funer. cap. Omnes*, & ibi Gloſſa 3.*diſt. cap.*1.*de tranſlat. Prælati.* ubi Gloſſa *verbo, non inuenitur, cap. cum illorum* 32.*verſ.* 7.*de ſent. excom.* ac docent Alciatus *reſp.*8. *num.*18. Burgos de Paz *conſ.*8.*n.*3.Bertazol.*tract. clauſul. anſtrum. clauſ.* 2.*gloſ.*1.*num.*5 Bobadilla *polit.l.*3. *cap.*4.*n.*44. & alij plures. Minor probata eſt ſupra ubi oſtendimus, ſolùm Capitulo dimiſſoriales concedere intra primum annum eſſe probitum à Tridentino ex communi Doctorum ſenſu. Ex maiori autem, & minori conceſſis eſt evidens conſequentia; præſertim cum neceſſum non ſit, ut Regularibus concedat Capitulum dimiſſorias, nam à ſuo Regulari Prælato illi eas habent.

7 Probatur 2. Quia Regulares omnes ſuorum ſuperiorum dimiſſorias habentes, admitti ad Ordines omnes debent, vel poſſunt à quocumq; Catholico Antiſtite, Ordines celebrante, vt patet ex privilegijs relatis: ergo etiam debent admitti a Capitulo, ſeu ab hoc Antiſtite Ordines celebrante de ipſius licentia. Confirmatur: quia Superiores Regulares non minus vocantur, & ſunt Ordinarij reſpectu ſuorum ſubditorum Regularium; quàm Epiſcopi, vel alij ſæculares Ordinarij reſpectu ſuorum ſubditorum ſæcularium; ſed ſæculares afferentes dimiſſorias ſuorum Ordinariorum admitti poſſunt ad prædictos Ordines: ergo & Regulares, ſi eas afferant à ſuis Ordinarijs conceſſas. His, & alijs fundamentis, ut abitror, nixi doctiſſimi Societatis noſtræ viri, & inter eos Pater Didacus Ruiz, Iacobus Granado, & Mathæus Rodriguez à Capitulo Hiſpalenſi cōſulti anno 1622. in caſu relato Sing.6.huic ſententiæ ſubſcripſere: ſicq; omnes Regulares ad Ordines omnes tunc admiſſi ſunt á Capitulo.

8 Porro hoc nullo modo prohiberi à Tridentino, *in illis verbis ſeſ.* 7. *cap.* 10. *Non liceat Capitulis Eccleſiarum Sede-vacante infra annum à Sede vacationis Ordinandi licentiam, aut litteras Dimiſſorias, ſeu Reuerendas, &c. alicui, qui beneficij Eccleſiaſtici occaſione recepti, vel recipiendi arctatus non fuerit, concedere*,

ſen-

ſentiunt ſine dubio omnes Doctores pro noſtris ſententijs in hoc, & antecedenti Singulari relati. Quibus magis adrem adde Bellarminum, *in obſeruatione ad hoc cap.* 10. *Trid.* ita loquentem: *Concilium videtur loqui de ſæcularibus Diœceſanis, dum ſ. fundat in ratione beneficij adquiſiti, vel adquirendi; quæ ratio non militat in Regularibus, quibus non conferuntur beneficia, cum Ordinentur ad titulum profeſſionis, & cum eorum ſuperior cum his diſpenſet, vt Ordinentur propter Religionis ſuæ neceſſitatem, eoſque approbet: nihil habet Capitulum gerendi in hoc caſu, quod ad eius munus pertinet, niſi licentiam dare ad Ordines ſuſcipiendos.* Et infra: *Niſi reſtringamus hunc textum ad caſum cap.* 10 *infra ſeſ.* 23. *Capitula quæcumque, etiam Eccleſiarum Cathedralium, litteras dimiſſorias aliquibus Clericis ſæcularibus, vt ab alijs ordinentur concedant: ubi nihil dicitur contra Ordinantes, vel concedentes licentiam, ſed tantùm contra concedentes dimiſſorias. Et quod* 12 *Regulares, vel exempti non includantur ſub hoc textu tenet Cardinalis Toletus l.* 1. *cap.* 49. *verſ. Quinta.*

9 Sed obijcies: Dimiſſoriæ conceſſæ Regularibus à ſuo Superiore non ſunt abſolute dimiſſoriæ, ſicut conceſſæ ſecularibus à ſuo Superiore; hæ enim continent approbationem morum, & ſcientiæ; illæ verò morum tantummodò: & ita cum his valent tunc ſæculares Ordinari; non verò Regulares cũ ſuis; nã ex Tridentino *ſeſ.* 23. *c.*12. indigent examine, quod à Capitulo Sede-vacante infra annum nequit fieri; cum ſit pars quædam ſubſtantialis dimiſſoriarum; hæ enim ex approbatione morum, & ſcientiæ coaleſcunt; & ita in eis dicitur ab Ordinarijs: *Examinatum, & approbatum remittimus*, ergo, &c.

10 Reſpondeo, non minus eſſe, & vocari debere *Dimiſſorias*, ſeu *Reuerendas*, quæ Regularibus, quàm quæ ſæcularibus conceduntur, vt patet ex indulto Clementis VIII. ſupra poſitò, & ex communi acceptione; & nil aliud prohibetur Capitulo, quam Reverendas dare; ſic vocantur, quæ Religioſis dantur. Quod autem examen hæ non includant, nil obſtat; cum hoc ſit minus principalis pars dimiſſoriarum, & ita etiam ſi illius teſtimonium ſæcularium Reverendis inferatur adhuc ab Ordinario, in cuius Diœceſi Ordines fiunt ſæpe examina repetuntur; & repeti poſſe decrevit Congregatio Tridentini apud Barboſam *in ſeſ.* 23. *cap.* 10.

11 Præcipua ergo Dimiſſorialium pars, eſt morum approbatio, vt patet in Trident. *ſup. c.*8. *Niſi eius probitas, ac mores Ordinarij ſui teſtimonio commendentur*; & ita *Acceſſorium ſequitur naturam ſui Principalis*, Vt *ex l. etiam c. de iure dot. leg. acceſſorum* 42. *de reg. iur. l.*6. docent Menochius *conſil.*58. *n.*13. Surdus *de aliment. tit.*9. *q.*31. *n.*8. Tuſchus *lit. A. concl.* 76. Pichardus *ad* §. *Siquis alium. n.*32. *inſtit. de inutilib. ſtipulat.* Quod maxime verum eſt, cum Acceſſorium eſt à ſuo Principali ſeparabile, vt Menochius *de interdict. remed.*6. *recuper. poſſeſſ. n.* 45. docet: ſic in præſenti ſeparabilis omnino eſt approbatio morum a ſcientiæ approbatione: & quia quòad Regulares, huius notitia facile comparari ab Epiſcopis valet præ vio examine; non verò approbatio morum, quorum cognitio ad eos nõ ſpectat; ideo in dimiſſorijs Regularium hæc, non illa approbatio inſeritur: ſicut in ſæcularium Reverendijs, cum cognitio tam illorum ſcientiæ, quàm morum ad ſuos Ordinarios pertineat.

12 Nec verum eſt, Capitulum Sede-vacante infra annum non poſſe concedere facultatem ad examen Regularium faciendum: cum hoc non ſit concedere Reverendas, quarum conceſſio ſolùm prohibetur quæ prohibitio cum ſit correctoria iuris communis limitari debet iuxta Doctorum Regulas, & ſic poteſt infra anum diſpenſare ad Ordines ſuſcipiendos, in interſticijs, nec non cum illegitimo ſibi ſubdito, cum corporis vitiatò, cum bigamo, & cum alijs omnibus; itẽ in irregularitatibus, in quibus ex ordinaria ſua poteſtate poteſt Epiſcopus, & defacto diſpẽſaret Capitulũ, ſitunc ſubdito, beneficio arctato concederet. vt poteſt, Reverendas ad Ordines ſuſcipiendos. Et tandem excepta dimiſſoriarum conceſſione infra annum, tũc & ſemper omnia, quæ Epiſcopus ex ordinaria iuriſdictione poteſt, Capitulum, Sede-vacante poteſt quoad promotion m ad Ordines tam reſpectu ſuorum ſibi ſubditorum, quàm aliorum, ſive Regularium, ſive ſæcularium, quia in his omnibus Epiſcopo ſucedit, ut recte docet Thomas Sanchez *to.*2. *conſ. dub.*26. probans: *Quod Capitulum Sede-vacante ante annum elapſum poſſit licentiam concedere alicui Epiſcopo, vt in ea Diœceſi ad Ordines promoueat alienos habentes dimiſſorias Epiſcopi mortui, vel Nuntij Apoſtolici, vt a quocumque Antiſtite Ordinentur.* Et idem iudicium ferendum eſſe de Reverendis conceſſis a Prælato Regulari ſatis ex rationibus, quas effert hic Doctor innuit, & in titulo huic dubio affixo magis declarat.

(:§:)

SINGVLARE IX.

V. Examinatoribus liceat ad Sacros Ordines approbare Regularem, ſeu ſæcularem latinæ linguæ prorſus ignarum; qui tamen omnium Ordinum miniſteria exercere rectè ſciat, & valeat?

1 VIDI nonunquam huiuſmodi viros; maximè in divini cultus miniſterijs inſtructos; qui Epiſtolas, Evangelia, & Miſſas rectè legebant, & pronuntiabant, Officijs divinis in Choro, & extra illum debitè miniſtrabant, Miſſæ ceremonias per callebant, in cantu, immo & in organi pulſatione, ſtrenui erant, & tandem omnia, quæ ad Horarum recitationem, Miſſæ, & Officiorum divinorum celebrationem ſpectabant, ita exequebantur ac ſi in lingua latina exiſterent peritiſſimi; & nec primis, ut aiũt, labris eam attigerant. Illos igitur abſque ulla latinæ linguæ notitia ſacris initiari poſſe perſuadet ratio nõ levis; cùm enim ideo huius ſcientia, ſeu intelligentia requiratur, à Tridentino, ad ordines etiam ſacros, vt eorum miniſteria debitè exerceantur, quia vt rectè dicitur ex Hilario *Cap. intelligentia de verb. ſignif. Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi*; ſi hi debite exercent omnes ſacrorum Ordinum functiones, ad illos poſſunt licite promoveri.

2 Confirmatur 1. ex Innocentio IV. *in Cap. cum in cunctis. de electione.* Qui explicans ſcientiam, quam Ordinandi debent habere *nu.* 1. ait: *Cantor debet ſcire cantum, & ſic de omnibus Ordinibus, quod ſatis colligitur ex ijs, quæ eis dantur, & dicuntur in Ordinatione, & ex poteſtate, & officio, quod habent, exercere tenentur.* Et concludit: *ille habet ſufficientem ſcientiam, quæ ſufficit ſibi ad faciendum ea, quæ ſibi imminent.*

3 Clariùs hoc explicuit Thomas Sanchez *to. 2. conſ. l. 7. c. 1. du. 40. n. 4. Vt non peccetur*, inquit, *in promotione ad ordines, ea ſcientia neceſſaria eſt, quæ neceſſaria eſt ad bonam miniſterij Ordinis ſuſcepti executionem: unde maior ſcientia requiritur ad unum Ordinem, quàm ad alium. Ratio, quia cum facultas operantis ſit propter uſum, ei rectè facultas traditur, qui ea ſcit, uti:* Sic ille citans pro hac ſententia Sotum utrumque Ledeſmam, Bernardum Diaz, Salzedo, Navarrũ, ac alios. Confirmat hoc. 2. communis Doctorum: nam S. Thomas, Hoſtienſis, Raym. Goffred. Albertus Magnus, & alij, quos referunt ſumma confeſ. *l. 3. trat. 5. q. 2.* & Vibaldus *inf. n. 92.* afferunt Ordinatum teneri ſcire quæ *pertinent ad officium, ad quod ordinatur*; ſeu vt ex Doctoribus ſõquitur Bõnacina *de ord. d. 8. p. 5. n. 16.* vt *ſit ſufficiens ad uſum unius cuiuſque Ordinis*, vel vt ex Sayro, Riccio, Vazquio, Suario, & alijs tradit Molfeſuis *tr. 2. de ord. c. 13. n. 1.* ſcientia ſufficiens eſt vt *ſinguli ſciant concernentia ad ſuum Ordinem:* ergo cum præfati hæc ſciant, licitè Ordinari poterunt?

4 Adhuc ſit 1. concluſio: Huiuſmodi Regularis, vel ſæcularis ita in Ordinum functionibus inſtructus licitè non poteſt ſacris initrari, ſi omnino ignarus ſit linguæ latinæ, ita quod vocabulorum ſignificationem, nominum declinationem, & verborum coniugationem, caſus, orationeſq; facillimas ignoret. Probatur, quia hic eſt inhabilis, & irregularis, vt pote omnino illiteratus. Sic C. illiteratos 1. *diſt. 36. Illiteratos, aut aliqua parte corporis vitiatos, vel imminutos nullus præſumat ad Clericatus Ordinem promouere, quia litteris carẽs ſacris non poteſt eſſe aptus officijs.* Vbi Gloſſa: *Illiteratos, ſcilicet penitus; ſufficit; tamen mediocris ſcientia, vt extra de elect. c. cũ nobis olim.* S. c etiã, in *Cap. Præcipimus, diſt. 34. Cap. finali. de tempor. Ordinat. in 6. & cap. Pœnitentes. diſt. 55.* vbi Gloſſa, & omnes utriuſque iuris Doctores docent, Irregularem eſſe ad Ordines, etiam minores, omnino illiteratum, ſeu prorſus litteras ignorantem. Sic Alvarus Pelagius, Navarrus, Ledeſma, Rebufus apud Sanchez *ſup. n. 1.* Toletus, Suarez, Filiucius, Reginaldus, & Azor apud Bonacinam *d. 7. de cenſur. p. 1. q. 2. n. 2.* Innocentius Papa, *in Cap. cum incunctis.* Cardinalis Immola, Bonifacius *in Clem.* Maiolus *l. 1. de irregul. cap. 32.* Salzedo *practi. crimin. c. 21. ver. Ordinari*, & eſt communis, vt fatetur Navarrus *in Cap. Quando de Reſcrip. except. 1.*

5 Vnde communis DD. tenet graviter peccare Epiſcopũ, & Examinatores, qui omnino illiteratũ, ſicut & aliàs ex moribus indignum, ad ordines, etiam minores, ſcienter approbant; quia infideliter in re graviſſima munus ſibi commiſſum exequntur. Ita S. Thomas, Aſtẽſis, Tabiena, Ledeſma uterque, Sotus, Sylveſter, & alij apud Sanchez *nu. 2.*

6 Sed dices, non eſſe omnino illiteratum, ac pro inde nec irregularem, qui optime legere ſcit & pronũtiare, altarive inſervire in functionibus Ordinum, etiam Sacerdotij: ergo hic non comprehenditur in decretis relatis, neque repellitur Doctorum ſententia. Reſpondeo, omitti poſſe antecedens, & conſequens, ſi præciſſè ad iura antiqua attendamus; at cum vel hæc Tridentinum *ſeſ. 23. c. 11.* explicuerit, vel novum ius condiderit, ſtatuens, vt *Minores Ordines ijs, qui ſaltèm latinam linguam intelligunt, conferantur:* non ſufficit prædicta ſcientia legendi, functioni-

buſq;

buſq; ſacris inſerviendi, ſed requiritur præterea intelligentia linguæ latinæ, ſeu cognitio eorum, quæ in Epiſtolis, Evangelijs, & Miſſa leguntur; nam vt latinæ linguæ periti, & Rebufus *de verb. ſignif. l. n. 6.* docent, verbum *intelligere ſignificat cognoſcere, mente percipere, ſeu complecti: quia intelligere*, ait latinus Theſaurus, *ex inter, & lego compoſitum eſt, quaſi interioribus legere, ſignificat videre, & mente percipere.* Et Rebufus *in l. 33. Quod intelligimus id proprie fit per aures, vel per intellectum, & mentem, dum percipimus aliquid.*

7 Aliter, ſi ſufficeret, vt quis rectè legat, aut pronuntiet, aut memoriter ſciat ea, quæ in Miſſa, vel divino Officio dicuntur, vt dicatur ſcire, aut intelligere latinam linguam: etiam puer, & phyſitacus dicerentur ſcire, & intelligere, cum hæc præſtant; quod eſt abſurdum. Vndè ſapienter Refubus *de verb. ſignif. in l. 23. Quitenet*, inquit, *memoriter verba legis, & recordatur, nõ dicitur ſcire leges, ſed oportet habere ſenſum eorum, atque affectum: alioqui puer octo annorum, qui memoria commendaſſet leges, vel phyſitacus, vel ſtultus diceretur ſcire leges. Sed quia ſenſum legum non habet, licèt verba legis mente teneat, & recordetur, ſcire leges non dicitur.* Hinc rectè explicat Navarrus *c. 17. ſum. hiſpana n. 205.* Quis ſit idiota. *Para Ordenes menores aquel ſe dize Idiota, que no ſabe aun leer, y para las mayores, aquel que no ſabe algo del lenguage, en que eſtán eſcritos los Officios diuinos: como el que no ſabe nada de latin entre los latinos, y el que no ſabe nada de Griego entre los Griegos.* Reginaldus *l. 30. tr. 2. c. 1. n. 36. ex cap. fin. de ætate, & qualitati*, ait, eum dici illiteratum, *qui numquam Grammaticam audiuit.*

8 Secunda concluſio: Minor intelligentia requiritur latinæ linguæ ineo, qui ad Ordinum functiones, & Eccleſiæ miniſteria benè inſtructus eſt, rectéq; pronuntiat, quæ legenda, vel canenda ſunt, quam in eo, qui ita in his inſtructus non eſt; ſed tamen in illo aliqualis requiritur. Probatur: quia cũ habeat ſcientiam ſufficientem ad uſum, & exercitium Ordinum Diaconatus, aut Subdiaconatus, Sacerdotij ve, quibus initiandus eſt, ſitque Eccleſiæ, & divino cultui vtilis; aliqualiterq; licèt defectuoſiſimè, latinam linguam intelligat; huius intelligentiæ defectus ſatis illa ſcientia, & utilitate ſuppletur; & cum propter illam, ſcilicet propter rectam Ordinis executionem, latinę linguę intelligentia à Tridentino exigatur, eius decreto, & legi rectè dictis ſatisfit. Nam *Lex non ad verborum formulam, & ritum, ſed ad effectum ſolùm attendit*, vt probat Ferrerius *in conſtit Cathalon. gloſ. 4. n. 66.* Et *Ratio Generalis legis reſtringitur ex mente, & fine legis*, vt probant Surdus *deciſ. 9 n. 13.* & Armendariz *in proem. addit. ad recopil. leg. Nauarræ n. 131.* Vnde in his ſufficiet, quod rudimenta aliqua addiſcerint, ſciant aliqua nomina, & verba inflectere, aliqua clara vocabula intelligere, facillimas orationes componere, aut ſaltim quod rudi Minerva earũ ſenſus ex cõtextus filo non prorſus eos fugiat.

9 Hanc ſententiam forſan indicavit Innocentius Papa *in Cap. cum in cunctis de Elect. nu. 1. Eſt*, inquit, *ſcientia requirenda ſecundum dignitatem, & locum, & Ordinem, ad quem aſſumitur*, ſeu vt explicat Navarrus *Cap. ſi quando excepit. 13. n. 1. Is dicitur idoneam beneficio habere ſcientiam, quæ ſufficiens eſt attenta illius dignitate, loco, & Ordine.* Idem docent Felinus, Andreas Sicul. Cardinalis Immola, & Bonifacius, Hugotius, Archidiaconus, & alij ibi: & vt rectè S. Thomas *12. q. 76. art. 2. Omnes tenentur ſcire communiter ea, quæ ſunt fidei, & vniuerſalia iuris præcepta. Singuli autem, ea, quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant.* Aſt hic optime exequi ſcit quæ ad ſuum Ordinem, & ſtatum ſpectant: ergo licitè promoveri valet; & non ita ſeverè cum illo, ac cum alijs hæc lex obſervanda eſt.

10 Clariùs hoc docuit Vivaldus *candel p. 2. §. 5. de irregul. n. 94.* cuius verba libet referre. *Ex quibus*, ait, *& Maiolo l. 1. c. 32. n. 10. nota, non eſſe iudicãdum Idiotam, & Illiteratum illum, qui & ſi litteras multas non didicerit, in rebus tamen Eccleſiaſticis, & diuinis officijs dicendis ita expertus eſt, vt quodam magno uſu omnia nouerit, atque multos Sacerdotes in hoc ſuperet: nam tales ſic experti Ordinandi ſunt. Abb. & alii, quos ibi refert in Cap. final. de at. & qual. Nam de multis Sanctis legimus, non propter litteras [quas non habebant] fuiſſe Ordinatos, ſed propter Eccleſiaſticarum rerum peritiam, ac morum ſanctitatem, vt de quodam, cui nomen Sanctulus, ſcribit S. Gregorius l. 3. Dialogorum c. 37. & de Ioanne Egyptio Anachoreta tradit Hiſtoria Tripartita l. 8. c. 1. & de Didimo Alexandrino refert S. Hyeronimus Cathal. ſcript.* Hæc ille; cui libẽter ſubſcribo. Nota tamen, quod non dicit hos omnino illiteratos eſſe, ſed quod multas litteras non didicerint.

SINGVLARE X.

Quæ intelligentia linguæ latinæ ſufficiat, vt quis ſacris initietur?

1 SIT concluſio: Ea notitia Grammaticæ, ſeu latinæ linguæ ſufficiet, vt quis ſacris initiari licite valeat, quæ ſãtis ſit, ut illum omnino illiteratum, aut Idiotam latinæ linguæ non eſſe

eſſe verè dicamus, ſeu cum qua non exiſtimetur penitus Grammaticæ, ac rudimentorum eius ignarus â viri ſapientibus; quorum arbitrio relinquendum eſſe iudicium hoc, tradunt Innocentius, Navarrus, Bonifacius, Ioannes Andreas, & Salzedo *ſup.* Sed clariùs id patebit ex ijs, quæ in generali ad hos Ordines requiruntur à Doctoribus, ex quibus; *Ad ſacros Ordines exigitur*, inqui Sotus *in* 4. *diſt.* 25 *art.* 4. *q.* 1. vt *Diaconus, & Subdiaconus, latinè ſciat, nempe vt quæ legit, intelligat, quamuis Myſteria non adeò Theologicè calleat. Ad Presbyteratum autem aliquanta Scripturæ intelligentia exigitur.* Ita etiam docent Menochius *l.* 2. *de arbitr. cent.* 5. *caſ.* 425. *n.* 5. Bartolomæus à Ledeſma *de ord. dub.* 16. *pag.* 1189. & Thomas Sanchez, *dub.* 45. *n.* 15. qui ex ipſo Ledeſma, & alijs Recentioribus addit *n.* 16. *Ad Sacerdotium, ultra dicta requiritur, vt ſacrificium illud intelligat, & ſic requiritur, vt bene legat contenta in Miſſa, & mediocriter intelligat, & vt habeat mediocrem ſcientiam, vt poſſit ſeruare ritè ea, quæ ſpectant ad Miſſam confitendam: vt quod ſciat defectus occurrentes in Miſſa, materiam, & formam conſecrationis, diſpoſitionem neceſſariam ex parte animæ, & corporis.* Explicat item Zanardus *de ord. c.* 2. dicens; *Sacerdos vt eſt deputatus ad diuinum officium tantùm tenetur ſcire de Grammatica, ut intelligat, quæ legit; vt eſt miniſter Sacramentorum debet ſcire materiam, & formam, & modum diſpenſandi Sacramenta.* Conſonant Reginaldus *l.* 30. *n.* 2. *c.* 1. *n.* 56. & alij.

2 Ritus verò, & defectus in Miſſa occurrentes, & alia huiuſmodi, quæ in Rubricis Miſſalis, & Breviarij inveniuntur, poterit hic addiſcere in libris, qui materno ſermone ſcripti paſſim habentur, vt in Alcozer, & in alijs hiſpané ſcribentibus, vel ab amico percipere, & experientia comparare. Sic etiam plures Moniales, licèt omnino ignaræ ſint latinæ linguæ, omnes Breviarij Rubricas, & plura ad Miſſæ celebrationem ſpectantia rectè ſciunt, & exequntur. Et quamuis cum nulla Grammaticæ notitia poſſet munera ſuorum Ordinum debite fungi [quod difficile exiſtimo, ſed accidere poſſe fateor] tamen propter Eccleſiaſtica præcepta, præcipue Tridentini, inhabilem ad Ordines conſtituentia omnino Illitteratum, ſeu latinitatis ignarum, hæc qualifcumquè in prædictis ſit, requiritur. Sicut etiam ſi quis membro aliquo carens, aut vitiatus, vel ſcienter rebaptizans, illegitimus, bigamus, homicida, vel ſuſpectus de hæreſi, rectè poſſent Ordinum ſacrorum miniſteria exercere; ad illos tamen non admittuntur ſine diſpenſatione, quia irregulares à iure exiſtimantur ob maximam ſacro Ordini reverentiam debitam ex parte corporis, & animæ. Oppoſitum huius noſtræ ſententiæ cenſuit Petrus de Ledeſma *c.* 7. *de ord. concl.* 4. reſtringens ſuam ad Regulares; ſed eandem eſſe horum ac ſæcularium rationem oſtendunt prædicta, & videbimus ſingulari ſequenti, poſteaq; agemus de diſpenſatione cum omnino Grammaticæ ignaro; diſputabimuſque, an hæc poſſit dari?

SINGVLARE XI.

V. Inferior intelligentia latinæ linguæ exigatur in Regulari, quam in Sæculari minoribus vel ſacris Ordinibus initiando?

1 AFFIRMATIVAM ſententiam ſtatuiſſe videtur Innocentius III. *in Cap. cum in cunctis. de elect.* Si autem, inquit, de Ordinandorum ſcientia loquens, *ſint, parum ſcientes, & ſpes ſit quod poſſint proficere, promoueri poſſunt; ſi autem non ſit ſpes eorum, non debent promoueri, niſi ſit talis Eccleſia, quæ numquam debet egere conſilio, & auxilio eorum, vel niſi ſint Monachi, vel Eremitæ, qui potius egent contemplatione, quam ſcientia.* Expreſsé eam docuit Emmanuel Rodriguez *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 6.

2 Probat. 1. ex Gloſſa *in Cap. legi.* 16. *q.* 1. *verbo, inſtructus*, vbi agens de requiſitis ad ſacros Ordines dicit: *Sufficit Monacho, quod tantùm bonus ſit, licet ſit Illiteratus.* Et ex Soto *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 1. *ar.* 4 ubi dicit: *Inter Religioſos, qui animarum curam non habent, non requiritur alia ſcientia, quam vt myſterium Sacramenti intelligant.* Idem ex Enriquez, Miolo, ac alijs aſſerentibus licitum eſſe Epiſcopis, ſacris initiare Religioſos bene legentes, & cantantes, etiam ſi in lingua latina deficiant. Tandem quia Religioſi non Ordinantur ad curam animarum, & in eis ſemper manet ſpes de ſcientia comparanda, eo quod inter ſapientes, à quibus valent addiſcere, commorantur. Et eandem ſententiam docuerunt poſtea Portel *addit. ad dub. verb. ord.* III. Villalobos, Peirinus, Hyeron. Rodriguez, *reſol.* 31. *p.* 2. *tr.* 16. Sylveſter, Grafis Miranda, Barboſa, & Menochius, quos affert, & ſequitur Philibertus *tr.* 1. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 9. ac noviſſimè Leander *to.* 2. *q.* 6.

Nihilominus eandem linguæ latinæ peritiam, & cognitionem rerum omnium, quæ ad rectam Ordinum executionē ſpectant, exigi in Religioſis, ac in ſæcularibus exiſtimo; & probo: Quia tã ex vi præcepti, quam

quam ex vi finis ab eo intenti, eodem modo uterque debent habere hanc ſcientiam: ergo non minor requiritur in uno, quam in alio. Antecedens probo: nam præceptum patet, *ex cap. Illiteratos, & cap. Præcipimus. ſupra* relatis; *in cap. Nullus. de temp Ordinat. in 6.* ubi: *Nullus Epiſcopus infanti, ſeu illiterato clericalem præſumat conferre tonſuram:* Et cap. Pœnitentes *diſt. 55. Pœnitentes, aut inſcij litterarum, aut aliqua membrorum damna perpeſſi ad ſacros Ordines adſpirare non audeāt.* Et cap. *cum in cunctis. de electione*, dicitur; *Ad omnes ſacros Ordines ſcientiam neceſſariam eſſe.*

4 Quæro ergo, ubi nam in his capitibus excipiuntur Regulares, & quoad litteraturam á ſæcularibus diſcernuntur? An quia dicitur: Tonſura Clericalis, & *in cap. illiteratos*, Ordo conferendus non illiteratis dicitur *Clericatus*? Abſit hæc evaſio, cum manifeſtum ſit, ibi ſub nomine, *Clericorum*, comprehendi, & ſignificari quoſvis initiatos; alluſſione ad nomen Cleros, quod *ſors*, ſeu *Hereditas*, dicitur, & dicuntur *Clerici, quia de ſorte domini ſunt, ut ex cap. Cleros* 21. *diſt.* docent Alciatus, Tiraquellus, Prateùs, Tholoſanus, Cardoſus, & alij apud Valaſcū *to. 1. alleg. 3. n. 1.*

5 Item ratio, quare ab Ordinibus *in cap. Illiteratos*, illiterati excluduntur æquè in Regulari, ac in Sæculari militat: *Quia litteris carens ſacris non poteſt eſſe aptus officijs.* Cur igitur erit aptior illis Religioſus ſola ea ſcientia præditus, cum qua ut ineptus repelletur ſæcularis? Et ſicut in alijs irregularitatibus, bigamiæ, mutilationis membrorum, homicidij, &c. loquuntur iura indiſcriminatim cum ſæcularibus, & Regularibus, & illarum diſpenſatione omnes æquè egēt, ita & in hac irregularitate ſermo communis eſt, & diſpenſatio omnibus neceſſaria.

6 Quis etiam dubitabit, Concilium Tridentinum æquè decernere de Regularibus, ac de ſæcularibus, ut ad Ordines minores non aſcendant, niſi *intelligant linguam latinam ſeſſ. 23. c. 1.* & ut ſubdiaconi, & Diaconi *litteris, & ijs, quæ ad Ordinem exercendum pertinent inſtructi ſint, ſeſſ 23. c. 1.* ut Sacerdotes *ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, ac adminiſtranda Sacramenta idonei reperiantur?* Et ſi hæc ſcientia ad alios erudiendos nō eſt neceſſaria Sacerdoti Regulari, ut Sacerdos eſt; nec etiam, ſæculari; ſed alio ex capite, quia ut Parochus in animarum ſalutem incumbit. Immo ut recte notat Vivaldus *de ord. n. 30.* Concilium dum agit *cap. 12.* de Regularibus Ordinandis, ait: *Nec ſine diligenti Epiſcopi examine Ordinentur. Pondera verbum*, inquit, *diligenti examine, quæ verba de alijs Ordinandis Concilium non dixit. ſed de Religioſis tantùm.* Et Concilium V. Mediolanenſe *ſic de initiandis*, circa ea, quæ ſcire initiandi debent, addit: *Quorum diligens ratio etiam in Regularibus habenda eſt.*

7 Ex fine præcepti idem patet; Quia ſi hæc notitia linguæ latinæ, & eorum, quæ ad Ordines ſpectāt, exigitur, ut illorum functiones rectè obeat Ordinandus; licebitne Religioſo indebite, aut non ita recte, ac ſæculari eas obire? An quia Religioſus minus inſtructus, & ſapiens eſſe debet ad Sacerdotij miniſterja, minor ſcientia requiretur in eo? Aut ſunt inferioris dignitatis, quæ in muneribus Ordinum exequitur Regularis, quàm quæ ſæcularis; ut in his inſipientior, ſit, aut apparere populo poſſit Religioſus, ac ut in hoc inferior ſcientia, quam in illo requiratur?

8 Ad 1. fundamentum ex oppoſitis R. Innocentium VIII. ibi ſtatuere, æquiparandum in ſcientiæ ſufficientia Sacerdotem ſæcularem, qui nulli Eccleſiæ eſt electus, cum Monacho, vel Eremita, qui animarum curam non habet, ut quæ illi ſufficit, ſufficiat iſti; illi quidem, quia eius conſilio Eccleſia non eget, iſti, vero quia comtemplationi vacare, eius præcipuum munus eſt. Ad 2. dico quod Gloſſa illa *cap. legi.* manifeſtè agit de litteratura requiſita ad alios inſtruendos, quæ Monacho, ut Sacerdoti præciſè, ſeu ut ſacris initiato, & Monacho, non eſt neceſſaria. Quod autem hic ſit ſenſus, patet, cum de hoc ſit ſermo eo in capite; *legi Epiſtolam*; ubi Auguſtinus *epiſt. 76.* ſcribit Donato ne Monachos ad curam animarū ex monaſterio extrahat: *Sed tamen*, inquit, *etiam, atque etiam cogitanti quod ſit utile ſaluti eorum, quibus in Chriſto nutriendis ſervimus, nihil mihi aliud occurrere potuit, niſi non eſſ iſtam viam dandam ſervis Dei.*

9 Ad 3. dico Religioſo præciſè ut Religioſus eſt, ſuffiçere, ut ait Sotus, *quod myſterij Sacramentum intelligat*, ſed hoc ſolùm ſignificat non indigere ſcientia ad fideles inſtruendos, qui ſunt corpus myſticum, ſed ſufficere illi neceſſariam ad myſterium Corporis Chriſti i, ſacrificium Miſſæ celebrándum, Religioſum ut Religioſum. Sic conſtat ex eius verbis quæ concludit dicēs: *Indigné profectò Presbyter diuina illa myſteria tractat, quorum ſenſum, & guſtum non percipit.* Ad 4. aio Enriquez citantem Navarrum, & Maiolum ſolùm dicere: *Licebit Epiſcopo initiare ſacris, & Sacerdotio Regularem qui bene legit, & cantat quamuis minus ſit litteratus.* Sed ſic etiam licere initiare ſæcularem nos aſſervimus Singul. anteced. nam ut ipſe

Enri-

Enriquez, ibi: lit. V. addit: *Tridentinum generaliter requirit ſcientiam linguæ latinæ.* Ad rationem R. Sæcularem in communitate, vel extra illam degentem poſſe etiam poſteà á viris doctis diſcere, ſcholas frequentare, lib os revolvere, ſi velit, & idoneus ſit; ſi verò nollit, vel ineptus ſit, nec ipſe, nec Religioſus quantumuis inter ſapientes verſetur, proficiet, ut experientia compertũ eſt.

SINGVLARE XII.

V. Epiſcopus, vel Pontifex diſpenſare valeant, ut ſacris, aut minoribus Ordinibus initietur Regularis, vel ſæcularis latinæ linguæ, vel eorum, quæ ad Ordines ſpectant, prorſus ignarus?

1 AD huius, & ſequentis Singularis deciſionem duplex cum Suario *d.* 51 *de cenſ. ſect.* 1. *n.* 8. diſtinguenda eſt ſcientia, aut ſufficientia ad ſacros Ordines neceſſaria. Alia, quæ requiritur ex iure divino, ſeu naturali; ea ſcilicet, quæ abſoluté eſt neceſſaria ad legitimum uſum ſuſcepti Ordinis; nam iure naturæ unuſquiſque tenetur non ſuſcipere officium, vel miniſterium, quod debitê præſtare neſciat: quia ut rectè Iuriſconſultus *l.* 2. *§. ſervus aut. ff. de orig. iuris:* ait: *Turpe eſt Patritio ignorare ius in quo verſatur.* Et hoc eſſe iuris naturalis, aut diuini docét Cęſar Lambertinus *de iure patron.* 1. *p. l.* 2. *art.* 4. 9. *n.* 2. Fulvius Pacianus, *l.* 2. *c.* 34. *n.* 79. Suarez *ſupra.* Grafis, *c.* 11. *n.* 22. Maiolus, *l.* 1 *de irreg. c.* 32. *n.* 13. Reginaldus *l.* 30. *tr.* 2. *n.* 37. Sayrus *l.* 6. *de cens c.* 13. *n.* 9. Ioannes Guttierrez, *can. qq.* 2. *p. c.* 26. *nu.* 37. Zanardus, *l.* 2. *de ord.* Flaminius Patricius, *de reſignat. benefic. l.* 4. *c.* 4. *verb. illiterato.* Molfeſius *tr.* 2. *c.* 13. *de ord. n.* 7. & innumeri alij, vel expreſsè aſſerentes, vel ſentire indicantes, hunc defectum omnimodæ ignorantiæ eorum; quæ ad Ordinum functiones requiruntur, eſſe indiſpenſabilem; cum Pontifex in ius naturale, aut divinum iuriſdictionẽ non habeat.

2 Quod præcipuè in ordinando Sacerdote intelligitur, ut cum alijs notat Turrecremata *in Cap. Si in laicis,* 48. *diſt.* Vnde cum prorſus imperito, v. g. Ruſtico, qui legere, & requiſita ad ſacros Ordines exequi omnino neſciat, nec Papa poteſt diſpenſare, ut Subdiaconatus, aut Diaconatus, & à fortiori, ut Sacerdotij ordinem accipiat. Niſi forſan, ut notant Suarius, & Molfeſius, *ſup.* ſimul obliguetur, ne Ordinem ſuſcipiendum, aut ſuſceptum exerceat; donec prius ſcientiam ſufficientem ad illius uſum comparet. Sed hanc limitationem, in Sacerdotij ſuſceptione minimé admitterem; cum ex natura rei, & Chriſti inſtitutione indecens videatur ad Sacerdotium eligere ineptum; qui etiam poſtea forſan litteras non addiſcet, & in vacuum gratiam Presbyteratus recepiſſet. Hoc verò admitterem pro minoribus Ordinibus, quorum functiones nec tam neceſſariæ ſunt, nec difficiles ſcitu, & poſſunt à laicis exerceri: cum his igitur poſſet Papa in hoc caſu diſpenſare; immo & Epiſcopus cum prædicta limitatione; & hoc potius erit interpretatio iuris divini, aut naturalis, quam diſpenſatio.

3 Secunda ſcientia, aut ſufficientia ad Ordines requiſita eſt ab humano iure, ſeu Eccleſiaſtico; illa ſcilicet, quæ ſupra ſcientiam à iure naturali, vel divino ſtabilitam, exigitur à Canonico jure, v. g. quod ſciat linguam latinam, cuius omnimoda imperitia inhabilem, ſeu irregularem conſtituit Ordinandum, ut ex Tridentino probant Doctores citati Singulari 9. Et in ignorantia latinæ linguæ oppoſita dictæ ſufficientiæ poſſe Pontificem diſpenſare, etiam quoad ſacros Ordines ſuſcipiendos, ſi aliunde initiandus ſufficienter ſciat omnia ea, quæ neceſſaria ſunt ad uſum Ordinis accipiendi docent Suarius *ſup. n.* 10. Turrecremata, *ſup. diſt.* 83. Bernardus Diaz *cap.* 22. ubi Salcedo, Navarrus, *c* 27. *n.* 20. Vivaldus, *candel. de ord. fine* Reginaldus, *ſup. n.* 37. Molfeſius, *ſup. num.* 8. & plures alij.

4 Ratio eſt, quia Pontifex in Canonicum, & Pontificium ius habet poteſtatem; hæc autem ſcientia, quæ ſupra ius naturale, aut divinum exigitur, ex iure Canonico, & Pontificio neceſſaria eſt: ergo, &c. Hinc in Epiſcopis ſolent Pontifices diſpenſare, ut licèt nõ ſint Theologi, nec iuris periti poſſint promoveri ad Epiſcopatum, ſi tamen habeant aliunde ſufficientem ſcientiam ad exequendum munus ſuum: & ad inſtruendos populos ſibi commiſſos poſſint illis adiungi idonei Miniſtri vel Cooperatores.

5 An verò Epiſcopus poſſit in ea ſcientia diſpenſare, dubium eſt non lève. Imprimiſq; Perez ad Villadieg. *c.* 16. *pag.* 179. Hoſtienſis *cap. cum in cunctis. de elect.* Vincentius, *cap. illiteratos,* Enriquez, *l.* 14. *c.* 8. *n.* 11. Menochius, *de arbitr. caſu* 425. *n.* 5. Barboſa, *de pot. Epiſc. allegat.* 11. *n.* 6. Tamburinus, *de iure Abb. tr.* 2. *d.* 2. *q.* 21. *n.* 5. Philibertus, *l.* 1. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 10. Peirinus *priuileg. Minim. conſt.* 16. *Leonis* X. *§.* 13. Diana, 3. *p. tr.* 2. *reſol.* 86. Zanardus, *ca.* 2. *de ord.* & alij docent, arbitrari, ſeu diſpenſare Epiſcopum poſſe, ut Ordines minores con-

conferantur ei, qui & si adhuc latinam linguam non intelligit, est tamen bonæ indolis, & pro ætate docilis; nam illiteratus puer dici non debet, qui pro ætate didicit, quique ostendit proficere posse.

6 Consonant huic sententiæ Innocentius *cap. cum in cunctis de elect.* Dominicus *cap. illiteratos. dist.* 36. & ibi Turrecremata, & Rebufus *de pacif. possess. n.*215. ac novissime Bellarminus, qui *in id Tridentini cap.* 11. *Minores Ordines ijs, qui saltim latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur*; ait: *Hæc exceptio ad totum contextum referenda videtur, ut Episcopi arbitrio commissa censeatur facultas dispensandi super interstitijs, & super litteratura.*

7 Sed licet re vera cum Navarro, *cap. si quando de rescript. excep.*13, *n.*7. Salzedo, *sup. cap.*21. Sanchez, *to.*2 *conf.*7. *c.*1. *dub.*45. *n.*14. Ledesma, *c.*7. *con.*4. & Hurtado, *dis.*22. existimem, non dari ibi Episcopis arbitrium, quoad omnimodam latinæ linguæ peritiã, sed quoad interstitia; & ita in tali scientiæ defectu non posse hos absolutè dispensare: possunt tamen declarare Concilium ita. Et si enim penes Episcopum, seu Ordinarium non adsit potestas dispensandi in rebus á Concilio prohibitis, nisi in casu gravissimæ necessitatis: adest tamen declarandi, seu interpretandi. Et eadem est apud Episcopum, ac apud Sede-vacante Capitulum potestas quoad hoc, iuxta dicta Singul. 4. Deniq; etiam ad maiores Ordines promoveri posse parùm scientes, sed spem præbẽtes docent Innocentius, Hostiensis, & alij *supra* citati, inter quos Grafis, *decis. l.*3. *c.*2. *de Episcop. n.*24. ait: *Poterunt tamen promoueri parum scientes, si spes est quod possint proficere, ut si sunt iuuenes, de quibus spes est, ut studeant, & doctiores fiant.* Sed de his in Singulari sequenti.

Singvlare XIII.

U. Episcopus dispensare valeat, ut sacris initietur Sæcularis, vel Regularis linguæ latinæ prorsus ignarus; in Ordinum verò functionibus, divinisque Officijs celebrandis valde strenuus?

1 Svpponenda est imprimis sententia Doctorum asserentium posse Episcopum [sive per dispensationem, sive per interpretationem Tridentini id fiat] ad Ordines sacros, etiam Presbyteratus, admittere illos, qui in Officijs divinis, Ordinumq; functionibus periti rectè legunt, & cantant; in grammatica verò parùm sunt versati; nondum enim orationes nectere, sensumq; eorum, quæ in Epistolis, Evangelijs, & Missis leguntur, rectè intelligere didicerunt, quia tantummodó rudimenta prima latinæ linguæ attigerunt, aliquasq; nominum declinationes, & verborum inflexiones, vel vocabulorum significationes rudi, ut aiunt, Minerva assecuti sunt. Sic plures DD. videndi apud Emmanuelem Rodriguez, *to.* 1. *q.*24. *ar.*7. Hyeron. Rodrig. *res.* 106. *n.*24. ac Leandrum *d.*7. *q.*6. Et hoc intelligendum est, etiam si in his nulla spes appareat, amplius proficiendi in lingua latina.

2 Difficultas autem nunc præcipuè est, an si prædicti in sacrorum Ordinum functionibus valde strenui sint, latinam verò linguam, immo & eius rudimenta prorsus ignorent, ita ut quoad grammaticam absolutè illiterati; ac Idiotæ existimentur, quia nunquam nec primis, ut aiunt, labris eam degustarunt, possit Episcopus cum eis dispensare, ut ad sacros, Presbyteratus etiam, Ordines promoveantur.

3 Circa quod sit 1. conclusio: Regulariter, & absolutè loquẽdo id non possunt Episcopi. Probatur ex Doctoribus asserentibus, non posse, absolutè loquendo, Episcopum dispensare in lege ulla Concilij generalis, etiam si ipsa permittat dispensationem. Ita tenent Enriquez, *l.* 13. *c.*37. *n.* 1. *lit. C.* Franciscus de Molina, *de ritu nupt. l.*2. *disert.* 11. *n.*145. Gutierrez, *de iuram. confir. p.*1. *c.*51. *n.*24. Franciscus Leo, *thes. fori Eccl. p.*2. *c.*8. *n.* 44. Rebufus *trac. nom. q.*50. *n.*30. Gratianus *discep. foren. c.*391. *n.*33. Reginaldus, *l.*31. *c.*27. *n.*202. & alij: ergo cum huius scientiæ peritia quoad maiores, & minores etiam Ordines requiratur á Tridentino, in ea Episcopus absolutè, & regulariter non potest dispensare; sicut non posse in speciali in hoc litteraturæ defectu, seu irregularitate docẽt Sayrus, *l.*6. *de cens. c.*13. *n.*9. Suarius, Maiolus, & alij apud Molfesium, *c.*13. *tract.*2. *de ord. nu.*7. immo, etiam si posset, si sine causa dispensaret, illicita, & invalida esset dispensatio, sicut omnis alia, quæ sine causa fieret, ut docent Navarrus, *cap.*9. *nu.*15. Sanchez *l.*8. *de matr. d.*17. *num.*4. Covarruvias, *de spons. p.*2. *c.*6. §. 9. *n.* 1. Gutierrez, *l.* 1. *can. q. cap.*9. *num.*5. & alij.

4 Sit 2. conclusio: Si ad sit causa gravis, vel urgens, potest Episcopus cum ignaro omnino grammaticæ, in divinis verò Officijs valde strenuo dispẽsare, ut ad Sacros, etiam Presbyteratus, Ordines promoveatur. Pro-

batur ex Doctoribus aſſerentibus poſſe Epiſcopum diſpenſare in lege Concilij generalis, ſi caſus occurrat magnæ neceſſitatis; præſertim quando Concilium vel permittit diſpenſationem, vel loquitur imperſonaliter; & nec vetãdo, nec permittendo, nec ponendo aliquam pænam diſpenſanti, vel Ordinanti. Sic docent Sanchez, *de matr. l. 2. d. 4. an. 2.* Cenedus, *qq. pract. q. 30. an. 30.* Lambertinus, *de iure patron. p. 1. l. 2. art. 9. q. 7. n. 2.* Tiraquellus, *de pan. temper. praf. n. 13.* Brunor a Sole, *loc. com. ver. diſpenſatio* 1. Rebufus, *prax. t. diſpenſ. an. 30.* Spinus *in ſpec. gloſ. 15. a n. 8.* Humada, *l. 5. gloſ. 12. fine p. 1. tit. 5.* & alij.

5 Sed ſi roges, quænam eſſe poſſit in præſenti cauſa gravis, & urgens? Reſpondeo, tunc hanc occurrere, quando Eccleſia alicuius oppidi, aut parochiæ eget Presbyteris, qui divinis officijs, ac Miſſæ celebrationi vacent; vel cum quis Eccleſiæ in aliquo officio rectè inſerviret, v. g. Sacriſtæ, aut Organiſtæ, & huius ſtipendio non poſſet congruenter ſuſtẽtari, ac ideo Miſſarum eleemoſinijs ad ſuſtentationem indigeret; addito quod hic diu, multúmque ſine ullo fructu in addiſcenda grammatica laboraſſet, nec ſpes eſſet in poſterum aliqualiter proficiendi; ſi tamen Ordinandus in ijs caſibus ad omnium Ordinum functiones rectè obeundas latinæ linguæ ignorantia minimè impediretur. Item cauſa eſſet ſufficiens ſingularis alicuius Eccleſiæ utilitas; immo & Ordinandi utilitas, & neceſſitas; eſt enim pauperrimus, ac habet matrẽ, aut ſorores, quibus ad ſuſtentationem neceſſariò ſuccurrere tenetur; poteritq; ſi illi Capellania, quæ offertur, conferatur, & hæc Capellanum ſacris initiatum omnino requirit: aliter ſi non initietur, eam amittet.

6 Porro hæc facultas Epiſcopi non eſt ad diſpenſandum, ſed ex ratihabitione, nam probabiliter credere poteſt, Pontificem attentis circunſtantijs perſonæ, temporis, & loci, neceſſitatiſq; aut utilitatis, ac præcipuè ſcientiæ, qua initiandus ad ſacra Officia miniſtrãda pollet, ratum habiturum, quod ſacris initietur, qui grammaticam omnino ignorat. Item ex epicheya, ſeu interpretatione iuris poſitivi Tridentino ſtabiliti: hæc enim locum habet in dubijs, ut cum alijs docet Enriquez *l. 8. de Euch. c. 45.* Et cum Ordinum executio mandata ſit Epiſcopo, ex conſequenti ea declarare, quæ ad hanc execũtionem ſpectãt. Eadem poteſtas quoad omnia prædicta ineſt Capitulo Sede vacante, & cuicumq; Prælato Iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habenti.

7 Finem imponat huic doctrinæ Vivaldi ad hanc rem teſtimonium: *Ego*, inquit, *2. p. §. 5. de irregul. vidi in Archiepiſcopatu Toletano quemdam, qui numquam litteris latinis operam dederat, propter inſignem in Officijs Eccleſiaſticis adminiſtrandis, & officiandis peritiam: erat enim iuſignis, diligentiſſimuſq; Sacriſta, fuiſſe ad Sacros Ordines admiſſum.* Hæc ille. Prælati verò prædictis [ſi neceſſitas non urget] ſacros Ordines differant, ut aliquid ex grammatica, rudi ſaltim Minerva, addiſcant; ne in ea omnino illitterati permaneant, vel ſi neceſſariò ſtatim ſunt initiandi, hoc ſeveré eis præcipiant, ac de illa examinãndos iterum intra ſex menſes dicant; niſi forſan ij ſint, ut nulla ſpes nec minimum proficiendi appareat. Notandumq; eſt, quod ſuſcepto iam Ordine; Idiota ſeu ignarus litterarum ex diſpenſatione Epiſcopi, non prohibetur miniſtrare. Ita Enriquez, *l. 14. c. 8. n. 11.* & Perez *ad Villadieg. c. 16. p. 179.* Sed intellige, ſi aliunde ſciat Ordinũ functiones exercere.

SINGVLARE XIV.

Practicæ Adnotationes pro Prælatis, ac Examinatoribus quoad examen Ordinandorum rectè exequendum?

1 PRIMA ex his ſit, maiorem latinæ linguæ intelligentiam requiri in eo, qui ad duos ultimos gradus approbãtur, quàm qui ad duos primos: ſic enim ſupponere videtur Tridentinum dum *ſeſ. 23. c. 11.* dicit. *Atq; ita de gradu in gradum aſcendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina magis creſcat.* Vnde intelligentia latinæ linguæ requiſita a Tridẽtino pro minoribus Ordinibus; ad ſuſcipiendos omnès quatuor intelligitur; ac proinde qui eam non intelligeret, ſed ſolùmillius rudimenta ſciret, partes ſcilicet Orationis, genera, & præterita, licet orationes efformare, nec de latinò in hiſpanum ſermonem clauſulam quantumuis claram vertere ignoraret, ad duos primos gradus approbari poteſt; immo & ſi rudimenta ſolùm, nominum ſcilicet, inflexionès, & verborum coniugationes, præſertim ſi ſit bonæ indolis, & actualiter ſcholas frequentet: quia ut rectè Menochius *de arbitr. caſ. 425. n. 58. l. 2. cent. 5.* ait: *Illiteratus dici nequit puer, qui pro ætate didicit, & oſtendit pro tempore proficere poſſe.* Curent verò Examinores, ni rationabilis cauſa obſtet, ut expenſæ faciendæ ab exteris, paupertaſq; Examinandorum, bosgradus dividere quoad approbationes, ut ſecundi

cundi examinis cura adolescētes sollicitet ad exactiorem latinæ linguæ addi cendæ laborem & sollicitudinem.

Secunda Adnotatio est, quam hîc afferunt Bellarminus, & Barbosa, ita: *Congregatio Concilij censuit 20. septembris 1591. homines Regionis Illyriacæ, quamuis latini idiomatis rudes, si tamen linguam illyricam intelligant, posse ad Ordines promoueri, nisi aliud canonicum obstet impedimentum.* Sed hoc non est intelligendum generaliter circa notitiam linguæ aliarum Regionum.

Tertia: Eam latinæ linguæ intelligentiam in approbandis Prælati, & Examinatores expoſcent, quæ sit sufficiens, ut communes libros, in quibus grammatica docetur, intelligant, seu ex latino in Hispanum sermonem vertere sciant, v. g. Ciceronis Epistolas, Orationes & de Officijs, Catechismū Pij V. Concilium Tridentinū, Breviarij lectiones, Sacræ Bibliæ textū, Novum Testamentum præcipuè, Missalis Prophetias, Epistolas, & Evangelia; ac similia: cū enim hæc intelligentia requiratur, ut divina Officia rite peragantur, eos libros intelligere, & sensum eorum percipere sufficiet, in quibus hæc Officia sunt, Breviarium v.g. Missale, Rituale, & similes.

Quarta hinc deducitur: Durum scilicet regulariter esse, ut Ordinandi in Horatio, Martiali, Virgilio, Persio, Salustrio, Valerio Maximo, Iustino, & similibus Poetis, vel Oratoribus examinentur; cum hoc examē non fiat, ut in latinæ linguæ, aut Rethoricæ Magistros assumātur; sed ut loquitur Molsesius *tr. 2. de ord. cap. 13. nu. 3.* de scientia, ad Presbyteratum requisita, *ut Presbyter sciat taliter, ut intelligat illud idioma, in quo est Missam celebraturus.* Ac similiter durum videtur reprobari quemquam in examine, ex eo quod fabulam, historiam, aut antiquum ritum, sive eruditionem, quæ in clausula, quam construit, continetur, aut huius vel illius vocabuli significationem ignoret; si aliunde sensum clausulæ percipere, latinamq; linguam, in libris, Stylo, & vocabulo scitu etiam facilibus, intelligere appareat. Immo etiam si quis orationes efformare ignoret, dummodò latinum idioma quod in prædictis *n. 3.* libris, vel similibus est, percipiat, etiā ad Sacerdotiū approbari licitè poterit.

Quinta adnotatio: Exulent omnino ab examine libri illi, in quibus Examinandi præparatas afferre solent lectiones aliquas, quas illi, pro his, quæ ipsis assignantur calidè subsituunt, ac malitiosè mutant: illarumq; constructionem ita memoriter assiduo didicerunt labore, ut in examine, non levi latinæ linguæ intelligentia pręditi videantur: & sæpe (expertus loquor quippe qui in hac Hispalensi urbe pluribus annis Examinatoris munus obivi) rudissima, ut aiunt, Minerva grammaticæ tantum rudimenta attigerunt: ac aliquando nec hæc attigisse comperi, facillimas eis oratiunculas interrogans. Libri igitur hi communiter sunt Concilium Tridentinum, & D. Hyeronimi epistolæ, & si qui sunt alij, qui ex consuetudine inveterata in aliqua Diœcesi pro examine proponi solent. Examinandi autem recognoscentes se varijs, ac incognitis libris examē subituros; grammaticæ sedulò invigilabunt, ac fallaciæ illi, lectiones assignatas commutandi, ianua occludetur.

Sexta: Curent maximè Prælati, & Examinatores, ne scientia ad Ordines necessaria careant, qui iam grandæva ætate à sæcularibus rerum suarum curis ad Ecclesiasti. cum statutum confugiunt, potius ut vectigalia, & alia onera, iurisdictionemq; sæcularem vitent, quam ut Dei cultui se Sacris in Ordinibus consecrent. Dequorum examine recte III. Concilium Colonienſe *p. 1. c. 23.* ait: *Inquirantur de eruditione, & scientia, ne statim à sua ad Ecclesiastica munia confugiatur: substantia enim diuini Sacerdotij, ait diuinus Dyonisius, sunt eloquia diuinitus tradita.*

Septima: In examine mysteriorum fidei, & eorum, quæ ad Ordines suscipiendos spectant, ea, quæ ad rem non pertinent, risum adstantibus excitare, & turbationē generare solent Examinandis, vel quæ hi scire non tenentur, nullo modo Examinatores interrogent. Circa doctrinam Christianam de ijs, quæ in Apostolorum Symbolo continentur, intelligetiam expoſcant, v.g. Quid doceat Fides de Trinitatis, Incarnationis, & Eucharistiæ mysterio: Quomodo Christus ad inferos descendit, an corpore, vel anima? Quis locus inferorum nomine intelligatur? Quid sit Ecclesia Catholica, Sanctorum Communio, Remissio peccatorum? & alia huius cemodi, quorum notitia necessaria est fidelibus ad salutem, regulariterq; ea existimantur a Theologis: *Quæ credenda; quæ petenda, quæ observanda.* Circa Ordines similiter ea, quæ ad suscipiēdos pertinent, scisitabūtur, materiam scilicet, formam, dispositionem, eorumq; usum. Sic Concilium Colonienſe III. *p. 1. c. 19.* statuit: *Ordinandi debent instrui de Officio, quod suscepturi sunt, ne se illi alligent, cui non possint satisfacere.* Et Tridentinum, *sess. 25. c. 13. Subdiaconi, & Diaconi Ordinentur habentes bonū testimonium, & in minoribus Ordinibus iam probati, ac litteris, & ijs, quæ ad ordinem exercēdum pertinent, instructi.*

8 Vltima Adnotatio. Cum Tridentinum, *cap.* 14. de Presbyteris ait: quod; *Ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; ac ad miniſtranda Sacramenta diligenti examine præcedenti, idonei comprobentur;* ſubintelligendum eſſe, inquit, Gaſpar Hurtado de *ord. diſp.* 12. *Baptiſmum, & Euchariſtiam, & Extremam Vnctionem; non Pœnitentium, quia ad hanc adminiſtrandam noua approbatio requiritur ab ipſo Tridentino c.* 15. *ex eo verò, quod in articulo mortis poſſint Pœnitentiam abſq; noua approbatione adminiſtrare, quando non eſt alius approbatus non videtur neceſſarium, ut ante Ordinationẽ ſciant nec ſſaria ad id; immo nec poſt ordinationẽ, quia eſt caſus variſſimus.* Hoc autem non approbo; nec ad Sacerdotium approbarem illum, qui ſaltim abſolutionis formam ignoraret, nec haberet notitiam, quod in hoc caſu poſſit abſolvere quicumq; Sacerdos: cum res ſit tanti momenti, & tunc adminiſtratio Pœnitentiæ non minus ad illum ſpectat, quàm ad Parochum.

9 Cognoſco ſanè has omnes Adnotationes prævias eſſe omnibus Prælatis, & Examinatoribus ut potè doctis viris; ſed ne forſan unus, vel alter non adeò expertus ſit, proponere eas libuit; ac omnibus illam Concilij Lateranenſis *can.* 29. ſententiam in memoriam revocare: *Si ignaros,* [illis ait] *& rudes ordinare præſumpſerint, & Ordinatores, & Ordinatos graui decernimus ſubiacere vltioni.* Meminerint etiam ſententiæ illius omniũ Theologorum calculo comprobatæ cum Doctore Angelico. 4. *diſt.* 24. *q.* 4. ſcilicet, graviſſimè peccare Examinatores ſcienter approbantes ineptum ad quoſcumq; Ordines, etiam Minores; cum infideliter dona Dei diſpenſent, & in re gravi non levem iniuriam Eccleſiæ irrogent. In quod peccatum Conſulentes, & Præſentantes etiam incurrere notavit Armilla *verb. Ordo. n.* 1. Conſule Thomam Sanchez *l.* 7. *conſ. c.* 1. *dub.* 45. *n.* 5. & quæ ego in mea pro Ordinandis inſtructione dixi *p.* 2. *§. vnico, & p.* 3. *proœm.*

Singvlare XV.

V. Simoniam committat Examinator approbans ad Ordines illiteratum, vel aliàs indignum, pecuniæ, aut munerum pretio?

1 IAm Examinatores, quàm Examinatos, ſeu approbatos Simoniam tunc committere, ſive ante, ſive poſt examen pecunia, aut munus ob pretium accipiantur, concors videtur eſſe utriuſq; iuris DD. ſententia. Sic Farinacius *conſ.* 15. *n.* 13. Franciſcus Leo, *Theſ. forenſ. p.* 2. *n.* 25. Garcia *de benef. c.* 2. *n.* 368. Gratianus *diſcep. c.* 561. *n.* 21. Vgolinus *de ſim. tab.* 4. *c.* 48. *§.* 3. Riccius *prax p.* 4. *ref.* 76. *n.* 1. Filiucius, *tr.* 41. *c.* 4. *n.* 161. Petrus Ledeſma *p.* 2. *tr.* 7. *c.* 1. *conc.* 7. Bonacina *q.* 1. *de ſim. p.* 2. *diſſer.* 1. *n.* 5. Barboſa, *de pot. Ep. alleg.* 6. *n.* 62. & plures alij; qui licet maiori ex parte loquantur de Examinatoribus ad collationem beneficiorum, addentes abſolvi non poſſe ea ſic obtinentes, niſi prius dimittant: cum tamen eãdem ſit ratio de Examinatoribus ad Ordinum collationem; idem iudicium ferendum eſt.

2 Clariſſimè vitium Simoniæ ab his incurri ſtatuit Concilium Nannatenſe. *cap.* 11. ubi de Examinatoribus loquens ait: *Ipſi autem, quibus hoc committitur, cauere debent, ne aut favoris gratia, aut cuiuſcumq; muneris cupiditate illecti, à vero deuient, ut indignum, & omnes idoneum ad ſacros Ordines ſuſcipiendos Epiſcopi manibus applicent: quod ſi fecerint, & ille, qui indigne acceſſit, ab altari remoueatur, & illi, qui domum Spiritus S. vendere conati, coram Deo iam condemnati Eccleſiaſtica dignitate carebunt.* Ecce in hac venditione manifeſta eſt Simonia; cum hæc, ut definitur à Theologis apud Bonacinam *q.* 1. *n.* 2. *ſit ſacrilegium conſiſtens in ſtudioſa voluntate emendi, aut commutandi rem ſacrã, ſeu ſpiritualem, aut ſpirituali annexam pro temporali.* Approbatio ad Ordines, qui quid ſacrum, ſunt, immo Eccleſiæ ſacramẽtum, ipſis Ordinibus neceſſariò cohæret.

3 Verùm, quamvis hæc ſint vera, adhuc ſtat, poſſe Examinatores Ordinum, pecunias, & dona recipere, & Ordinandos interdum ea eis dare abſq; Simoniæ labe. Probo 1. Quia poteſt confici, ſeu contrahi hæc datio, & acceptio abſq; pacto, conventione, & obligatione iuſtitiæ, quãdo autem hæc abſunt, ſimoniam abeſſe docet ex Doctoribus Caſtro Palao *to.* 3. *tr.* 17. *d.* 3. *p.* 4. *n.* 2. nam ipſe cũ alijs ait: *Emptionem, & vẽditionem requiſitam ad Simoniam ex natura rei neceſſario debere eſſe contractum oneroſum.* Vnde Examinandus poteſt ſine Simonia dare centum argenteos Examinatori abſq; eo quod ipſe aliquid petierit; nec hic contractus interveniat: *Do, ut des, ſeu approbes.*

4 Præterea, quia ex ſententia Doctorum apud Bonacinam. *p.* 2. *n.* 9. & Palaum, *p.* 6. *n.* 2. realis Simonia non committitur ſine mentali, à qua ſpecificatur, nec hæc adeſt niſi intendatur temporale, tanquam pretiũ rei ſpiritualis, vel è contra: ſed Examinator poteſt intendere pecuniam, aut munus ab approbando oblatum non recipere, ut pretium

tium approbationis, atq; vendendo illam; ac Ordinandus non eo titulo dare, ſed pluribus alijs, ex quibus licet hæc dona dare, & accipere: ergo Simonia nõ committetur.

5 Ex his igitur primus titulus ſit *Stipendium* pro labore ad ſuſtentationem Examinatoris Regularis, vel ſæcularis, licet aliunde habeat unde ſuſtentetur. Secundus qui vix a primo differt eſt *Labor* ex trinſecus in examine faciendo, & ijs ſtudendo, quæ ad hoc munus obeundum requiruntur: ob hos enim abſq; Simonia poſſe aliquid temporale pro re ſpirituali accipi docent communiter Theologi videndi apud Bonacinam *q.6.p.2.n.1. & p.5.* & Palaum, *punc.9. n.1. & p.11. an.3.* Sic Canonici pro Chori aſſiſtentia, Sacerdotes, & Cantores, pro Miſſæ celebratione ſtipendium recipiunt.

6 Tertius ſumitur a *Scientia*: quia Simoniam non committet Examinator vendendo ſcientiam, & doctrinam, ſeu dona ſpiritualia intellectus, aut eorum exercitium, cum non ſint res ſacræ, ſed naturales, pretio æſtimabiles. Sic Theologi cum S. Thoma, 22. *q.* 100. *ar.3.* Caietanus, Angelus, Sotus, Leſius, Azor, apud Bonacinam, *q.4. §.10. n.1.* ac alij apud Palaum, *p.10.n.20.* & apud Suarium, *to.1.de Rel.l.4.c.8.* Vnde Doctores poſſunt accipere pretium, pacto etiam conventionali, pro docenda Theologia ſcholaſtica, Poſitiva, aut Morali. Sic Examinator pro ſcientia, ſeu eius actu, quem exercet, examinando, & approbando Ordinadum, præſertim ſi prius adiuvet illum, ei conſtruendo, ſeu explicando antea caput libri illius, in quo illum examinaturus eſt, ut aliquando contingit. & ſi profecto irrationabiliter. Verùm in his titulis ſervari debet moderatio, nec quævis quantitas, ſed iuſta dumtaxat licita eſt, & à Simonia liberat.

7 Præter hos, & alios titulos; quos fateor potius concludere, quod poſſit Examinator petere pretium ſuæ aſſiſtentiæ, laboris, & ſcientiæ ab Ordinario, qui eum examini præficit, & tenetur gratis aut examinare, aut Examinatorem dare; quàm ab Examinando, cui gratis examen dandum eſt; alij duo tituli inveniuntur ex parte ipſius approbandi ad munera danda Examinatori ſuo abſq; Simonia. Primus eſt, *Gratitudinis*, ſeu *Liberalitatis*, ut hoc munere ſcilicet, non pro pretio approbationis, ſed gratis dato, Examinatorem moveat ad examen mitius faciendum, ad libros faciliores pro eo porrigendos, ad inclinandum illum in approbationem ipſam concedendam, ſi aliquod dubium exurgat, ut eum in conſtructione dirigat, ſi fortè erret, & ad ſimilia. Hunc enim gratitudinis titulum à Simonia excuſare docent communiter DD. Caietanus, Navarrus, Hugolinus, Leſius, Suarez, Filiuçius, & alij apud Bonacinam, *q.8. p.1. n.1.* Quod intelligendum, etiam ſi hoc ante examen hac intentione ab Examinando præſtetur; quia ut notant Suarius, *c.36. n.8.* & Bonacina *n.5.* Qui tradit aliquid temporale intendens, ut ſibi aliquid ſpirituale cõferatur titulo gratitudinis, Simoniam non committit, cum liceat ab alio petere, quod ex naturali obligatione præſtare tenetur. Examinator autem munere affectus tenetur eſſe gratus, & Examinando præſtare omnia ea, quæ ſalva conſcientia poſſit.

8 Secundus titulus eſt, *Vexatio*, ſi enim ſciret Ordinandus Examinatorem nimis rigidum eſſe, examenq; ipſius crudum, niſi munus ei conferatur, ſeq; reprobationis periculo exponi, ſi non tribuat: immo ſciret etiam, illos non approbare, qui ei hæc munera non dant, abſq; labe Simoniæ poſſet conferre, quia vexatio iniuſta, ut tradunt DD. *ex cap. Dilectus. de ſim.* & probat Bonacina, *q.6.p.5.* excuſat à Simonia, dum pecunia datur ad eam redimendam, ac tollendum illius impedimentum. Quod intelligẽdum eſt, etiam ſi Ordinandus ſciat ab Examinatore hoc in pretium accipi: cũ ipſe proteſtetur ſe hac intentione nõ conferre. Secus ſi vexatio ſit iuſta, ut tradunt Navarrus, Reginalus, Suarez, & Azor, apud Bonacinam *nu.5.* Idem de diſpenſationibus, licentijſq; alijs ad Sacramenta recipienda, vel adminiſtranda, ac de approbationibus ad ea dicendum eſt iuxta Suarium *l.4.c.19.*

9 Nec dictis obſtat Tridentinum *ſeſſ.21.c.1. de Ref.* ubi ait: *Nihil pro collatione quorumcumq; Ordinum, etiam clericalis Tonſuræ, nec pro litteris dimiſſorijs, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacumq; cauſa, etiam ſponte oblatum Epiſcopi, & alij Collatores, aut eorum Miniſtri quouis prætextu accipiant.* Vbi ſub Miniſtris comprehendi Examinatores docent DD. *nu.1.* relati, & Concilium Mediolanenſe, *tit. de exam:* ait: *Examinis cauſa, aut occaſione nihil quidquam, ne minimum quidem, neq; verò poſt accipiant; alioqui ſciant, qui dant, ſe Simoniæ crimine ex ſanctione Tridentina ſubijſſe*: nam hîc ſolùm ſtatuitur, ſimoniam committi ab his, ſicut & ab alijs Miniſtris, ſi pecuniam, vel dona accipiunt, vel dent interveniente cõtractu, ratione emptionis, & venditionis, dando, & accipiendo hæc ut pretium, cùm hæc eſſentialiter requirantur ad Simoniam cõtrahẽdam; non verò cum accipiuntur munera, vel pecuniæ aliquo ex titulis relatis. Et iuxta hæc temperanda ſunt huiuſmodi de-

decreta,& illatum ex Cõcilio Nannatenſi.

10 Nec obſtat 2. quod hæc approbatio ſit actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ quaſi delegatæ maximè connexus cum re ſpirituali; pro quo qui temporale quomocumq; accipi Simoniam eſſe, tradit ex DD. Bonacina *q.3.§.17.n.3.* quia hi DD.intelliguntur iuxta dicta,quod ſcilicet nil detur, vel accipiatur pro approbatione titulo emptionis, aut venditionis, ſed poteſt alijs titulis ſupra recenſitis, qui liberant huiuſmodi actus â Simoniæ labe. Sic Teſtis in Ordinis, & Matrimonij informationibus de genere,moribus,ac alijs:Notarius eas conficiens; Advocatuſq; ac alij Miniſtri in cauſis Eccleſiaſticis per ſe loquendo non committunt Simoniam accipientes aliquid temporale pro opera, quam impendunt, ut docent apud Bonacinam *p.3.§.17.*Doctores.

11 Tandem cum Simoniæ vitium quoad forum conſcientiæ ferè omni ex parte depẽdeat ab intẽtione operantis,ut ex *cap.Tuanos.de ſim.* tradunt DD. poſſintq; Examinator,& Examinandus dirigere intentionem ad accipiendum,vel dandum pecunias, aut munera aliquo ex pluribus titulis excuſantibus a Simonia; non eſt cur eorum actiones indiſcuſsẽ damnemus: præſertim cum æquè utilis ſit utriq; res accepta, vel data licito titulo,ac titulo Simoniaco: immo nõ hoc,ſed illo quoad forum etiam externum præſumendum eſt accipi, & dari in his & ſimilibus caſibus,quando titulus probabilis adeſt. Tum quia in facto alterius, dum non probatur, non præſumitur delictum *ex l. merito. ff.de pro Socio.* Tum quia factum proximi in meliorem partem, vel intentionẽ accipiendum eſt, ſi illius capax ſit factum, ut habetur, *cap.2. Eſtote miſericordes. de regul. iur. & cap. dudum,ad fin.de præſum.* Tum quia quilibet ius habet ad bonam famam, & exiſtimationem ſui, & in illius poſſeſſione exiſtit, niſi oppoſitum conſtet: quare non eſt tunc privandus iure ſuo.

12 Nota tandem, quod ſi Examinator aliquid accipit in pretium pro approbatione digni,æquè Simoniacus eſt, ac ſi id acciperet in pretium pro approbatione indigni: ſed hic aliud peccati genus committeret cõntra fidelitatẽ, qua debet exercere ſuum munus, & ob iniuriam, quam irrogat Eccleſiæ,Miniſtros indignos illi ſuggerendo: violatorque iuramenti erit, ſi forſan illud præſtitiſſet de recta huius muneris adminiſtratione: ſicut fieri debere ab Examinatoribus ſtatuit Synodus Hiſpalenſis *tit.de ætat. & qual.ordin.* Audiant iam hi S. Pontificem Gregorium hac de re, *l.2. epiſt.4.* eos, ac Prælatos omnes ita alloquentem: *Nulla*, inquit, *ſit in Ordinatione venalitas, potentia, vel ſupplicatio perſonarum; nihil adverſus hæc, quæ prohibemus obtineat: nam proculdubio Deus offenditur, ſi ad ſacros Ordines quiſquam non ex merito,ſed ex fauore,quod abſit, aut ex venalitate promoueatur.*

SINGVLARE XVI.

Petrus in latina lingua parùm verſatus Joannem ſubrogavit,ut ficto nomine pro ſe examen ad ſacros Ordines ſubiret: & approbato Joanne pro Petro,immediatè ante Ordínis receptionem Confeſſori hoc propalavit:dubitatum eſt an abſolvi poſſit: vel quid ei conſulendum?

1 AEQVE furtivé Petrus in hoc caſu Ordines ſuſciperet, ſi ita Ordinaretur; ac ſi non admiſſus,neq; vocatus, ſe ſe Ordinandis ingereret: ſicut non minus ille iuxta Doctores furtivé Ordinaretur,qui titulis,& dimiſſorijs fictis,ac qui ſine illis:hi enim æquè furantur Ordines,cum ſine Epiſcopi conſenſu,immo ipſo invito,nec approbante, nec examinante initientur. Hos etiam in irregularitatem incidere docent Doctores apud Suarium, *de cenſ.d.42. ſect.3.n.4* ſeu in ſuſpenſionem iuxta alios apud Bonacinam *de cenſ.d.7.q.3. p.4.n.5.*addens,poſſe in illa Epiſcopum diſpenſare, ſi ratione delicti occulta ſit.Conſule Salzedum *pract.c.25.*

2 Ad difficultatem igitur propoſitam reſpondeo,Petrum tunc non abſolvendum,ſi ab Ordinis ſuſceptione non deſiſtat, ſeu deſiſtere proponat: vel ſi mauvlt; Confeſſarius tacito nomine Petri, & ipſius conſenſu præhabito ob maiorem ſigilli obſervationem,licẽtiam expoſcat ab Ordinario, ut ab ipſo Confeſſore examinetur ſecretò Ordinandus, & tunc ſi iudicio Confeſſoris ſcientiam ſufficientem ad Ordinem ſuſcipiendum habuerit Petrus, & Ordinario ita placuerit, eo ipſo approbatus,& admiſſus ſit,ac promoveri poterit.Si vero Petrus ineptus inveniatur, ab Ordinibus arceatur; aut ſi per tempus licet ex matricula deleatur, vel ſi â Secretario vocetur non accedat ad Ordines, quæſita ad hoc vel illud præſtandum aliqua prudenti occaſione, vel colore:ne inquãtum fieri poſſit ipſius delictum detegatur, & aliquomodo confeſſionis ſigillum periclitetur: ob quod

violã-

violationis periculum Ordinandus ſuum conſenſum Confeſſori præſtare debet ad exquendum aliquam ex diligentijs enumeratis.

3 Ita factum eſt aliquando in caſu contingenti, & feliciſſimè evenit: Confeſſor enim habito conſenſu modo ſupra dicto Ordinarij Hiſpalenſis, iam proximè ad Ordinum celebrationem Petrum examinavit, aptum invenit, approbavit, & vocatus Ordinem ſuſcepit: perſonamq; pro qua hanc licentiam Confeſſor poſtulavit, nec Ordinarius, nec alter cognovit.

SINGVLARE XVII.

U. Sub mortali teneantur ſacris initandi Euchariſtiam ſumere in Miſſa, in qua Ordines ſuſcipiunt: vel an hi, & qui Minores Ordines ſuſcepturi ſunt, teneantur confiteri?

1 IN recéptione Ordinis ſacri Confeſſionem, & Communionem Ordinati requiri ex S. Thoma, & Navarro aſſerit Vivaldus *cand.* §. 14. Ad confeſſionem præmittendam teneri, ſi ſint conſcij culpæ lethalis, docet Molfeſius *infra*. Dicendum eſt. 1. Minoribus Ordinibus initiandos non teneri Euchariſtiam ſumere: nullum enim de hoc extat præceptum, immo & frequens praxis in oppoſitum: cum veſpere communiter hi Ordines ſoleant conferri. Confeſſionem verò ad illorum ſuſceptionem præmittere, vel ſaltim contritionis actum ellicere tenentur, ſi conſcij ſint peccati mortalis, in ſententia Doctorũ aſſerentium, hos Ordines eſſe verè Sacramentũ, ſicut eſſe exiſtimo: ſecus in ſentẽtia negante. Doctores plures pro utraq; parte invenies apud Sanchez, *l. 7. conſ. c. 1. du. 7.* & in mea inſtruct. *3. p.* §. 5.

2 Dicendum eſt 2. in receptione Diaconatus, & Sudiaconatus, etiam in ſententia communi ſtatuente eſſe Ordinis Sacramentum, culpa lethalis non erit, quamvis illius ſint conſcij Ordinandi, Confeſſionem non præmittere, nec Euchariſtiam non ſumere, niſi adſit Superioris præceptũ in virtute S. Obedientiæ. Probo, quia in nullo, nec antiquo, nec novo Tridentini iure præceptum de hac re extat: nec ad eſſentiam, aut decentiam gravem ſuſceptionis horum Ordinum ſpectat: ergo non eſt cur Euchariſtiæ, vel etiam confeſſionis omiſſio gravi culpæ tribuatur. Sufficiet autem ut Ordinandi ſe reputent contritos, ut docent Suarez *to. 4. de pœnit. ſect. 1. n. 20.* Navarrus *c. 22. n. 3.* Riccius *prax. de ord. fine*, Molfeſius, *tract. 2. c. 16. n. 10.* & alij. Si verò præceptum imponeretur ſæcularibus ab Epiſcopo, & Regularibus à ſuo Prælato, graviter hi, & illi tenerẽtur, cum ſit màteria iuſta, & gravis, maximèq; ad Sacramenti huius decẽtiam conducens, ac confeſſionis præmiſſione redderentur tutiores ad recipiendũ in ſtatu gratiæ Ordines. Si autem communicaturi ſunt, ſintq; peccati mortalis conſcij, confeſſio neceſſarió præmittenda eſt ex Tridentini præcepto *ſeſſ. 13. c. 7.* etiam ſi ex revelatione divina ſcirent ſe cõtritos eſſe.

3 Dicendum eſt 3. Qui Sacerdotio ſunt initiandi, videntur graviter peccare ſi Euchariſtiam non percipiant in ea Miſſa, in qua Ordinantur: quia cum Euchariſtiæ conſumptio ſpectet vel ad eſſentiam Sacrificij, ut cum S. Thoma, Gabriele, Viguerio, Caſtro, Cano, Ledeſma, & alijs docet Enriquez *de Miſ. c. 9.* vel ad ſubſtantialem illius integritatem, ut cum alijs probant Suarez *d. 275.* Vazquez, *d. 222.* & Lugo, *d. 19. ſec. 5.* Sacrificantes debent in illa Miſſa conſumere Hoſtiam, quam cõſecrarunt. Et ſicut lethaliter peccaret Sacerdos, qui non conſumeret aliquam ex Hoſtis, quam conſecraverat, proportionaliter etiam Sacerdotio tunc Ordinatus peccat, ſi non cõſumat.

4 Nec obſtat incertitudo, an Petrus, v. g. conſecraverit, cum non omnino conſtet, an alius ante ipſum conſecrationis verba finierit; hic enim ſolus conſecravit: nam quomodocumq; ſit, omnes Sacerdotio tunc Ordinati reputantur veluti unum Sacrificans cum Epiſcopo in Ordine ad eſſentialia illius ſacrificij peragenda: & ita omnes debent Hoſtiam ab omnibus oblatam, & ut prudenter præſumitur, & fieri debet, ab eis etiam omnibus conſecratam conſumere: ac proinde confeſſio ab his neceſſarió eſt præmittenda, ſi peccati mortalis Rei inveniantur propter Tridentini præceptum.

SINGVLARE XVIII.

Petrus ab Ordinario Hiſpalenſi litteras dimiſſorias obtinuit; ut Sacros Ordines ab Epiſcopo Gaditano ſtatutis à iure temporibus ſuſciperet: ille poſtea á Nuntio licentiam eſt adeptus, ut à quocumq; Antiſtite extra tempora initiaretur: interrogatur, an licuerit hac facultate uti ſine nova Ordinarij Hiſpalenſis licentia?

1 CVm hæc ſcribo, hæc cauſa agitatur in Hiſpalenſi Tribunali, in qua affirmativè reſpondẽdum eſſe duxi: quia Petrus abſolutè tunc ordinatur cum dimiſſorijs ſui Ordinarij, & limitationem in eis appoſitam pro iuris obſervantia, diſpenſatione ſua abſtulit Nuntius, qui in illo iure poteſt diſpenſare, & eſt Ordinario ſuperior: ergo nova licentia non requirebatur, nec hæc plus operaretur, cum nec limitationem poſſet aufferre, nec illam non afferre. Confirmatur 1. quia poteſt quis Ordinari facultate à Nuntio conceſſa, etiã cum Ordinarius ipſius Ordinandi non poteſt concedere dimiſſorias, ut non poteſt Capitulum intra primum vacationis annum: ergo à fortiori in præſenti; cum adſint veræ dimiſſoriæ.

2 Confirmatur 2. quia ſi Pontifex, vel eius Nuntius concedat alicui, ut ordinetur extra tempora à ſuo Ordinario tantùm, ordinari poterit ab alio cum dimiſſorijs ſui Ordinarij, ut docent Navarrus *conſ.* 33. *de temp. ord.* & Sanchez, *to.* 2. *conſ. l.* 7. *c.* 1. *dub.* 25. *n.* 2. ergo ſi Ordinarius concedat, ut ordinetur ab Epiſcopo Gaditano; poterit à quocumque etiam extra tempora, ſi Nuntius id concedat.

3 Superſt verò difficultas, V, Petrus tunc potuerit à Titulari, vel alio Epiſcopo in Diæceſi Hiſpalenſi extra tempora Ordinari cum dicta Nuntij diſpenſatione, ſine nova licentia Ordinarij Hiſpalenſis: & id non licere exiſtimo, niſi ex licentia generali, vel ex conſuetudine introducta cum Ordinarij Hiſpalenſis ſcientia, valeret, aut ſoleret hic Epiſcopus ſine novo, & particulari conſenſu Ordinare quoſcumque ex alijs Diæceſibus venientes cum dimiſſorijs ſui Ordinarij, vel Pontificis, vel Nuntij. Ratio eſt, quia licét Petro ſit conceſſum, ut Ordinetur à quocumq; Antiſtite, & extra tempora, intelligitur iuxta commune ius Tridentini ſtatuens *ſeſ.* 6. *c.* 5. & *ſeſ.* 14. *c.* 2. quod nullus Pontificalia exerceat in aliena Diæceſi, ſine licentia Diæceſani: aliter de ordinatio maxima eſſet, inſcioq; Ordinario in ſua Diæceſi Ordines celebrarentur; cum hic nullo modo conceſſiſſet Petro, ut in Hiſpalenſi Archiepiſcopatu initiaretur.

4 Non verò eſſet neceſſaria nova licentia Ordinarij Hiſpalenſis. 1. ſi ipſe licentiam generalem illi Epiſcopo dediſſet ad Ordines celebrandos in ijs eventibus pro omnibus tam ſuæ, quam alienæ Diæceſis: ſecus ſi ſuos ſubditos excepiſſet. 2. Non eſſet item neceſſaria, ſi Epiſcopus Titularis, vel alter invitatus eſſet ad Ordines in Diœceſi Hiſpalenſi celebrandos 3. Etiam non eſſet neceſſaria ſi in alia Diæceſi ab eiuſdẽ Diæceſis proprio Epiſcopo Petrus ordinaretur: nam quicumque Epiſcopus poteſt in ſua Diæceſi Ordines conferre cuicumq; afferenti dimiſſorias generales à ſuo Ordinario, vel à Pontifice, vel à Nuntio, ut eas ab hoc affert Petrus 4. Nec requireretur prædicta licentia, ut ab Epiſcopo Titulari, vel non Titulari Ordines in aliena Diæceſi ex facultate Ordinarij illius celebrante. Sic Venerus *exam. Epiſc. c.* 12. *n.* 2. Toletus, Fornarius, & Navarrus, quos citat, & ſequitur Mauricius Alzedo *prax. Epiſc. p.* 2. *c.* 5. *n.* 30. ſicut nec ab ipſo loci Ordinario ſpecialis facultas requiritur, ut ab hoc Titulari, vel alio tunc ordinetur Petrus; ſicut & quivis alius cuiuſvis Diæceſis dimiſſorias generalis habens. Ita ſæpe ſtatuit Congregatio Concilij, præſertim die 6. Iulij 1595. & 25. Iunij 1599. & 27. Auguſti 1592. vt refert Molfeſius *trac.* 2. *de ord. c.* 2. *n.* 12.

5 Si verò Nuntius in facultate conceſſa expreſiſſet, ut Petrus extra tempora Ordines ſuſciperet ab Epiſcopo Titulari, qui pro exercendo in Hiſpalenſi Diæceſi Pontificali deſtinatus eſt, licèt videatur conceſſiſſe tunc quod fieret ſine illa nova licentia, adhuc fieri non conſulerem; non quidem defectu dimiſſoriarum, ſed ex Tridẽtino ſtatuente, ne Pontificalia exerceantur in Diæceſi ſine conſenſu Diæceſani. Hæc omnia æquè dicerem ſi é converſo caſus eveniret, quod prius Petrus licentiam prædictam obtineret, ut à quocumq; Antiſtite Ordinaretur extra tempora: poſtea Ordinarius Hiſpalenſis huius facultatis inſcius, aut certus cum prædictis limitationibus dimiſſorias concederet. Poteſt enim Petrus uti privilegio ſibi à Nũtio cõceſſo, nec hoc poteſt Ordinarius, ut poté inferior limitare.

6 Denique, ſi in dimiſſorijs vel Nuntij, vel Ordinarij concederetur Petro, ut Ordines requireret à quocumque Epiſcopo in propria Diæceſi ordinante, poſſet Ordinari ab Epiſcopo in aliena Diæceſi de licentia Ordinarij loci Ordines celebrante. Sic Ledeſma *to.* 1. *de ord. c.* 8. *con.* 4. *dif.* 5. & Diana 3. *p. tr.* 4. *reſ.* 91. contra Gutierrez. *qq. can. l.* 1. *c.* 16. Tandem in his, & ſimilibus caſibus ſicut & in ſequenti, nullo modo Epiſcopus Ordinans, nec Petrus Ordinatus ſinẽ nova licentia incidunt, in irregularitatem, aut ſuſpenſionem latam à Tridentino in eos, qui ſine dimiſſorijs Ordinant, & Ordinantur, aut in Eiſcopos, qui ſine Diæceſani conſenſu Pontificalia exercent, cum non conſ-

conſtet conſenſum, & Dimiſſorias defuiſſe; immo has, & illum ſufficienter adeſſe ſapientes exiſtimabunt; & hæc lex uti pœnalis, niſi cum delictum expreſſe conſtat, non afficit, aut ligat, ſicut nec aliæ leges pœnales, ut ex dictis, & dicendis ſæpè in hoc volumine patet.

SINGVLARE XIX.

Granatenſis Ordinarius litteras dimiſſorias conceſſit Joanni, ut ab Epiſcopo Giennenſi ſacros Ordines acciperet; ille verò eos ab Epiſcopo Cordubenſi accepit: dubitatum eſt an hoc liceret?

1 ID non licere, perindeque eſſe ac ſi Ioannes abſque ullis dimiſſorijs Ordinaretur, docēt Salcedo, *cap. 26. pract.* Thomas Sanchez, *to. 2. conſ. l. 7. c. 1. d. 22. n. 6.* Rodriguez, *ſum. c. 14. de ord. n. 1.* & alij. Probant. 1. quia aliter ius non ſervaretur Ordinario debitum iuxta Tridentinum ſtrictè prohibens, ne quis ab alieno Epiſcopo ordinetur ſine licentia, ſeu dimiſſorijs, proprij Ordinarij: tunc autem hæ, vel illa non adeſſent; quia *Vnius conceſſio, alterius videtur excluſio*, ut habetur, *cap. Nonne, de præſump. l. cum prætor. ff. de iudic.* ſed conceſſum ſolùm eſt Petro, ut ab Epiſcopo Giennenſi Ordinetur: ergo licentiam, aut dimiſſorias non habuit, ut à Cordubenſi Ordinaretur, & hic tunc in perſonas non ſibi ſubditas invito proprio Prælato iuriſdictionem hanc exerceret.

2 Sit 1. concluſio: Si initiandus poſtulavit ab Ordinario ſuo, ut dimiſſorias concederet ad Ordines recipiendos ab Epiſcopo Giennenſi; quia ſibi amicus, aut quia Ordinationes facere exiſtimabat; ſimilem ve ob cauſam, ſi Epiſcopus hic Ordines non celebret, vel initiandus adirè vult ad aliū, id ei licere exiſtimo, quia ex *l. ſi index ff. de minor. Beneficium alicui conceſſum, in eundem minimè retorquendum eſt*: ſed tunc retorqueretur in Ordinandum, cuius gratia, & precibus hæc limitatio dimoſſorijs acceſſit: cum in eis hæc clauſula generalis regulariter apponatur: *Vt à quocumque Antiſtite ordinetur*: ergo hic poteſt à quocumque Ordinari.

3 Secunda concluſio: Si limitatio hæc ad Epiſcopum Giennenſem, appoſita fuit, quamvis non ad inſtantiam Ordinandi, ob alias tamen cauſas, ex quibus prudenter præſumitur non eſſe ſpecialem rationem ob quam ad hunc potius, quam ad alium ſacris initiandum hunc ſuus Ordinarius remittat; ut ſi remiſit ad Giennenſem, quia credidit Ordines celebraturum, vel quia ſibi amiciſſimus, vel vicinior eſt, aut quia ſolet ille ad ipsū ſuos ſubditos remittere, aut ſimiles ob cauſas, in quibus non invenitur ratio adigens ad hunc potius, quam ad alium; tunc etiam poſſet Ioannes à quocumque Ordinari. Probatur, quia tunc Ordinatur ſub prudenti ſpe ratihabitionis, propter rationes dictas. Cum autem hæc ratihabitio adeſt, poſſe Epiſcopum Ordines conferre ſibi nō ſubdito, neque incurri irregularitatem, aut ſuſpenſionem latam à Tridentino, *ſeſ. 23. c. 8.* docent Raimundus *ſum. tit de conſec.* Maiolus, *de irreg. l. 4. c. 2. n. 7.* & alij apud Barboſam, *in Trid. hic.*

4 Si igitur, etiam cum nullæ dimiſſoriæ ſunt, ob iſtam ratihabitionem licet Epiſcopo alienum ſubditum ordinare; à fortiori licebit cum adſunt dimiſſoriæ, ut in noſtro caſu, in quo ſtat in concurſum Tridentinum *ſup.* dicens; *Quod ſi* Ordinandus *a proprio Epiſcopo non Ordinetur, illius litteras teſtimoniales de vitæ probitate afferat*: ſiquidem eas tunc initiandus affert. Doctores verò qui ratihabitionem ſufficere negant, loquentur in caſu in quo nullo modo dimiſſoriæ ſunt: alij verò, qui eam cōcedunt, ſapienter monent non eſſe paſſim illa utendum; alioquin plura incommoda ſequerentur.

5 Tertia concluſio: Si Ioannes præſumat Ordinario ſuo diſplicere ob aliquam iuſtam cauſam, ut ab alio, quàm ab Epiſcopo Giennenſi ordines accipiat, einō licebit ab alio, quā ab illo ordinari: quia contra illius voluntatem ordinaretur, & ei iniuriam irrogaret, ut pote cui competit dare licentiā, ut ordinetur, & aſſignare a quo ſit ordinandus. Sed adhuc in hoc caſu dici non poſſet, quod abſque dimiſſorijs Ioannes ordinaretur; cum abſoluté eas habeat, ſeu litteras teſtimoniales vitæ, ac ſufficientiæ, & ſi nō habeat quoad earum circunſtantiam non ſubſtantialem, ſcilicet quoad Epiſcopi ordinaturi determinationem, quam non præſcribit Tridentinum faciendam ab Ordinario, ut præſcribūtur alia, v.g. expreſſio ordinis conferendi, probitas, & litteraturæ approbatio: Ioannes ergo tunc abſoluté non deliquit contra Tridentinum, & ita non debet puniri: nam ex *l. Sancimus. C. de pœnit. l. abſentem ff. eod. Pœna debet tenere ſolos Auctores, & delinquentes*, & ex *Auth. de non elig. 2. dub. 5. v. ſin autem. Pœna non irrogatur, niſi expreſſe a iure caueatur.*

6 Quarta concluſio: Si Epiſcopus, ad quem remittitur Ioannes, ſit excomunicatus, vel ſuſpenſus, poteſt tunc ab alio Ordinari:

nullo enim modo velle præſumitur proprius Epiſcopus, ut ab illo Ordinetur. Confirmatur ex *ca.1. Eos. de tẽp.ord.in 6.* ubi Gloſſa, Dominicus, & Francus favent: nec non ex Roſella, Salcedo, Rebufo, Angelo, Armilla, & Sylveſtro apud Sanchez *n.29.* aſſerentibus, poſſe Clericos Epiſcopi ſuſpenſi ſine eius licentia ab alio vicino Epiſcopo Ordinari: ergo a fortiori, in noſtro caſu. Tandem ſi per ignorantiam invincibilem in quibuſvis circunſtantijs Ordinaretur Ioannes ab Epiſcopo non aſſignato in Dimiſſorijs, excuſaretur à culpa, & ab irregularitate, ut docent Suarius, & Reginaldus *ſup.* Sicut & Epiſcopus Ordinans etiam a quacumque pœna ſimili excuſandus foret.

SINGVLARE XX.

An, & Quomodo qui nondum decimum quartum annum attigit, poſſit obtinere Capellaniam, quæ verè ſit Beneficium Eccleſiaſticum?

1 OMNIS difficultas oritur ex Tridentini decreto *ſeſ.23.de Reformat.c.6.* ubi *Nullus prima Tonſura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus ante decimum quartum annum beneficium poſſit obtinere.* Circa quod ſupponendum eſt; quod ſi beneficium, vel capellania fundata ſit ſine Epiſcopi, vel alterius Eccleſiaſtici Superioris authoritate, [plurimę ſic fundantur, maximé in Hiſpania] ut in illa ſuccedant Clerici conſanguinei, vel alij á Patronis aſſignandi, aut aliter vocati, quamvis hæc habeat omnia requiſita, quæ habere ſolent omnes capellaniæ, quæ veré ſunt Eccleſiaſtica beneficia, præter authoritatem, & inſtitutionem, ſeu proviſionem Ordinarij, adhuc obtineri poteſt â non attingente decimum quartum annum; quia verè non eſt Eccleſiaſticum beneficium, de cuius eſſentia eſt, quod inſtitutum ſit ab Ordinario Eccleſiaſtico. Ita ſtatuunt Congregatio Concilij, & Rota *deciſ.482. in fine. p.1. diverſ.* ut teſtatur Gonçalez *infr. n.27.* ac tenent Doctores *in Clement.2. verb. beneficium*, & Salazar *de uſu, & conſ. c.12. n.46.* Emmanuel Rodriguez, *ſumm.c.4.2.p.2.* Salcedus *ad prax.Bern.diaz. ca.18. n.9.* Decius *conſ.135.n.1.* Felinus, *n.2.* Spinus *de teſt.gloſ.4. n.42.* Avendañus *diction.verb.beneficium*, Navarrus, *conſ.5. de præbendis.* Alvarus Velaſcus *conſultat. Luſitanic. 6.n.12.* Gregorius Tholoſanus, *inſtitut. rei beneficio. c.12.n.10.* Pariſius, *conſ.34.l.4. n.9.* & alij aſſerentes, hæc beneficia non eſſe Eccleſiaſtica, & ita legibus Eccleſiaſtici beneficij non adſtringi.

2 Hoc etiam procederet, quamvis Fundator eſſet Epiſcopus, & ut particularis, non authoritate Epiſcopali, capellaniam fundaret ex ſuis bonis; ut notat Navarrus, *conſ.7.n.1.& 2. de præbendis.* Et etiam ſi fundaret de bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis, ut notant Curtius iunior. *p.1. conſ.20.n.1. & 2.* Rebuffus, *de pacifi. poſſeſſione, n.287. ad finem.* Et huiuſmodi Capellaniæ poſſunt obtineri à laico, viro, vel femina, ut ſtatuit Rota, *deciſ. 264. n.1.* & de his declaravit Congregatio Concilij apud Gonçalez, *de regul. 8. cancell. gloſ.5.n.29.* ut fiat ſatis Miſſis, ſatis eſſe quod Heredes eligant Sacerdotem aliquem ex approbatis ab Ordinario, qui Miſſas dicat; cum hæ Capellaniæ, iure legati relictæ ſint cum tot Miſſarum onere. Vide Velaſcum, *ſup. conſultat.60.n.13.*

3 Hoc poſito, ſit prima concluſio: quando Capellania eſt erecta authoritate Epiſcopi, vel Ordinarij, vel collatio eius ipſi ſubijcitur, veré eſt beneficium Eccleſiaſticum, & obtineri non poteſt niſi á habente decimũ quartum annum, niſi aliud ſtatuatur in Capellaniæ fundatione. Hæc eſt communis Doctorum; tenent Toletus, Riccius, Flaminius, Enriquez, Garcia, Azor, Gutierrez, Cevallos, & plures alij, qui videri poſſunt apud Barboſam, *in Remiſ.Trident. ſup.n.1.* Et patet ex decreto Tridentini ſupra allato. Ratio eſt manifeſta, quia cum Fundator, aliud non exprimit in fundatione, creditur velle ſe conformare iuri communi: nam iuxta regulam, *l.uni.ff. ſin autem ad deficientes C. de caduc.tol. Lex ſi aliud voluiſſet expreſſiſſet.* Vnde iam fundata hoc modo Capellania, nec illius Patronus, nec Fundator aſſignare valẽt illum, qui annum decimum quartum non agat; quia iam legi Eccleſiaſticæ ſtare, & ſubijci debet; ſi quidem authoritate Eccleſiaſtica erecta eſt, & quoad illius fundationem iam, qui fundavit functus eſt officio ſuo.

4 Sed animadvertendum eſt in his Capellanijs, ſeu beneficijs Eccleſiaſticis non curatis, ſufficere decimũ quartum annum inchoatum; licèt non cõpletum. Ita Enriquez *li.10.c.19.n.2.* Leſius, *l.2.c.34.n.109.* Riccius *deciſ.collect.860. verſ limita.* Cevallos, *comm. cont.commu.q.523.n.4.* Thomas Valaſcus, *to.1. alleg.8.* & alij; ſicq; declaratum eſſe à Congregatione Concilij 16. Martij anno 1596. teſtantur Barboſa, & Ioannes Guillemer. *in declarat. Trident. hic.*

Se-

5 Secunda concluſio: ſi Fundator capellaniæ expreſſerit obtineri poſſe a minori quatuor decennio, ut poteſt fieri, cuicumq; quem Fundator vocaverit, vel Patronus præſentaverit, conferri poterit ante illam ætatem. Hac conditione fundari, ſicq; fundatam conferri poſſe non habenti decimum quartum annum aſſerunt Riccius *ſup. verſ. Nunc limita.* Sa *verb. Beneficium nu.* 30. Gonçalez. *ſup. n.* 91. Barboſa, *in Remis hic n.* 1. Campanilus, *in d. c. 6. n.* 2. Macobrius *prax. requiſ.* 10. *dub.* 11. *n.* 30. & tandem ſic declaravit Congregatio Concilij, *in illud ante* 14. *annum: Niſi*, inquit, *in fundatione aliter ſit ſtatutum, quia fundationi non eſt derogatum.* Probatur, quia cum Capellaniæ Fundator poſſit ponere quaſcumq; iuſtas conditiones, etiã poteſt & hanc; quia iuſta eſt, & naturæ Beneficij non repugnans, etiam ex iure Canonico, & communi, ut infra videbimus; lexq; Tridentini iuxta Sapientum interpretationem intellecta, non derogat fundationi huic, nec voluntatem Fundatoris coarctat, ne poſſit aſſignare Capellanum, quem cumq; maluerit; dummodô iuxta canonicum ius ſit capax, aliterque periculum eſſet defraudandi Eccleſiam pluribus beneficijs Eccleſiaſticis ſic erectis, & erigendis, in quorum favorem Eccleſiam ſuis in decretis ſtatuere præſumendum eſt.

6 Tertia concluſio: Si aliqua verba, aut conditiones inveniantur in fundatione Capellaniæ, quæ verificari, ſalvari, aut impleri nequeant, niſi conferatur, aut conferri poſſit Capellania illi, qui nondum decimum quartum annum attigit, probabile eſt poſſe tunc illi conferri. Quia illa fundatio eſt quædam lex ſtabilita à Fundatore pro obtinenda illa Capellania: at *Generalis lex exmente, ſeu intentione Legiſlatoris eſt intelligenda*, & practicanda, ut docent Surdus *deciſ.* 9 *n.* 13. Barboſa, *de princ. iur. lit. l. n* 20. Armendariz *in proem. addit. de recopil leg. Nauarræ. n.* 131. *Nec ad verborum formulam, ſed ad effectum, eorum ſolùm attendendum eſt in legis interpretatione*; ut notat Ferrer *in conſtit. cathalon. gloſ.* 4. *n.* 66. Effectum autem non ſortietur fundatio prædicto modo facta, niſi conferri poſſet capellania decimum quartum annum non attingenti; & ita interpretatio facienda eſt, ne diſpoſitio fiat illuſoria, ut docent idem Ferrer *gloſ.* 1. *n.* 152. Antonius Monachus Florentinus, *deciſ.* 1. *n.* 86. & Cardinalis Mantica, *de tacitis, & ambig. conuent. lib.* 2. *tit.* 12.

7 Sed ſi roges, quæ verba, vel conditiones ſunt iſtæ, quæ ſic a lege receſſum poſſint perſuadere? Reſpondeo, ſanè eas eſſe, ex quibus, & ex circunſtantijs colligitur voluiſſe Fundatorem ad capellaniam obtinendam neceſſarium non eſſe in capellano decimum quartum annum: ſi enim diceret hanc Capellaniam habeat Petrus ſimul ac ego moriar, vel veniat ipſe Toleto; etiam ſi hic puer ſit, & nondum decimũ quartum annum attigerit, illam poteſt ad ipſiſci, eiqué ipſa conferri Similiter ſi diceret; quod conferatur ſtatim ac Ioannes legere, & ſcribere ſciat, vel poſſit minoribus Ordinibus initiari, cum hi Ordines ante prædictam ætatem conferri valeant, ut Doctores communiter docent, & Congregatio Concilij in una Croſſetanenſi 20. Maij 1592 reſpondit ſic apud Barboſam: *Nulla eſt à Tridentino præſtituta ætas Tonſuræ, & quator minoribus Ordinibus, ſed ea attendenda, quæ a ſacris canonibus præſcribitur.* Confirmantur dicta: nam cum Fundator, ita loquens expreſſit conditionem, inqua tacité continetur non exigi ab eo prædicta ætas, idem fere eſt, ac ſi hoc expreſiſſet; iuxta id iuris principium: *Tacuit, & ex preſsi idem eſt iudicio l. cum quid. ff. ſi & pet. l. filius famil. ff. eode tit.* ubi Doctores, inter quos Tuſcus *lit. F. conc.* 7. Marius Antonius *Variarum l.* 2. *reſo.* 7. *n.* 72. & alij ab eo adducti, qui hoc intelligendum aiunt, *Quando tacitum includitur in natura expreſsi*, ut accidit in præſenti.

8 Quarta Concluſio: Quando Capellania iam eſt erecta Ordinarij authoritate, & vel decimum quartum annum in fundatione exigit, vel nihil in fundatione poſitũ eſt, ex quo hanc ætatem non exigi præſumatur, ſi adhuc Fundator ſupertes eſt, poteſt fundationem alterare, vel novam ſcripturam condendo de ipſius fundatione, vel iam conditæ hanc clauſulam, vel conditionẽ addendo, ſcilicèt, quod nõ requiratur in Capellano ætas quatuordecim annorum. Sed hoc facere nequit ſine conſenſu, & authoritate Ordinarij; cum eius iuriſdictioni hoc Eccleſiaſticum beneficium, ut pote ipſius authoritate erectum, iam ſubiaceat. Hanc dotrinam tenent ſine dubio Milius *Reperto. verſ. Patronus in fundat.* Rochus de Curte, *de iure Patron. verb. pro eo quod n.* 31. *& ſeq. q.* 13. Lambertinus, *l.* 1. *p.* 1. *q.* 9. *n.* 49. & 50. Caputaq; *deciſ.* 290. *n.* 4. Gonçalez, *ad reg.* 8. *concel. gloſ.* 5. *n.* 4. & alij, docentes, Fundãtem beneficiam cum conſenſu Ordinarij, non poſſe poſtea aliquid alterare, vel immutare ſine ipſius Ordinarij conſenſu: ergo cum illo poterit; cum exceptio firmet regulam incontrarium iuxta *l. nam quod liquide §. fin. ff. de penu leg.*

9 Adde e contra, etiam Epiſcopum ſolum

non poſſe regulariter loquendo fundationem alterare ſine Fundatoris conſenſu, illo vivo; mortuo verò nullatenus; nec diſpenſare in ætate. Ratio eſt, quia non poteſt in lege Concilij Generalis diſpenſare, niſi adſit graviſſima, & urgẽs cauta iuxta dicta Sing. 13. num. 2. Et nominatim quoad hanc diſpenſationem id aſſervit Azor, *p. 2. l. 6. c. 5. q. 9.* Præterea, quia nec immutare volũtatem Fundatoris, aut Teſtatoris valet. Idem dic de Patrono, qui nec de Epiſcopi authoritate hanc mutationem poteſt facere; & penes illum ſolum eſt præſentatio Capellani, non veró mutatio conditionum Capellaniæ; poſſet verò, meo iudicio, ſi Fundator expreſſam in Capellaniæ fundatione facultatem Patronò conceſſit ad mutandum, auferendum, addendumvê ſuo arbitrio quidquid magis expedire iudicaret, ſed etiam tunc requiritur cõſenſus Ordinarij.

10 Si roges, quæ ætas requiritur in his caſibus, in quibus aliquo ex prædictis modis decimus quartus annus in Capellano non exigitur. Reſpondeo, ſeptennium ſufficere; cum hæc ætas ex iure antiquo requiratur, & ſufficiat ad primam Tonſuram, & Beneficium ſimplex Eccleſiaſticum. Sic *cap. nullus*, & ibi Gloſſa, *verb. infanti*, *de temp. Ordin. in 6. Gloſ. penult. in cap. ſi eo temp. de reſcrip. eodem lib.* & probat Garcia, *de beneficijs 1. p. c. 5. n. 127.* addens, modo requiri ex Tridentino decimum quartum annum; & idem tempus requiri in penſione docet ex Doctoribus, quos refert, ac ex Congregatione Concilij, quæ ut ait, *nu. 129. in Beneficio idem cenſuit, ac in penſione.* Et antea, *p. 1. c. 2. n. 30.* hæc dixerat: *Capellania erecta in titulum Beneficij ex bonis alicuius authoritate Epiſcopi poteſt ex ordinatione Fundatoris dari puero ante primam tonſuram in titulo ſæculari, donec fiat Clericus, qui ſuo tempore tenebitur Ordinari, & fieri Clericus, & cum capax ſit, & habilis Horas recitare.*

SINGVLARE XXI.

An puer ſeptennio non completo prima Tonſura poſſit initiari?

1 AFFIRMATIVE conſultus reſpondi, dummodó hic iam ſeptennium ingreſſus ad rationis uſum pervenerit, doctrinæ Chriſtianæ rudimenta, necnon legere in vulgaris ſaltim linguæ libro, typis excuſſo, ac rudibus characteribus ſcribere ſciat. Probavi 1. quia hæc tantùm á Tridentino in recepturo Tonſuram exiguntur *ſeſſ. 23. cap. 4.* nec ab eo ætas præſcribitur: ergo, &c. 11. Quia ſi in ſacris Ordinibus annus inceptus pro completo reputatur, & ſufficit, ut recepta praxis, & communis DD. apud Enriquez *c. 19. n. 2.* manifeſtant; etiam ſufficiet in recepturo primã Tonſuram ſeptennium inceptum.

2 Sed oppones Caput *Nullus, de temp. ordin. in 6.* ubi: *Nullus Epiſcopus, vel quivis alius infanti, niſi forte Religionem intraret, ſeu illiterato clericalem præſumat conferre Tonſuram:* ubi Gloſſa: *Infanti, i, minori ſeptem annorum:* ergo cum infantia uſq; ad ſeptenium completum duret *ex l. Si infanti. C. de iure deliberandi*, eo non cõpleto minimè Tonſuram conferre licebit, ut non licere probat ex Sylveſtro, Armilla, Tabiena, Angelo, Navarro, & alijs Thomas Sanchez, *to. 2. conſ. l. 7. c. 1. dub. 23.*

3 R. hanc legem, & regulam generalem ſtatui á iure *ca. Nullus* & á Doctoribus quia, ut in ſimilinotavit Sanch. *l. 1. de mat. d. 16. n. 10.* communiter uſq; ad ſeptennium completum (niſi contrarium manifeſtè appareat) non præſumitur, puerum ad rationis uſum deveniſſe. ut probant Mandoſius *de æt. min. c. 3. n. 3.* & *in cap. iuvenis. de ſpons.* Alexander de Nevo *n. 19.* & Ancharanus *n. 9* ac alij. Cum autem conſtaret, vel præſumeretur, ut inprænſẽnti, iam antea deveniſſe, non eſt cur prima Tonſura puero negetur. Ratio enim legis eſt anima legis. Sic *in c. litteras, & cap. acceſſit. de ſponſal:* & á DD. ſeptennium completum exigitur ad ſponſalia contrahenda. ut late probat Thomas Sanchez *ſup. n. 2.* & tamen verior, & communior ſententia, quam tenent innumeri Theologi, & Iuriſperiti apud ipſum *n. 9.* videndi, docẽt valide & licite contrahi ſponſalia ante ſeptenniũ ſi malitia, ſeu rationis uſus ſuppleat ætatem: nam ut dicitur, *l. in ſponſal. la. 1. ff. de ſponſal.* ſatis eſt ſponſos quod agant intelligere: ergo ſimiliter in noſtro caſu.

4 Immo ob dicta exiſtimo, quod puer ſex tantùm annorum, ſi ita precox ſit ingenij, ut rationis uſu polleat, legere, ac ſcribere ſciat, prima poſſit initiari Tonſura: ac ſaltim Epiſcopus diſpenſare poterit, ut initietur: licèt enim in ætate ad Ordines requiſita diſpenſare nequeat; ut docent S. Antoninus, Navarrus, Sylveſter, Immola, Tabiena, & Armilla, quos citat, & ſequitur Sanchez, *to. 2. conſ. c. 1. du. 26. n. 18.* cum Tonſura Ordo non ſit, ut probavi Sing. 4. nu. 5. & 6: diſpenſatio in ætate ad illam recipiendam non eſt ei prohibita: ni mavis hoc per interpretationem iuris [ſi fortè hoc extat in cap. Nullus] fieri iuxta dicta Sing. 13. nu. 6. Ad Ordines minores ſeptennium completum ſufficit, ut cum alijs docet Sanchez ſup. num. 17. dum alia requiſita adſint.

FINIS TRACTATVS VI.

AD SACROSANCTVM ORDINIS SACRAMENTVM, SINGVLARIVM

TRACTATVS SEPTIMVS

DE CELEBRATIONE MISSARVM.

SINGVLARE I.

V. Episcopus, aut locorum Ordinarius possit absque novo Sedis Apostolicæ decreto cum Missa, & Officio divino in sua Diœcesi Sanctos celebrare, quos, in eorum Canonizationis indultis Pontifex celebrandos concedit?

1 CONGRVE satis ad Ordinis Sacramentum, Missarum Celebrationem, & divinorum Officiorum Recitationem adnectimus. *His* enim, qui initiantur, seu sacro decorantur Sacerdotio, *dispensatio Mysteriorum Dei*, ut S. Isidorus *l. 7. offic. c. 1.* loquitur, *commissa est: præsunt enim Ecclesiæ Christi, & in confectione Corporis, & Sanguinis Domini consortes sunt cum Episcopis.* Hinc rectè Concilium Lateranense *can. 2.* districtè præcipit, ut hi diligenter instruantur *super divinis Officis, & Ecclesiasticis Sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare.* Et Coloniense III. *p. 1. cap. 19.* ait: *Ordinandi debent instrui de Officio, quod susceperi sunt, ne scilli alligent, cui non possunt satisfacere, nevè mentiantur Spiritui Sancto.* Officium verò præcipuum Ordinandorum, ac Sacerdotum maximè, duo complectitur, & Missarum celebrationem, de qua in hoc Tractatu, & Horarum Recitatione, de qua in sequenti.

2 Ad huius autem, & aliorum Singularium resolutionem, unam vel alteram indultorum clausulam ex Canonizationum Bullis, in quibus hanc facultatem Christi Vicarij concessere, proponere necesse est. Sic ergo Sanctissimus D. N. Vrbanus VIII. in Bulla Canonizationis B. P. N. & Societatis nostræ Fundatoris Ignatij, quæ incipit: *Rationi congruit, &c.* & expedita fuit Romæ anno 1623. idus Augusti, loquitur §. 4. Canonizationis a SS. Pontifice Greg. XV. celebratæ anno 1622. mentionem faciens: *Statuens, ut ab universis Christi fidelibus in eius honorem Eccl siæ, & Altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur ædificari, & quolibet anno dicta die illius obitus, pridie Kalendas Augusti Festum ipsius, & Officium tanquam de Confessore non Pontifice, ad formam in Rubricis Romani Breviarij præscriptam, solemniter celebrari possint.*

3 Idem Pontifex in Bulla Canonizationis S. P. N. Francisci Xaverij, Orientis Apostoli, ab eodem Gregorio XV. celebratæ anno 1622. sic loquitur: *Franciscum Xaverium, de cuius vitæ sanctitate, fidei sinceritate, ac miraculorum magnitudine, & frequentia plenè constabat, Sanctum esse definiuit* [scil. Gregorius XV.] *& in Sanctorum Confessorum catalogo ad scribendum esse decrevit, & adscripsit, illumque ab universis Christi Fidelibus tamquam verè Sanctum honorari, ac venerari mandauit, ac ut ab uniuersali Ecclesia in eius honorem Ecclesiæ, & Altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, ædificari, & consecrari, & singulis annis die secunda decembris quæ ad cælestem gloriam vocatus est, eius Officium ut de Sancto Confessore ad præscriptum Romani Breviarij celebrari possit statuit, &c.* Et inferiùs in utraque Bulla addit SS. P. N. Vrbanus: *Apostolica authoritate decernimus, quod definitio, decretum ad scriptio, statutum relaxatio, impartitio, aliaque præmissa suum debitum sortiantur effectum.* Eadem inveniuntur in Bulla Canonizationis S. Theresiæ de Iesu, egregiæ Carmelitarum Discalceatorum Fundatricis, quam edidit Gregorius XV. anno 1621. & S. Philipi Nerij, quam edidit S. Vrbanus VIII. ann. 1623. ac in alijs aliorum Pontificum Bullis.

4 Dico igitur, Quotiescumque hæc, & similia Pontificum diplomata extant, posse quemlibet Episcopum, vel Ordinarium in sua Diœcesi statuere; ut Missa, & Officium celebrentur de huiusmodi Sanctis, absque novo Pontificis, vel sacræ Rituum Congrega-

gregationis decreto. Perſuadet hoc poteſtas, quæ in iure Canonico, & Concilijs, Epiſcopis conceditur circa feſtorum celebrationem. Ita Concilium Ticcienſe *cap.1. Per ſingulas Parochias eas feſtiuitates populus obſeruare ſtudeat, quas proprius eorum Epiſcopus venerari prædicauerit*, & Lugdunēſe relatum in *cap. Pronunciatum, de conſecrat. diſt.2.* ait: *Et illæ feſtiuitates, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus, cum populo collaudauerint*, ubi Gloſſa: *Feſtiuitates intellige de Canonizatis.* An verò requiratur populi, & Cleri cōſenſus ad hæc feſta inſtituenda vide Suarium, *to.1. de Relig. l.2.c.5.* Azorium, *to.2. l.1.* Laymanum, *tr.7. c.1.n.3.* Fagundez, *inſr.n.8.* & plures apud ipſos.

5 Quod hæc feſta inſtituere poſſit in ſua Diœceſi Epiſcopus ſine nova Pontificis conceſſione, vel confirmatione docent Suarez, *to.1. de Relig. l.2.c.11.n.4.* Fagundez *l.1. præcep. 1.c.3.n.4.* ac alij. Feſta autem inſtituere, non ſolùm dicit, quod dies alicuius Sancti; v. g. S. Ignatij, ut feſtiuus obſervetur, in illoque ab opere ſervili abſtineatur, ſed quod de ipſo Miſſa, & Officium celebrentur. Incongruum enim videtur, ut feſtiuus ſit in urbe aliqua alicuius Sancti dies, & quod ipſi, penſum divini Officij, & Sacrificij Miſſæ non impendatur; aut nec mentio in Eccleſijs illius urbis de illo fiat; cum inſtitutio feſtorum ad ipſius Sancti cultum ordinetur, & hic præcipuè in Sacrificio Miſſæ, & divino Officio conſiſtat, ac oſtendatur.

6 Si igitur abſque indulto Pontificio licet Epiſcopis ex communi iure in honorem cuiuſlibet Sancti, dummodó Canonizatus ſit, feſtum inſtituere; etiam ei licebit ſtatuere in ſua Diœceſi, ut in ipſius cultū ſacrificium; & officium de ipſo, Deo offerantur; præſertim cū cuilibet, & ubilibet exiſtenti, concedat Pontifex (ut in præfatis Bullis patet) quod liberè, & licitè de ipſo recitare, & celebrare poſſit. Verbum autem *Poſſit* liberam, & independentem facultatem ſignificat, ut Singul. 9. & 21. oſtèndemus.

7 Præterea ſi nova conceſſio, vel Pontificis, vel ſacræ Rituum Congregationis neceſſaria eſt ad huiuſmodi Miſſam, & Officium peragendum, nil ſpeciale conceditur in præfatis Bullis in horum Sanctorum honorem, & illis, ut ceteris Sanctis, de quibus nec Eccleſia recitat, nec recitandi facultatem, concedit, cultus duntaxat foret exhibendus; ſiquidem ad recitandum de his, & illis neceſſaria eſſet nova conceſſio. Et ſi ex horum diplomatum vi non poſſimus ſine alia nova facultate de his Sanctis celebrare, quem effectum habēnt verba concedentia recitandi facultatem? Cur Pōtifex facultatem liberam recitandi, omnibus dicit, concedere? Quorum Officium de communi Confeſſorum aſſignat? Quomodo ait, velle hanc conceſſionem ſuum ſortiri effectum? Illuſoria ſanè, & inanis erit hæc cōceſſio; ſiquidem nihil operatur. Denique quo pacto dicit Pontifex concedere quod non eſt conceſſum? quod enim nova conceſſione indiget, conceſſum eſſe minimè dicendum eſt.

8 Tandem, ut Eccleſiæ, & Altaria erigantur in honorem Sancti, v.g. S. Francici Xaverij, non eſt neceſſaria nova Sedis Apoſtoliçæ, nec ſacræ Rituum Congregationis conceſſio; ut extra dubium experientia cōpertum eſt; ergo nec nova conceſſione opus eſt, ut de illo celebretur, & recitetur; eodem enim modo, & ſine ulla limitatione utrumque ibi ſic conceditur: *Statuens, ut Altaria ædificari, & Feſtum ipſius, & Officium celebrari poſſint, &c.* Dictio *Et* æqualiter copulat, ut idem ſit de uno, quod de altero ex copulatis, *l. Si mihi, & Titio. ff. de verb. obligat. l. Reos. §. cum in tabulis. ff. de duobus Reis, & l. ſi hæredi plures. ff. de condit. inſtit.* ex Menochio, *conſ.56.n.35* Brunor a ſole *loco communi verb. copula n.2.* Cedeno *canonic. quæſt. ſing.50.n.8* Rebufo *comment ad l. coniunct. 29. verſ. 1. ff de verb. ſignificat.* & alijs.

Singvlare II.

An ſacræ Rituum Congregationis decretum extet, celebrationem horum Canonizatorum prohibens? ubi nonnulla circa illam adnotantur.

1 Aduersvs doctrinam traditam Singulari præcedenti objici poſſet decretum quoddam ſacræ Rituum Congregationis, quod hoc negare videtur. Nam cum SS. Pōtifici Vrbano VIII. ſupplicaretur pro parte illuſtriſſimi Domini Cardinalis de Sandoval, Epiſcopi Gienenſis, pro declaratione aliquorum dubiorum; hoc propoſitum fuit his vebis: *Secundo, in Bullis Canonizationum Sanctorum ponuntur hæc verba: ſtatuentes, ut ab vniuerſali Eccleſiæ anno quolibet in die N. Feſtum ipſius, & Officium, ſicut pro Martyre, vel Confeſſore, &c. ad formam in Rubricis Breuiarij Romani præſcriptam devotè, & ſolemniter celebretur. Ex quibus verbis apparet, quod conceditur licentia abſoluta, & indiſtinctè, ut in omnibus Eccleſijs poſſit recitari de omni-*

omnibus Sanctis Canonizatis; & utendo huiusmodi interpretationibus in aliquibus Episcopatibus, Ordinarij, & Capitula admittunt sanctos sibi benè visos; & de illis recitatur. Quare supplicatur ad tollenda omnia dubia, & opiniones, declarari, quomodo intelligantur illa verba: Ad formam in Rubricis Breuiarij Romani præscriptam; & si Ordinarij, & Capitula poterunt eorum arbitrio recitare de Sanctis Canonizatis sibi bene visis, non existentibus in Kalendario; etiam si non sint Patroni talium Episcopatuum, nec minus requiescant in illis corpora, nec notabiles Reliquiæ illorum.

2 Ad dubium hoc sic respondit sacra Rituum Congregatio: *Ad secundum, non posse Ordinarium, neque Capitulum, aut aliàs recitare Officium de Sanctis Canonizatis, qui non sint in Kalendario descripti, vel non sint Patroni Ecclesiarum, aut adsint ipsorum Reliquiæ insignes iuxta decretum ultimo loco contra abusus emanatum. Die 9. Decembris* 1628.

3 Sed hoc decretum nostræ sententiæ non contradicere pro certo existimo. In illo enim solùm statuitur, quod non liceat recitare, de quocumque Sãcto, eo ipse precisè quod Canonizatus sit, seu in Martyrologio descriptus; nisi vel sit in Kalendario Breviarij, vel adsit Sedis Apostolicæ facultas. Hanc autem ex presse adesse in Bullis præfatis, & similibus, quis dubitabit? Et hanc dictæ Congregationis responsionem sic intellexisse videtur Augustinus Barbosa, *de offic. Parochi c.* 10. *n.* 21. *De Sancto*, inquit, *Canonizato non potest fieri Officium extra propriam Ecclesiam sine nouo decreto, eadem S. Congregatio sub die 9. Decembris* 1628 Eadem habent Gavantus, *to.* 2. *sec.* 2. *n.* 30 & Novarius, *Incern. v. offic. n.* 9. Novum verò decretum præter Canonizationem, seu ab illa distinctum, adest in Bulla, in qua ait Pontifex, ut Officium de aliquo Sãcto celebrari possit. Præterea forsan prohibentur Ordinarij hac declaratione, ne Officia componant, seu à se composita edãt, sine nova facultate; sicut prohibetur in decreto, ad quod refertur hæc responsio, & de quo Singulari sequenti agemus. Præterquam quod hoc Congregationis decretum vim legis non habet, quando editum non est annuente Sanctissimo iuxta dicta Tract. 4. Singul. 19 nu. 3. & ex alio capite extat in prædictis Bullis ipsius expressa voluntas.

4 Confirmatur hæc explicatio, & huius sententiæ veritas, ex cõsuetudine omnium ferè Ecclesiarum Hispaniæ, quæ etiam post hoc decretum plures Sanctos, in quorum Canonizationum Bullis præfata facultas cõceditur, sine alio ad Romam recursu, admisere, ut in suis Diæcesibus cum Missa, & divino Officio quotannis celebrarentur. Sic Hispalensis, Granatensis, Palentina, Salmãticensis, Abulensis, Conchensis, Civitatensis, Segoviensis, Placentina, Zamorensis, Calagurritana, Asturicensis, Malacitana, Gaditana, & aliæ Sanctissimum Patriarcham nostrum Ignatium celebrãt; sicut & gloriossimum Franciscum Xaverium Hispalensis, Placentina, & aliæ.

5 Demum animadvertendũm est. 1. non solùm Episcopos, sed omnes alios Ordinarios, quales sunt Abbates exempti, Ordinũ militarium Priores, seu Vicarij, & alij, qui habent propriam Diæcesim, & in ea iurisdictionem quasi Episcopalem, posse in suis Diæcesibus has solemnitates, seu festa instituere, ut de prædictis Sanctis celebretur, & recitetur. Ratio est, quia in omnibus præter Pontificalia, ad quæ Episcopalis requiritur ordo, pares sunt Episcopis, scilicet quoad iurisdictionem, administrationem, celebrationem festorum, & Ecclesiæ regimen, ut videre licet apud Barbosam, *in Trident. sess.* 24. *de reform. c.* 1. *& .6. & sess.* 23. *cap.* 15. *& sess.* 14. *c.* 7. & Lugum, *disp.* 21. *de pœnit. sect.* 2.

6 Item Capitula Sede-vacante idem possunt; cum eis competat ea omnia exercere, quæ pertinent iure communi ad ordinariam Episcopi iurisdictionem, exceptis nonnullis specialiter prohibitis. Sic *ex cap. cum olim, de maioritate, & obedientia, & Cap. Sede-vacante.* Iurisperiti, & Theologi, Barbosa, *de potest. Episcop. 2. p. alleg.* 36. *n.* 9. Riccius *prax. resol.* 118. Quaranta, *verb. Capitulum*, Sayrus *claui reg. l.* 6. *c.* 11. Molina, *de iust. n.* 5. *d.* 1. *n.* 13. *&* 10. Suarius, *de cens. d.* 7. *sect.* 2. & alij. Item de Vicario Episcopi idem dicendum est, ut probant Suarez *to.* 4. *d.* 28. *sect.* 5. *n.* 10. Sanchez, *l.* 3. *de mat. d.* 29. *n.* 14. Reginaldus, *l.* 1. *n.* 18. Barbosa, *in sess.* 23. *c.* 16. *n.* 6. & alij communiter.

7 Ad nimadvertendum 2. quod non solùm authoritate, aut præscripto horum Ordinariorum, sed propia authoritate potest quilibet Sacerdos privatim celebrare, & quilibet ad Officia divina adstrictus, recitare de Sanctis Canonizatis, in quorum bulla prædicta facultas extet; quia universali Ecclesiæ, seu cunctis Fidelibus hunc cultum exhiberi posse conceditur, independenter ab Ordinariorum iussu, vel approbatione; & ubi *lex, aut priuilegium conditionem non apponit, nec nos apponere debemus, l. de pretio ff. de public. in rem act.*

8 Ad imadvertendum est 3. quod licèt in his, & similibus Bullis solùm dicatur, quod *Festum ipsius, & Officium celebretur*, ibi intelligitur

tur conceſſa facultas ad Sacrum faciendum; nam ſub nomine *Feſti*, & *Officij*, utrumque comprehenditur: Miſſa enim officium divinum eſt, & *Feſtum* ibi hanc præcipue continet ſignificationem. Præterea cum ex 1. Miſſalis Romani Rubrica, Miſſa debeat conformari Officio; ſi hoc de S. Ignatio v.g. conceditur, etiam & Miſſa conceſſa videtur. Vide quæ pro hoc afferuntur Tract. 8.

9 Et animadverte 4. Miſſam votivam de his Canonizatis dici poſſe quolibet die nō impedito iuxta Rubricam Miſſalis, §. *de Miſſ. vot.* Sicut de alijs Sanctis, qui ſunt in Kalendario Miſſalis; eadem enim eſt de his, ac de illis ratio: utriſque enim dies natalis cum Miſſa, & Officio celebrandus conceditur.

Singvlare III.

V. De quocumque Sancto Canonizato; etiam ſi in Kalendario non ſit deſcriptus, neque in ſpeciali Bulla detur facultas ad illius celebrationem; dummodò ſit in Martyrologio Romano, poſſit Miſſa votiva celebrari?

1 Vpponendvm eſt omnes Sanctos in Romano Martyrologio deſcriptos [de alijs Martyrologijs Flori, Vſuardi, Adonis, Galeſini, Molani, Maurolici, & Græcorum Menologij non loquor] Canonizatos eſſe; cum ij, ut ab omnibus publicè habeantur, & dicantur Sancti, ac ut tales honorentur, in Catalogo Sanctorum, ſi, Martyrologio deſcribantur; quod clariſſimum Canonizationis teſtimonium eſt, ut docet noſter Bellarminus, *l. 1. de ſanct. Beatitud. c. 7.* Præterea, quia ut verè, Sācti in choro ad primam recitantur ante verſ. *Pretioſa*, omnes, qui pro eo die adſcripti ſunt in Martyrologio Romano iuſſu Gregorij XIII. edito, & Cardinalis Baronij adnotationibus illuſtrato. Sic iubet idem Pontifex in Bulla Martyrologio affixa, anno 1584. Ianuarij 14. expedita, ubi *Vetuſtiſſimo Eccleſiæ more in choro legēdum proponi ad Dei gloriam, ad ſanctorum ipſorum, quorum memoria celebratur, laudem, ac eorum, qui legunt, &c.* Et infra: *Mandamus, ut in agendo diuino in choro officio, omni alio Martyrologio amoto, hoc tantum noſtro utantur, nulla re addita, mutata, adempta*: ergo omnes hi Canonizati ſunt. Hoc poſito;

2 Affirmativam partem ſequi poſſe in praxi abſque venialis periculo ſic probo 1. Ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine, qua conſtat Sacrificium offerri ſolitum in honorem cuiuſlibet Martyris, aut Sancti, cuius memoria extaret in libris, ſeu tabulis, in quibus eorum nomina, & dies, ſeu Natalitia ſcribebantur; quas Tabulas *Faſtos* appellat Tertullianus *l. 1. de Corona Milit.* & Naziāzenus *carm. de different. vitæ, Agapas.* Et ſic S. Cyprianus, *ep. ad Epiſcop. & Presbyt. Eccl. Carthag.* ait: *Dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum, celebrare poſſitis.* Ac Tertullianus, *ſup. Pro Natalitijs annua die facimus.* Vbi Baronius hunc morem oſtendens, *notation. Martyrolog. cap. 4.* ait, *Facere idem eſſe penes antiquos, quod ſacrificare inferius monſtramus.*

3 Probatur 2. ex ſententia Doctorum aſſerentium, hunc eſſe honorem, aut cultum Canonizatis omnibus debitum, ſeu qui deferri ſolet, aut exhiberi poteſt. Sic Bellarminus, *to. 1. contr l. 1. c. 7.* inter alios honores hūc quarto, & quinto loco ſic refert: *Quarto ſacrificia tam Euchariſtiæ, quàm laudum, & precum, quod vulgò Officium, ſeu Horæ Canonicæ nuncupatur, in honorem eorum Deo publice offeruntur. Quinto dies feſti in eorum memoriam celebrantur.* Idem Caſtro Palao, *diſp. de fide tr. 4. p. 5. n. 7.* Ludovicus de Torres, *diſp. 17. dub. 1.* & alij communiter. Si ergo ſolet, & poteſt hic cultus cuilibet Canonizato exhiberi; etiam ſi non ſit in Kalendario; dummodò ſit in Martyrologio, quod eſt Canonizatorum Catalogus, Miſſa votiva dici poterit pro libito Sacerdotis de illo? Confirmatur 1. quia ſi in aliquo die non poſſet recitari, & celebrari de his Sanctis, fruſtaretur finis Canonizationis, quæ ad hunc præcipue cultum tendit, atqui finem cuiuſlibet actionis ſemper eſſe inſpiciendum, ut videamus, quid poſſimus circa illam docent Iuriſperiti *in l. diximus ff. de excuſat. tutor.*

Confirmatur 2. quia ſicut nova, aut Se-
4 dis Apoſtolicæ, aut ſacræ Rituum Congregationis facultas non requiritur ad alios honores, quos citati Doctores recēſent, & ſunt Canonizatorum proprij, eis præſtandos, v. g. ut ab omnibus habeantur, & appellentur Sancti; invocentur publicis precibus; in eorum memoriam altaria, & templa erigantur: certo quodam lumine, aut radijs depingantur, ac eorum Reliquiæ honorēntur: ita etiam nec nova facultas requiretur ad celebrandum Miſſam de ipſis: eodem enim modo, & cum eadem amplitudine loquuntur Doctores omnes de

ceteris honoribus ac de hoc. Obiectionibus in oppoſitum ſequenti Singulari ſatisfiet.

SINGVLARE IV.

V. Juxta Miſſalis Rubricas, & ſacræ Congregationis decretum, de quocumque Canonizato, etiam in Kalendario nõ exiſtenti, Miſſa votiva dici poſſit? Vbi alia circa ipſius cultum adnotantur.

1 PRAEDICTAM horum Canonizatorum celebrationem non repugnare Miſſalis Rubricis, patet; cum in illis, §.4. *n.* 3. concedatur, ut, *Miſſæ votivæ privatæ dici poſſint pro arbitrio Sacerdotis quocumque die Officium non eſt duplex*: ergo diebus Officio duplici non impeditis, licebit iuxta Rubricas, Miſſam de quocũque Canonizato celebrare. Quod communem eſſe Theologorum ſenſum, praximque Caſtro Palao, *tr.4. de fide diſp.1. §.5.p.5.n.7.* ſic docet, *Confirmo*, inquit, *exemplo cuiuslibet Sancti Canonizati, in cuius honorem omnes conueniunt, poſſe ubilibet, & quolibet die quẽlibet Sacerdotem Miſſam dicere, non quidem propriam; quia fortè nec pro uno die illi eſt aſſignata, ſed votivam, iuxta Regulas Miſſæ votiuæ, eo quod à Sede Apoſtolica indicatus eſt dignus, cui is honor exhibeatur.*

2 Et non ſolùm iuxta Miſſalis Rubricas, ſed iuxta decreta ſacræ Rituum Congregationis hoc fieri poſſe colligitur: ne dicam, conſtat ex decreto, quod Singulari ſequenti num. 5. referemus; nam ibi decernitur, nihil ſtatuendum de Beatis nondum Canonizatis, inconſulta ſacra Rituũ Congregatione, ſi, de illis Miſſam celebrare, & recitare nõ poſſe ſine huius Congregationis approbatione; [de hoc enim cultu, ibi ſermo eſt] ergo, ut de Canonizatis celebretur, & recitetur nova Cõgregationis huius conſultatio, aut facultas non eſt neceſſaria: nam *Exceptio firmat regulam in cõtrarium*, iuxta *l. nam quod liquidè §. fin. l. quæſitum §. idem reſpondit.* Menochium, *de arbitr. l.1. q.30. n.4.* Surdum, *Conſ.303. n.11.* Valaſcum, *conſul.45. n.1. fine*, & complures alios.

3 Sed obijcies I. Si licet Miſſam votivam dicere de quocumque Canonizato, etiam licebit dicere ipſo ſuo Natalis die; cum eadem ſit utriuſque ratio; ſed hoc non licet; cum quilibet Sãctus ex Kalendario habeat proprium diem, & ab eo excludendus foret: quod eſt contra Miſſalis Rubricas, & contra Pij V. mandatum in Bulla, in Miſſalis principio poſita: ergo, nec votiva licebit. Reſpondeo, licere ipſo Natalis die, [ſicut & alijs] de quocumq; Canonizato celebrare: dummodó non ſit impedita hæc dies Officio duplici: etiam ſi ſit impedita Officio ſemiduplici Sancti exiſtẽtis in Kalendario Romano: quia ſi hunc licet excludere, ut de Canonizato exiſtenti in Kalendario Miſſa votiva dicatur: etiam ut de nõ deſcripto Canonizato dicatur, poterit excludi; cũ de utroque celebrare conceſſum ſit: & per Rubricam Miſſalis quicumque Sanctus ſemiduplex excludi valeat ob celebrationem Miſſæ votivæ.

4 Obijcies 2. Si hæc ſententia eſſet vera, nullum invenietur diſcrimen inter Sanctum Canonizatum deſcriptum in Kalendario Miſſalis, & inter Canonizatum non deſcriptum: ſed hoc dici nequit; cum de primo ſemper recitetur authoritate Eccleſiæ, numquam verò de ſecundo: ergo vera non eſt. R. diſcrimẽ eſſe non leve; nam de Canonizato exiſtenti in Kalendario aliquando obligantur Sacerdotes celebrare: & Officio divino adſtricti de illo recitare, ex lege in Bullis, & Rubricis Miſſalis, & Breviarij contenta: at de nõ exiſtenti; ex nulla lege obligantur: licet ex devotione poſſint.

5 Hinc rectè Ludovicus de Torres, *diſp.17. dub.1.* ait: *Non eſſe de neceſſitate Canonizationis, ut univerſalis Eccleſia obligetur ad recitandum Officium diuinum; multi enim ſunt Canonizati, de quibus tamen nõ obligantur, uniuerſalis Eccleſia ad recitãdum Officium. Requirit tamen Canonizatio declarationem Pontificis, cuius eſt Canonizare, ut poſſit honorari Sanctus Canonizatus, ſicut alij Canonizati.* Hæc ille, & Palao, *ſup. n.6. De pluribus Sãctis Canonizatis nemini conceſſum eſt Miſſam propriam, & Officium proprium dicere: & de aliquibus ſolum conceſſum eſt alicui Prouinciæ, vel ſingularibus perſonis; verùm hæc limitata conceſſio, non obſtat, quominus Miſſam votiuam, & Officium votiuum quilibet illis exhibere poſſit: Quia eo ipſo, quod illos Sedes Apoſtolica in Sanctorũ numerũ retulit, & dignos indicauit, ut in ipſorum gloriam Sacrificium offerretur, nomine totius Eccleſiæ, conſequenter indicauit poſſe quemlibet Fidelẽ ſi velit, ſimilem eis ex deuotione honorem præſtare.*

6 Obijcies ultimò: Plurimi Sancti exijs, qui deſcribuntur in Romano Martyrologio, nõ ſunt Canonizati à Pontificibus, ſed ab Epiſcopis, ergo cũ his non cõpetat facultatẽ cõcedere celebrãdi, & recitãdi de Canonizatis, ſed ſolùm Põtifici; de his ſaltém ab ipſis Canonizatis, non licebit, celebrare. Maior patet. Nam olim ſi aliquis Martyrio occubuiſſet, vel eximia ſanctitatis laude floruiſſet, eius ditionis Epiſcopus rem geſtam ad Epiſcopum Primatem ſcribebat, à quo maturé adhibitis in Conſilium Collegis

Epiſcopis inter Martyres, vel Confeſſores recipiebatur, & honorabatur ut talis. Satis hoc probatur ex ijs, quæ S. Auguſtinus, *in breu. collat. diei 3. c. 13.* S. Cyprianus, *l. 3. epiſt. 3.* Baronius, *not. ad Martyrolog. 4. mart.* ſcribunt. Et hic erat vetuſtiſſimus Eccleſiæ canonizandi mos, quem obſervabat quilibet Epiſcopus in ſua Provincia, vel Diœceſi, ut referunt Vvaldenſis, *l. de Sacramental. tit. 14. c. 122.* Bellarminus; *l. 1. de beatit. c. 8.* Azor. *to. 2. c. 26. q. 4.* Fagundez, *1. præc. l. 1. c. 3. n. 6.* Torres, *diſt. 17. dub. 6.* & alij. Sed Alexander III. & Innocentius III. videntes abuſus, qui oriebantur circa Sanctorum cultum ex hac canonizandi facultate, prohibuerunt, ne de inceps aliquis pro Sancto coli inciperet ſine Romani Pontificis approbatione, ut conſtat, *ex c. 1. & 2. de reliq. & venerat Sanct.*

7 Reſpondeo, verum eſſe plures Sanctos in Martyrologio extare hac particulari Canonizatione ab Epiſcopis facta Canonizatos; cum Leo Papa III. ut exiſtimat Bellarminus citatus, videatur fuiſſe primus, qui ſolemniter Canonizaverit S. Vverdam. & S. Suibertum: & poſtea Innocentius II. S. Hugonem Epiſcopum Grationopolit. at Sancti ab Epiſcopis Canonizati, *non tam lege aliqua, quam conſuetudine cœperunt coli ab Eccleſia,* (verbis utor Bellarmini) *& ſicut conſuetudines aliæ vim habent legis ex tacito conſenſu Principis, & ſine eo nullam vim habent, ut patet ex B. Thoma 12. q. 67. art. 3. ita Sancti alicuius cultus ex conſuetudine Eccleſiarum generaliter introductus, vim habet ex approbatione tacita, vel expreſſa ſummi Pontificis.*

8 Præterea; eo ipſo, quod aliqui Pontifices, & poſtremò Gregorius XIII. Martyrologium Romanum, vetus, & novum, Eccleſiæ univerſali propoſuerint; illos, qui in eis deſcribuntur, pro Canonizati haberi, & coli ſtatuerunt; dignoſque cultu Canonizatis proprio, Apoſtolica authoritate iudicarunt. Et quis dubitet, non paucos exijs, qui in Kalendario Miſſalis ſunt deſcripti, & de quibus celebrat quottannis Eccleſia Sacrificium, & Officium recitat, eſſe ex Canonizatis ab Epiſcopis, iuxta antiquiſſimum Canonizationis particularis ritum ſupra relatum?

9 Vltimò advertas velim; I. Miſſam Conventualem celebrandam non eſſe de Canonizatis prædictis; cum hæc fieri debeat de tempore; licet celebrari poſſit ſolemnis. II. moneo, non eadem libertate, & modo procedendum eſſe in recitatione, ac in celebratione de his Sanctis, cum ad illam, nō ad iſtam teneamur. III. noto, quod tam quoad recitationem, quā quoad celebrationem ex devotione, aut votivam, idem iudicium ferendū eſt de his Canonizatis, ac de alijs in Kalendario poſitis; & ſicut iuxta Rubricas de his poteſt quolibet die non impedito Officio duplici Miſſa votiva dici, ſic de illis. Et ſicut iuxta non improbabilem ſententiam aliquando poteſt ſine gra vi culpa, etiam ſine cauſa Officium proprium diei in aliud alterius Sācti in Kalendario poſiti mutari, eodem modo, de quocumque Canonizato in Martyrologio deſcripto, hoc genere mutationis recitari poſſe non improbabile credo.

SINGVLARE V.

U. De Beatificato poſſit Miſſa votiva dici à quocumque Sacerdote; & Pontificia ab Epiſcopo: nec non fieri in illius honorem Proceſſio ſolemnis in aliqua Eccleſia, vel oppido?

1 VPPONO, quod aliquod indultum Pontificium concedat alicui particulari Regno, Provinciæ, Religioni, aut ſingularibus perſonis facultatem celebrandi, & recitandi de Beatificato N. De hocergo neque alijs, neque alio die, aut loco præter aſſignata in Pontificio diplomate, celebrare, & recitare licere docet Ludovicus Torres, *22. diſp. 17. dub. 8. ex c. 1. de Reliq. & venerat. Sanctor.* Probatur 1. quia nemini licet aliquem abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate cultu publico venerari; ſed hic ſolùm in caſu poſito tali Regno, Religioni, aut perſonis conceditur: ergo alijs non licet. II. Quia ſi omnibus licet, ut ad quid Pōtifex pro tali Religione cultum limitat? III. Quia hæc ſpecialis conceſſio tali Religioni facta, eſt privilegiū illi cōceſſum; ergo generalis prohibitio manet integra. IV. Quia ita nullum eſſet diſcrimen inter Canonizatum & Beatificatum; ſi reſpectui cuiuſlibet, quilibet cultus liceret: ergo, &c.

2 Hac in re non ex mea, ſed ex doctiſſimi P. Ferdinandi de Caſtro Palao ſententia; immo & ipſius verbis reſolutionē proferam. Sic igitur ille, poſtquam prædictas propoſuit in oppoſitum rationes, *tract. 4. de fide diſp. 1. punct. 5. §. 5. n. 7.* loquitur: *Dicendum eſt longe pius, & probabilius eſſe, poſſe quemlibet Sacerdotem Miſſam votivam, & Officium votiuum recitare in honorem illius Beatificati, pro quo Sedes Apoſtolica conceſſit alicui ſpeciali Religioni, vel Prouinciæ, Miſſam, & Officium proprium aliquo die celebrare. Probo, quia una Miſſa in uno loco cum-*

eiusdem valoris est, & æstimationis; ac plures Missæ pluribus in locis factæ: ergo Sedes Apostolica concedens, ut in honorem alicuius Missa aliqua dicatur, simul declarat dignum esse, in cuius honorem omnes dici possint. Sed hac declaratione facta tollitur prohibitio relata in Cap. 1. de Rel q. & Venerat. Sanct. in quo cauetur neminem esse venerandum sine authoritate Romanæ Sedis. Nam cum hunc Sanctum ex tua deuotione veneraris, authoritate Romanæ Sedis facis, qua indicauit dignum esse illa veneratione. Hæc ille.

6 Ad 1. Respondeo, ex eiusdem Palaij mente, quod cum approbetur hic Beatus, ut dignus in cuius honorem Missa, & Officium ab omnibus celebrentur, licet non omnibus concedatur facultas illum celebrandi, ad celebrandum tamen authoritas Apostolica intercedit. Ad 2. dico quod limitatio est, ad non dicendam Missam propriam, & ex obligatione Rubricarum, non verò, ad non dicendam non propriam, sed votivam. Ad 3.aio, Concessionem illam esse privilegium, & simul remotionem impedimenti, quod extabat in *Cap. 1. de reliq. & venerat:* ne de quoquam sine auctoritate Apostolica publico cultu celebraretur, quatenus celebratio est approbatio dignitatis, & meriti, aut venerationis Sancti Beatificati. Ad 4.dico, discrimen inter Canonizatum, ac Beatificatum esse, quod de S. Canonizato præcipitur quod credamus dignum esse in cuius honorem Missa, & Officium celebrentur: de Sancto tamen Beatificato, quod credamus quod id solum permittitur.

4 Circa secundam huius Singularis partem sic idemmet Palao, *n.*8. respondet: *Concludo posse Ecclesias Cathedrales, & Episcopos cum suis Cleris supradictos Sanctos Beatificatos honorare Missa Pontificia, & Officio votivo, processioneque solemni. Cui opinioni subscripserunt Salmanticæ anno Domini* 1625. *cum hic casus consultus fuit, Doctor Balboa in Ecclesia Salmaticensi Doctoralis, & in Vniuersitate primam Cathedram Canonum regens. D. D. Aluarus de Occa, & Sarmiento, vespertinæ Cathedræ Canonum moderator, D. Martinus de Bonilla decreti Cathredam regens DD. Petrus de Vega, primarius Legum profesor. Ex Augustiniana familia subscripserunt Mag. Basilius de Leon, M. Bernardinus Rodriguez, M. Franciscus Dominguez in Vniuersitate professores; & etiam ex familia D. Bernardi subscripsit M. Angel Manrique, M. Alfonsus Perez, M. Ludouicus, Bernardus; ex familia D. Benedicti subscripsit M. Fr. Didac. de Salazar, M. Benedictus de la Cerna. Ex D. Francisco Fr. Petrus de Ladron de Guevara, Fr. Laurentius de Villareal, Fr. Sebastianus Faxardo. Ex familia Virginis de la Merced subscripsit M. Gaspar de los Reyes. Ex nostra Societate subscripserunt PP. Ioannes de Monte Mayor, Franciscus de Prado, Petrus Pimentel, Ludouicus Roa, Ioannes Martinez, & ego minimus; aderam enim tunc Salmanticæ.* Hæc ille.

5 Sed oppones decretum â Sacra Rituum Congregatione post prædictam horũ Doctorum sententiam editum, & a SS. D. N. Vrbano approbatũ, ubi sic dicitur: *De Sanctis Episcopis locorum, Martyribus, Ciuibus, & aliis Festis, de quibus in Kalendario Romano, seu Rubricis Breuiarij nihil habetur, ut etiam de Beatis nondum Canonizatis, nihil propria authoritate, constituatur, sed omnino consulatur Sacra Rituum Congregatio.* Poltea additur, hoc approbatum a SS. P. P. Vrbano.

6 Respondeo, quod licét verum sit, hoc decretũ fuisse editum post sententias prædictas; nam in novo Breviario SS. D. Vrbani VIII. Antuerpiæ impresso anno 1632. pro quo est Bulla anni 1631. ab ipso SS. impressum iussum est, adhuc præfatæ resolutioni non obstat, cum in illo solùm statuatur, quod *propria authoritate nil de Beatis constituatur*; celebratio verò Beatificati prædicti non fieret propria authoritate, sed Sedis Apostolicæ; cum hæc iam statuerit dignum esse, ut cum Missa, & Officio celebretur; siquidem utrumque alicui Regno, Religioni, vel personæ concessum est, ut supra dicebamus. Vnde decretum hoc locum habet in illis, qui ita Beatificati sunt, ut in eius honorem nulli, nec personæ, nec communitati concessum sit, Missam celebrare; & de hoc nec votivam dici posse existimo. Sed consule quæ de Canonizato infra dicemus circa Celebrationem in ipsius diè, & circa recitationem Horarum.

SINGVLARE VI.

An, & Quomodo de SS. Confessoribus, & Martyribus Societatis Jesu in ipsorum festivitatibus Missam celebrare, & Officium recitare liceat ipsis Societatis, & aliorum Ordinum Regularibus, nec nõ sæcularib' Sacerdotibus?

1 VM ex Pontificijs indultis concessio dimanet ad prædictam celebrationem, illã in medium proferri necessum est. Et quod attinet ad SS. P. N. S. Ignatium, & S. Franciscum Xaverium; iam indulta à SS. Gregorio XV. concessa, & a SS. D. N. Vrbano VIII. promulgata circa eorum cultum, & celebrationem retulimus Singulari 1. num. 2. & 3.

2 Iuxta quæ indulta, quæ ibi videre licet, indubitatum est omnes Regulares, & sæculares Sacerdotes; immo & omnes, qui divini Officij lege adstringuntur, sive ratione sacri Ordinis, sive professionis, sive beneficij, aut capellaniæ obligatio hæc oriatur; posse Missam celebrare in qualibet Ecclesia, seu totius orbis parte; ac Officium recitare de his duobus Sanctis, & consequentur de omnibus alijs, in quorum Canonizatione, aut Beatificatione eiusmodi indulta extent, sine nova Pontificis, sacræ Rituum Congregationis, aut Ordinariorū licentia: ad hoc enim à summo totius Ecclesiæ legislatore hæc conceditur sine limitatione, aut recursu ad alium Superiorē, & vult hanc licentiam suum sortiri effectum; non autem effectum sortietur, nisi celebretur, recitetur, altare erigatur, & Sacrificium offeratur, &c.

3 De Beatissimo F. N. Aloysio Gonzaga Gregorius XV. Bulla, quæ incipit: *In sede Principis, &c.* edita 2. octobris 1621. decernit, & concedit: *Vt de dicto B. Aloysio Gonzaga die 21. Iunij, quo ex hac vita migrauit ad cælum, ab omnibus eiusdem Societatis Religiosis, ubique terrarum existētibus, iuxta Rubricas Breviarij, & Missalis Romani de communi Confessoris non Pontificis Officium recitari, & Missa celebrari respectiuè libere, & licite valeat: nec non etiam confluentibus eodem die ad eorundem Religiosorū Ecclesias Missam in illis de Beato Aloysio Gonzaga, ut supra, celebrare liceat:* Additq, hoc *Apostolica authoritate tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus. Non obstantibus, &c.*

4 De Beatissimo P. Francisco de Borgia, Societatis III. Præposito, sic Vrbanus VIII. Bulla, quæ incipit: *Alias a nobis*, edita 25. Novembris anno 1624. *Vt idem Dei servus Fr̄ancisc̄us Borgia Beatus nuncupari, de eoque ab omnibus dictæ Societatis Iesu Religiosis ubique existentibus, nec non in ditionibus Familiæ illorum de Borgia, ab omnibus Sacerdotibus tam sæcularibus, quam Regularibus Kalēd. Octobris ipso nempe die vi obitus, Missa celebrari, ac Officium de communi Confessorum non Pontificum iuxta Rubricas Missalis, & Breuiarij Romani recitare libere, & licite valeant, Apostolica authoritate tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus.*

5 Postea idem Pontifex in alia Bulla data die 2. Septembris anno 1625. postquam prædictam concessionem retulit, ait: *De eorundē Fratrum consilio, concessionem, & indultum, de superque confectas litteras huiusmodi ad quoscumque Sacerdotes sæculares, seu cuiusvis Ordinis, seu instituti Regulares, ad Ecclesias, seu domos Regulares dictæ Societatis accedentes; ita ut Sacerdotes huiusmodi in dictis Ecclesijs, seu Domibus dumtaxat Missam, & Officium huiusmodi, seruata prædictarum litterarum forma, respectiuè celebrare, & recitare possint, & valeant, tenore præsentium extendimus, ac concedimus pariter, & indulgemus. Non obstantibus, &c.*

6 De Sanctis Martyribus nostræ Societatis Paulo Michi, Ioanne de Goto, & Didaco Quizai, sic SS. D. N. Vrbanus VIII. in Bulla, quæ incipit: *Saluatoris & Domini, &c.* edita 15. Septembris ann. 1627. ait: *De eorundem Cardinalium consilio: ut eisdem Martyribus ab omnibus dictæ Societatis Religiosis ubique existentibus Officium, & Missa de communi plurimorum Martyrum die eorum Natalis, vid. licet, die quinta Februarij, recitari, & celebrari respectiue, liberè, & licite possit, & valeat Apostolica authoritate tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur. Non obstantibus, &c.*

7 Huic Bullæ additur hæc sacræ Rituum Congregationis declaratio: *Cum aliàs sub die 3. Iulij 1627. Sacra Rituum Congregatio, annuente Sanctissimo, concesserit, ut de ribus Sanctis Martyribus e Societate Iesu Paulo Michi, Ioanne de Goto, & Didaco Quizai in Iaponia pro Christi fide cruci affixis Officium, ac Missa de communi plurium Martyrum ipsa die eorum martyrij, nempe, V. Februarij, ab omnibus Presbyteris eiusdem Societatis ubique existentibus recitari, & celebrari posit; instante Generali Patrum Societatis Iesu indultum prædictum ad omnes Sacerdotes tam sæculares, quam Regulares ad eorum Ecclesias confluentes extendi posse, eadem sacra Rituum Congregatio censuit, facto verbo cum Sanctissimo; Sanctissimus annuit 26. Septembris 1629.* Hanc declarationem, sicut & omnes præfatas Bullas invenies in tomo 4. Bullarij ab Angelo Maria Cherubino Monacho Cassinensi edito Romæ anno 1632.

Singvlare VII.

Quo ritu, loco, die, & quibus circunstantijs, & personis celebrare, & recitare liceat de his, & alijs Sanctis Canonizatis, & Beatificatis? Vbi de horum, & similium cultu.

1 CIRCA hæc Pontificum indulta nonnulla animadvertenda sunt. 1. celebrandum, & recitandum esse ab omnibus Societatis Iesu, & aliorum Ordinum Regularibus, nec non à sæcularibus de omnibus prædictis Sanctis, tam de Canonizatis, quam de Beatificatis tantùm, sub ritu duplici, in Societatis nostræ Ecclesijs:

sijs: omnibus enim illa Breviarij prima regula præscripta est: *Officium sit duplex in festis Sanctorum, qui apud quasdam Ecclesias, Religiones, vel Congregationes consueuerunt solemniter celebrari:* Cum autem in Ecclesijs Societatis solemniter prædicti Sancti celebrentur; omnes, qui in illis de his Sanctis celebrant, ritu duplici celebrare debent, cum ratione loci; ubi celebrantur, hoc illis conceditur. Recitatio etiam debet esse sub ritu duplici, cum hæc conceditur, semper enim eodem ritu quo celebratur, recitatur. Hinc dicitur in Rubrica, *de concur. n. 2. quod Festa aliorum Sanctorum, qui in proprijs locis, vel Ecclesijs solemniter celebrantur, alijs in Kalendario descriptis præferuntur.* vbi Gavantus, *sect. 3. c. 9. n. 3. Hinc appellantur prædicta festa prima, vel secundæ classis vel duplicia maiora, quæ in concursu cum minoribus integras primas, & secundas vesperas habent.*

2 Societatis Regulares, etiam in alijs sæcularium aut Regularium Ecclesijs, ubique existentibus, de suis Sanctis Beatificatis cũ Missa, & Officio celebrare possunt, non verò alij Sacerdotes: utrumque enim ex indultis præfatis patet, cum his ratione loci, illis verò ratione Religionis, quam profitentur, concedatur. Et si in alijs Ecclesijs præter nostras hi celebrarent, *Si id semel, aut bis fieret,* ait Granado, *infra nu. 17. non videtur peccatum lethale; quia cum celebratio sit licita, quod solùm mutetur Altare, vel Ecclesia, non videtur grauis inordinatio, nisi ea mutatio toties fieret, ut merito iudicari posset valde contraria decreto, & legi summi Pontificis.* Hæc ille, secus de Canonizatis; quia omnibus Regularibus, & sæcularibus de his celebrare conceditur ratione Canonizationis, seu Sanctorum Dignitatis, & absque ulla loci limitatione.

3 Extra diem obitus horum Sanctorum, qui tantùm sunt Beatificati, non licet sæcularibus, nec alterius Ordinis Regularibus celebrare de illis; quia pro his tantùm diebus hoc illis conceditur; immo nec Religiosis Societatis hoc licet, si de ipsis ex consuetudine non celebrent cum octava, ut celebrare consueverunt de B. Francisco Borgia, & B. Aloysio Gonzaga iuxta Regulam 1. de octavis ubi; *De octava sit officium, vel saltèm commemoratio in festo principalis Patroni, vel Titularis loci, vel Ecclesiæ, & in festis aliorum Sanctorum quæ apud quasdam Ecclesias, Congregationes, & Religiones consueuerunt cum octauis solemniter celebrari: nisi illa festa venerint in quadragesima.*

4 Vnde fit, quod si in die infra octavam, vel ipso octavæ die B. Gonzagæ celebret aliquis Regularis alterius Ordinis, vel sæcularis Sacerdos in nostris Ecclesijs, non potest de S. Aloysio celebrare; non enim est hic dies ipsius Natalis; licét *sit illius festi prorogatio* utloquitur Rodulphus, *propos. 23.* Et hoc intelligitur; etiam si solemnis festi celebratio ad illum diem translata sit. Si verò Sanctus Aloysius esset Canonizatus posset quilibet quolibet octavæ die celebrare de illo, saltim dicendo votivam Missam. Denique si esset Titularis, vel Patronus Sanctus, de quo celebratur, posset cum octava celebrari in loco, vel Ecclesia propria, etiam si solùm Beatificatus sit.

5 Si eo die, quo celebratur horum Sanctorum festum concurrat aliud descriptum in Romano Kalendario, vel suæ Diœcesis, aut Religionis proprium; tũc Sacerdotes sæculares, & aliorum Ordinum Regulares, si dignius hoc festum est, seu magis iuxta Rubricas Breviarij, debent de illo celebrare, omisso Societatis nostræ Sancto; qui si ex Canonizatis sit, v.g. S. Ignatius, transferri potest ad primum diem non impeditum iuxta Rubricam de Trãslatione festorum. Nam eo ipso, quod concedatur, quod de hoc sine ulla limitatione celebretur, etiam si ex voluntate tantùm seu devotione, non ex præcepto fiat, tranferri potest; sicut trãsferũtur, qui sunt in Breviario, quibus etiam dies obitus pro celebratione assignatur.

6 Si verò sit ex Beatis non potest extra proprium diem extrahi Missæ celebratio; aut Horarum recitatio, ut decrevit Sacra Rituum Congregatio, & sensit Cardinalis Bellarminus teste Aloysio Turriano, *to. 1. in 2.2. disp. 13. dub. 8.* ac docet noster Granado, *in 2.2. contr. 1. tr. 7. disp. 4. sect. 2. n. 19.* Qui ait non licere recitare, nequé præcepto recitandi satisfieri, si quis devotionis gratia Officium Beatificati pro ipsius Natali destinatum ab Ecclesia, alio die recitet. Adderem ego limitationem hanc, quod si recitaret de facto, adhuc non graviter peccaret recitando ex devotione; cum ille potius sit privatus cultus ex proprio recitãtis nomine, quam publicus ex Ecclesiæ authoritate exhibitus; & non ut Ecclesiæ præcepto satisfiat: sicut si privatim recitaret aliquas pias orationes, aut preces à se, vel ab Ecclesia institutas ex devotione.

7 Secus dicendum existimant àliqui de Missæ celebratione: cũ nequeat sine aliqua publicitate, & non nisi ex Ecclesiæ nomine, & Christi, ipsius Capitis, authoritate sacrificium illud offerri. Vnde Granado, *sup. n. 18.* ait: *Missam in honorem Beatificati non licebit in alijs anni diebus celebrare: immo nec*

comme-

commemorationem, quam vocant agere; nec auderem à mortali culpa excuſare eos, qui ſecus facerent, niſi bona fides, aut ignorantia excuſaret. Hæc ille; ſed nimis videtur rigidus in neganda ſub gravi culpa facultate Commemorationis. Conſule, quæ diximus Singul. 5. Et adde, quod his omnibus non obſtantibus poſſit abſque gravi culpa, immo ſi cauſa occurrat, abſque levi, dici die quocumque Miſſa votiva de Beatificato. Hoc probabile exiſtimo iuxta dicta Singul. 5.

8 Sed adverte, in horum feſtorum tranſlatione, quo ad Miſſas in Eccleſijs Societatis à ſæcularibus, & alijs Regularibus celebrãdas, attendendam eſſe dignitatem Sanctorum, tum habita ratione Eccleſiæ, in qua celebrantur; tum etiam feſti concurrentis. Vnde rectè Gavantus in adnotationibus, *ad Rubric. de octavis* approbatis â Congregatione Rituum; *Cave*, inquit: *ne pro digniori accipias eum, qui potiorem habere videtur locum, ubi Octava celebratur; ſed attende claſſes Feſtorum, & Octavarum concurrentium, & in pari claſſe attende ordinem perſonarum, & earum dignitatem: puta Octava S. Laurentij cedet Octavæ S. Clarę, non tamen cedet Octavæ Aſſumptionis B. Virginis, ſeu Omnium Sanctorum, nec Octavæ alicuius Sancti Patroni loci, ſeu Titularis Eccleſiæ. Attende quoque dignitatem ex eo titulo, ceteris paribus, quod ab Eccleſia immerſali celebretur.* 11

9 Si roges, an licitum ſit recitare de B. Aloyſio Gonzaga, in cuius die Miſſam celebrare, non verò recitare conceditur externis confluentibus ad Eccleſias noſtras? Reſpondeo, ali cui probabile videri eis licere, tum propter magnam connexionem, quam habet quoad hoc Miſſa cum Horis iuxta Regulam. 1. Miſſalis: *Miſſa quotidie dicitur ſecundum Ordinem Officij; & extra Ordinem Officij votiva, vel pro defunctis*; quod non prorſus reijcio, nam probabile videtur iuxta dicēda in ſimili, Tract. 8. Nec opponitur in Bulla Pontificia dictio. *Tantùm*, vel *ſolùm*; nam ex ea ita expreſſe recitatio hæc non excluditur, iuxta regulã iuris: *Conceſſum dicitur quidquid expreſsè prohibitum non reperitur, l. nec non §. Quod eius. ff. exquibus cauſ.* Campanilus, *in diuer. iuris Can. dub. 7. c. 5. n. 1.* Barboſa, *de princ. lit. C. n. 28.* & apud ipſum, *lit. P. n. 60.* plures. Tum quia ſi celebratio Miſſæ, quæ eſt maximus, & præcipuus Beatificati cultus ijs licet: Recitatio, quæ eſt inferior, cur non licebit? Nam ut iura, & Iuriſperiti clamant: *Maius cui licet, non debet quod minus eſt non licere. l. non debet. ff. de regul. iur. auth. multo magis, C. de Sacroſanct. Eccleſia cap. cui licet, 53. de regul. iuris l. 6. l. Marcellus. ff. de donat. cauſa mortis.* Farinacius, *prax. crim. p. 4. conſil. 60. num. 109.* Thomas de Thomaſetis, *reg. 85.* & alij. Quod præcipuè locum tenet, cum inter maius, & minus datur connexio, ut datur maxima inter Celebrationem, & Recitationem.

10 Immo Granado *ſupra n. 16.* valde probabile reputat, ſi indiplomate Pontificio fiat Sacerdotibus alicuius Religionis poteſtas celebrandi in honorem alicuius Beati, & non addatur particula, *Tantùm*, vel æquivalens, poſſe quoſcumque alios Sacerdotes celebrare, dummodò id fiat petentibus illis Sacerdotibus, quibus ea poteſtas conceſſa eſt. Quia ex reg. 27. *de regul. iuris in 6. Quod per alios facimus per nos eſt, ac ſi per nos faceremus*; Et ut docet Gonzalez, *in regul. 8. Cancell. gloſ. 5. a n. 71.* cum alijs Doctoribus, & Rotæ deciſſione Capellanus obligatus ad certum numerum Miſſarum, ſatisfacit huic obligationi, ſi per alios Sacerdotes faciat eas celebrare: ergo qui poteſtatem habet celebrandi in honorem Beati, etiam habere videtur, ut per alium celebret.

Sed adverte inprimis hoc intelligi oportere dummodo facultas celebrandi data ſit ad celebrandum dumtaxat, in Eccleſijs Religionis, cui celebrandi eſt conceſſa poteſtas. Secundò adverte, communiorem eſſe ſententiam aſſerẽtem, numquam licere alijs præter eos, quibus in Pontificio diplomate conceditur facultas ad celebrandum; nec in alio loco præter cõceſſum, celebrare de Beatificato, v. g. ſi ſolùm conceditur celebrare de N. Beatificato certæ Religioni, ſeu illius Sacerdotibus, alijs aliarum, vel ſæcularibus non licebit. Sic Turrianus *ſup.* Gaſpar Hurtado, *tra. de fide diſp. 11. dif. 15.* Molfeſius, *tom. 1. tr. 11. c. 6. n. 51.* & alij. Quia publicus cultus nulli deferri licet ſine Sedis Apoſtolicæ facultate, ut habetur, *in Cap. 1. de reliq. & vener. SS.* His autem tunc deferretur dictus cultus publicus ab ijs, quibus non eſt conceſſus; immo & de omnibus cuius vis Ordinis Sanctis ſacra Congregatio Rituum 19. Novembris 1622. decrevit: *Quod Miſſæ certis Regularibus conceſſæ tantùm, puta de Sanctis Ordinis eorum, aut alijs, qui non habentur in Miſſali Romano, non poſſunt ab alijs dici, nec etiam in ipſorum Regularium Eccleſijs.* Sic teſtantur Gavantus, *p. 3. in Miſſal. tit. 10. pag. 209.* Novarius, *v. offici.* & Vander. *in Gav. comp. f. 18. n. 24. p. 1.* Quamvis autem hæc ſit frequentior opinio; conſule, quæ diximus Singul. 5. & vide quæ ſubijcio.

12 Licere Miſſam votivam de hoc Beatificato dicere probavit Caſtro Palao, *tr. 4. de fide d. 1. p. 5. §. 5. n. 7.* Singulari 5. relatus, ex cuius verbis, etiam ipſo die ipſius Natalitio

propriam dicere ex devotione ſatis colligitur; vel ſi non propriam pro Regularibus tantùm conceſſam; ut Congregatio ſupra negare videtur; ſaltèm de communi Martyris, vel Confeſſoris, pro ut eſt in Miſſali Romano.

13 Præterea externos Sacerdotes ad celebrandum de huiuſmodi Beatis non eſſe impeditos confirmat idem Caſtro Palao: *Quia nemini*, inquit, *publicum, religioſum cultum ex devotione alicui exhibendum impeditur, niſi qua is, cui eſt exhibendus non indicatur à Sede Apoſtolica dignus illo; ſed eo ipſo, quod concedit Romana Eccleſia Miſſam in honorem illius celebrare, illum pro Sancto veneratur, ſiquidem exhibet illi ſupremum cultum, quem exhibere poteſt: ergo hac conceſſione facta quilibet poterit eodem cultu Sanctum pro devotione venerari.* Et quidem cenſerem ſaltèm ſine mortali in prædictò caſu hæc fieri poſſe.

14 Vltimò Granado, *ſup. n.* 18. ait: *Verum quidem eſt cum primùm conceditur prædicta poteſtas* (celebrandi ſcilicet de Beato) *licere quaſi pro initio, & inchoatione feſtivitatis Miſſam celebrare in honorem Beatificati, etiam ante diem à Pontifice præfixum, ſi dies hæc multum diſtet à tempore, pro quo fit conceſſio; idenim praxis declaravit hanc eſſe tacitam voluntatem illius.* Denique de alijs honoribus, ſic Caſtro Palao, *ſup. Ex his*, inquit, *infertur, poſſe quemlibet eius Beatificati imaginem adorare, & adorandam in altari conſtituere, & publicis proceſſionibus circumferre: hi enim cultus longè inferiores ſunt Miſſa, & Officio. Si ergo eum Pontifex dignum indicavit cultu, qui per Miſſam, & Officium Canonicum exhibetur, a fortiori dignus iudicatus eſt omnibus alijs.*

SINGVLARE VIII.

V. Quælibet particularis Eccleſia, tam Sæcularium, quam Regularium, poſſit quottanis celebrare cum Miſſa, & divino Officio diem ipſius Dedicationis; etiam ſi conſecrata non ſit?

1 PRAXIS in contrarium eſt: ſolùm enim Metropolitanarum, aut Cathedralium Eccleſiarum Dedicationes communiter celebrari ſolent: ergo cũ conſuetudo, aut praxis vim legis obtineat, non poteſt hæc celebratio concedi cuicumque Eccleſiæ.

2 Sed quarumvis Eccleſiarum particularium poſſe celebrari ſingularem Dedicationis diem, perſuadent aliqua Concilia: Oxonienſe celebratum anno 1261. *can. de feſt. Celebrandum*, ait, *feſtum Dedicationis cuiuſlibet Eccleſiæ in ſua Parochia, & feſtum illius Sancti, in cuius honore fundata eſt Eccleſia.* Coloniẽſe III. celebratum anno 1549. *c.* 11. *Minores Eccleſiæ pridie eius diei, qui Dedicationi Eccleſiæ ſummæ eius loci conſecratus eſt, aut die Dominico proximo procedente, ſuas ſingulæ Dedicationes celebrent.* Idem Mogũtinum anno 813. ſub Carolo, *cap.* 36. & Concilium Toletanum III. anno 589. Licet ergo ſingulis Eccleſijs ſuæ Dedicationis diẽ quottannis celebrare.

3 Probatur 2. Quia hæc celebratio conſonat iuri communi. Nam *c. Solemnitates, de conſecrat. diſt.* 1. dicitur ex Gregorio Papa. *Solemnitates Dedicationum Eccleſiarum per ſingulos annos ſolemniter ſunt celebrandæ.* Vbi non diſtinguit Pontifex, nec limitat ad Eccleſias Cathedrales: ergo nec nos diſtinguere, aut limitare debemus. Confirmatur, quia *Diſpoſitio generalis generaliter eſt intelligenda*, ut probat Tuſchus, *lit. D. conc.* 488. & comprehẽdit omnes caſus, etiam ſi unius ſit maior ratio, quàm alteriùs *l.* 1. *§. Quod autem. ff. de aleat. l. in fraudem in fin.* & ibi Baldus *ff. de teſt. milit.* Aym, *conſ.* 294. *n.* 4. ergo hæc lex Gregorij, *in d. cap. ſolemnitates*, comprehendit omnes, & ſingulas Eccleſias.

4 Probatur 3. Quia nec Miſſalis, nec Breviarij Rubricæ, quæ ſunt commune ius toti Eccleſiæ in celebratione, & recitatione, diſtingunt hac in re, aut limitant; ſed generaliter loquuntur. Sic Rubrica *de offi. dup. n.* 1. ait: *Officium ſit duplex in Dedicatione propriæ Eccleſiæ.* Et Rubrica 7. *de Octauis: Item in feſto Dedicationis propriæ Eccleſiæ, & in feſto principalis Patroni, & Titularis loci, vel Eccleſiæ*: ergo ſicut quælibet Parochia, & quodlibet Monaſterium habet ſuam propiam Eccleſiam, & celebrat quottanis illius Sanctum Titularem; ita & celebrare poterit ſuam Dedicationem; *Æquiparatorum enim eadem eſt ratio*, ut probant Menochius, *conſ.* 32. *n.* 17. Gratianus, *diſcept. forens. c.* 298. *n.* 7. & *Ab æquiparatis validum eſt argumentum*; præſertim cum eſt ſimilitudo in eo, in quo eſt æquiparatio, ut docẽt Surdus *deciſ.* 119. *nu.* 16. & 21. & Cardinalis Seraphim, *Rotæ Roman. deciſ.* 288. *n.* 5.

5 Aſt in his æquiparatis tanta ſimilitudo invenitur, ut feſtum Titularis ſit quædam Eccleſiæ Dedicatio ſub titulo illius Sancti: utrumque feſtum in dignitate 1. Claſſis. in tempore celebrationis, ac in alijs huiuſmodi, quæ videri poſſunt apud Gavantum, *infra*, conveniunt. Denique ſi fiat ita, invenietur maior ſimilitudo harum celebritatum cum feſto Encæniorum quottannis apud Hebræos celebrari ſolito, ex quo deſumpta fuit Eccleſiarum Dedicatio, ut cõſtat ex *cap. Solemnitates*, & erudité probant

Raba-

Rabanus Maurus, *de inſti. Cleric. l. 2. c. 45.* Euſebius *l. 9. hiſt. c. 10.* Vvalfridus, *de reb. Eccl. c. 9.* Durandus, *l. 7. c. 1.* Bellarminus, *de cultu SS. l. 3. c. 5.* & alij.

6 Et praxi patet etiam, neceſſarium non eſſe, ut hoc anniverſarium Dedicationis feſtum celebretur quod Eccleſia ſit cõſecrata: ſicut neceſſaria non fuit conſecratio cum primò fuit dedicata Eccleſia ad primam Dedicationis celebrationẽ, cum ſcilicet, quarumvis Eccleſiarum Dedicationis primum ſolemniſſimũ celebratur feſtum, cum Octava ubique terrarum, & tamen paucæ ex illis conſecratæ ſunt: ergo ſimiliter de anniverſario feſto idem eſt dicendum, cum idem Officium ab Eccleſia aſſignetur [paucis mutatis] pro hoc, & pro illo feſto: nec minus dicatum eſt Deo templum cum benedictione, quàm cum cõſecratione: quod ſi dignum eſt quod celebretur einſdem Dedicatio ante cõſecrationem, cum primùm in Dei cultum deſtinatur, cur non erit dignum, & ſi conſecratio non accedat, memoriam, illius primæ deſtinationis celebrare?

7 Neç obſtat, quod in oratione huius annuæ celebrationis dicatur: *Deus, qui nobis per ſingulos annos huius Sancti Templi tui Conſecrationis reparas diẽ, &c.* ibi enim, idem eſt, *Conſecratio*, ac *Dedicatio*, ut conſtat ex linguæ latinæ; peritis. *Dedicare*, enim inquiunt, *idem eſt, ac cõſecrare, ſeu religioſum facere.* Hinc Livius *lib. 1. Multa loca ſacris faciendis dedicauit:* Et in Eccleſiaſticis Ritibus pro eodem benedictio, quæ fit in Dedicatione, & conſecratio uſurpantur. Sic in Pontificali in orationibus, quæ dicũtur ad primum lapidis iactum, promiſcuè dicitur: *Benedicere, & Conſecrare digneris.* Et Titulus, qui huic ſolemnitati affigitur in Miſſali eſt; *De Dedicatione, ſeu Conſecratione:* vel quia pro eodem reputatur, vel qũia ad utrumque extenditur feſtum hoc; & tam ad Eccleſiam ſolùm benedictam, quàm etiam ad conſecratam pertinet, iuxta vim particulæ, *Seu*, quæ diſiunctiva eſt frequenter in iure, *c. de ſacroſanc. Eccl.*

8 Ad Rationem dubitandi, R. 1. non eſſe conſuetudinem oppoſitam huic anniverſariæ Dedicationi, quæ vim legis habeat, aut illius executioni obſtare poſſit. Quia forſan in Provincijs Oxoniẽſi, dum publice Chatolica erat, & in Colonienſi, & Moguntina, pro quibus extãt decreta de hac ſolemnitate, Dedicationes ſingularum Eccleſiarum celebrabantur, aut modò celebrantur; ſicut olim in Hiſpania iuxta decretum Concilij Toletani III. quod fuit Nationale, & ſua decreta obſervari præcepit ab omnibus in Hiſpania: & obſervandum hoc in Dedicatione cuiuſcumquè Oratorij (quod certum eſt non fuiſſe conſecratum) Ioannes Andreas, Antoninus, & Abbas docent, *in cap. ult. de ferijs*, quoad Officij recitationem, non quoad obligationem populi.

9 R. 2. Quia hodie omnes fere Religiones, ſcilicet Canonicorum Regulariũ, Præmoſtratenſium, S. Franciſci: Sanctiſſimæ Trinitatis, B. Mariæ de Mercede, Carmelitarum, & aliæ, Eccleſiarum omnium ſuarum anniverſariam Dedicationem celebrant; & certum eſt plures, immo fere omnes non eſſe conſecratas; ſed tãtùm benedictas. III. Quia ex actu negativo, ſeu non uſu, non introducitur conſuetudo, cum ea ſit communis actuum repetitio, ut rectè Ioannes Sanchez, *ſelect. diſp. 50.* Præcipuè cum hæc derogare videatur iuri communi, & ſit in præiudicium Eccleſiarum, quæ hac annua ſolemnitate privantur.

10 Propter hæc exiſtimó, quemlibet, tam Regularem, quam Sæcularem poſſe abſque nova licentia, vel alia Prælatorum authoritate Miſſam celebrare, & Horas quottanis recitare de Dedicatione Eccleſiæ ſuæ Parochiæ, aut Monaſterij, ut videtur Gavãtus docere, *in Rubr. Brev. ſect. 8. c. 5.* ubi *n. 5.* ait: *Præter propriæ Eccleſiæ Dedicationem, celebrari quoque debet anniverſaria Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis: in ciuitate quidem cum Octaua ex Decreto ſacræ Rituum Congregationis 2. Maij 1619. erit tamen in Diœceſi primæ claſſis, &c.* Cõſule ibi ipſum circa huius feſti Officium, & Tranſlationem, & ex ipſo *ſup.* animadverte, quod occurrentibus Dedicatione propriæ, & Dedicatione Cathedralis Eccleſiæ, præferenda eſt Dedicatio propriæ, & de hac celebrandum.

11 Sed ſi roges, qua die celebrandæ erunt Dedicationes Eccleſiarum, de quibus non conſtat dies; immo, nec menſis, in quo prima Dedicatio facta eſt. R. Dominicam ſequentem poſt Dedicationem Eccleſiæ Cathedralis, ſeu Maioris pro hàc celebritate aſſignare Concilium Colonienſe, *ſup. n. 2.* aut pridie huius Dedicationis. Sed primum mihi videtur congruentius: æquum enim eſt, quod ſequantur Parochiales, & Regulares Eccleſiæ Cathedralem, vel particulares, univerſalem illius Diœceſis, & non præcedant in ſolemnitate.

12 Placet ultimó referre decreta Sacræ Rituum Congregationis circa hoc Dedicationis feſtum edita. I. eſt, *Conſecrator Eccleſiæ poteſt in actu conſecrationis ſtatuere alium diem pro anniuerſaria eiuſdem conſecrationis.* Sic 19. Febru-

Februarij ann. 1585. idem eſt de Dedicatione per benedictionem facta iuxta num. 6. & 7. II. *Dedicationis feſtum extra actum eiuſdem non poteſt mutari ab Epiſcopo inconſulta Sede Apoſtolica*, 16. oct. 1604. III. *Si accidat quod in Natiuitate B. virginis, fiat de ea; Miſſæ duæ cantentur, & infra octauam fiat de digniori.* Sic eadem die ut ſupra. IV. *Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis habet Octauam in ciuitate tantum*, 2. maij 1619. Afferuntur hæc â Gavanto, *initio ſui comment. in Breuiar. & ſect. 8. n. 5.*

SINGVLARE IX.

V. Quælibet Hiſpaniæ Eccleſia abſque nova Sedis Apoſtolicæ, aut ſacræ Rituum Congregationis conſultatione, & facultate, poſſit ſuarum Diœceſum Sanctos Naturales, cum Miſſa & Officio celebrare?

1 ONNVLLA circa huius, & ſequentium Singularium materiam iam in lucem hiſpanè edidi anno 1637. in Animadverſionibus ad meum de Sanctis Hiſpalenſibus librum: exquo aliqua deſumenda duxi, ut uberiùs diuulgentur. Igitur in preſenti affirmativam partem ſequendam eſſe conſtat ex Bulla Gregorij XIII. pro Hiſpania conceſſa & edita anno 1573. quæ incipit: *Paſtoralis Officij:* & habetur incodicillo Sanctorum Hiſpanorum, eiuſque verba ita ſunt.

2 *Cum enim Prædeceſſor prædictus*, ſcilicet Pius V. *indiſtincte conceſſerit, ut Eccleſiæ Hiſpaniæ poſſint celebrare Officia propria Sanctorum illius Prouinciæ, &c. Nos declaramus in quamque Hiſpaniæ Eccleſiam, eorum tantùm Sanctorum, qui in Breuiario non ſunt deſcripti, Officia propria celebrare poſſit, qui vel illius Diœceſis ſint Naturales, vel eius Eccleſiæ, ſeu Diœceſis ſint Patroni, vel eorum Corpora, ſeu notabiles Reliquiæ, in ea Eccleſia, ſeu Diœceſi requieſcunt.* Æquiſſimum ſanè privilegium, vel potius ius. *Cum enim*, inquit Ambroſius, *ſer. 77. natal. Tauric. Martyr. omnium Sanctorum Martyrum, Fratres, deuotiſſimè Natalem celebrare debemus, eorum præcipuè ſolemnitas tota nobis veneratione curanda, qui in noſtris domicilijs proprium ſanguinem profuderunt.* Nec incongrua eſt D. Leonis Papæ *ſerm. de natal. Apoſtol.* ratio: *Quia ubi glorificatus eſt exitus; ibi in die martyrij eorum ſit lætitiæ principatus.*

3 Et quod ad horum Sanctorum celebrationem nova licentia, approbatio, aut conſultatio Sedis Apoſtolicæ, vel ſacræ Rituum Congregationis non requiratur, ſatis conſtat ex verbo, *Poſſint*; quo hoc conceditur; nam hoc importat facultatem liberam pro voluntate cuiuſque, quando affirmativè ponitur. Sic ex l. *ſæpe ff. de offic. Præſid. l. 1. 6. Quomodo, & quando Iudex, & cap. ſtatutum de reſcriptis*, & ibi docent Gloſſa: *verbo poſſit*, Surdus, *de alim. tit. 5. q. 4. n. 14. & 15.* Gratianus, *diſcept. forens. tom. 1. c. 146. n. 15.* Riccius, *prax. deciſ. 720. à n. 1. edit. 1.* Pichardus, *diſp. de mor. n. 121.* Farinacius, *prax. crim. p. 1. l. 1. tit. 3. q. 23. n. 5.* Seraphinus, *de priuileg. priuileg. 33. à n. 69.* Sanchez, *de matr. l. 6. d. 38. n. 20.* Moria, *in emporio iuris p. 1. tit. 2. prælud. n. 18.* Caſtillo, *controv. l. 2. c. 30. n. 4.* Gutierrez, *de tutelis, & Curis p. 1. c. 7. n. 6.* ac alij. Si ergo plenam habent Hiſpani facultatem ad celebrandum de his Sanctis, nova licentia; vel facultas non requiritur; aliter illuſoria eſſet hæc facultatis conceſſio; quæ non poſſet reduci ad actum; & ſi alia requireretur, nihil concederetur pro Sanctis Hiſpanis, quod pro reliquis Canonizatis in Kalendario non poſitis non haberetur. Vide quæ diximus Singul. 2. & 3. & 4.

4 Nec obſtat ſacræ Rituum Congregationis decretum a SS. D. N. Vrbano VIII. approbatũ, & in eius Breuiario anni 1631. excuſſum, ubi: *De Sanctis*, ait, *Epiſcopis locorum Martyrium, Cuibus, & aliis feſtis, de quibus in Kalendario Romano, ſeu Rubricis Breuiarij nihil habetur; uti etiam de Beatis nondum Canonizatis, nihil propria authoritate ſtatuatur, ſed omnino conſulatur ſacra Rituum Congregatio:* Non, inquam, obſtat hoc, nam non propria authoritate Epiſcopi, vel ſua ſinguli Sacerdotes de his Sanctis Hiſpaniæ Naturalibus celebrant, ſed authoritate Pontificia Gregorij XIII. in præfato ipſius indulto expreſſa.

5 Immo confirmat hoc decretum noſtram ſententiam: ſi enim, ait, nihil ſtatuendum, ſeu de Sancto nullo celebrandum eſſe ſine conſultatione Congregationis, propia authoritate; ergo de illis Sanctis circa quos, non propria, ſed Sedis Apoſtolicæ authoritas adeſt, celebrari poſſe ibi ſtatuitur a Congregatione, cum iuxta leges, & Doctores: *Exceptio firmet regulam in contrarium* ſeu, *Exceptio repellat eoſdem, quos de iure tenebat actio* ut ex l. *vendutantem 17. cum l. ſeq. ff. de except. l. exceptione doli. C. de euict.* docent Tiraquel *de retract. lig. §. 1. gloſ. 9. n. 33.* Boer. *deciſ. 23. n. 3.* Molina *de primog. l. 4. c. 1. n. 20. & 28.* Gomez *l. 50. Tauri. n. 63.* Tuſchus *to. 3. lit. E. conc. 3. 75.* & alij: ergo iuxta hoc decretum celebrãdi ſunt Sancti Naturales Diœſum; ſiquidem ad illos celebrandos ineſt authoritas Apoſtolica; & ita eorum celebratio cõſulatione, neç cõfirmatione eget.

Præterea si celebrari potest iuxta hoc decretum de Sanctis Naturalibus, de quibus 2 aliquid habetur in Rubricis Breviarij; ergo cum in Bulla prædicta, quæ est veluti Regula, aut Rubrica Breviarij pro Sanctis Hispanis, habeatur celebratio; de ipsis etiã ex hoc decreto celebrari potest.

6 Tandem quæcumque Ecclesia, Religio, & Monasteriũ Hispaniæ, quod habet insignẽ Reliquiam alicuius Sancti; de illo celebrat, & recitat sine nova consultatione, & facultate, ut experientia, & consuetudine manifestum est: ergo etiam de Sancto Naturali celebrare poterit quævis Ecclesia Hispaniæ; quia eodem modo ab eodem Pontifice in hac eadem Bulla utraque celebratio conceditur.

7 Hoc igitur sacræ Congregationis decretum locum habet in alijs Regionibus, & Provincijs, quibus non est concessum hoc privilegium, quod Hispaniæ cõcessit Gregorius XIII. non enim licet illis de Sanctis, Naturalibus celebrare sine nova consultatione, & facultate Sedis Apostolicæ. Et in hoc sensu intelligendus est Ægidius Trulenc. *l.1.in Decalog.c.7.dub.14.n.14.* ubi: *Ex dictis*, inquit, *colligitur non posse Episcopos constituere, ut totus Clerus suæ Diœcesis festivitatem alicuius Sancti celebret eo die, quo iuxta Rubricas Breuiarij Romani de alio Sancto, vel de Feria recitandum erat; nisi quando ille Sanctus signatur in Patronum totius Diœcesis, vel illius Diœcesis est Naturalis, vel eius Corpus, vel notabiles Reliquiæ in Diœcesi requiescunt, ut aperte deducitur ex Bulla Gregorij XIII. quæ apposita est Officio proprio Sanctorum Hispanorum.* Idem docet Castro Palao, *to.2.d.2.p.2.n.10.& 11.*

Singvlare X.

V. Hispaniæ Ecclesiæ possint cum Missa, & Officio celebrare de aliquo Sancto sui Regni Naturali; si hic neque in Kalendario, neque in Romano Martyrologio existat; neque ipsius extet Canonizationis indultum?

1 NEgativam partem absolutè quoad primum decernere videtur Alexander III. *c. 1. de Reliq. & venerat.* SS. dum, inquit: Illum *non præsumatis de cetero colere, cum etiam si per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsis pro Sancto absque authoritate Romanæ Ecclesiæ venerari:* cum ergo de huius Canonizatione non extet rescriptum Pontificium, non licebit de illo celebrare.

SS. D. N. Vrbanus VIII. in Bulla edita Romę anno 1625. *declarauit, statuit, ac decreuit; ne quorumvis hominum cum Sãctitatis, seu Martyrij fama quantumcumque illa sit; imagines, aliaque prædicta,* (scilicet revelationes, ac miracula promulgare, aut imprimere; tabulas, imagines, lumina, & Lampades ad Sepulchrum apponere; ut supra enarraverat) *& quodcumque aliud venerationem, & cultum præ se ferens, & indicans in Oratorijs, aut locis publicis, aut priuatis, vel Ecclesijs tam Sæcularibus, quam Regularibus cuiusque Religionis, Ordinis, instituti, Congregationis, aut Societatis, apponantur, antequã ab Apostolica Sede Canonizentur, aut Beati declarentur; & si quæ apposita sint; ammoueantur, prout eas statim amouendas mandauit.* Si ergo hæc non licent erga non Canonizatos, à fortiori non licebit Missam in honorem prædictorum SS. Naturalium celebrari; cum hoc sit maximum venerationis testimonium, & de eorum Canonizatione non constet.

3 Confirmatur, quia ut docent Carrasco, *recopil.c.2.n.32.* Sanchez, *sum.l.2. c.43.nu.9.* Barbosa, *depot Episcop.allegat.105.n.36.* S. Antoninus, *2 p.tit.9.c.7.* Azor, *to.2.c.26.n.4.* Sylvester *verb. Dominica, q.1.n.3.* Glossa, *in c.1. de Reliq.n.6.* ubi Dominicus, *n.12.* Francus, *n.3.* Innocentius, *cap.fin. de feriis n.1.* & ibi Brunus, *n.4.* Abbas, *n.4.* Immola, *n.3.* Erolius, *d.2.n.12.* & alij, non potest Episcopus festum instituere in honorem eius, qui in Sanctorum numero non sit adscriptus, seu qui nõ est Canonizatus: ergo nec eum ad Missæ cultum ut Naturalem admittere.

4 Dicendum ergo est, non licere Hispaniæ Ecclesijs, neque alijs quibusvis in toto orbe de suarum Diœcesum Naturalibus celebrare, ut de Sanctis, si non sint in Kalendario, vel Martyrologio Romano descripti, vel vetustissima adsit alicuius Catholicæ Ecclesiæ Romanam sequentis, celebrandi de illo consuetudo; vel potius traditio: si verò hæc adsit celebrari hi poterunt. Primum patet ex rationibus iactis. Secundum probatur 1. Quia hi Canonizati supponuntur ex illa antiquissima celebratione, minimè enim hæc ullo tempore in Ecclesia ulla daretur, vel inciperet, nisi supposito sufficienti testimonio, vel Pontificis summi, vel Episcoporum, cum ab illis particulares Canonizationes fiebant, ut diximus Singul. 3. & digni iudicabantur, ut in eorum honorẽ Missa de his offerretur.

5 Probatur 2. Ex certissimo sensu Patrum, & Doctorum asserentium, plurimos, ne dicam innumeros, Sanctos esse ab

Eccle-

Eccleſia Canonizatos, & ut tales olim receptos, qui non inveniuntur in Martyrologio Romano, aut vetuſtis aliorum. Et ita magnus eſt horum Canonizatorùm numerus, ut iuxta Hieronimum ad Chromatium nullus ſit dies, cui non poſſit ultra quinque millia numerus adſcribi: & ad triginta millia accedere quotidie, teſtatur Genebrardus, ac horum numerum pene infinitum appellat Galeſinus *epiſt. ad Greg. XIII.* & ex ſola S. Benedicti familia aſſerit Trithemius, *de viris illuſt. S. Benedict.* cuicumque diei quindecim millia Sanctorum Canonizatorum aſſignari poſſe. De his ergo in Martyrologio Romano non aſſignatis, vel expreſſis, ſi iam diu celebratum ſit, & Naturales inveniantur, celebrari poteſt a Diœceſibus, cum Canonizati ſupponantur.

6 Probatur 3. ab exemplo plurium Eccleſiarum Hiſpaniæ, & aliarum Nationum; nã hæ plures in Martyrologio non repertos cum Miſſa & Officio celebrant. Hiſpalenſis, Placẽtina, & Carthaginenſis in Hiſpania celebrant de S. Fulgentio Epiſcop. Aſſigitano, menſe Ianuarij 14. de S. S. Martyribus Sylveſtre, & Cucufate Compoſtellana 9. Aprilis: & de S. Rudeſindo Epiſcopo, 2. martij. In Breviario Compoſtellano anni 1569. invenitur 1. Iunij S. Enechom Abbas; & de hoc ac de S. Ioanne de Ortega 21. Iunij; & de S. Adalelmundo 30. Ianuarij celebrat Burgenſis: & Salmanticenſis de S. Ioanne de Sahagun 12. Iunij: Legionenſis de S. Froylano Epiſcopo, & Confeſſore 5. Octobris: de S. Carolo Magno Eccleſia Aquiſgranenſis; & ſic de alijs, de quibus aliæ celebrant Eccleſiæ, & quorum nomina non ſunt in Martyrologio; ſicut nec nomina S. Iuſti Epiſcopi de Vrgel; S. Martiani Martyris; S. Porcelli, & aliorum, quos ſemper pro Sãctis ſuæ Eccleſiæ, coluerunt. De his ergo, & ſimilibus Naturalibus cuiuſvis Diœceſis, ab ipſis, ut de talibus celebrari poteſt, etiam ſi in Martyrologio non ſint deſcripti.

SINGVLARE XI.

Quem Canonizationis gradum obtinere debet Sanctus, Hiſpaniæ Naturalis, in Martyrologio non deſcriptus, ut de ipſo celebrari poſſit; & an de Beatificatis tantũ?

1 QVISTIMO neceſſe eſſe, eos de quibus, ut de Naturalibus celebrandum eſt, ad eum Sanctorum cultum, ſi nõ ſint in Martyrologio, aſcendiſſe, quem non niſi, ut minimùm Beatificatis concedit SS. D. N. Vrbanus VIII. nimirum, quod eorum imagines depingãtur in tabella, vota, & lampades ad ſepulchra eorum appendantur; miracula impunè divulgẽtur, & alia huiuſmodi fiãt. Sic ſtatuitur in Bulla â Sacra Congregatione S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis, auctoritate SS. D. N. Vrbani VIII. edita, anno 1625. his verbis: *Declarans quoque Sanctiſſimus, quod per ſupra ſcripta præiudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemor abilem temporis curſum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ coluntur.*

2 Vbi obſerva, Congregationem, diſiunctivè loqui: quodcumque enim ex his quæ recenſet, ſufficit ad prædictum cultum; dummodò aliud non adverſetur; videlicet vel communis Eccleſiæ conſenſus, vel Patrum ſcripta, &c. Ad hoc verò, ut ad hunc cultũ exibendum, teſtimonium temporis immemoriabilis vim habeat, neceſſum eſt, ut nihil unquam fuerit in oppoſitum. Sic docẽt Craveta, *de antiq. temp. 4. p. §. materia. n. 38.* Oldrandus, *conſ. 172. n. 20.* Alexander, *Conſil. 16. l. 5. n. 16.* & Tuſchus, *verb. Tẽpus. Concl. 39. n. 4. & 13.* Id enim etiam requiritur, ut tempus immemoriale vim habeat conſtitutionis, aut legis; ut docent idem Oldrandus, *Conſ. 296. n. 3.* Rotta, *3. p. noviſſi. 3. deciſ. 254.* Molina, *de primog. 1. p. l. 2. c. 8. nu. 15.* & Tuſchus, *ſup. Concl. 40. n. 1.* ac tantum operatur, tunc, quantum poteſtas Principis, ut Tuſchus, *ibidem*, & Afflictus, *dec. 324. num. 6.* advertunt.

3 Sed ut arbitror; præciſsè hic cultus immemorialis non ſufficit ad celebrationem cũ Miſſa, & Officio, quia hic etiam ſolùm Beatificatis, dequibus nondum permittitur celebrari, conceditur: requiritur ergo amplius, quod aliquando Miſſæ, & divini Officij cultus, eis etiam præſtitus ſit in aliqua ſaltèm Eccleſia ex Catholicis; licèt interruptus iam inveniatur, non quidẽ per ſententiam Sedis Apoſtolicæ, ſed negligentia Fidelium, vel aliqua Miſſalis, vel Breviarij mutatione, aut ſolo temporis decurſu. Si enim aliquando iudicatus fuit dignus hic Sanctus, authoritate Apoſtolica, vel ſtatente, vel permittẽte, ut in eius honorem Miſſa offeratur, offerri poteſt deinò, ut dicebamus, Singul. 5. n. 2. & 3. Nec interruptio obeſt, cum hoc iure ad quiſitum ſit per Canonizationem tacitam, vel expreſſam, cui obeſſe interruptio non valet; cum ſemper eodem honore dignus ſit Canonizatus.

4 Sed quæres, quot anni requirantur, ut ſit tempus immemoriale? Reſpondeo, licèt aliqui, quos referunt Craveta, *ſup. §. Abſolutis*, & Covarruvias, *2.p.relect. C. Poſſeſſor. de regul.iur. §.3.n.6.& ſeq.* maius tempus requirant, quam centum annorum; hoc tamen ſufficere, communis eſt ſententia iuxta aliquos apud Covarruviã ſupra videndos; & hanc ſequitur Mandelus, *conſi.4.n.50.& 64.* vocans hoc tempus prope infinitum, & ei, de cuius memoria initium non eſt, æquiparandum. Idem docent Tuſchus *concl. 39.n.5.* Cabedo, *2.p. deciſſ.17. n.3.* & D. Sancho de Quintanadueñas Canonicus Burgenſis, Archidiaconus Palenzuelæ, & in Valentiæ Regno meritiſſimus nunc Inquiſitor in ſapientiſſimo Epitome, quam anno 1641. edidit pro juriſdictione Sancti Officij, *art.1. n.21.* Immo ad tempus immemoriale minus quam centum annos ſufficere veriorem eſſe ſententiam docet Socinus Iunior *Conſ. 76. n. 91. l. 1.* & eum ſequuntur plures apud Covarruviam, & Cravetam, *ſup.* Vide Tuſchũ *Concl. 39.& 40.* Et adverte ad hoc, ut quis pro Sancto colatur, hoc tempus immemoriale dicti cultus requiri; non verò, ut de ipſo Miſſa celebretur: ſed ſufficit; quod aliquando, ſeu aliquo tempore, & loco Catholicæ Eccleſiæ, Miſſæ cultus ei ſit exhibitus; ut de novo ei veluti Naturali concèdatur ex Bulla Gregorij XIII.

5 Item, quod de tempore immemoriali dicitur in ordine ad cultum Sanctorum, dicendum exiſtimo de legitima, & conſtãti traditione: ſi enim ex hac conſtat alicui proprium Beati, vel Canonizati cultum exhibitum eſſe; nec oppoſitũ unquam fuiſſe factũ; hoc eſt, numquam negatum, ſi Sanctus ſit Diæceſis Naturalis, cum Miſſa, & Officio celebrari poteſt. Si autem roges, quænam ſit traditio iſta? Reſpondeo: quod neque divina eſſe debet a Chriſto Domino; neque Apoſtolica ab Apoſtolis, ſed Eccleſiaſtica a fidèlibus derivata ſatis eſt. *Hæc autem dicitur*, inquit Turrianus noſter, *diſp. 30. de fide dub.1. conſuetudo antiqua, vel à Prælatis, vel à Populis inchoata, quæ paulatim tacito conſenſu populorum vim legis obtinuit.* Vel, ut loquitur Trulench. *c.1. dub.1. in decalog. nu.6: Quam Eccleſia mos uſque obſeruat, & iam vim habet, quam Eccleſiæ ſtatuta.* Idem Azor. *l.8.c.4.* Filiucius, *tr.22.c.1.q.4.n.11.*

6 Præterea Beatificatum admitti non poſſe, velut Naturalem, in ordine ad hanc celebrationem, exiſtimo: ſi numquam, nulli ve Provinciæ, vel Communitati, aut perſonæ conceſſum ſit, ut de ipſo celebretur: at poterit, ſi hoc pro aliqua perſona, vel loco conceſſum ſit â Sede Apoſtolica. Nam cũ ex una parte iam ab ea iudicatus ſit dignus, ut in eius honorem celebretur; & ex alia privilegium celebrandi de Sanctis Naturalibus Diæceſis alicuius extet, cum & ipſe ſit illius Naturalis rectè celebrari ut talis ab ipſa poterit, iuxta ea, quæ dicebamus, Singul.5. & dicemus Singul. 27. Quod ita feſtum non ſit tunc authoritate propria, ſed Põtificia. Præterea, quia Epiſcopus in honorem huiuſmodi Beatificati feſtum poteſt in ſua Diæceſi inſtituere, ut docent Suarius, *to.1. de Relig.l.2.c.11.n.4.& 5.* Fagundez, *in præc.1. Eccleſ.l.1.n.3.* & alij: ergo poteſt facere, ut Miſſa dicatur.

7 Immo Beatificatum etiam, in cuius honorem celebrare nulli, & nullibi expreſsè conceſſum eſt, poſſe veluti Naturalem admitti, & cum Miſſa, & Officio celebrari, colligi videtur ex Bellarmino, *l.1. de beatit. 55.c.7.* & ex Fagundez *ſup.n.5.* ſtatuentibus, viros Sanctos per Canonizationem obtinere inter alios honores, ut in eorum honorem feſta inſtituantur, & Horæ Canonicæ, & Miſſæ ſacrificia recitentur, aç offerantur: cum autem iuxta hos Doctores, & alios Theologos, ac Rotæ Auditores, ut teſtatur Trulench. *l.1.in decal.c.9.dub.5.n.1. Beatificatio ſit quædam particularis Canonizatio*; ſeu ut loquitur Fagundez: *Quædam Canonizatio minori apparatu celebrata*: in qua, ut docet Caſtro Palao, *de fide tr.4.d.1.p.5.§.5.n.4.* eadem certitudine tenendum eſt non poſſe Pontificem errare, ac in Canonizatione; conſequens eſt, quod in quadam particulari Eccleſia, ſeu Diæceſi, in qua extat privilegium celebrãdi de SS. Naturalibus, ſi ipſe Naturalis ſit, de ipſo celebrari poſſit; & hoc non obſtante, diſcrimen erit inter Canonizatum, de quo in univerſali Eccleſia celebrari poteſt, & Beatificatum, de quo ſolùm permittitur celebratio in Eccleſia, vel Provincia particulari, ut docet Caſtro Palao, *ſup.n.2.* Nihilominus quod ſupra aſſervi verius videtur.

SINGVLARE XII.

Quinam Sancti appellentur, & verè ſint Hiſpaniæ Naturales, ut ipſos cum Miſſa, & Officio Hiſpaniæ Eccleſiæ celebrare valeãt?

1 VALDE utilis ad has, & alias reſolutiones in hac materia, eſt hæc quæſtio, in qua ſentiendum eſt cum utriuſque iuris Doctoribus, multiplicem eſſe titulum, ratione cuius, quis

quis Naturalis alicuius Regni, Provinciæ, Diœcesis, aut Civitatis sit, vel dicatur. Singulares verò tituli, ratione quorum Sancti dicuntur, & sunt Naturales Hispaniæ [idem de alijs Regnis, Provincijs, & Diœcesibus] sunt, qui sequuntur.

2 Primus, & præcipuus est *Felicissimus illorum obitus in Hispania*, seu in aliqua illius Diœcesi, cum enim Nativitatis locus Naturalem nascentem constituat: potiori iure Naturalem in loco cõstituet ortus, seu Nativitas per obitum ad æternam vitam: tunc enim eo in loco ad æternam gloriam Sanctus fæliciori, quam temporali nativitate natus est, quia, ut inquit Amalarius Fortunatus *l. 4. de off. c. 35. Natalitia Sanctorum natiuitates eorum monstrant, quibus nascuntur in Societatem nouem Ordinum Angelorum:* Beati ergo Naturales dicũtur, & sunt Provinciarum, in quibus diem obeunt, & eorum obitus *Natalitia*, seu *Natales dies*, ab universali Ecclesia existimantur. Vnde, *Beatorum Martyrum*, inquit, Eucherius Lugdunensis, *hom. 50. in Genes. Passiones Natales vocamus dies, quando est martyrij vita; & gloriæ fides, dum ingerit morti, genuit æternitati, & perpetua gaudia brevi dolore parturit.* Et Honorius Augustodunensis, seu Gemma animæ *de Ritu Missæ, c. 27. Natalitia Sanctorum ideo celebrantur, quia de hoc mundo in æternam vitam per mortem nascebantur.* Consonat Chrisologus *ser. 129. Natalem Sanctorum, cum auditis, Charissimi, nolite putare illum diei, quo nascitur in terram de carne, sed de terra in cœlum, de labore ad requiem.* Idem ait Nicolaus Papa, *epist. ad consult. Bulgar.* Albinus Flaccus S. Bedæ discipulus, & Caroli Magni Magister, *de offic. diuin. cap. de Fer. 6. in Parasc.* & alij.

3 Hinc vetustissimus apud universalem Ecclesiam, & singulares Diœceses usus obtinuit, Sanctos cum Missa, & divino Officio celebrare in sui Martyrij, vel obitus; no in temporalis nativitatis, die. *Nos itaque*, inquit Origenes, *l. 3. in Iob. non Natiuitatis diem celebramus, cum sit dolorum, atque tentationum introitus, sed Mortis diem celebramus, ut pote omnium dolorum depositionem, atque omnium tentationum effugationem; quia non moriuntur ij, qui mori videntur.* Et Chrisologus, *sup. Tales Natales Martyrum digne celebrantur.* Sic Tertul. *l. de Corona milit.* Nisenus, *vita Moysis.* Theodoret. *l. 8. de Euang. verit.* Baronius, *notat. Martyr. 3. Ioan.* & plures alij. Hinc Pontifices, & Episcopi Notarijs, quibus per Provincias dispersis olim Martyrum, & Confessorum acta, & exitus scribere, commendaverant, diem, & locum mortis adnotare maximè præcipiebant. *Perhibet*, inquit Augustinus, *l. de Virg. c. 45. Ecclesiastica authoritas, inqua Fidelibus notum est, quo loco Martyres, & quo loco Sanctimoniales requiescant; seu decedãt.* Sic Romana Ecclesia, & singulares Diœcesis, ut sibi propios, & Naturales Sanctos illos celebrant, qui suis in Provincijs obierunt, licet in alijs nati, educati, & commorati sint.

4 Secundus titulus *Natiuitas est temporalis*, qua ex materno utero ad hãc lucem egressi Sancti, in aliquo Regno, vel oppido, nascuntur; in illo ergo, & titulo hoc, ut ceteri hominũ, Naturales, & Cives, immo & Filij constituuntur; patriaque, ac mater Sanctorum nec titulo nativitatis loca vocatur. Hæc veritas in utroque iure, & communi sapientium, & insipientium ore, clarior ipsa luce est, nec probatione indiget. Vnde *in legibus nou. Recopil. tit. 3.* dicitur: *Ordenamos, y mandamos, que aquel se diga Natural, que fuere nacido en estos Reynos.* Sic etiam Ecclesiarum usus obtinuit in Hispanijs iam antiqua cõsuetudine stabilitus, & denuo confirmatus novo Gregorij XIII. privilegio, ut de sibi proprijs, & suarum Diœcesium Naturalibus celebrare de Sanctis, qui intra suos terminos nati temporaliter sunt; possint Hispani, licet in alijs locis decesserint.

5 Sic Ecclesia Hispalensis SS. Ioannem, Adulphum, Auream, & Floram, Petrum, Vbittrimundum, Vbalabonsum, & Theodomirum Cordubæ Martyrio Coronatos: Legionensis SS. Martyres Faustum, Ianuarium, Martialem, Emetherium, Celedoniũ, Servandum, & Germanum; Carthaginensis Leandrum Hispalensem Archiepiscopum, & Florentinam eius sororem: Calagurritana S. Prudentium Tarraconensem Episcopum: Pampilonensis S. Firmium Episcopum Tolosanum; Oscensis S. Laurentium, Burgẽsis S. Iulianum Episcopum, solemniter celebrant: & tamen hi omnes in alijs Diœcesibus diem obierunt. Quod autem dicitur de Nativitate in civitate, tenendum etiam est de nativitate in Vico, Castro, Prædio, & alijs civitatis Suburbijs, iuxta omnes iurisperitos. Vide Tuschum. *verb. ciues.* Hinc lex 147. *de verb. signif. Qui in cõtinentibus urbis nati sunt, Romæ nati intelliguntur.* Et 30. *Qui ex vico ortus est, eam patriam intelligitur habere, cui Reipublicæ vicus ille correspõdet.*

6 Tertius titulus est, *Dignitas in aliquo loco obtenta*, constituit enim Dignitas, illa decoratos Cives loci, ubi dignitas est. Sic *l. Ciues c. de incolis*, ubi, *Ciues quidem origo, manumissio, allectio facit: idest*, inquit Glossa, *delatio honoris in aliqua Ciuitate, ut infra l. proximos.* Vnde *allecti*, 1, *Electi*, ut *ff. de immun. l. penult. in fine.*

Hinc

Hinc Clericus fortitur domicilium, & civis efficitur illius Diœcesis, in qua habet situm suũ beneficium, quod est velut quædam dignitas, aut munus: & Senator, aut quilibet alius Officialis perpetuus Principis, est domiciliarius, & civis eius loci, in quo perpetuò senatoriam exercet dignitatem, & officium, ut ex pluribus probant Barbosa, *de potest. Episcop. allegat. 4. n. 34. & 43.* & Tuschus, *verbo. Cives.*

7 Ast proximiùs ad rem nostram, nõn solùm Cives, sed veluti Naturales sunt Sancti earum civitatum; in quibus adepti sunt dignitates, seu Sæcularem, ut Senatoris, Cõsulis, Prætoris; vel Ecclesiasticam, ut Episcopi, Archidiaconi, Canonici, & similium; quia assumptio ad has dignitates est veluti quædam nativitas. Sic Cicero cum Consul factus fuit, *orat. post. Redit. ad Quirit. Aparentibus*, ait, *id quod necesse erat parvus sum pro. creatus, à vobis natus sum Consularis.* Hinc apud Romanos celebrabatur dies, in quo Imperatores ad imperium evehebantur, ut Natalis, sicque apellabatur. Vide Suetonium, *in Domic. c. 10. & 26* Plinium, *epist. ad Traian.* Tacitum, *l. 2. de Augusto*, Roam, *de Natal. c. 16.*

8 Ex more etiam Ecclesiæ, S. Hilarius Papa diem suæ electionis ad Pontificatum *Natalem* vocat *epist. ad Asian. Lectis ergo in conuentu fratrum, quos Natalis mei festiuitas congregauerat, litteris vestris.* Sic etiam Sixtus Papa *ep. ad Ioan. Episc. Antioch. Audiuit uniuersa fraternitas, quæ ad Natalis mei conuenerat diem.* Et Anasthasius, *apud Cerdam in aduers. c. 167. n.* 18. vitam Adriani scribens ait: *Constituit, ut quatuor, vicibus in anno ipsum pharum accenderent, i, in Natiuitate Domini, in Pascha te, in Natali Apostolorum, & in Natali Pontificis.* Idem de electione Episcoporum dici solet. Vnde Augustinus *serm. 32. de verb. dom.* Natalem diem vocat consecrationem Aurelij in Episcopum Carthaginensem: & Consecrationes SS. Ambrosij, Basilij Zenonis, & aliorum Episcoporum celebrant, ut Natales Menologia, & Martyrologia.

9 Hinc omnes fere Hispaniæ Ecclesiæ de suis Episcopis celebrant; licèt alibi nati, & mortui fuerint: Toletana de S. Eugenio: Hispalensis de S. Laureano; Astygitana de S. Fulgentio; Pampilonensis de S. Firmino: Saguntina de S. Sacerdote: Zamorensis de S. Atilano. & aliæ tam Hispaniæ, quam aliarum Nationum de alijs suis Episcopis Sanctis, & inter has de viginti sex Episcopis suis Ecclesia celebra Mediolanensis, & hi in Ambrosiano Breviario inveniuntur.

10 Adde quod non solúm titulo dignitatis Episcopalis, sed etiam propter inferiores dignitates celebratur de aliquibus Sãctis in suis Ecclesijs: nam Cæsaraugustana celebrat de S. Vicentio Martyre, eô quod ibi Archidiaconi dignitatem obtinuerit, & eò quod Concionatorum munus ibi exercuerunt S. Torquatus, & Tesiphon in Compostellana, fit de illis; de S. Narcisso in Augusta, de S. Saturnino in Pampilonensi, & de alijs in alijs Ecclesijs eodem titulo. Ac ob electionem solam ad Archiepiscopatum Toletanum Toletana Ecclesia recitat, & celebrat de S. Eulogio Martyre.

Singvlare XIII.

Alij Tituli, ex quibus Sancti Naturales Hispaniæ constituuntur, ut illius Ecclesiæ de illis cum Missa & Officio divino celebrare valeant?

1 PRAETER assignatos alij restant titũli, Sanctos [sicut & quoslibet alios, Naturales Hispaniæ (sicut & alteriùs cuiusvis Regni) constituentes. Ex his primus est *Baptismus receptus in aliquo loco*, qui illius loci veluti Naturalem ibi baptizatum constituit; licèt ibi nec natus, nec educatus sit, nec domicilium fixerit: est enim velut quædam nativitas baptismus. Sic in iure Castellæ in *part. 4 tit. 24. l. 2.* dicitur: *La nona manera de naturaleza es por tornarlo Christiano; La decena por moranza de diez años, que faga en la tierra; maguer, que sea natural de otra.* Quod ex pluribus confirmat Gregorius Lopez, *ibi*: & Thomas Sanchez, *l. 2. cons. c. 1. dub. 1. n. 7.* citans Rebufum, & Azebedum. Hinc Doctores, *ex cap. Debitum. de Presbyt. Bapt. Cap. post bapt. dist. 4. de consec. Cap. Qui in maternis*, nativitati temporali hanc æquiparant; & ut Rebufus, *de pacif. poss. n. 17.* Lucas de Peña, *in l. Cives C. de incolis l. 10.* Barbosa, *de pot. Ep. alleg. 4. n. 3.* Gonçalez, *ad regul. 8. Cancel glos. 9. §. 1.* Gratianus, *to. 1. discept. 7. n. 16.* & alij docent; *Per Baptismum quis efficitur Civis, & adquiritur Origo, sicut habemus per Natiuitatem temporalem, tamquàm magis propriam.*

2 Igitur potest celebrari in quacumque Diœcesi, ut de Naturalibus de Sanctis in ea baptizatis, licet in alia nati, educative fuerint, vixerint, aut obierint, ut in S. Sebastiano, & alijs Martyribus (de quibus ego in lib. de SS. Hispal. fol. 22.) in Italica iuxta Hispalim Baptizatis, & Romæ passis contigit. Rectéque Vicentius de Protonotarijs suo lexic. *Natiuitas*, inquit, *est triplex, naturæ, gratiæ,*

gratiæ, & gloriæ; gratiæ eſt, quando quis renaſcitur per baptiſmum.

3 Secundus Titulus eſt, *Educatio, quæ, ſecundum Baldum tantæ potentiæ eſt, quod in ea transformetur naturalitas per nationitatem:* ita inquit Gregorius Lopez, *in l. 1. tit. 20. part. 2. lit. D.* Et in partita 4. *tit.* 24. dicitur: *La tercera manera de naturaleza, es por la crianza;* ubi idem Gregorius: *Naturalis alicuius patriæ dicetur qui eſt nutritus in illa;* & virorum illuſtrium educatione civitates illuſtrari non eſt dubiũ. Vnde Virgilius, *l. 6. Nec Romula quondã;*

Vllis ſe tantùm tellus iactabat Alumnis.

4 Tertius eſt, *Domicilium:* Regni enim, vel civitatis, ubi anctus, ſicut & quicumque alius, domicilium fixit, civis eſt, ut *ex l. penult. ff. de Senat. l. filios C. de municip. l. Pupillus §. incola, ff. de verb ſignif.* probant Doctores; & Tuſchus, *verb. ciues concl.* 275. cum Bartolo, Socina, Sylvano, & alijs docent, hunc Domiciliarũ privilegijs omnibus, quibus gaudent Cives, gaudere. Et Naturalem eſſe Hiſpaniæ eum, qui decennio in ea habitavit, ex *l. 19 tit. 3. l. 1. nouæ recop.* probant Perez de Mieres, *de maior. 1. p. q. 51. n. 28.* Azebedo, *ibi. p. 12.* & Sanchez, *l. 2. conſ. c: 1.* Ac ut ex Tridentino, & ex cap. *cum Nullus,* aſſerunt Rodriguez, Comitolus, Quaranta, Riccius, Leſius, Bonacina, Campanillus, Enriquez, & alij apud Barboſam, *ſup. n. 1. dub. 9. n. 19.* quod Subditus, & Diæceſanus Epiſcopi quoad Ordines, & alia Eccleſiaſtica cõſtituitur unuſquiſque ratione domicilij, licét alibi ſit natus: ergo quoad celebrationem, & recitationẽ Eccleſiaſticam, Diæceſis alicuius proprij erunt Sancti, qui in ea Diæceſi habitarunt, de eiſque ut proprijs, ac ſibi quaſi Naturalibus poterit celebrari, & hinc Rex Cixila Martyri Tyrſo Toleti templum ædificavit, quia habitavit in ea Vrbe.

5 Hoc domicilij genus incolatu decennali acquiri, debereque habitationẽ decennio durare, ut quis Civis, Subditus, & Diæceſanus conſtituatur, docent, *ex l. 1. cũ ſeq. C. de muncipal. l. 2. C. de incolis l. 10. ex c. Nullus, & temp. ordin. in 6. l. 32. tit. 2. part. 3.* Gregorius Lopez, *l. 2.* citata, *verb. Maguer.* Menochius, *de arbitr. caſ. 83.* Barboſa, *n. 7.* Socinus, & alij, Hoſtienſis, Ioannes Andreas, *ap. Avilam. infra.* Sed communis ſententia eſt, quodcumque tempus ſufficere; dummodò quoad forum conſcientiæ animus habitandi adſit; & quoad contentioſum hic per prudentes coniecturas deprehendatur. Sic Gratianus. *to. 1. diſcept. c. 181.* Simon de Pretis, *conſ. 119.* Farinacius, *deciſ. 642. n. 4. to. 2* Sanchez, *de matr. l. 3. d. 23. n. 2.* Surdus, *tom. 3. conſ. 346.* Avila, *de Domicilio c. 2. §. 1.* afferens Panormitanum, Philipum Francum, & alios; inter quos Socinus, *in cap. final. de paroch. n. 25.* ait: *Si animus eſt expreſſus unà cum actu domicilij ſignificatiuo ſufficit;* & Dominicus, *ibi n. 11. Vna hora vel momento poteſt quis adquirire domicilium,* ſcilicet, *exprimendo, quod ea intentione ibi ſe tranſtulerit;* ut ait Avila, *c. 2. §. 1 n. 12.* Idem docent Sylveſter, *verb. domicil.* Navarrus, *l. 1. Conſ. 10.* & Alexander, Lancelot, Abbas, Alciatus, & alij, quos citat, & ſequitur Gratianus *ſup. an. 16.*

6 Hinc Sanctus, qui vel una hora in aliqua civitate vixit animo perpetuó habitandi; [huius animi ſigna vide apud Avilam, *de domicilio*] Civis, & Diæceſanus eſt illius; etiam ſi alia in loca, vel peregrinationis, vel alterius rei cauſa, ſit profectus, ut *ex l. ciuis, de incolis l. 1. & ex §. Pauonum, inſtit. de rer. diuiſ.* probant Avila, *ſup. n. 9.* Romanus, *conſil. 264. n. 3.* Campanilus, *c. 8. n. 18.* Barboſa, *ſup. n. 43.* Item Sancti, qui relegati ſunt in aliquam civitatem, vel locum, illius Cives ſunt, iuxta id, *l. ſily liberorum §. Relegatus ff. ad Municip.* ibi: *Relegatus in eo loco, in quem relegatus eſt, interim neceſſarium habet domicilium.* Habet etiam in loco, unde mittitur in exilium ut, *ex l. eius, qui manu miſſus §. finali ff. ad municip.* aſſerit Barboſa, *n. 35.*

7 Poſtremus titulus eſt, *Origo paterna,* quæ filios conſtituit Naturales, vel ciues illius loci, ubi Pater natus eſt. Sic l. Filios. *C. de incolis, l. 10.* ibi: *Filios apud Originem Patris non in materna ciuitate, & ſi ibi nati ſint ſi modo non domicilijs retineantur, ad honores, ſeu munera poſſe compelli, explorati iuris eſt.* Gloſſa, & DD. in id *Patris, i, ubi pater fuit natus.* Hinc Eccleſiaſtico iure poteſt quis ratione paternæ originis Ordines ſuſcipere ab Epiſcopo loci, in quo eius pater natus eſt. Sic Gloſſa, *in C. cum nullus verb. Alienigenas.* Praxis Epiſc. *p. 2. verb. Dimiſſoriæ.* Comitolus, *l. 6. q. 45.* Riccius, *reſol. 257. n. 4.* Navarrus, *conſil. 19.* Gutierrez, *de matr. c. 63. n. 29.* Campanilus, *c. 8. n. 9.* Bonacina, *de ord. p. 4. n. 13,* Barboſa, *ſup, n, 4.* & alij,

8 Hinc duodecim egregij Martyres Cẽmetherius, Celedonius, Fauſtus, Ianuarius, Martialis, Lupertius, Claudius, Victorius, Servandus, Germanus, Facundus, & Primitiuus, filij S, Martyris Marcelli, Centurionis, qui Aſtæ, civitate in Bætica egregia, hiſpane Xerez de la frontera, natus eſt, ut in meo de SS. Hiſpal, libro fol. 270, probavi: Cives Aſtæ ſunt, ab eaque, & Diæceſi Hiſpalenſi: ut proprij celebrari poſſunt & Aſtenſes appellari debent, iuxta l: Aſſumptio: *ff. ad Municipal: l: 10: tit: de incolis:* ibi *Filius ciuitatem: ex qua Pater eius naturalem origi-*

originem duxit, non domicilium sequitur. Et l.1. *Municipes. ff. eod. tit. Qui ex duobus Campanis parentibus natus est, Campanus est, sed si ex Patre Campano, Matre Puteolana, Campanus est.*

9 Igitur de quocumque Sancto, qui in aliqua Diœcesi, vel loco natus, aut baptizatus, educatusve sit, dignitatem, seu officium obtinuerit, aut domicilium fixerit, vel diem suum obierit, aut cuius pater in eo natus sit; celebrari potest à quacumque Hispaniæ Ecclesia ex Bulla Gregorij XIII. relata, cum Officio, & Missa, velut de Naturali, aut proprio, Diœcesano, vel Cive; id enim sonat in ea Bulla vox, *Naturalis*, ut explicavit sacra Congregatio Rituum decreto allato Singul. 5. n. 6. Et ratio persuadet; quia Subditus, Diœcesanus, & Civis sunt de gremio Ecclesiæ loci, ubi subditi, Diœcesani, & Cives sunt: ergo & ab ea singulari em honoris cultum recipere debent, ut potè qui exemplo, & patrocinio Civibus suis pro fuerunt: *Martyr enim*, inquit Ambrosius, *ser. 77. n nat. Taurin. Martyr. cum patuur, non sibi tantum patitur, sed & suis Civibus: sibi enim patitur ad requiem; Civibus ad salutem.*

10 Præterea, quia cum hoc Gregorij XIII. privilegium Hispaniæ concessum, sit *Principis beneficium, latissimè interpretandum est*, ut utrumque ius, & Doctores statuunt, *præcipuè cum non sit in Tertij præiudicium*, ut notant Pinelus, *in l. 2. C. de rescind. vend. p. 1. c. 2. n. 2.* Pereira, *de nominat. emphyt. q. 21. n. 56.* Molina, *de primog. l. 1. c. 42. n. 24.* quoniam nec Ecclesiæ, nec fidelibus, nec alijs Sanctis præiudicium generatur hac celebratione, sed omnibus Sanctis, & Deo summus honor in cælo, & Christi fidelibus in terra magna utilitas, inde provenit, æquum enim est, ut *Sancti ubique colantur, ubique honorentur*, ut in simili docuit Baronius. Nec iniuria irrogatur uni Ecclesiæ, ex eo quod de eodem Sancto, diverso, vel eodem titulo, si res esset dubia, ab alia celebretur.

11 Ex dictis colliges, posse unum Sanctum multiplici titulo v.g. nativitatis, baptismi, dignitatis, obitus, &c. ad eandem Diœcesim spectare, ut Naturalem; & diversis titulis ad diversas Diœceses, immo & Regna. Ita S. Laureanus Archiepiscopus Hispalensis ratione Nativitatis ad Panoniam, Educationis ad Mediolanum, dignitatis ad Hispalim Martyrij ad Biterrense Galliæ territorium pertinet. Vnde in civili iure constat, *ex l. eius qui, & l. nihil ff. ad municipal.* eundem diversis titulis diversorum locorum posse esse Civem. Et Cicero, *l. 2. deleg.* ait. *Ego me Hercule, & illis, & omnibus duas esse censeo patrias, unam naturæ, alteram civitatis; alteram loci patriam, alteram iuris:* ac Ausonius Gallus de Burdigala ipsius patria loquens, ait: *Diligo Burdigalam: Romam colo, Cuis in illa. Consul in ambabus, cunæ hîc, ibi sella curulis.*

Singvlare XIV.

Ex quibus testimonijs cognoscendus, credendusve sit alicuius Diœcesis Naturalis aliquis Sanctus, ut de ipso in ea cum Officio, & Missa celebretur. Vbi quam fidem faciant Martyrologia, Breviaria, Epitaphia, Inscriptiones, Scripturæ, & Libri antiqui.

1 Plvra sunt testimoniorum genera, ex quibus cognosci potest, Sanctum Naturalem esse alicuius Hispaniæ Diœcesis, modo aliquo ex assignatis Singul. 12. & 13. Primum, & potissimum est, *Martyrologij Romani*, sive vetus, sit sive novum, cuius authoritas in assignanda Patria, Martyrij loco, Dignitate, & alijs circunstantijs, licèt humana, magna tamen & communiter verissima habetur. Nō æqualem, magni verò ponderis, habent auctoritatem alia Martyrologia, Eusebij, Florij, Egidij de Damis, Vndelberti, Hugonis de Toluis, Henrici de Iserelon, Petri de Tymo, Godemberti, & præcipue Bedæ, Vsuardi, Adonis, Galesini, & Maurolici. Videantur de hoc Molanus, *Tractatu ad Notas Adonis*, & Baronius, *in præamb. ad Roman. Martir.*

2 Secundum locum obtinent *Breuiaria*, tam universalis, quàm singularium Ecclesiarum, quorum lectiones Sanctorum patrias, & vitas continentes, cum earum cōstructio viris doctis, & eruditis commissa sit, generaliter loquendo, fide dignæ censentur; non verò tanta, ut notam erroris, vel temeritatis, aut similem censuram incurreret, qui illis fidem negaret; immo nec peccatum committeret: non aliter, ac qui Historijs alijs humanis fidem negaret: nōnulla, enim & non levia mendacia in veterum Breviariorum lectionibus, sicut in Historijs reperta sunt, ut constat, *ex cap. Sacrosancta Romana dist.* 15. Vbi Gelasius Papa has lectiones corrigendas, & ad veritatem summa cura redigendas statuit. At Breviaria, quibus modo utimur, omni suspicione carere, nullo modo ambigendum est. Martyrologia ergo, & Breviaria, ut talia, & antiqui libri, magnam fidem facere, nemo dubitabit iuxta dicenda Sing. seq.

Ter-

3 Tertium locum obtinent *Epitaphia, & Inſcriptiones* lapidibus, marmoribus, columnis, plumbo, ære, aliave materia inſculptæ, ut æternitati ſerventur, iuxta Tertullianum *Apolog. c. 16.* In his ergo ſi Sanctorum nomina, cognomina, locus nativitatis, educationis, dignitatis, & obitus reperiatur, magnam fidem illis deberi ſatis oſtendit utrũque ius; Civile quidem *l. 1. & 2. de albo ſcribend. l. Siquis. ff. de iuriſdict. omn. iudic* & Canonicum 24. *q. 2. c. Sane*, ubi dicitur: *Sequi in hoc doctrinam Sanctorum Patrum, qui non ſolùm viuentes hæreticos condemnauerunt, ſed etiam mortuos, & in ſacris dictticis ſcripſerunt.* Vbi Gloſſa explicat: *Dictticas eſſe tabulas, lapides, & marmora*: ac addit: *Eſt argumentum, quod ſi in aliquo lapide, vel columna inueniatur ſcriptura, fides eſt adhibenda.* Hinc plenam conficere probationẽ horum Epitaphiorũm, & Inſcriptionum ſcripta docent Gloſſa *ſup. & in c. Cum cauſam, verb. per libros*, Paulus Caſtro *in l. ſi ſepulchrum c. de Relig. & ſumpt. funerum n. 6.* Albas *cõſ. 54. n. 27.* Marſilius *rubric. de probat. n. 191.* Decius *conſ. 135.* Caldera Pereira *de ſcript. c. 21. n. 21.* Barboſa *de Epiſc. allegat. 78. n. 51.* Alexander *conſ. 9. n. 22. vol. 6.* Laurentius calcanc. *conſ. 9. n. 8.* & eſt communis. Quæ ad cognoſcenda naturalitatis loca, de quibus hic agitur, locum præcipuè tenere, obſervat Rebufus *in l. 147. de verb. ſignif.*

4 Quarto loco ſunt *Proceſſus, ſeu Scriptura iuridica*, & publica, quæ vocatur à Iuriſperitis: *Probatio probata, & non probanda*, ac Baldus *in l. Quoties in fin. c. de iuriſdic.* ait: *Non oportet probari inſtrumentum eſſe verum*: & ita probationem plenam facere communis eſt. DD. ſenſus, ut ex utroque iure probat Maſcardus *to. 1. q. 6. à n. 9. & concl. 105. a n. 7.* Hinc *in l. deſiderium. C. depoſiti*, dicitur: *Conſcriptum inſtrumentum, quo hanc tibi reddi profiteris, arguit*; Gloſſa, i. *argute probat, cum ſit publicum, ut in auth. de fide inſtr. § ſi vero.* Hinc rectè Layman *l. 3. tr. 5. c. 9. n. 6.* ait: *Conſuetudo obtinuit, ut protocolla, à Notario, vel ſimili perſona in publicis actibus ſcripta ſine alia obſignatione, vel ſubſcriptione fidem faciant; ſi nulla fraudis ſuſpicio ſit, & ſi agatur de rebus magni momenti.*

5 His Scripturis in rebus antiquis (eæ ſunt Sanctorum vitæ; nativitatis, dignitatis, obituſque eorum loca) pleniorem fidem, quã teſtibus exhibendam probant Franciſcus Aret. *conſ. 65. n. 2.* Alba *conſ. 6. n. 10. Cum enim*, ut inquit Imperator Iuſtinianus *l. Hac conſultiſſime. § aut cum humana; teſtium memoriam labilem, atque ſubinde mutabilem eſſe contingat; nõ verò Scripturam*: eadem enim ſemper perſeverat, quæ ab initio, & cum caſus èvenit, confecta eſt. Ideo ſcripturæ, etiam ſi dubia res ſit, aut teſtes illi adverſentur, ſtandum eſt, ut docent Maſcardus *ſup.* & Neviza *conſ. 25. n. 16. & conſ. 160. n. 14.*

6 Quinto accedunt *Antiqui libri*, ſive typis mandati, ſive manu ſcripti, quorum fidem magnam eſſe ſatis oſtenditur *c. cum cauſam de probat. tit. 19.* ubi: *Mandamus quatenus ſecundum diuiſiones, quæ per libros antiquos vel alio modo melius probabũtur in negotio procedatis.* Gloſſa ibi: *Nota ergo quod ſcriptura antiquorum librorum fidem facit.* Hancque tribuendam his, probationemque magnam efficere probãt Guido *conſ. 88. n. 2.* Abbas *conſ. 64 n. 27.* Hyeronimus de Monte *tract. fin. c. 2. n. 8.* Maſcardus *de probat. conc. 105. n. 9.* præſertim ſi ſint Chronicorum libri, qui apud veteres fidẽ obtinuerint: nam ut ſtatuunt Doctores: *Antiquis Chronicis, quibus à Maioribus noſtris fides communiter adhibita eſt, credere debemus.* Sic Gloſſa *c. inter dilect. de fide inſtr.* Felinus *ibi col. 6.* Guttierrez *l. 3. q. 13. n. 23.* Menochius *conſ. 368. n. 8.* & alij, inter quos Caſſaneus *catal. p. 10. conſ. 46.* addit: *In tantum ſunt utilitatis Chronica, quod probent in cauſis decidendis.*

7 Maiorem autem fidem facient, ſi libri hi inveniantur in publicis Archivis, cum ſcripturam, ſchedulam, librum, & quod cumque aliud ſcriptum in his repertum, etiam ſine teſtibus, ſubſcriptione, & ſigillatione plenè probare doceant Bartolus cũ Doctoribus *in c. de fide inſtr.* Baldus *rubr. eod. tit.* Alexander *conſ. 138. vol. 1.* Caſtro *Authent. Siquis in aliquo.* Iaſon *in l. admonendi. n. 97.* Felinus *in c. 2. de fid. inſtr. n. 9.* Abbas *in d. c. 2. n. 6.* ac plures alij. Et ratio eſt, quia Archivus ſeu cuſtodia in illo facit illud ſcriptum Authenticum, etiam ſi tale aliunde non eſſet, ut docent Caſſaneus *conſ. 15. n. 2.* Bertrandus *conſ. 172. col. 4. vol. 2.* Alexander *conſ. 248. fine col. 6.* & Maſcardus *conſ. 111. n. 9.*

8 Igitur de quocumque Sancto, qui alicuius Hiſpaniæ Diœceſis Naturalis eſſe reperiretur quocumque ex titulis aſſignatis, & ex aliquo ex prædictis teſtimonijs conſtaret, ut ex aliquo Martyrologio, Breviario, Epitaphio, Inſcriptione, Scriptura, vel antiquo Libro, non eſt dubium quin in ea Diœceſi, ut de proprio, & Naturali celebrari poſſit; niſi oppoſitum evidenter probaretur, aut prædicta teſtimonia manifeſtè mendacij ſuſpicione laborarent, vel arguerentur erroris: ſed nihil intereſſet, quod aliqua teſtimonia inter ſe contraria invenirentur, aut aliquis Author ea negaret quæ alius gravis admittit, ut ſingulari ſequenti videbimus.

[§.]

SINGVLARE XV.

U. Sufficiat teſtimonium unius tantùm Hiſtoriographi, aut Scriptoris, aſſerentis, aliquem Sãctum alicuius Diæceſis Naturalem eſſe, ut de eo in ea cum Miſſa, & divino Officio celebretur?

1 VPPONO tamquam omnino certum, non requiri phyſicam, immo nec omnimodam moralem certitudinem de hoc; minuſque divinam, aut Pontificiam irrefragabilem, cum nulla ex his requiratur ad res graviores, ut ad Reliquiarum approbationem, ad admittendam tutò aliquam iuris divini, vel humani interprẽtationem, ad exequenda, vel omittenda licitè plura, inquibus dubitatur, an ſit, vel non ſit lethalis culpa ea ex equi, vel omittere, & ad ſimilia: ſatis ergo eſt probabilis aliqua notitia, ſeu moralis certitudo, cui nil evidens, nec authoritatis, nec rationis apponatur. Hãc certitudinem egregiè ad rem noſtram expoſuit eruditiſſimus vir, ſatis de Hiſpania ob præclara Dextri commentaria benemeritus Franciſcus Bibarius Ciſtercienſis in Carpẽtanis Mantuanus, in libello ſupplici, & Apologetico pro L. Flavio Dextro ad SS. D. N. Vrbanum VIII. de SS. Vrgaonẽſibus, ab Eminentiſſimo Cardinali Sandoval, Giennenſi Epiſcopo in Naturales, & Patronos admiſſis, ſic loquens §. 6.

2 *Hac ſemel de Sanctitatis certitudine difficultate ſedata; quæ de Patria eorundem Beatorum ſupererat, mitiùs potuit reſolui: ad eam namque decidendam, non requirebatur Diuina, vel Pontificia irrefragabilis authoritas, ſed humana, & probabilis ſufficiebat, qualis tũc temporis Chronicon Dextri communiter habebatur. Quod enim quis, ut Sanctus vir colatur, diuinæ prorſus; quod verò ut Naturalis huius, vel illius Vrbis habeatur, humanæ, ut plurimum, authoritati nititur: quandoquidem etiam ſi in hoc falli contingeret, nihil inde Catholicæ veritati fidei inferretur detrimenti; quo nihilominus fucaretur grauiſſimè, ſi immeritus Sanctitatis præconijs celebraretur.*

3 Eadem profert Magiſter Franciſcus de Rus Puerta Tractatu pro Sanctis Naturalibus Diæceſis Giennenſis *puncto* 3. *n.* 8. *ſic: Para que un Santo ſe diga Natural de tal lugar, o de tal Obiſpado, no es neceſſario, que conſte lo es, por autoridad irrefragable de la Yglefia; baſta que conſte con probabilidad, o por fe humana de Auctores graues, memorias, o papeles, a los quales Varones doctos, y prudentes juzguen deuerſeles dar fee.* Et infra: *Como la veneracion, y culto que ſe dà a un Santo Natural no mira al Santo, en quanto es Natural, ſino en quanto es Santo, tenido por tal, y venerado de la Yglefia; no es neceſſaria autoridad irrefragable para ſer tenido por Natural, como lo es para ſer tenido, y honrado por Santo.* Eadem cenſuere ſapientiſſimi Theologi, & Iuriſperiti à ſapientiſſimo D. Petro Bacca de Caſtro & Quiñones anno 1620. pro Sanctis Hiſpalenſibus admittendis conſulti; ſicut & plures alij pro Sanctis Vrgaonenſibus ab Eminentiſſimo Cardinali de Sandoval.

4 Hoc poſito ſit concluſio: Teſtimonium unius Hiſtoriographi, aut Scriptoris teſtantis aliquem Sanctum, huius, vel illius Diæceſis eſſe Naturalem, ſufficiens omnino eſt ut illi fides adhibeatur, ad hoc ut in ea Diæceſi de Sancto illo Miſſa & Officium iuxta Hiſpaniæ privilegium celebrentur, dummodo authoritate, aut ratione oppoſitum non convincatur, aut manifeſtè conſtet, vel eius fides, aut veritas vel authoritas non ſint prudenter ſuſpectæ.

5 Probatur hæc concluſio 1. Quia in caſibus nullius, vel levis præiudicij plenam efficit probationem unicus teſtis, ut doçent Bartolus *in l. 1. c. Quorum bonorum.* Alexander *conſ. 91. vol. 5.* Iaſſon *in l. Admonendi. ff. 1. de iure iurando. lect. 2. n. 187.* Calcaneus *Conſil. 100.* Decius *Conſil. 251.* Cravet *Conſil. 158. n. 12.* Marſilius *Singul. 435.* & Maſcardus *de prob. vol 1. q. 5. n. 118. & 119.* Nullum autem præiudicium imminere; immo emolumentum maximum provenire cuilibet Diæceſi, ſi in illa ſit Naturalis quicumque Sanctus, & ut talis dè ipſo in ea celebretur; omnibus patet; quin referat quod alia Diæceſis eodem titulo, vel ſimili authoritate, ſibi eum adſcribendum præſumat; quæ etiam nullum præiudicium patietur, ſi Sanctum cum ipſa, ut Naturalem veneretur.

6 Probatur 2. Quia ut ex Baldo *in Rubr. c. de fid. inſtrum.* Felino *in C. ſcript. n. 33.* Aymon *Conſil. 158. n. 9.* & alijs probat Maſcardus *l. 1. concl. 390. Certiſſimi iuris eſt cuicumque libro priuato, accedente probabilitate, fidem adhiberi:* ergo ex quocumque Scriptore fide digno conſtet naturalitas alicuius Sancti, ſufficiet ut in eius Diæceſi celebretur de illo. Confirmatur 1. ex communibus Doctorum ſententijs, quas retulimus Tract. 2. Sing. 12. ubi inſtitutum noſtrum eſt oſtẽdere, fidem, aut probationem plenam facere libros, in quibus Baptiſmi, Matrimonia Defunctique vel ſimilia ſcribuntur: ergo etiam eam facient hi libri Hiſtoriarum, vel Chronologorum.

7 Probatur 3. Quia ut ſtatuunt Textus

iuncta

iuncta Gloſſa *in l.2. ff.de excuſat*, & Gloſſa *dict. l. Etiam matris. ff. de probat.* ac docent Bartolus *in d. l.2. verſ. Quærit.* Rebufus *comment.conſtit.reg.gallic.princ.* Maſcardus *volum. 2. concl.* 1087. *n.6.* libellus, aut memoriale illud, in quo Parentes ſuorum filiorum Nativitatem, illiuſque tempus, locum, ætatem, nomen, & alia ſcribunt; plenè probāt: ſicut etiam ea probant Parentis, aut Avi teſtimonium, *iuxta l.etiam matris. ff. de prob.* & Parochi ſchedula, aut depoſitio illius, aut unici teſtis, *iuxta Cap. Paruulos de conſecr. diſt. 4. & C.Placuit.* ubi Gloſſa: *Creditur ergo teſtimonio unius in baptiſmo, & in conſecratione Eccleſiæ:* ergo à fortiori hæc omnia, ſed præcipuè locum Nativitatis temporalis, & ſpiritualis probabunt libri excuſſi, aut manu ſcripti cuiuſvis Auctoris, dummodó hic non ſit maximé de veritate ſuſpectus, & quod magnam fidem faciant ſeu maximam authoritatem habeāt libri excuſſi, probant Breſſerus *l.3.de conſ.c.3.n.36.* & Paſqualigius *deciſ.* 372.

8 Probatur 4. Quia cum rei ſubſtantia ſupponitur probata, ſi circa illius circunſtantias dubitetur, non ſolùm plenè eas probat unicus teſtis, ſed ipſius partis, aut illius, adquem res ſpectat, teſtimonium iuramento firmatum. Sic aſſerunt Bartolus, Baldus, Iaſſon, & alij *in l. Admonendi* Corneus *conſil.* 318. *l.4.* Decius *in l. certi conditio. §. quoniam. ff. de in lit. iur.* Crauet. *de antiquit. temp. verſ. vidimus*, Oldradus *conſil.* 60. *vol.2.* & Albertus Brunus *de reb. dub. col.2. n.12.* Sed in præſenti caſu ſubſtantia probata eſt, ſcilicet, aliquos eſſe Sanctos, dignoſque, ut in eorum honorem ſacrificium, & Officium divinum offerantur; circunſtantia verò eſt, quod nati, educati, mortuivè ſint in hoc, vel illo loco: ergo ad huius probationem unicus Scriptor, etiam ſi ſit eiuſdem patriæ, cuius Sanctus eſt, ſufficiet.

9 Probatur 5. Quia in rebus probatu difficilibus præſumptiones, vel coniecturæ ſufficiunt, ut illis aſſentiamur. Sic filiatio alicuius ex his ſufficienter probatur, ut ex *l. Lucius. ff. de condit. & demonſtrat. l. neque Nataleſ. C. de probat.* docent Paleotus *tract. de ſpurijs*, Bertrandus *conſ. 20. Volum. 1. n.1. & 2.* Auguſtinus Bero *q. 90. n.5.* Pariſius *conſ.10. n. 13. vol. 2.* Menochius *trac. de arbitr. iudic.* Alexander *conſil.12. vol.6.* Decius *conſ.54.* & Maſcardus *de prob. concl.487. n.11. & 12.* qui affert pro hac veritate plures, addens: *Quod hoc maximè verum eſt ſi eſſemus in antiquis, quia in eo caſu indicia, & coniecturæ, pro plena probatione habentur:* Sed quid antiquius, quam Nativitas, vita, & obitus Sanctorum, qui tot-mille ab hinc annis, eoque ampliùs floruerunt? Igitur ad probationem patriæ, dignitatis, domicilij, & loci mortis coniecturæ ſufficient; vel unius antiqui Scriptoris teſtimonium; præſertim ſi huic etiam in hac re coniecturæ adſtipulentur, ut ſapiſſimè adſtipulantur non leves, & præterea alij Recentiores Scriptores eius iudicium referentes, & approbantes, vel ſaltém non damnantes: hiſque omnibus plenam probationem fieri *ex l. Quæro §. finali* docent Bartolus, Baldus, Salicetus, Albericus, *in gloſſ. l.2 §. Ætas ff. de excuſat. tut.* Antonius Gomez *3. variar. c.12. n.29.* Alexander *conſil.20. vol.4.* & alij.

10 Vltimò nota, tanti apud Eccleſiam unius Teſtis omni acceptione maioris haberi auctoritatem, ut ſingulari S. Antonij Abbatis teſtimonio S. Paulus Primus Eremita; S. Eulogij Martyris tot Martyres Cordubenſes; S. Ioannis Damaſceni, Barlam, & Ioſaphat, Sanctorum cultu honorati ſint à Fidelibus.

SINGVLARE XVI.

U. Neceſſarium ſit ex authoritate Romani Martyrologij conſtare, aliquem Sanctum eſſe alicuius Diœceſis Naturalem, ut de illo ab ipſa celebretur?

1 NON eſſe neceſſarium ex Romano, aut ex alio Martyrologio conſtare, Sanctum alicuius Diœceſis Naturalem eſſe ortu, educatione, domicilio, dignitate, aut obitu, ut in ea cum Officio, & Miſſa de illo celebretur, plurium Hiſpaniæ Eccleſiarum conſuetudo ſatis oſtendit; nam de S. Eulogio ob electionem ad Archiepiſcopalem dignitatem Toletana celebrat Eccleſia; de Sanctis Carpohoro, Abundio, Aurea, Archadio, Leone, & ſocijs, de Petro, Vbiſtrimundo, & Vbalobonſo, Theodomiro, Stratone Rufino, & Rufiniano, Theodoro, Oceano, Ammiano, & Iuliano Martyribus Hiſpalenſis Eccleſia celebrat ob Nativitatem temporalem, vel ſpiritualem illorum in aliquo ſuæ Diœceſis loco: Cōpoſtellana de SS. Martyribus Vincentio, & Anaſtaſio; quia illius Eccleſiæ Diaconi, & quia S. Iacobi diſcipuli, & de SS. Martyribus Torquato, Cecilio, Indaletio, & alijs: ob Concionatoris munus, quod ibi exercuērunt; de S. Saturnino Pampilonenſis, ob Epiſcopalem dignitatem; de S. Ephren Aſturienſis, ob eandem; de S. Firmino Pampilonenſis, ob

temporalem Nativitatem, & de S. Fulgentio, & S. Florentina Carthaginenſis in Hiſpania; ob ſpiritualem etiam Natiuitatem ad gloriam, de S. Emeterio, & Celedonio Calagurritana; de S. Marina Aſturicenſis; de S. Victore Burgenſis, & ſic de alijs aliæ Diæceſes, ob varios titulos, ex quibus Naturales, aut Cives earum conſtituuntur; & tamen Romanum, aut aliud Martyrologium nullo modo de his titulis teſtificantur, aut eorum meminere: ergo non eſt neceſſarium prædictum teſtimonium, ut Sanctos ſuos quælibet Diæceſis, veluti Naturales admittat, & celebret: cum exempla declarēt, regulas, aut leges iuxta *l. prater alias Iulianus. §. quoties. ff. de collat. benef.* & Tuſchum *to. 3. lit. E. conc. 548.*

2 Immo, etiam ſi aliquando contingeret in aliquo Martyrologio, etiam in Romano, locum nativitatis, domicilij, & obitus aſſignari diverſum ab eo, quem vel fide digni Scriptores, vel traditio aſſignant alicui Sancto; licet his, & nō illi aſſentiri; feſtumque celebrari ab ea Eccleſia, cuius Diæceſis Naturalem dicunt hi Scriptores: quia quamvis recognoſcere, & venerari pro Canonizatis debeamus omnes eos, quos Romanum Martyrologium proponit, (nō ita ſtrictè de alijs iudicandum) ſicut Bulla Gregorij XIII. initio illius poſita indicat; & in hoc Martyrologij Romani authoritatem negare nefas ſit: at in circunſtantijs prædictis, ſcilicet, in aſſignatione dignitatis, profeſſionis, muneris, nationis, & loci, ubi nati, educati, aut mortui ſint Sancti, errare poteſt, ut manifeſtè oſtendit Franciſcus de Bibar *in comment ad Dextr. indicè verbo Martyrolog. Rom.* cum ex humana, & falibili hiſtoria hæc conſtent; & ita illis omnimodam fidem ad hibere non tenemur.

3 Confirmatur: Quia etiam ſi Romanum Martyrologium diceret, Reliquias S. Iſidori in hac civitate Hiſpalenſi, aut in Legionenſi cuſtodiri, ſi adhuc ex alijs fide dignis teſtimonijs haberetur, ab aliqua alia Civitate poſſideri; ab ea poſſet de hoc Sācto celebrari, & â fortiori poſſet, etiam, ſi nullam huius poſſeſſionis mentionem faceret Martyrologium; immo nec ad earum approbationem, quod eſt, quid ſublimus, eius authoritas requiritur.

4 Ratio aūtem, ob quam hæc ortus, & obitus loca, non ita frequenter in Martyrologio aſſignata ſunt, aut aliquando non ita diligenter inveſtigata, eſt, vel quia eorum notitiam vetuſtas conſumpſit, vel Notarij, quibus in primis Eccleſiæ ſæculis Martyrum, & Confeſſorum obitus ſcribendi cura mandabatur, ſolùm dies inqùibus cum Sanctitatis, aut martyrij gloria excedebant, ut celebrarentur, adnotabant: ad quod aliæ circunſtantiæ ita neceſſariæ non videbantur. Quare ſic hos admonuit S. Cyprianus *l. 3. epiſt. 3. Dies eorum, quibus excedunt adnotate, ut Commentorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.* Idem Concilia Africana, & Carthaginenſia admonent de quorum decretis loquens Adrianus I. *epiſtol. ad Carol. Magn.* ait: *Paſſiones Sanctorum Martyrum ſacri Canones cenſuerunt, ut liceat etiam in Eccleſia legi cum anniuerſarij dies eorum celebrantur.*

SINGVLARE XVII.

An ob teſtimonium alicuius, vel aliquorum Scriptorum, negantium aliquem Sanctum alicuius Diæceſis eſſe Naturalem, de hoc in ea celebrari nequeat?

1 VNIVS, vel alterius, immo & aliquorum Scriptorum teſtimonia negantia, ſi aliud ad ſit aſſerens Authoris fide digni, non obſtabunt, quominus aſſerenti adhærendo, poſſit quælibet Hiſpaniæ Eccleſia Sanctum quemcumque, ut Naturalem cognoſcere, illiuſque feſtum celebrare. Probatur. I. Quia unicus teſtis omni acceptione maior fidem, aut probationem plenam facit, etiam ſi alij inferioris conditionis adverſentur, ut ex pluribus Doctoribus probat Maſcardus *to. 1. q. 6. n. 59. Non enim*, inquit, lex *ob carmen. ff. deteſt. §. fin. ad multitudinem reſpici oportet, ſed ad ſinceram teſtimoniorum fidem, & teſtimonia, quibus potius lux veritatis aſſiſtit.* Vbi idem docent Baldus *n. 1.* Albertus *n. 5.* & ut latè probat Farinacius *de oppoſit. perſon. teſt. p. 3. q. 6. n. 120. Ad multitudinem tantum reſpicere non oportet, ſed ad teſtium qualitatem.* Et adverte, quod quamvis regulariter cum æqualis dignitatis ſunt Scriptores, maiori illorum numero ſit credendum, ut docent Angelus *in l. ſi idem. ff. de iuridic. §. fin.* Alexander *conſ. 13. l. 1. n. 15.* Maſcardus *concluſ. 363. n. 10.* & iuxta eundem *n. 5.* & Purparatum *in l. ff. de offic. quæſt. n. 157.* ijs, qui validiores rationes, aut coniecturas afferunt, nihilominus credi poteſt in rebus hiſtoricis cuilibet opinionem facienti probabilem.

2 Ratio huius eſt 2. concluſionis probatio: Quia in moralibus, & ad animæ utilitatem vel neceſſitatem ſpectantibus unicus Auctor probatus, ſeu ſcientiæ, ut dicitur, &

conſcientiæ, opinionem efficit probabilem, quam tutò ſequi poſſumus; etiam ſi alij plures oppoſitum ſentiant, dummodo evidenter non oſtendant id, de quo teſtantur. Sic Angelus *verb. opinio n. 2.* Sylv. *q. 1.* Navarrus *ſum. lat. c. 27. n. 288.* Valentia *1. 2. diſp. 2. punct. 4. q. 4.* *Sa verb. dubium n. 3.* & Thomas Sanchez *to. 1. ſum. c. 9 l. 9 n. 7.* aſſerens, maximum eſſe fundamentum ad ſectãdam aliquam opinionem viri docti ſententiam; ſicut ad credendum aliquid Romæ accidiſſe eſt ſufficiens fundamentum, viri pij, & fide digni teſtimonium, huicq; ſtandum eſſe. Cõſule Zachariam Paſqualigium *deciſ. 360.* qui innumeros affert *nu. 5.* Doctores aſſerentes, unum Doctorem efficere opinionẽ probabilem, ſi ſimul firma ratione nitatur, etiam ſi communiter omnes contrarium ſentiant: ergo à fortiori ſi non datur hic ſenſus in univerſum oppoſitus, ut non datur in prædictis:

3 Probatur 3 Hiſpaniæ Eccleſiarum exemplo; quarum plures de Sanctis ut Naturalibus celebrant ob titulos, qui ab Scriptoribus aliquibus negantur. Ita de S. Laurẽtio, & eius fratre Orentio Epiſcopo Auxuenſi in Gallia, celebrat ut de Naturalibus ratione Nativitatis Eccleſia Oſcenſis, & tamen Scriptores aliqui Valentiæ del Cid natos dicunt, ut teſtatur Marieta *l. 1. c. 2.* De S. Ianuario, Fauſto, & Martiali Legionenſis Eccleſia recitat, quia in ea nati, & S. Marcelli Centurionis filij extitere, & utrumq; à nonnullis improbatur. Sicut & quod Naturalis ſit Palentiæ, quæ de eo facit Officium, S. Toribius Aſturicenſis Epiſcopus, & eius patria Armenia aſſeritur. De S. Rufo celebrat 14. Novembris Eccleſia de Tortoſa, velut de primo ipſius Epiſcopo; & Dorotheus *in Synopſi*, (ex quo id refert Baronius 21. *Nouembris*, niſi duo ſint Rufi) Thebanum in Græcia Epiſcopum extitiſſe ſcribit. Et ſic plures alios referre poteramus, quorum exemplis hæc res manifeſtior fieret, iuxta *l. 1. ff. de præſcript. verb §. ſed cum magis*, & Barboſam *de princ. lit. E. n. 24.*

4 Item circa locum, qui pro Nativitate, vel dignitate, aut obitus Sanctorum à Martyrologio aſſignatur varia ſolent eſſe Hiſtoriographorum, & Chronologorum placita; tuncque quælibet Diæceſis in Scriptorem ſibi faventem inclinari poteſt, eiuſque ſolùm teſtimonio, ſi inſtructus notitijs communiter exiſtimetur, de Sancto aliquo, ut Naturali celebrare poteſt. Exemplum ſit, in Martyrologio Romano 15 Maij de S Iacobi Diſcipulis dicitur: *Torquatus Acci, Theſiphon Vergij, Secundus Abulæ, Indaletius Vrci, Cæcilius Iliberi, Heſichius Cartaiæ, & Euphraſius Illiturgi.* Sed non ita conſtans eſt inter Scriptores *Vergi*, eſſe quæ nunc *Almeria*, ac *Vrci*, *Murcia*; & adhuc ab his civitatibus, ut earum Epiſcopi Theſiphon, & Indaletius, celebrantur; ſicut & à Granata S. Cecilius, & *Iliberi*; urbs ab hac diverſa exiſtimatur, & Almeriam eſſe Epiſcopus Gerundenſis ſcribit. *Illiturgim* eſſe. *Aldea del Rio* Carolus Cluſius; *Loram* Michael de Villanueva; Beuterus *Iaen*; Florianus, & Morales, *Anduxar* eſſe teſtantur; & hæc civitas, ac ratione illius totus Epiſcopatus Gienẽnſis de eo celebrat. Plura his ſimilia invenies apud eruditiſſimum, mihique admodùm familiarẽ Rodericum Carum, ita de Hiſpania in ſuo Hiſpalẽſi Principatu benemeritum, & in egregijs ad Dextrũ Commẽtarijs; ac apud Bibarium in ſimili opere.

5 Igitur in his eventibus cum inter varias Diæceſes, aut Civitates controverſia oritur, ad quam Sanctus ob nativitatem, dignitatem, domicilium, obitumve, aut alium titulum ſpectet, de eo in quacũque illarum celebrari valet cum Miſſa, & Officio; pro omnibus enim adeſt probabilis opinio, aut aliqualis de ſuo titulo moralis certitudo.

6 Iuxta hanc ergo, ut omnes aſſerunt Doctores, operari licet. Sic inter ſe Nicomedia, & Cumas contendunt de glorioſiſſimo S. Iulianæ Martyris Theatro, eam ſibi una quæque arrogans: Catanei Cataniæ, Panormitani Panormi S. Agatham natam fuiſſe contendunt: Sanctorum Martyrum Vincentij, Sabinæ, & Criſtetæ Reliquias poſſidere Abulenſis gloriatur Eccleſia; eaſdem apud ſe retinere Legionenſe S. Iſidori Monaſterium teſtatur, & de temporali horum Sanctorum Nativitate Eborenſis, & Talaberenſis Eccleſiæ; ſicut & de S. Vicentij Martyris ortu Cæſarauguſtana, & Oſcenſis, pugnant, ut refert Marieta *l. 2. c. 19.* & tamen in omnibus his Eccleſijs de his Sanctis, ut Naturalibus celebratur: æquum enim eſt, ut in dubio pars ad maiorem gloriam Dei, & Sãctorum honorem pronior eligatur. & ſic fiat Pontificij huius privilegij benignior interpretatio iuxta, *l. ſemper ff. de reg. iur. c. ult. de tranſact.* Præterea, quia cum oppoſita in Chronicis inveniuntur, & nihil manifeſtè apparet, utrique aſſentiri, & credi poſſe docent ex *l. 1. ff. de offi. queſt. c. Novimus. ff. de verb. ſignif.* Purpuratus *ibi n. 15.* Maſcardus *concl. 363 n. 18.* & alij.

SINGVLARE XVIII.

Quam fidem faciant Hiſtoriographi de Rebus Hiſpaniæ; ij præcipuè, ex quibus Sanctos Hiſpaniæ Naturales eſſe probatur, ut in ea de ipſis cum Miſſa, & & divino Officio celebretur?

1 MAXIMAM fidem facere hos Hiſtoriographos, ſicut & alios quoſvis, communis Iuriſperitorum ſenſus docet, & probatur ex authoritate, quam generalia Chronica habent, quibus credendum eſſe probant Gloſſa *in c. inter dilectos. verb. magis.* Bartolus *in l. 1. n. 22. ff. ſi cert. pet.* & ibi ceteri Doctores, præcipuè Ripa *n. 72. cum ſeq.* Alciatus *n. 28.* Decius *conſ. 66. n. 54.* & eſt communis ſecũdum Lazarum de Molina *de decima vendit. præfat. n. 22.* Eos ſequuntur Aviles *in proem. cap. prat. in glo.* Reyna *n. 9.* Ioannes Garcia *de Nobil. gl. 18. n. 10.* Et nominatim, quod Hiſtoriæ Hiſpaniæ faciant plenam fidem, aſſerunt *ibidem* Garcia *gl. 7. n. 18. fol. 195. col. 1. ad med.* Mexia *in l. Regia. Tolet. in 24. fund. 2. p. ti. 19.* & plures referens D. Molina de Medrano *allegat. pro Vice Rege Arag. n. 160.* Otalora *de nobilit. 2. p. c. 4. n. 3.* Ioannes Gutierrez *pract. qq. q. 13. n. 23.* & alij.

2 Ergo cum horum Hiſtoriæ generales ſint; & de Hiſpania, loquantur, illis credendum eſſe cenſeo; ſicut & alijs, qui de Hiſpaniæ rebus, & Sanctis in his ſæculis ſcripſere, ut Baronius, Mariana, Ambroſius de Morales, Truxillo, & in ſuis libris inſcriptis Flos Sanctorum, Villegas, Marieta, Ribadeneyra, & alij, quos pro Sanctorum Hiſpaniæ naturalitate probanda afferunt Bibar, & Caro *in Dextrum*, ac ego pro Hiſpalenſibus Sanctis attuli in meo de his Sanctis, opere. Quod intelligendum, niſi manifeſtè oppoſitum appareat.

3 Enim verò, cum plurium Sanctorum Hiſpaniæ noſtræ Naturalium, loca Originis, Nativitatis, Educationis, Domicilij, Dignitatis, & Obitus cõparuerint ex Chronicis Flavij Dextri; Marci Maximi Epiſcopi Cæſarauguſtani; Euthrandi, ſeu Luitprandi Subdiaconi Toletani, Diaconi Ticcienſis, & Epiſcopi Cremonenſis; ac Iuliani Petri Archipresbyteri S Iuſtæ Toletanæ, & Regis Ildephonſi VI. Hiſtoriographi; æquum eſt, ut obiter ſaltèm eorum authoritatem perpendamus.

4 De illa ergo dubij conſulant ſapientiſſimos Scriptores, antiquos, & Recentiores, hos Authores valde commendantes, hi autem videri poſſunt apud eos, qui nunc in lucem eorum opera Commentarijs, aut adnotationibus illuſtrarunt. Et quod attinet ad Dextrum, Bivarium conſule, ac Rodericum Carum; hunc que etiam de Marco Maximo. De Euthrando D. Thomam Tamayo de Vargas egregie de bonis litteris benemeritum conſule: ac de Iuliano, Nobilem, ac eruditiſſimum Regium Senatorem D. Laurentium Ramirez de Prado: hi enim horum Chronica edidere; ſapientiũ Scriptorum teſtimonia in eorum commendationem initio proponentes. Dubia, calumnias, argumenta, & alia contra Dextri ſcripta ſatis dilucide diluit Bivarius duplici Apologia, alia ad calcem Dextri affixa, alia ad SS. D. N. Vrbanum VIII. miſſa, inquibus, cum vendicat ab omni erroris, & mendacij ſuſpicione.

5 Horum quatuor Hiſtoriographorum fides probatur I. ab antiquitate, cum fides adhiberi debeat antiquis Chronicis, vel manuſcriptis, vel typo exaratis, ut decernitur *cap. Si ad ſcripturam. 9. diſt.* ubi Doctores; & ex eis probat Maſcardus *concl. 105. n. 9. & concl. 398. n. 5.* Probatur II. quia his Hiſtoriographis in rebus dubijs, & novis, etiam fides adhibẽda, cum tot cẽrtiſſimæ & evidentes in eorum Chronicis reperiantur, iuxta Baldum *in l. ea quidem. col. 4. in fin. C. de acuſat.* Maſcardũ *concl. 287. n. 6.* Paulum Caſtrẽſem *conſ. 301. col. 1. l. 1.* Iaſſonẽ *in repet. in l. Admonendi. col. 48.* & alios, docentes, quod ſi libri, ſive publici, ſive privati contineant in ſe multas partitas, ſi in aliquibus probent, verè præſumuntur quod in alijs etiam probent.

6 III. Quia hi quatuor Hiſpani ſunt, & de Hiſpaniæ rebus, vel ſuæ ætatis, vel non longè abilla contingentibus ſcripſere. Sic Leſvius *de orig. Italiæ* ait: *De Gentis antiquitate atq; origine magis creditur ipſi Genti, atque vicinis, quam remotis, & externis.* IV. Quia hi omnes ſæpiſſimè teſtantur ſua ſcripta de ſumpſiſſe ex Tabulis, Protocollis, Diptycis, Concilijs, Scripturis, & alijs fide dignis teſtimonijs, in Tabularijs Vrbis, & Eccleſiarũ Archivis repertis; quorum ſcriptis fidem magnam adhibendam vidimus Singulari 14. & ſtabilitur in *cap. Peruenit, cauſa 30. q. 1. c. ad audientiam de præſcript.* ubi Gloſſa: *Inſtrumento edito de Archivo publico creditur.*

7 V. Quia eorum opera in graviſſimis Bibliothecis inventa ſunt. VI. Quia ſapientiſſimi Hiſpaniæ Antiſtites in ſuis Bibliothecis horum codices ſervarunt, & ex eorum authoritate plures Sanctos ut ſuarum

Diæ-

Diæceſum Naturales admiſerunt, ac de eis celebrarunt. Ex his fuere digniſſimi Antiſtites D. Prudentius de Sandoval Pampilonenſis Epiſcopus; D. Petrus de Caſtro, & Quiñones Hiſpalenſis. D. Alexius de Meneſes Bracharenſis; D. Sanctius de Avila; & Cardinalis de Sandoval Giennenſes, ac alij plures. Hæc omnia quæ Singularibus his ſtatuta ſunt, quoad teſtimonium probans aliquem Sanctum Naturalem eſſe alicuius Diæceſi; accomoda ad probandum, fuiſſe Profeſſorem ſeu Filium alicuius Religionis: utrũque enim quoad hoc æquiparatur.

SINGVLARE XIX.

Cui competat, Sanctos Diæceſum quarumcumque Naturales eſſe declarare, ac admittere, ut de eis cum Miſſa, & divino Officio celebretur?

1 POSSE hoc Pontificem ſummum in univerſa Eccleſia, ut potè illius ſupremum Paſtorem, non eſt dubium; cum eos, ut Sanctos, cultuque divino dignos [quod plus longè eſt,] declarare valeant. Poſſeque quemlibet Epiſcopum, aut Ordinarium Epiſcopali; aut quaſi Epiſcopali iuriſdictione fungentem abſq; ullo ad ſedem Apoſtolicam recurſu, nullo modo ambigendum exiſtimo I. Quia ex communi Iuriſtarum, & Theologorum principio: *Omnia illa Epiſcopo ſunt in ſua Diæceſi conceſſa, quæ Pontifici in vniuerſali Eccleſia, ijs demptis, quæ ſibi ſpecialiter Pontifex reſeruauit.* Sic Textus *in cap. Ad honorem. de auct. & uſu pallij, & in cap. Nouit. de iudicijs*, Sotus *de iuſt. l.* 10. *q.* 1. *act.* 3. *concl.* 2. Enriquez *l.* 10. *c.* 35. Suarius *to.* 4. *de pœnit. diſp.* 2. *ſect.* 1. & *de leg. l.* 6. *c.* 14. Barboſa *de poteſt. Epiſc.* 1. *p. Allegat.* 1. Zerola *verb. Epiſc. n.* 27. & plures alij apud Thomam Sanchez *l.* 1. *de matr. diſp.* 61. *n.* 3. Sed hæc declaratio, & admiſſio non eſt in iure, nec indulto aliquo Pontifici reſervata, ut patet; immo ab Epiſcopis ſemper factã eſſe, in Hiſpaniæ Eccleſijs, abſque nova Romani Pontificis conſultatione, experti ſumus: ergo ipſis competit hæc poteſtas declarandi Naturales, iuxta id iuris principium: *Conceſſum dicitur quidquid expreſſe prohibitum non reperitur, l. nec non §. quod eius ff. de quibus cauſ.*

2 Probatur 2. Quia Epiſcõpi poſſunt feſta in Sanctorum honorem inſtituere, ut conſtat *ex c. conqueſtus. tit. de feriis cap. Pronuntiatum diſt.* 3. *Tridentino ſeſſ.* 25. & 12. & probavimus Sing. 1. ergo poterunt hæc inſtituere in honorem Sanctorum ſuarum Diæceſum Naturalium; eos ut tales admittendo, & declarando, ac, ut de ipſis celebretur, & recitetur, præcipiendo. Vnde rectè Panormitanus *in d. c. conqueſtus.* ait: *Credo, quod ubi populus non habet legitimam cauſam contradicendi, non obſtat contradictio, ut in ſimili notat Archidiaconus in d. cap. ut animum. Facit c. de ijs, quæ fiunt: puta quia Epiſcopus vult præcipere feſtandum aliquem Sanctum, qui traxit originem de illo loco, vel quid ſimile facere.*

3 Probatur 3. Quia Epiſcopo competit ex Tridentino *ſeſſ.* 25. Sanctorum Reliquias, ut veras declarare, admittere, veneratione que exponere: ergo â fortiori Sanctos iam Canonizatos, ut Naturales admittere, & declarare, in ordine ad celebrandum, & recitandum de illis, quod minus eſt, & nulli errori, fallaciæ, aut detrimento expoſitum; ſicut Reliquiarum approbatio, & iuxta iuris axioma: *Maius cui conceditur, & minus concedi videtur. l. filius fam. §. fin. ff. de donat. l. Marcellus ff. de donat. cauſ. mortis l. non debet ff. derog. iuris. c. ex parte* 27. *de decim.* Præterea, quia poteſt Epiſcopus Reliquias Sancti Naturalis approbare, & illius eſſe declarare, & utroque titulo, cum in ſua Diæceſi proponere, ut de ipſo celebretur, immo & ſufficeret, ut â quocumque Epiſcopo hæc declaratio fieret, etiam ſi eſſet alterius Diæceſis ab ea cuius Naturalis eſt Sanctus, iuxta dicta ſupra; ac cum hac declaratione in omnibus Diæceſibus, ut Naturalis celebrari quicumque Sanctus poſſet.

4 Eandem poteſtatem declarandi, & admittendi Sanctos Naturales habent Capitulum Sede-vacante, Abbatès, Priores, & quicumque alij, poteſtatem quaſi Epiſcopalem habentes; nec non Epiſcoporum Vicarij, niſi his à ſuis Prælatis hoc ſit limitatum. Id ſatis probavi in ſimili Singul. 2. ac conſuetudine, legum & privilegiorum interprete compertum eſt. Sic namque Capitulum Hiſpalenſe Sede-vacante declaravit, & admiſit, ut Naturales huius Diæceſis anno 1624. complures Sanctos, ut de ipſis celebraretur, idemque aliqui Vicarij Hiſpalenſes circa alios fecerunt.

5 Sed ſi roges, an quicumque privatus Sacerdos ſæcularis, vel Regularis poſſit celebrare, & recitare de Sanctis Naturalibus ſuæ Diæceſis ante hanc Ordinariorum declarationem; & admiſſionem? Reſpondeo, quod etiam ſi manifeſtè conſtet eſſe Naturalem aliquo ex titulis aſſignatis, niſi in Breviariò ſit ſcriptus Sanctus, non licet cui quam privata authoritate recitare, aut celebrare de illo. Ratio eſt: quia hæc conceſſio

non

non ſit perſonis particularibus, ſed Eccleſijs Hiſpaniæ, ibi: *Nos declaramus, unamquamque Hiſpaniæ Eccleſiam poſſe celebrare, &c.* Vnde ex admiſſione Sanctorum pro Naturalibus ab Eccleſiæ, ſeu Diœceſis Prelato facta, dimanare debet hoc privilegium ad ſingulares perſonas.

6 Attamen, qui ante admiſſionem hanc de Sancto in Martyrologio exiſtenti celebraret, leviter tantùm delinqueret; & forſan, nec leviter; præſertim ſi ob Prælati omiſſionem admiſſio hæc facta non eſſet; quia privilegijs Regno, civitati, aut communitati conceſſis privari non debent illius perſonæ, ſine propria culpa, immo & harum aliquæ communibus privilegijs frui valent; ſi aliæ nolint. Præterea quia ly *Eccleſiam*, in privilegio noſtro, idem eſt, ac Eccleſiæ membra, aut Eccleſiaſtici illam efformantes; continens enim pro contento ponitur. Sicut ſi civitas Hiſpalenſis aliquo exoneraretur vectigali, huius privilegij conſcius, etiam civitatis ſenatu inconſulto, poſſet illud non ſolvere; licet alij ſolverent vectigal, vel ignari, vel ſcientes, & idem dicendum eſt de celebratione facienda de Sancto, cuius Reliquia poſſidetur, ſi certò conſtet morali certitudine, eſſe talis Sancti.

Singvlare XX.

Quinam Ritus concedendus ſit Sanctis Naturalibus Hiſpaniæ, & an hic mutari poſſit ab Epiſcopis?

1 Vt Ritu duplici celebrandum eſſe de Sancto, cuius inſignis Reliquia habetur, conſtat ex ipſa Gregorij XIII. Bulla, & videbimus Singulari hoc n. 5. & 6. Ex eadem colligi ſub eodem Ritu celebrandum eſſe de Sancto Naturali patrono, cũ de illo, ac de S. Patrono, & de eo, cuius Reliquia habetur, eodem modo loquatur Pontifex. Vnde rectè Gavantus *ſect. 1. in Breu. c. 5. tit. 2. n. 8.* ait: *Sacra quidem Congregatio Rituum die 23. Nouembris 1602. decreuit, quod de Sancto, cuius inſignis Reliquia habetur, fieri poteſt Officium duplex in eius feſto, dummodò ſit Reliquia approbata, & Sancti, cuius memoria ſaltèm ſit in Martyrologio; ea prorſus regula, qua Gregorius XIII. die 30. Decembris 1573. in Bulla, quam affert Gennuenſis in praxi Neapol. cap. 65. in 3. edit. 1616. conceſſerat Eccleſijs Hiſpanarum feſta Sanctorum Naturalium, & quorum Reliquias inſignes haberent ſub ritu duplici celebrare poſſe, licèt in Breuiario non exiſterent, vel minori ritu haberentur.*

2 Probatur inſuper ex 1. Breviarij Rubrica n. 1. *Officium ſit duplex in feſtis Sanctorum, qui apud quaſdam Eccleſias, Religiones, vel Congregationes conſueuerunt ſolemniter celebrari, &c. etiam ſi prædicta feſta in hoc Kalendario non ſint deſcripta.* Igitur ſemper Eccleſiæ Hiſpaniæ ſolemniter de ſuis Sanctis, Civibus, Epiſcopis, Martyribus, & Confeſſoribus celebrarunt, ritumque duplicem auctoritate Apoſtolica eis conceſſerunt, ut videre licet apud antiqua Breviaria, & noviſſimos uniuſcuiuſque Diœceſis codices. Hinc Gavantus *ſup. ſect. 3. c. 3. n. 4.* ait: *De Sanctis locorum conſueuit Sancta Sedes Apoſtolica in ijs locis, ubi neque nati, neque mortui ſunt, neque Reliquiæ inſignes extant, concedere Officium ſemiduplex:* ergo in locis, ubi nati, vel mortui ſunt, erit duplex; ſicut eſt ubi extat inſignis Reliquia; cum exceptio firmet regulam in contrarium.

3 Scio, Eccleſiam Cordubenſem de Sanctis ſuæ Diœceſis Naturalibus ſemiduplici ritu ſolùm celebrare; ſed congruentius, ni fallor, ſub duplici celebraret; cum minor ritus, ut audio, non ſit aſſignatus à Sede Apoſtolica. Et non ſolùm in urbe, vel oppido, ubi nati, mortuive ſunt hi Sancti, de illis poteſt ſub Officio duplici celebrari, ſed in tota Diœceſi; ac ita ſub ritu hoc in tota Diœceſi Hiſpalẽſi celebratur de SS. Naturalibus, & in proprio loco, altiori, ut de duplicibus ſecundæ claſſis; vel, ſi Patroni ſint, primæ, in alijs ut de duplicibus communibus, in quo conſuetudini ſtandum eſt, & codicibus pro recitatione cuiuſque Diœceſis credendum.

4 Si roges, an ſi Sanctus Naturalis concurrat cum alio Sancto exiſtenti in Breviario, dequo ſub eodem duplici ritu ſit celebrandum, ille ſit transferendus? Reſpondeo, de illo recitandum eſſe, & transferendum exiſtentem in Breviario. Sic expreſſe Gregorius XIII. Bulla præfata, de Sancto, cuius Reliquia habetur: *Poſſe*, inquit, *illius feſtiuitatẽ celebrare, & Officium duplex facere, & de alio Sancto eodem die occurrenti, ſi fuerit ſimplex fiat commemoratio; ſi verò fuerit duplex, vel ſemiduplex transferatur in primam diem ſimili feſto non impeditam.* Idem de S. Naturali tenendum eſt iuxta dicta n. 1. Et conſonat Breviarij Rubrica §. 11. *de concurrentia n. 2.* ſic: *Feſta illorum Sanctorum, qui in propijs locis, vel Eccleſijs ſolemniter celebrantur, præferantur alijs in Kalendario deſcriptis.* Vbi Gavantus *ſect. 3. in Breu. c. 9. n. 3. Hinc appellantur prædicta feſta, vel primæ, vel ſecundæ claſſis, vel duplicia maiora, quæ in concurſu cum minoribus habent integras primas, & ſecundas Veſperas.*

Hunc

5 Hunc Ritum conceſſum Sanctis Naturalibus, vel alijs exiſtentibus aut non exiſtentibus in Breviario, non poteſt Epiſcopus in ſuperiorem, vel inferiorem ſibi, vel ſuis Subditis permutare, ut docet Gavantus *ſect. 1. in Breu. c. 5. tit. 2. n. 7.* Et ratio eſt; quia Epiſcopus non poteſt diſpenſare in lege Superioris, hoc eſt, Pontificis, ut docuimus Tract. 6. Sing. 13. Pontifex autem hunc Ritum aſſignavit Sanctis Naturalibus.

6 Confirmatur, quia ob hanc rationem in forma, & ritu Breviarij Romani non poſſunt Epiſcopi diſpenſare, neque concedere, ut alio Breviario utantur Subditi, vel quod Officium unius diei alio die recitẽt, vel pro alio commutent, & his ſimilia, ut aſſerunt Navarrus *c. 11. de orat. n. 24.* Reginaldus *l. 18. n. 171.* Suarez *c. 11. n. 6. & c. 23. n. 17.* Trulench. *in l. 1. de cal. dub. 14. n. 14.* Molfeſius *n. 4.* Armilla *verb. Horæ n. 13.* Tabiena *n. 16.* Carolus Macignus *c. 29. n. 2.* Bonacina *q. 3. p. 1 n. 19* & Filiucius *c. 6. n. 186.* Et licet in hoc Epiſcopus quaſi ex lege, aut permanenter non poſſit diſpenſare, hoc enim ad Pontificem ſpectat, at in aliquo particulari caſu, pro hac, vel illa vice poterit ſuperiorem ritum, ſimileſque commutationes concedere, ut docent Suarez, Bonacina, Macignus, Gavantus, & alij *ſupra.* Quod utique per interpretationem fiet, iuxta dicta Sing. 13. Tract. 6.

7 Eodem modo, neque de loco ad locum, neque de Diæceſi, ad Diæceſim horũ Sanctorum Naturalium, neque aliorũ celebritatem poteſt Epiſcopus extendere. Sic â ſacra Rituum Congregatione 16. Ianuarij 1607. ſtatuitur, & affertur á Gavanto in *initio ad Rubr. Breu.* ita: *Non poteſt Epiſcopus extendere Officium de ciuitate ad Diæceſim.* Poterit verò inſtituere, ut de Sanctis de quib⁹ celebratur in aliquo ſuæ Diœceſis loco, in alio etiam celebretur; iuxta dicta Singul. 4. 5. & 6. & ſimiliter, immo faciliùs poterit, niſi ſit expreſſa prohibitio, aut limitatio Pontificis, permittere, ut fiat aliquod Officium non permanenter, ſed aliquando.

SINGVLARE XXI.

V. Omnes Sacerdotes Sæculares, Hiſpaniæ Incolæ teneantur celebrare, & recitare de Sanctis Naturalibus ſuæ Diæceſis, & de ſingularibus illius Feſtivitatibus?

1 NON ſolùm Regulares, ſed nec Sæculares teneri ex vi præfatæ Bullæ Gregorij XIII. niſi adſit ſingulare ſuorum Superiorum circà hoc mandatum, vel conſuetudo vim legis obtinens, pro comperto habeo; cum hæc Bulla non legem præceptivam, ſed privilegium tantùm modò afferat, quo uti non tenetur privilegiatus in particulari: aliter quod in ipſius favorem conceditur, in illius gravamen retorqueretur, contra iuris regulas. Confirmatur, quia Bulla Gregorij XIII. nec præcipit, nec ait, neceſſariò recitandum eſſe de his Sanctis; ſed ſolùm quod *unaquæque Hiſpaniæ Eccleſia eorum Officia propria celebrare poſſit.* Verbum autem *Poſſit* nõ inducit neceſſitatem, ſed liberam omnino relinquit voluntatem, ut ex iure, & Doctoribus iam antea probavi, & affirmativè conceptum, inducit arbitrium, & electionem. ut docent Ferrerius *conſt. gl. 1. n. 321.* Barboſa *de Dict. verbo Poſſum. n. 1.* & alij.

2 Dixi, niſi adſit conſuetudo, vel mandatum: ſi enim aliquid horum adſit, non eſt dubium, quin ij teneantur, quos ad recitandum obligat vel Ordo, vel beneficium, vel ſtatus; cum verſetur in materia iuſta, & ex ſuo genere gravi; & ad huiuſmodi mandata edendi iuam facultatem conceſſit Pontifex in hac Bulla Epiſcopis. Et ab his communiter præceptum eſſe in ſuis Diœceſibus, conſtat ex ipſorum Edictis, quæ pro Officijs proprijs ſuæ Diœceſis recitandis Ordinarij ediderunt. Sic Emm. Cardinalis Gaſpar de Quiroga, Archiepiſcopus Toletanus, & Generalis Inquiſitor Edicto Toleti dato die 15. Iunij anno 1584. ſuo Capitulo, & Clericis, ita hoc intimavit: *Quamobrem vobis uniuerſis, ac ſingulis Clericis nobis ſubiectis, his litteris mandamus, ut in feſtiuitatibus Sanctorum, qui hoc libello continentur, hoc Officio Eccleſiaſtico, hac precandi ratione, & non alia de inceptum publice, tum priuatim utamini.*

3 Sic etiam Hiſpalenſis Eccleſiæ Capitulum Sede-vacante ſtatuto, quo plures Sanctos ut Naturales admiſit, de iſque celebrari iuſſit, anno 1623. dicens. *E nos, aquienes por derecho toca, &c. Vſando de la ſa ultad, que para ello tenemos los publicamos, y hazemos notorios por eſte nueſtro edito, y mandamiento a todas las dichas Yglesias, Monaſterios, Conuentos, y perſonas referidas paraque todos ſe conformen en el rezo ſolemne, ò particular, en el coro, ò fuera del, aſſi en las oras Canonicas, como en la celebracion de la Miſſa, con el que de nueuo declaramos eſtar recevido, y eſtablecido, y ſi es neceſſario de nueuo eſtatuimos, y eſtablecemos en eſta Santa Yglesia, y ſu Diocesi.* Ademque præceperunt ſuis Edictis D. Philippus de Tharſis Archiepiſcopus Granatenſis, & alij Hiſpaniæ Antiſtites in ſuis Diœceſibus, ut videre licèt in Codicibus, quos pro Recitatione ſuæ Diœceſis ediderc.

4 Præterea probatur, quia debent Epiſcoporum Subditi ſe conformare in Officiorum celebratione cum Eccleſia Matrice, ut docent Theologi cum S. Thoma *quolib. 6. art. 8.* & colligitur ex *c. de ijs. d. 13. & c. Placuit. d. 14* ubi ſtatuitur: *Omnes Clerici, & Eccleſię Prouinciales eundem in pſallendo modum teneant, quem Metropolitanam habere cognouerint:* ergo ex obligatione de his Sanctis de quibus Matrix celebrat, tenentur Officium recitare.

5 Porro quod ad Ordinarios ſpectet poteſtas in his rebus circa ſęculares, conſtat ex ijs, quę Singulari 1. & 10. protulimus. *Quæcumque in Diœceſi ad Dei cultum ſpectant ab Ordinario diligenter curari, atque ijs, ubi oportet prouidere, æquum eſt*, ait Tridentinum *ſeſ. 21. de Ref. c. 8.* Et *ſeſ. 24. c. 2. Cætera, quæ ad debitum in diuinis Officijs regimen ſpectant, deque congrua in his canendi, ſeu modulandi ratione, de certa lege in choro conueniendi, & permanendi, ſimulque de omnibus Eccleſiæ Miniſtris, &c. Epiſcopus non minus quàm cum duobus Canonicis, quorum unus ab Epiſcopo, alter á Capitulo eligatur, in ijs, qua ex pedire videbuntur, poterit prouidere.* Vbi ex declarationibus Cardinalium additur in ultima recognitione Ioannis Gallemart. *num.* 45. quod *Epiſcopus tenetur conſilium hoc petere, non autem ſequi: conſenſus enim Capituli non eſt neceſſarius.* Vide Barboſam *allegat.* 105.

6 Et ſi quæras, an ſub gravi culpa teneantur ſæculares de his Sanctis, & Solemnitatibus ſuæ Diœceſis celebrare, & recitare? Reſpondeo, idem proportionaliter dicendum eſſe in hoc, quod Doctores de obſervatione Rubricarum dicunt. Conſule de his Suarium *to. 3. d 48. ſect. 2.* Scortiam *de Miſſa l. 2. c. 17.* Gavantum *to. 1. p. 3. tit. 12.* & Bonacinam *q. 3. punct. 1.* Raró verò, aut numquam, niſi adſit Antiſtitum grave præceptum; aut ſcandalum, peccabit Sacerdos, & quivis Horarum recitationi adſtrictus, qui omiſſis his Diœceſum Sanctis, de ijs, qui in Romano Kalendario ſunt deſcripti celebraverit, & recitaverit privatim. Caput enim de *his*, & caput *Placuit* aperte loquuntur de Officio publico, non deprivato, ut rectè notat Leſius *infra.*

7 Hinc Bonacina *ſup. n. 5.* ait probabile eſſe: *Præciſo præcepto in contrarium poſſe aliquem privatim relicta conſuetudine propriæ Eccleſiæ recitare Officium iuxta Breuiarium Romanum; nam recitans Officium iuxta Breuiarium Romanum conformat ſe Eccleſiæ Romanæ, quę eſt mater omnium Eccleſiarum.* Idem docent Leſius *l. 2. c. 37. dub. 12. n. 74.* Sa *verb. Horę. n. 6.* Caietanus *§. 2.* Suarez *c. 23 n. 9.* & alij. Poſſe verò præceptum imponi circa celebrationem horum Sanctorum Naturalium, non eſt dubium, ut docet Bonacina *ſup. nu. 6.* cum ſit materia iuſta, & gravis, poteſtaſque adſit Ordinarijs ex Bulla Gregorij XIII. & ſic iuſſum eſt in virtute S. Obedientiæ à S. Carolo Borromeo in Mediolanenſi Diœceſi, recitari iuxta formulam Breviarij Ambroſiani.

8 Immo, Hiſpaniæ Epiſcopos, aut Ordinarios teneri ad procurandum, ut de Sanctis Naturalibus in ſuis Diœceſibus cum Miſſa, & Officio celebretur verius exiſtimo: licèt enim privilegium ſit tantummodo, quod ad hanc celebrationem ex Bulla Gregorij XIII. habetur, & ita non præcipit, ut celebrentur, ſed concedit ut celebrari poſſint; attamen cum hoc ſit conceſſum toti Regno, aut communitati Hiſpaniæ, non poſſunt Epiſcopi illud renunciare, ſed tenentur eo uti, & illius uſum procurare, iuxta doctrinam Suarij, Zerolæ, Cenedi, Didaci Perez, Bonacinæ & aliorum, quos citamus Singul. 33. n. 4.

9 Præterea, quia cum ex omiſſione, ſeu non uſu communis privilegij ſequitur aliorum præiudicium, illo tenemur uti, ut docet Bonacina *p. 4. depriu. §. 1. n. 3.* Præiudicium autem ſequutum non leve eſt accidentalis gloriæ privatio, qua Sancti ob ſuarum ſolemnitatum omiſſionem defraudantur: ergo ut hoc præiudicium evitetur, ſtatuere, & curare debent Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, & Prælati in ſuis Religionibus, ut de Solemnitatibus, & Sanctis proprijs, & quorum Reliquias poſſident, ac de quibus recitare, & celebrare conceſſum eſt à Pontifice; recitetur, & celebretur; huius enim privilegij executio ad eos ſpectat; dum in illa Bulla dicitur: *Quod unaquæque Hiſpaniæ Eccleſia, &c. Quod quælibet Eccleſia, vel monaſterium, &c.* Nomine autem Eccleſiæ, Prælatus præcipuè intelligitur iuxta dicta Tract. 4. Sing. 12. n. 7.

SINGVLARE XXII.

U. Regulares in Hiſpania teneantur celebrare, & recitare de Sanctis Naturalibus, & Feſtivitatibus proprijs ſuæ Diœceſis?

1 NOn teneri, excepta Patroni celebratione, ſentio, idque ſatis conſtat ex ipſa Bulla relata Gregorij XIII. ubi poſtquam Pontifex conceſſit facultatem recitandi de his, de Patrono, ac de illis, quorum inſignes Reliquiæ habentur, ait:

Et

Et quo die celebrabitur feſtiuitas Patroni uniuſ Diœceſis, Religiones omnes teneantur eodem die in ſuis Eccleſijs, intra limites illius Diœceſis exiſtentibus, eandem feſtiuitatem celebrare, & in hoc cum Eccleſia Matrice ſe conforment: ergo ad alias ex præfatis feſtiuitatibus, non tenentur, cum exceptio firmet regulam in contrarium, iuxta l. *nam quod liquidè. §. fin. primo reſponſo. ff. de pen. legat.*

2 Præterea, quia cum ad horum Sanctorum celebrationem teneantur ſæculares ex præcepto ſolùm Epiſcopi, & hoc præceptum imponi nequeat Regularibus, minimè enim in his illi ſubiiciuntur, cum ab eius iuriſdictione exempti ſint; nullo ex capite tenentur ad illam. Hoc etiam manifeſtè patet ex ijs, quę ex Tridentino nominatim referuntur a Barboſa tota allegatione 105. in quibus hanc materiã nullo modo comprehendi ait: Immo communi iure præcipiente *c. de ijs d.* 13. ut omnes ſe hac in re cõforment cum Matrice, excipi Religioſos docet Gloſſa ex Hugone, ubi, *In hoc*, inquit, *dicitur quod conſuetudo in celebrandis Officijs, quã obtinet Metropolitana Eccleſia, debet obſeruari in omnibus Eccleſijs exceptis monaſterijs, in quibus celebrantur Officia ſecundum regulam B. Benedicti.* Hęc verò Officia ſolum excipiuntur, quia tunc temporis alię non erant Religiones.

3 Sed obijcies: Quoad plura ſpectantia ad celebrationem Miſſarum ſubijciuntur Regulares Epiſcopis: ergo etiam quoad celebrationem de Sanctis Naturalibus, & Feſtivitatibus Diœceſis. Maior eſt certa 1. Quia ſub pœna centum ducatorum prohibentur campanas ſuis in Eccleſijs Sabatho Sancto pulſare antequam campana Cathedralis, vel Maioris Eccleſię pulſetur. Sic Leo X. *conſt* 17. & refertur à Campanilo *rubr.* 12. *c.* 13. *n.* 162. Franciſco de Leon *Theſaur. p.* 1. *c.* 8. *n.* 21. & Barboſa *ſup. n.* 70. Item Trident. *ſeſ.* 25. *de Regul. c.* 12. ait quod: *Dies etiam feſti, quos in Diœceſi ſua ſeruandos Epiſcopus præceperit; ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, ſerventur:* ergo ſi præcipit ijs Epiſcopus, quod celebrent, & recitent de proprijs Diœceſis Sanctis, ad hoc tenebuntur.

4 Reſpondeo ad primum, obligare per ſe, quia extat Pontificis decretum Regulares expreſsè comprehendens: licèt hodie non obligare, conſuetudo legum interpers docuerit, & indicat Congregatio Rituum anno 1609. 21. Martij, non exprimens eos, ſed ſolùm dicens: *Campanas non eſſe pulſandas ante Cathedralis, ſeu Matricis ſignum.* Et 9. Februarij 1608. *Neque in Diœceſi ante Parochialem, vel quæ alijs maior eſt dignitate.* Sic refertur à Gavanto *p.* 4. *lit. H* & Vbandero *p.* 1. *n.* 9.

5 In ſecundo, ſolùm ſubiacent Epiſcopis Regulares quoad dies feſtos ab Epiſcopis inſtitutos ſervandos, & in eis ab opere ſervili abſtinendum, ac Miſſę auditionem. Sic uſus, & Doctores interpretantur hanc obligationem, ut notant Barboſa *ſup. n.* 32. Fuſcus *de viſit. l.* 2. *c.* 15. *n.* 65. Riccius *reſol.* 210. & Emmanuel *to.* 2. *q.* 20. *art.* 1. addens, non teneri obſervare feſta à Clero, & Populo ſuo voto inſtituta; etiam ſi votum confirmatum ſit ab Epiſcopo, dum ſcandalum abſit; nam hęc non ſunt ab illo præcepta. At circa celebrationem, & recitationem de Sanctis, quorum feſtum præcipit Epiſcopus ſervandum, nullam ipſe circa Regulares habet iuriſdictionem, ut Congregatio Concilij declaravit, teſte Barboſa *num.* 34. cuius hęc verba ſunt.

6 *Congregatio Concilij cenſuit, decretum cap.* 12. *ſeſſ. dies etiam feſti, ſeſ.* 25. *de Regul. ita eſſe intelligendum, ut Regularium Ritus illis feſtis ſemper permaneant, quoad Miſſas celebrandas, & cetera diuina Officia, tam publicè, quem priuatim ab ipſis Regularibus in eorum Eccleſijs perſoluenda; nec circa hæc ab ipſis quoquomodo quicquam in contrarium eiſdem Regularibus, in eorum Eccleſijs, præcipi poſſe; quod ſi de facto præceperint, Regulares neutiquam ipſis Epiſcopis obedire teneri.* Huc accedit alia eiuſdem Congregationis declaratio a Bellarmino *in Trid. hic* allata, quæ ſic ſe habet: *Regulares, qui ſeruãt feſta Ciuitatis, non ſunt obligãdi ſeruare ritum, & effectum Cleri, ſed ſeruent ſuum Regularem.* Item alia eſt, edita anno 1604. Ianuarij 10. in Salmat. allataque ab ijſdem Bellarmino, & Barboſa in *Trid. hic n.* 3. ubi: *Congregatio Concilij cenſuit, debere permanere Regularium Ritus in eorum Eccleſijs quoad lectiones, Epiſtolas, Euangelia, & ſimilia; ſed in Sacris concionibus, & lectionibus ſervari ab ipſis debere illa Euangelia, & Epiſtolas, quibus Clerus ſæcularis utitur pro more illius Eccleſiæ.* Quomodo verò hoc ſit præſtandum ignoro; praxim conſule, optimam decretorum interpretem.

7 Excipias verò in ijs Regulares, qui ſunt ſęcularium Eccleſiarum Rectores, & Prælati, qui ſe conformare debent quoad celebrationem, & recitationem cum ſuis Eccleſijs; nimis enim abſurdum eſſet, caput ſuo corpori, aut membris non concordare. Vnde à Sacra Rituum Congregatione II. Iunij 1605. ſic ſtatuitur: *Epiſcopus Regularis debet Officium recitare iuxta Ritum ſuæ Diœceſis, non Regulæ, & occurrente feſto Regulæ feſto Diœceſis, hoc præferri debet.* Sic enim *iuſtum eſt*, inquit Concilium Bracharenſe 1. *c.* 19. (*& eſt in cap. de ijs*;) *ut inde unuſquiſq; ſumat Regulas magiſterij, unde honoris conſecrationem accipit.*

Idem dicendum eſt de omnibus Regularibus, qui quaſi Epiſcopalem habent dignitatem, & Eccleſijs ſæcularibus præſunt, ut Abbates, Priores, & Rectores Ordinum Militarium S. Iacobi, S. Ioannis, Calatravæ, & Alcantaræ, alij vè ſimiles, qui Eccleſias ſuæ Diœceſis, his Ordinibus ſubiectas velut Prælati regunt, & præcipuè hoc obſervare debent in publicis Officijs. Et ſic dicitur in *cap. de ijs diſt. 13. Placuit huic ſancto Concilio, ut Metropolitanæ Sedis auctoritate coacti, unius cuiuſque Ciues, Rectoreſque Eccleſiarum unum, eundemque in pſallendo teneant modum, quem in Metropolitana Sede nouerint inſtitutum.*

SINGVLARE XXIII.

V. Regulares in Hiſpania habentes monaſteria poſſint celebrare cũ Miſſa, & Officio divino Feſtivitates Sanctorum Naturalium Diœceſis, ubi reſident?

1 DOsse non eſt dubium; quoniam hoc privilegium conceſſum eſt à Pontifice Hiſpaniæ Eccleſijs, ſeu Hiſpaniæ Incolis, & cum ipſorum Eccleſiæ ſint Hiſpaniæ, & ipſi in Hiſpania habitent; ipſis conceſſum eſt, & cum omnibus, tam ſæcularibus, quam Regularibus in ſua Bulla Gregorius XIII. loquitur.

2 Congruum præterea eſt, ut de his Sanctis celebrent, & quoad fieri poſſit Eccleſiæ Matriçi ſuæ Diœceſis ſe conforment: ſicut in hac Diœceſi Hiſpalenſi ſe omnes fere Religiones conformant, de Sanctiſque eius Naturalibus celebrant; ac in his Officiorum celebrationibus Metropolitanam Eccleſiam ſequuntur, ut Gelaſius Papa II. *apud Radulphum prop. 7.* Canonicis Regularibus præcepit. Et ut dicitur *c. de ijs diſt. 13. Iuſtum eſt unita maiorum decreta, ut Sedes, quæ unicuique Sacerdotalis dignitatis eſt mater, ſit Eccleſiaſticæ Magiſtra rationis, & celebrationis.* Porro Metropolitanæ Eccleſiæ matres ſunt Sacerdotij, quo fruuntur Religioſi.

3 Immo crederem, quod ſi Religioſi prohiberentur á ſuis Prælatis de Sancto Naturali, & Feſtivitate Diœceſis celebrare; non tenerentur illis obedire; cum eos impediret uti privilegio conceſſo à ſummo Prælato, & facultate ab hoc conceſſa uti poteſt Subditus, etiam invitis inferioribus alijs Prælatis. Nec obſtat privilegium, quod habent plures Religiones, quod earum ſubditi uti non valeant ullis privilegijs conceſſis à Sede Apoſtoliça abſque conſenſu, ſeu communicatione Generalis, quia hoc intelligitur de privilegijs conceſſis ipſi Religioni, & de ijs, quæ per communicationem participant, ut expreſsè conſtat ex Bulla Gregorij XIII. edita pro Societate Ieſu anno 1576. quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem.*

4 Sed animadvertèndum, quod de alijs Hiſpaniæ feſtis á Gregorio XIII. promulgatis in Bulla ſæpius relata, ut ſunt Feſta S. Leocadiæ, Expectationis, Crucis Triũphi, S. Ildephonſi, S. Iſidori Archiepiſcopi, Hiſpalenſis, & Tranſlationis S. Iacobi tenẽtur Regulares omnes Hiſpaniæ Incolæ celebrare cum Miſſa, & Officio, ſicut de alijs, quæ in Romano Breviario ſunt deſcripta: non enim eorum celebratio eſt privilegium, ſed præceptum; his verbis impoſitum: *Item volumus, quod feſtiuitates ſequentes ſint in tota Hiſpania generales, ita quod omnes Eccleſiæ, & Religiones exiſtentes in illa Prouincia recitent de illis, & celebrent propria illorum Feſta; quæ ſunt, Feſtiuitas Expectationis, &c.* Idem dicendum de alijs ſolemnitatibus, de quibus in ſua Diœceſi, vel Religione hoc modo celebrari præcipitur, vel à Pontifice, vel à ſuis Prælatis.

5 Tenentur etiam Regulares celebrare de Patrono principali Diœceſis, ut conſtat ex hac Bulla, & docent Quaranta *ver. offic. diu.* & Novarius *ibi n. 21.* non verò de alijs Patronis minus principalibus, v.g. in Hiſpalenſi Diœceſi tenentur facere Officium de S. Iſidoro eius Præſule, qui eſt principalis ipſius, & Hiſpalis Patronus: huius vero ſunt minus principales Patroni S. Ermenegildus. SS. Iuſta, & Rufina, SS. Servandus, & Germanus, de quibus ut Patronis celebrare non tenentur: ſi autem celebrent id fiet de omnibus ſub duplici, *ex Rub. de dupl.* ibi: *In feſto Patroni unius, vel plurium alicuius loci; ſecundæ Claſis ſit officium.* De principalibus verò fit officium primæ claſſis cum octava, ad quam non tenentur Regulares, ut declaravit ſacra Rituum Congregatio. Præfertur verò Patronus Sancto Titulari Eccleſiæ; & ſi incidat in Vigilia de ea non fit commemoratio. Hæc, & alia circa celebrationem Patroni, & Titularis invenies apud Gavantum *in Breu. ſect. 3. c. 12.*

(:ſ:)

SINGVLARE XXIIII.

V. Sacerdotes Hiſpani, tam ſæculares, quam Regulares extra Hiſpaniam morantes poſſint celebrare, & recitare de Sanctis Naturalibus ſuæ Diæceſis in Hiſpania, deque eius proprijs Solemnitatibus?

1 PRIMA Concluſio, ſi hi extra Hiſpaniam vivant ut Advenæ, & Hoſpites, ſtudij, aut negotiorum cauſa, poſſunt de his Sanctis, & Solemnitatibus celebrare, & recitare. Probatur 1. Quia hoc eſt privilegium à Pontifice conceſſum Hiſpanis, ſeu Hiſpaniæ Incolis, ſeu domiciliarijs, quod ubique terrarum vim habet; in omni enim Diæceſi quoad ſpiritualia Eccleſiaſticam iuriſdictionē habet, Pontifex, ut notum eſt, ac docet Bonacina *de priuileg. p. 6. n. 3. q. 3.* Cōfirmatur, quia quicumque poteſt in alieno territorio frui privilegio ſibi conceſſo à Pontifice præcipuè, etiam ſi opponatur conſtitutioni, aut conſuetudini illius territorij, cum ſuper illam ſit Pontifex.

Sed dices, hoc locum habere in privilegijs perſonalibus, iuxta Bonacinæ doctrinam *num.* 8. at prædictum eſſe locale; conceditur enim Hiſpaniæ, & in Hiſpania exiſtentibus. Reſpondeo, hoc privilegium eſſe mixtum, hoc eſt perſonale, & locale, i. perſonis, & loco conceſſum; at eo ipſo quod hi domicilium nō fixerint perpetuum, ſed ad tempus tantùm extra Hiſpaniam verſentur, reque vera in Hiſpania ſint domiciliarij, ſemper exiſtimantur hi, ut Hoſpites, & Peregrini, & ibi domicilium habere, unde venerunt, & quò reddire in animo ſibi eſt, potius quam ibi, ubi actualiter illi habitant. Sic *ex l. Pauonum inſtit. de rer. diviſione l. ciues (. de incolis l.* 10. probat noſter Avila *tract de domic. c. 2. §. 1. n. 9.*

3 Probatur 2. aſſertio authoritate aſſerentium, Clericos unius Provinciæ in alia, ſtudiorum, aut negotiorum cauſa verſantes, ut qui in Academijs Salmāticenſi, Bononienſi, & alijs; vel in curia Philipica, aut Romana, morantur, debere ſequi ſuam Diæceſim, ubi habent firmum domicilium; quia ſimpliciter ſunt illius membra, & Subditi Prælatis, & legibus talis Epiſcopatus. Sic à quibuſdam affirmari probabiliter, docet Suarez *l. 4. de Horis c. 23. n. 7.* & ſi oppoſitū, ipſe ſequatur, videlicet hos poſſe ſequi Eccleſiam, in qua actualiter reſident: ergo iuxta hanc probabilem ſententiam, immo & non ſine authoritate doctrinæ Suarez Clerici peregrini v. g. in Italia poſſunt de Sanctis ſuæ Diæceſis facere Officium.

4 Hanc noſtram ſententiam docent Sylveſter, Reginaldus, Leſius, Molfeſius, & Vazquez, ut affirmat Bonacina *de horis q. 3. p. 1. n. 7.* hos ad hoc teneri exiſtimantes, & fere omnes ceteri hanc obligationem negantes, non negant licitè poſſe de his Sanctis, & Solemnitatibus recitare; licèt ſimul aſſerant, poſſe Eccleſiam, ubi reſidēt, ſequi; ad utrumque liberam concedentes facultatem. Nec inficior, alios ſtrictius loqui, teneri ſcilicet Clericos ſequi Ritum loci, in quo maiori anni parte commorantur. Sic Bonacina *num.* 8. & alij apud ipſum, limitantes, niſi iuſta de cauſa aliud faciant: ſed revera parū hoc refert ad hanc obligationem inducendum, cum domicilium firmū habere hi valeant ubi maiori anni parte non reſident, & non firmum ubi ſic reſident, iuxta ea, quæ de domicilio docet noſter Avila.

5 Secunda concluſio: Quicumque Clericus, ſive Hiſpanus, ſive Alienigena habens beneficium, ſeu capellaniam in aliqua Hiſpaniæ Eccleſia, licet extra Hiſpaniam perpetuò commoretur, ſeu firmum habeat domicilium, poteſt celebrare, & recitare de Sanctis, & Feſtivitatibus Hiſpaniæ; nec nō de alijs Sanctis Naturalibus, & pröprijs Feſtivitatibus ſuæ Diæceſis; & de ijs, quorum Reliquias inſignes poſſidet Eccleſia, in qua habet beneficium. Hanc ſententiam ſatis probant ex pluribus Doctoribus ea, quæ afferunt Bonacina *ſup. p. 2. à n. 9.* Suarez *a n.* 5. Reginaldus *n.* 169. & ſatis ſuperque probabimus nos Tractatu ſequenti, & illā colligi ex Clem. 2. *de Celeb. Miſſar.* & S. Thoma *quodlib. art.* 8. docet Layman *tr. 1. c. 5. n. 3.*

6 Idem dicendum de Regulari, qui extra Monaſterium ſuum moratur, etiam ſi ſit in alia Provincia; poteſt enim celebrare, & recitare de Sanctis, quorum Reliquias inſignes illud habet, & de Feſtivitatibus illius v. g. Dedicatione ſuæ Eccleſiæ, & alijs: æquivalet enim eſſe alicuius monaſterij, & habere in aliqua Eccleſia beneficium.

7 Animadvertendum tamen eſt, hanc, & antecedentem concluſionem, intelligi debere de privata Celebratione Miſſæ, & Horarum recitatione; in publica enim, & intra Chorum tam ſæculares, quam Regulares ſe debent conformare Eccleſiæ, in qua commorantur per quodcumque temporis ſpatium; etiam ſi alibi, vel perpetuò commorentur, vel domicilium habeant. Hoc

in

indicant omnes Doctores, & hinc recte notat Leſius *l.2.c.37.n.74.* Caput. *De iis*, & caput *Placuit diſt.12.& 13.* præcipientia Clericis, ut ſe Metropolitanæ Eccleſiæ conforment; loqui de publico Officio, non depriuato. Ad quod etiam tenentur Clerici, qui nullum habent beneficium, ſed ad titulum patrimonij ſunt ordinati; immo & in priuata recitatione tenentur ſequi Romanum Breviarium, ut bene notat idem Leſius *nu.* 75. contra Navarrum *ca.25.nu.107.* & alios afferentes, quodvis Breviarium approbatum legere poſſe, & ſe ſe cuilibet Eccleſiæ conformare.

8 Verbis Layman ad hoc, & ad alia Singularia pro recitatione Horarum infra edenda hanc ſecundam, & primam concluſionem concludam: *Quia*, inquit, *conſuetudo, & obligatio diuini Officij in Choro capta eſt, ideoque ſemper aliquem Ordinem ad Chorum publicum retinet, ut tamen ſi Clerici Regulares, vel ſæculares á Choro Eccleſiæ ſuæ ſeu abſentes, ſeu omnino exempti ſint, tamen Officium priuatim recitare debent ſecundum morem Eccleſiæ, vel Ordinis, ad quem ipſi pertinent, ſeu in quo beneficiati ſunt, ſicuti bene annotauit Maior in 4. diſt. 12. q. 6. ad. 1.*

SINGVLARE XXV.

Quæ Regna, vel Provinciæ ſub nomine Hiſpaniæ comprehendantur, ut de Sanctis Hiſpaniæ Naturalibus celebrare valeant?

1 EA Regna, ſeu Provinciæ comprehenduntur in hac Bulla Gregorij XIII. concedentis, *Vnamquamque Hiſpaniæ Eccleſiam eorum Sanctorum officia propia celebrare poſſe, qui vel illius Diœceſis ſunt Naturales, vel eius Eccleſiæ, ſeu Diœceſis ſunt Patroni, ſeu notabiles Reliquiæ in ea Eccleſia, ſeu Diœceſi requieſcunt*; quæ apud Hiſtoriographos, & Coſmographos, aut Scriptores, Hiſpaniæ adſcribuntur. Et de hac ſic S. Iſidorus Hiſpalenſis Præſul *l.14. orig.c.4. in fine*: *Hiſpania habet Prouincias ſex, Tarraconenſem, Carthaginenſem, Luſitaniam, Gallæciam, Baticam, & transfretanam Regione Africæ Tingitaniam.* Onufrius Panuinus ſub Hadriano, Papa in hæc regna diviſa aſſerit: *Legionis, Caſtellæ antiquæ, & nouæ, Aragoniæ, Portugalliæ, Nauarræ, Granatæ, Valentiæ, Toleti, Gallæciæ, Algarbiorum, Murtiæ, Cordubæ.*

2 Hæc eadem Regna, ſeu Prouincias ſub Hiſpania comprehendi concors eſt Scriptorum ſenſus. Sic ex Sexto Aurelio, Victore, & Sexto Rufo apud Nonium *ſup.* ex Plinio *l.1.c.1.2.3.* Strabone *l.4.* Iuſtino *l.44.* Paulo Oroſio *l.1.c.2.* ac alijs antiquis Ioannes Laet in ſua Hiſpania *fol.12.* Ludovicus Nonius *c.2.* Abrahamus Ortelius *ſua geogra. phi. verb. Hiſpania.* Ioſephus de Alderete *Hiſp. antiq lib.1.* Mariana *lib.1.c.4.* Ambroſius de Morales de Hiſp. *to.1.* Florianus Ocampo *l.1.c.3* D. Maurus Caſtella Ferrer *hiſt. S. Iacobi l.1.c.15.* & omnes ferè Coſmographi, & Hiſtoriographi de Rebus Hiſpaniæ. Conſule noſtrum Andream Scotum *in ſua Hiſp.* & Dictionaria *verb. Hiſpania.*

3 Confirmatur hoc ex Bulla Cruciata, quæ conceditur Fidelibus in Hiſpaniarũ Regnis conſiſtentibus; ubi ſub Hiſpaniarum Regnis comprehendi præfatas Provincias Doctores conveniunt. Vide Trulench. *in Cruc.l.1.c.2.* Nec dubitari poteſt omnes harum Provinciarũ Eccleſias eſſe Hiſpaniæ, & Sanctos ad eas aliquo naturalitatis titulo ſpectare, & privilegia ſæcularia, & Eccleſiaſtica Hiſpanis cõceſſa, ad omnes has Provincias, & Regna extendi. Confirmatur 2. ex Concilijs in Hiſpania celebratis; inquibus Præſules harum Provinciarum ut Hiſpani adfuerunt. Sic videbis apud Loayſam *in Hiſp. concil.*

4 Hæc cum ita ſint, miror ſatis, quod Barboſa *de Paroch. c.10.n.15.& 16.* dicitur: *Dubitatum fuit*, inquit, *ab eadem S. Rituum Congregatione in una Viſen. an in Regno Portugalliæ recitari poſſit Officium de feſtis particulariter conceſſis, ut eſt feſtum Expectationis, & alia ſimilia, attento quod Regna ſunt diuerſa, quamvis ſub unius Regni poteſtate exiſtant. Eadem S. Congregatio negatiuè reſpondit ſub die II. Iunij 1605. cuius reſolutio ex eo procedit, quia conceſſio præſuponitur facta tantùm pro Regno Hiſpaniæ, ſi enim fuiſſet facta pro Regnis Hiſpaniarum in numero plurali, tunc crederem venire Regnum Luſitaniæ, ut tradit Nauarrus conſil.1.n,2. de decimis.*

5 Hæc ille, & ſalva pace tanti viri, de Congregationis decreto dubito, aut ſaltem de illius forma, aut verbis: cum ita manifeſtũ ſit Luſitaniam Hiſpaniæ, ſeu Regni Hiſpaniæ partem tertiam eſſe, ſeu Hiſpaniæ ulterioris Provinciam: & haberi, & nominari, ita ut indubium verti non poſſit. Sic omnes ſupra allati *n.2.* Plinius *l.3. cap.1. & l.4. c.42.* Strabo *l.3.* Boterus, & Thuanus *apud Ioan. de Laet ſup.56* & Ptolomeus *l.2.1.5.* Ac quoad Eccleſiaſtica eſſe Hiſpaniæ partem, aſſerunt Dexter *anno* 37. Bibar, & Càro *ibi:* Baronius *in Martyr.* 10. *Decembr.* Didacus Ximenez *vocab. Eccleſ. verb. Luſit.* Nonius *cap.29.* & quod maius eſt, hoc patet ex diviſione facta in Concilijs Hiſpaniæ. Nam in Concilio Lucenſi, tempore Suetiorum,

rum,& ſeptimo eorum Rege Theodomiro Principe, inter Metropoles Hiſpaniæ, *Bracharenſis,& Portugallenſis* aſſignantur,eiſque oppida Luſitaniæ ſubijciuntur

6 Item in codice Hiſpalenſi D. Laurentij apud Loayſam *not in Concil. infra* anno 962. Hæc diviſio invenitur facta à Conſtantino Imperatore, ſic: *Diuiſio Prouinciarum Hiſpaniæ,& earum Sedium: Prouincia Gallæciæ, Bracharæ Metropolis, Portucale, Conimbria,&c. Prouincia Luſitaniæ, Emerita Metropolis, Auela,&c.* & alias 4. numerat Provincias, Carthaginis, Gallæciæ, Bæticæ, Tarraconenſis. In C. M. S. litteris Gothicis Eccleſiæ Ovetenſis ſic: *Numerus ſedium Hiſpanienſium*; & aſſignat *Metropolim Toletum, Spalim, Meritam, Bracharem*: & his duabus ſubijcit Tarraconam, & Narbonam; ac addit, *Legionem,& Ouetum nulli Metropoli ſubiectas.* Et in diviſione Diæceſum Hiſpaniæ ab Vbamba facta, *Bracharenſi, & Emeritenſi* Metropolis ſubijciuntur omnes aliæ Sedes, & loca Luſitaniæ. 10

7 Vide omnia hæc apud Loayſam *in notis Concilij apud Lucum*, & in memoriam revoca quoties ad hæc uſque tempora de Hiſpaniæ Primatu Sedes Bracharenſis, & ſi fruſtra, contenderit. Recordari etiam poſſumus à Comoſgraphis, & Hiſtoriographis pluribus Extremaduram, vel magnam eius partem ſub Luſitania comprehendi, immo & Emeritam Prudentius apellat in Hymno: *Luſitanorum caput oppidorum.* Quis verò dubitet nunc, & olim Hiſpaniæ partem Extremaduram eſſe? Vide Nonium *cap.* 31.

8 Incongrua deinde Barboſæ diſtinctio *Regni*, & *Regnorum c. 6.* eſt, cum apud omnes linguæ latinæ eruditos, & utriuſque iuris Doctores idem ſit *Regnum Hiſpaniæ*, ac *Regna Hiſpaniarum*; Navarruſque immeritò pro hoc diſcrimine affertur, cum oppoſitum ex ipſo probetur: inquit enim ibi. *In partibus innumeris Hiſpaniæ, cuius pars eſt Portugallia, &c.* Præterea, quia in præfata Bulla Gregorij XIII. de Regnis Hiſpaniarum ſermo eſt in plurali: ſic ad initium: *Nonnulla, quæ ad Hiſpaniarum Regna prædicta duxerit, reformanda, &c.* ad medium: *Feſtiuitates ſequentes ſint in tota Hiſpania generales:* Totum omnes eius partes comprehendit, & ad finem: *In Miſſali Romano in Hiſpanis imprimendo.* Barbolam ipſum lege *depot. Epiſcop. p. 1. tit. 2. gloſſ. 11. n. 8.* & libi?; Luſitanos ſuos ſæpius Hiſpanos vocantem invenies.

9 Hinc aptè pro noſtra ſententia afferri poteſt quod ipſe Barboſa poſt dicta num. 2. affert: *Poſt maturam*, inquit, *conſiderationem ſæpe, & iterum cauſa propoſita fuit, in ſimili reſolutum per Rot. in Bracharen. fructuum 3. Decemb. 1627. coram R. P. D. Pirouano: nam cum ibi acerrimè diſputaretur, an Luſitania uti unum ex Hiſpaniarum Regnis gauderet generali illa conſuetudine Regnorum Hiſpaniæ, quod Heredes Beneficiorum ſuccedant in fructibus à ſolo ſeparatis, & nondum exactis, canonizata & firmata per eandem Rotam quoad Regna Caſtellæ, Nauarræ, Valentiæ, Aragoniæ, & Comitatus Cathaloniæ, ut in deciſionibus ibidem citatis; tandem affirmatiuè fuit reſponſum ex rationibus ibidem adductis.*

Igitur omnes Provinciæ, & Diæceſes, quæ tam in antiqua, quam in noua diviſione, quæ videri poteſt apud Loayſam, comprehenduntur ſub Hiſpaniæ ditione, & quarum Incolæ Hiſpani appellantur; & omnes Eccleſiæ, quæ ad Hiſpaniæ Eccleſias veluti ad Metropolitanam, vel Cathedralem ſedem ſpectant, ut Cathedralis Canarienſis ad Hiſpalenſem, & aliæ in Africis oris, ut Eccleſia de là Mamora, y Alarache, quæ ad Gaditanam; Eccleſiæ de Melilla, & Peñon, ad Malacitanam, & Eccleſia de Oran ad Toletanam ſpectantes, poſſunt recitare de Sanctis Naturalibus, cum Eccleſiæ Metropolitanæ, vel Cathedrali, ſeu Maiori inferiores Eccleſiæ, quoad fieri poſſit, ſe accomodare debeant, ut ex iure Canonico probat Rodulphus *de canon. obſeruat. prop. 7.* & Gloſſa *in c. de ijs diſt. 13.* & ſic ſtatutum fuit in Concilio Toletano, *ut omnes Epiſcopi eundem modum in Officijs ſeruent, qui in Eccleſia Metropolitana ſeruabatur.* 10

11 Nihilominus conſule praxim, & ſi illa non obſtat, hoc quod dixi ſemper ſervandũ eſt. At ſi de aliquibus dubium ſit, an Hiſpaniæ ſint loca, ſeu ad eam ſpectent, hęc etiam gaudere valent hoc privilegio recitandi de Sanctis Hiſpaniæ, & ſuæ Diæceſis, quia hoc ut potè Principis beneficium latiſſimè interpretandum eſt, & in dubio benigniori pars eſte ligenda. Pro alijs tam ſæcularibus, quia Eccleſiaſticis, & Regularibus privilegijs, aut legibus poterit hæc notitia, & doctrina deſervire.

12 Denique non pro Hiſpania ſolùm ſed pro omnibus etiam Inſularũ, & Indiarum locis, Hiſpaniæ Regi ſubiectis hoc privilegium recitandi de SS. Naturalibus, ſicut & omnia alia ad Miſſarum Celebrationem, & Horarum recitationem ſpectantia, conceſſa eſſe ſatis exprimitur in ipſa Gregorij XIII. Bulla *ad finem*, ubi *Hæc autem omnia, & ſingula Breuiarium, & Miſſale concernentia pro Hiſpaniarum Prouincijs, volumus ut intelligantur etiam conceſſa Eccleſijs Inſularum, & Terræ firmæ Indiarum dicto Regi Catholico ſubiectarum.* Quæ autem Inſulæ, & loca Indiarum hæc

ſint

sint Consule Trulench. in Cruc. l. 1. §. 1. dub. 1. & quæ diximus Tract. 2. Sing. 6. n 3. Existimo enim hæc privilegia concessa esse pro omnibus Regnis, & locis, pro quibus Bulla Cruciata.

SINGVLARE XXVI.

U. In Bætica celebrari possit de Sancto, aut Festivitate pro Regno Castellæ solùm concessa?

1 SANCTISSIMVM D.N. Vrbanum Papam VIII. Officium de B. Virginis Mariæ Nomine â Sixto V. & Gregorio XV. concessum *extendisse ad Toletanam Ciuitatem, ac Diœcesim, & ad Prouinciam Castellæ*, vivæ vocis oraculo facto Cardinalis Borgiæ, testatur Cardinalis Ludovicus, 7. Ianuarij 1623. & sic idem Sanctissimus indulto, quod incipit: *Domini nostri*, Romæ edito anno 1625. martij 27. ait: *Vt in Regnis vtriusque Castellæ à Presbyteris, & Clericis tam sæcularibus, quàm Regularibus eorũdem Regnorum Officium eiusdem S. Isidori, Agricolæ cum Octaua in festo eiusdem recitari liberè, & licitè possit, Apostolica authoritate tenore præsentium licentiam, & facultatem perpetuò concedimus, & impartimur.*

2 Igitur has, & similes Festivitates posse in utraque Bætica, tam superiori, quam inferiori, seu in eius Provincijs, aut Regnis, nempe Hispalensi, Granatensi, Cordubensi, Giennensi, sicut & in Diœcesibus Malacitana, Gaditana, Guadixensi, Almeriensi, & alijs sub his Regnis contentis, probabile existimo, eo quod ex vulgari loquendi usu, *Castella* omnes has Provincias complectitur; earum Reges, *Reges Castellæ*, ab Historiographis nominãtur, ut videre licet apud Ioanẽm Laet, Marianam, Moralẽs, & alios: illarum Incolæ *Castellani*, earumque *lingua, Castellana*, ut notat sæpius Alderete *lib. 6. de ling. Cast.* Hæc enim propria est utriusque Bæticæ; non tamen ita propria Regnorum Gallæciæ, Navarræ, Vizcaiæ, & præcipuè Lusitaniæ. Hinc etiam Scriptores de Nobilitate Bæticæ, ut Argote de Molina, de Nobilibus Castellæ domibus, & styrpibus agunt: Lusitani etiam scribentes de Vniona Lusitaniæ cum Bæticæ, & aliarum Provinciarum Regnis, *Vnionem* illam vocant *cum Castella*, vel cum Castellæ Corona, aut Regno; denique si consulas D. Isidorum, & alios Singul. antèc. n. 1. & 2. invenies, inter Provincias Hispaniæ Castellam non assignare, eo quod assignent Bæticam: ergo Bætica sub nomine Castellæ comprehenditur.

3 Et ut ad Ecclesiastica magis accedamus, animadverte, quod S. Rituũ Congregatio, cum Regna Hispaniæ nominat, Bæticam relinquens, Castellam exprimit, ut pote sub hac illam comprehendens. Sic Gregorius XIII. ita indulto ad calcem de Officijs SS. Hispanorum appenso, ait: *Quoniam in Regno Castellæ in pluribus Ecclesijs celebratur die 30. Decembris Translatio S. Iacobi Apostoli Hispaniarum Patroni, &c. Quodie in eo Regno celebratur supradicta festiuitas S. Iacobi, &c.* At non solùm in Diœcesibus Castellæ novæ, & veteris; sed in pluribus Bæticæ, & aliarum Diœcesum locis celebratã esse, & modò celebrari hãc Translationem, patet ex antiquis, & novis harum Provinciarum Breviarijs, & Codicibus. Codiculus novus legatur, & in eo reperietur, quod hæc Festivitas in Toletana, Hispalẽsi, Burgensi, Ovetẽsi, Cordubensi; Placentina, Giennensi, Seguntina, Asturiensi, Migdonensi celebratur. Ecce ergo Provinciæ hæ pro Regno Castellę, sub eiusque nomine censentur. Et me vidisse testor antiqua Breviaria, in quibus S. Martyr Hermenegildus, Bæticæ tantùm, seu Hispalis Rex, Castellæ Rex cognominatur.

4 Similiter Ildephonsus Perez de Lara *in lib. Trium gratiarum §. Los Reynos fol.* 113. hispanè ait: *Los Reynos, y Prouincias de su Magestad, en que se predica la Bula de la Santa Cruzada: En los Reynos de Castilla, y Leon con las Islas de Canaria: en el Reyno de Aragon, en el Reyno de Nauarra, &c.* eadem repetit Trulench. *l. 1. in Cruc. §. 1. dub. 1. n. 3.* & neuter Bæticam nominat, eam sub Castellæ regno cõprehendens; sicut & ipsam leges Castellę comprehendunt, & in Bætica obligant, & obseruantur. Tandem in codice pro recitatione, Matriti impresso anno 1636. & in alijs similibus, ubi post Kalendarium generale est hic titulus: *Sancti, quorum Officia, & Missæ ubique in Regnis Castellæ ad libitum celebrari possunt*, assignatur S. Isidorus Agicola cum Octava, & ibi ponuntur aliqui Sancti, qui in tota Bætica celebrantur. Et hæc est sententia virorum sapientium ex nostra Societate, quos consulvi.

5 Si roges, quænam Provinciæ, seu Diœceses comprehendantur sub Castellæ nomine iuxta hanc latam interpretationem; Respondeo, in primis eas omnes comprehendi, quæ in communi acceptione Nova, & Vetus Castella nominantur, scilicet Toletana, Conchensis, Placẽntina, Abulensis; Oxomensis, Ciuitatensis, Caurensis, Pacensis, Asturiensis, Zamorensis, Burgensis, Vallisoletana, Segouiensis, Calagurritana, Seguntina, Ouetensis, Zamorensis, Legionensis.

nenſis, Carthaginẽſis, Conchenſis, & ſi quę ſunt aliæ ad Regna Toleti, Burgorum, & Legionis ſpectantes, & in Eſtremadura exiſtentes. Deinde comprehenduntur omnes ſub Hiſpalenſi, Cordubenſi, Granatenſi, & Giennenſi Regnis comprehenſæ. Deniſque in Gallæcia, Montaniſque Aſturicenſium ſunt, Compoſtellana, Migdonienſis, Lucenſis.

SINGVLARE XXVII.

Quo modo Hiſpaniæ Eccleſiæ, & aliæ celebrare poſſint de Sanctis, quorum Reliquias habent, & V. poſſint, & ſi hi Sancti Beatificati ſint tantùm.

1 CONCESSIT, ut Singulari 9. n. 2. vidimus, Gregorius XIII. quod ſingulæ Hiſpaniæ Eccleſiæ celebrare poſſint cum Officio, & Miſſa *de Sanctis, quorum corpora, ſeu notabiles Reliquiæ in ea Eccleſia, ſeu Diœceſi requieſcunt*, & hæc eſt vetuſta Eccleſiæ conſuetudo. Sic enim in Concilio Africano *in cap. Placuit. 1. de conſec. diſt. 1.* dicitur: *Nulla memoria Martyrum probabiliter accipiatur, niſi aut ubi Corpus, & Reliquiæ certæ ſunt; aut ubi origo alicuius habitationis, poſſeſſionis, vel paſſionis tradatur.* Idem in Moguntino *c.* 36. & S. Ambroſius *ſer.* 77. *Cuncti Martyres deuotiſſimè percolendi, ſed ſpecialiter ij venerandi ſunt à nobis, quorum Reliquias poſſidemus.*

2 Sed nonnulla obſervanda ſunt circa praxim huius privilegij, & celebrationis. Primum; ſolùm in Eccleſia Parochiali, vel Regulari, ubi Reliquia requieſcit, celebrari poſſe de Sancto, cuius ipſa eſt, non verò in tota Diœceſi, nec civitate, aut oppido, etiam ſi Eccleſia apud quam eſt Reliquia, Matrix ſit. Sic decrevit ſacra Rituum Congregatio annuente Sanctiſſimo P. N. Vrbano VIII. die 8. Aprilis 1628. decretique verba ſunt: *Inſuper, vetuit, & prohibuit celebrari per totam Ciuitatem, vel Diœceſim, etiam de cuiuſque Ordinarij auctoritate, Miſſam, vel feſtum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis, vel Regularis, aut Abbatialis, aut aliqua Reliquia, ſed tantùm in ipſius Sancti Eccleſia Titulari, ſeu ubi aſſeruatur inſignis Reliquia, ſed non alibi*: Affertur hoc in novo SS. P. N. Vrbani VIII. Breviario, & â Gavanto in *Rub. Brevi. ſect. 3. c. 3. n. 5.* ac meminere Barboſa *de Offic. Parochi. c. 10. n. 17.* & Novarius in lucerna *v. Offic. n. 7.* qui pro hoc affert decreta Congreg. dat. 23. Iunij 1617. 24. ſept. 1605. & 25. Novemb. 1602.

3 Hinc colliges 1. Si Reliquia ſit in Eccleſia Cathedrali, ſeu Matrice nõ poſſe omnes civitatis aut Diœceſis Clericos vel Sacerdotes in quibuſlibet Eccleſijs aut locis, celebrare, & recitare de Sãcto, cuius eſt illa Reliquia, & ſi omnes ſint de gremio Matricis. Ita in praxi; nã in Primate Hiſpanię Toletana Eccleſia ſunt Reliquię ac de Sãctis, quorum ſunt, ſola Eccleſia Cathedralis Officium celebrat. Immo hoc ita obſervãdum declaravit S. Rituum Cong. in Calagurr. 1. Sept. 1612. & urbis theati 3. Iunij. 1617. & in Cochẽnſi 12. Mar. 1618.

4 Secus verò uſus obtinuit Hiſpali, ubi, & in alijs civitatibus; ac per totam Diœceſim Hiſpalenſem celebratur ſub duplici ritu de S. Seruando, quia eius corpus in Eccleſia Cathedrali requieſcit, & in eadem de undecim mille Virginibus propter inſignes illarũ Reliquias. Non ita fit, ſi Reliquia ſit in Eccleſia Collegiata, vel Maiori, aut maxima alicuius civitatis, aut oppidi; ſolũ enim Clerici illi Eccleſiæ adſcripti, vel in ea capellaniam, aut domicilĩ habentes recitãt, & celebrant de Sancto, cuius Reliquia ſervatur in ea Eccleſia Collegiata aut Maiori.

5 Obſervandum eſt 2. Non quamlibet Reliquiam ſufficere, ut de Sancto recitetur, ſed debere eſſe inſignem; quod ſic exponit Gregorius XIII. in Bulla relata. *Item concedimus, quod qualibet Eccleſia, & Monaſterium, Hiſpaniæ habens aliquas Reliquias inſignes, puta caput, brachium, vel crus alicuius Sancti etiam alienigenæ non exiſtentis in Breuiario, &c.*

6 *De Sancto verò*, inquit Barboſa ſup. n. 20. *cuius Reliquia non inſignis habetur, ſi concedatur Offi ium, debet eſſe ſemiduplex, vel prout recitatur in Breviario Romano, ad differentiam inſignis Reliquiæ, eadem ſacra Rituum Congregatio in una Calarat. & in alia viterbien. ſub die 1. Sept. 1612.* Eadem habet Novarius *ſup. n. 8.* Vtrum autem hæc declaratio ſupponat poſſe recitari de Sancto, cuius Reliquia non inſignis habetur, ignoro, ſi verò aſſerat poſſe peti à Põtifice facultatem faciendi Officium; aut ad recitandum de illo, libẽter annuo, & quod tũc ſi cõcedatur, ſolùm erit ſub ſemiduplici ritu, ut notat Gavantus *in Breui. ſect. 3. c. 3. n. 3.*

7 Sed in hoc animadvertendum etiam eſt, non ſolùm in Hiſpania, ſed etiam extrà illam poſſe de Sanctis, cuius inſignis habetur Reliquia, ſub ritu etiam duplici celebrari. Sic Novarius *ſup.* & Gavantus *ſect. 1. c. 5. tit. 2. n. 8.* ubi aiunt hoc conceſſum eſſe à ſacra Rituum Congregatione 23. Novembris 1602. Vide Sing. 9. num. 1. Itẽque Gavantus *in Rub. Miſſal. 1. p. tit. 11. litt. H.* docet, quod eo ipſo quod in aliqua Eccleſia ſit inſignis Reliquia, & de Sancto fiat Officium

duplex, dicendum est *Credo*; etiam si integrum corpus non habeatur, & est Missalis de hoc expressa Rubrica, atque Gavantus, & Novarius ex Congregationis decretis duplici Officio hos Sanctos celebrandos adstruunt.

8 De Sancto Canonizato, cuius Reliquia habetur, si sit in Martyrologio Romano, licèt non sit in Kalendario; non est dubiũ, quod celebrari possit; sicut etiam non dubito de eo posse celebrari, qui licet in Martyrologio Romano non sit, per communem tamen Ecclesiæ consensum, vel per immemorabile tempus, cum scientia, & tolerantia Sedis Apostolicæ, cum Missa de eo solet celebrari, sicut dicebamus, Sing. 3. & 4. Et dici potest huius memoriam in Martyrologio existere, ut requiritur ad eius celebrationem à S. Ritum Congregatione 23. Novembris 1602. & ita testatur Gavantus *in Breu. sect.* 1. *n.* 5. *tit.* 2. exitit enim generaliter, & confusè sub illis verbis, quæ in fine cuiuslibet diei semper adduntur, *Et alibi aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum, & Confessorum, atque Sanctarum Virginum.*

9 Beatificatum verò, si eius Reliquiam possidet aliqua Ecclesia, poterit hæc colere cum Missa, & Officio, dummodò adsit Pontificia facultas, ut de ipso apud aliquam Provinciam, aut Religionem, aut ab aliquibus singularibus personis celebretur: secus verò non, iuxta ea, quæ diximus Singul. 5. a n. 2. Nam cum Beatificati Reliquias, sicut & Canonizati posse approbari ab Episcopo, indubitatũ sit ex ijs, quæ Doctores tradunt, Suarius *tom.* 1. *in* 3. *p. disp.* 55. *sect.* 2. Azorius *tom.* 1 *l.* 9. *c.* 8. Barbosa *de Episcop. p.* 3. *alleg.* 97 *n.* 10. & alij; ac ex alio capite concedatur facultas, ut de Sãcto, cuius Reliquia approbata habetur, celebretur; â Pontifice que hic Beatus celebratione hac dignus sit iudicatus; concessa est enim hæc aliquibus; â fortiori Ecclesiæ, in qua eius Reliquia servatur; concedetur, seu concessa censenda est.

10 Quod approbata debeat esse Reliquia, ut de Sancto celebretur; non est dubium, & statuitur à Sacra Rituum Congregatione die 3. Iunij 1617. & 8. Aprilis 1628. Porro de certitudine requisita in approbandis his Reliquijs plura Doctores docuerunt; moralem verò sufficere deductam ex probabilibus argumentis, non autem esse necessariã evidentem, & infalibiliter concludentem communis est omnium consensus. Vide quæ Ambrosius de Morales 2. *p. hist. Hisp. l.* 17. *c.* 5. Magister Franciscus Rus, & noster Bernardinus de Villegas pro Sãctis Gienenensis Diœcesis, & pro Reliquijs Sancti Montis Ilipilutani, seu Granatẽsis Doctor Gregorius Lopez, Madera, & alij scripsere. Nec ut in una Diœcesi; v.g. Hispalensi, Reliquiæ colantur, & de Sancto cuius eæ sunt, celebretur, necessum est ab Episcopo Hispalensi approbari, sed à quocumque Orbis Episcopo sufficit: solum enim approbatio requiritur; sive ab hoc, sive ab illo Antistite fiat; debet tamen constare Episcopo Diœcesis approbatas esse ad in hùc finem; & licèt non possit Reliquiæ semel approbatæ veritatem examinare, potest tamen, & debet testimonia approbationis recognoscere, ut permittat ei publicum cultum. Vide Sanchez *in decalog.* lib. 2. c. 43.

11 Præterea, vigore Tridentini *sess.* 25. *de Reliq. & venerat. SS.* potest quilibet Episcopus, etiam extra propriam Diœcesim, & absque Episcopi Diœcesis licentia Reliquias suæ Diœcesis approbare, & honorandas proponere, cum hæc non sit iurisdictio contẽtiosa, sed voluntaria. Ita Barbosa *sup. n.* 14. & Diana 2. *p. tract.* 15. *resol.* 51 Adde his, multo minorem certitudinem requiri, ut Reliquia, quæ constat esse alicuius Sancti, credatur esse talis Sancti, v.g. D. Antonij, & ut Sancti Naturalis civitatis credatur esse; ac celebretur; quàm ut Reliquia absolutè approbetur, pro vera alicuius, vel talis Sancti Reliquia; in hoc enim periculum adesse poterit turpis erroris; non verò in illo, cum nihil referat ad ipsius cultum, quod sit huius, vel illius Sancti, si veré alicuius est, multum verò referat, quod verè sit, vel non sit alicuius Sancti.

SINGVLARE XXVIII.

Animadversiones pro celebratione Sanctorum, quorum Reliquiæ in aliqua Ecclesia possidentur?

1 PRIMA animadversio: Cum in Ecclesia Matrice, Cathedrali, vel Metropolitana est Reliquia insignis, magis consonum videtur Sacræ Rituum Congregationis decreto sup. n. 2. allato, ut solùm Canonici, & alij Clerici Matrici adscripti (nec non adscripti, vel capellaniam habentes in capellis, seu Ecclesijs ipsi Matrici immediatè subiectis; ut Hispali sunt Ecclesiæ S. Bernardi, S. Rochi, S. Crucis, & S. Mariæ la Blanca) celebrent, & recitent de Sãcto, cuius Reliquia insignis habetur; sic enim celebratur *ubi asseruatur insignis Reliquia, & non alibi*, ut ait sacra Congregatio. Sic aliquæ Hispaniæ Ecclesiæ hoc exequuntur, sic S. Ecclesia Toletana

tãna de S. Sotero intra Matricem tantùm ſub ritu duplici celebrat ob eius corp⁹ in ea ſervatum. & extra eam fit de eo, ut in Kalendario Compoſtellana, etiam; & aliæ de alijs Sanctis, quorum Reliquijs gaudent ita celebrant. Vide quæ de hoc dicta ſunt Singulari antecedenti.

2 Quod ſi in tota aliqua civitate de aliquo Sancto celebratur, quia in eius Cathedrali Reliquia exiſtit, immo ſi in aliquibus Diœceſibus per omnes Eccleſias celebratur de Sancto, cuius Reliquia exiſtit in Matrice, ut in Hiſpalenſi de S. Servando, de S. Vrſula, & undecim mille Virginibus; excuſare forſan poteſt recepta per longiſſimum tempus conſuetudo ubi hæc invalverit, ex eo quod Eccleſiæ omnes unius Diœceſis ſunt veluti de grẽmio Matricis; decetq; ut dicitur c. De ijs diſt. 13. *ut Metropolitanæ Sedis auctoritate coacti unuſcuiuſque Prouinciæ cines, Rectoreſque Eccleſiarum, unum, eundemque in pſallendo teneant modum, quem in Metropolitana ſede cognouerint inſtitutum.*

3 Secundo animadvertò, quod cum de Sancto, cuius Reliquia inſignis habetur, celebratur in Kalendario cum alijs Socijs ſub ritu ſimplici, v.g. ſi Reliquia ſit S. Baſilidis, de quo ibi cum SS. Cyrino Nabore, & Nazario 12. Iunij celebratur; de his tribus Socijs ſolùm commemoratio fiat; & ſub duplici de S. Baſilide recitetur, & celebretur. Si verò de omnibus ſub ſemiduplici ritu celebratur, transferantur in diem, non impeditum. Socius, vel Soci, & de illo, cuius eſt Reliquia, celebretur. Sic in Toletana Eccleſia de S. Sotero PP. & M. cuius ibi corpus ſervatur, fit integrum Officium, & eius ſocius S. Caius PP. & M. transfertur. Si verò plures eodem die ſunt in Kalendario ſub duplici communi, & unius horum ſit ſolùm Reliquia, vel alterius in Martyrologio exiſtentis, eo die concurrentis, (quod idem eſt,) de hoc celebrandum eſt, ut pote digniori, & alij transferendi. Sic expreſsè Gregorius XIII. in Bulla pro SS. Hiſpaniæ relata, ubi poſtquam dixit Officium duplex Sancto, cuius Reliquia habetur, concedendum, addit: *De alio Sancto eodem die occurrenti ſi fuerit ſimplex, fiat commemoratio: ſi verò fuerit duplex, vel ſemiduplex transferatur in primam diem ſimili feſto non impeditam.*

4 Si verò Sanctus ſit ſine Socio in Kalendario ſub ritu duplici communi, ad duplex primæ, vel ſecundæ Claſſis, euehendus eſt. Sic de S. Fabiano, & Sebaſtiano, ſub ritu ſecundæ Claſſis, & de feſto Sãctiſſimæ Crucis, & Coronæ domini, quaſi de feſto primę in Hiſpalenſi Eccleſia ob Reliquias inſignes celebratur. Si verò nec Sãctus, cuius eſt Reliquia, nec eius Socij ſint in Kalendario, ſed ſolùm in Martyrologio; hi omnino omitendi, nec commemoratio de ijs fiet ſed ſolùm ſub duplici de illo, cuius eſt Reliquia, celebrabitur. Nihilominus in aliquibus Eccleſijs hæc non ita ſtrictè obſervantur: unde ſimul, & ſub eodem ritu celebratur de Socijs, & de eo, cuius eſt Reliquia. Ita Hiſpali de S. Servando, & Germano, & de S. Fabiano, & Sebaſtiano, & de S. Vrſula, & undecim mille Virginibus fiunt Officia, & tamen ſolùm horum Virginum duo, aut tria Capita, S. Servandi Corpus, S. Sebaſtiani Brachium in Matrice ſervantur. Hic verò uſus tam ex antiqua conſuetudine, quam ex magna interdum horum Martyrum in vita, morte, & martyrio cõiunctione, dimanaſſe creditur, vel quia Socio rũ nomina incognita, aut cuius illorum ſit Reliquia neſcitur, ut contingit in S. Vrſulæ, & Mauritij ſocijs. Vide hac de re Novarium. *v. affic. n.* 21. & Gavantum *ſect.* 31. *in Breuiar. c.* 10. Nec omittendum eſt, quod idem aſſerit, nimirum quod ſi Socius alicuius Patroni, vel Titularis omittitur, cum de omnibus ſimũl, ut de duplici communi foret agendum, de hoc omiſſo ſolũ ſub ritu ſemiduplici fiat alio die; eſt enim hæc doctrina expreſſa Breviarij regula poſt tabellam occurrentium verſu penultimo poſita.

5 Tertio noto: Commorantes extra ſuam civitatem, inqua, ſcilicet, ex profeſſo morãtur, vel habent beneficium, ſeu ad quam aliquo titulo pertinent, poſſunt celebrare ubicumque reperiãtur, de Sanctis, quorum Reliquias ipſorum Eccleſiæ, vel Monaſteria, ſi Regulares ſint, poſſidẽt: & ex adverſo Peregrini, & Advenæ celebrãtes in Eccleſia, eo die, quo de aliquo Sancto ob inſignẽ Reliquiã celebratur, poſſunt & ipſi de ipſo celebrare; etiã ſi ſint Clerici ſæculares; & in Regulari Eccleſia ſit Reliquia, vel è contra, vel etiam ſi diverſarum Nationum, Regnorum, Prouinciarum, & Religionum ſint. Cum enim hoc privilegium ſit cõceſſum illi Eccleſiæ ob Reliquiam, quam habet, in illa celebrantes eo frui poterũt; ſicut poterant hi celebrare de Patrono, Titulari, vel Dedicatione eius Eccleſiæ, ſi in ea celebrarent in proprijs his feſtivitatibus. Horum probatio patet ex Singul. 24. & 21. & ex Tractatu 8. patebit.

6 Quarto: ut de Sancto, cuius eſt Reliquia, celebretur, non eſt neceſſe, ut ipſa manifeſta in Eccleſiæ altari omnibus pateat, ſed ſufficit quod in ea, vel in aliquo Monaſterij loco ſervetur: ſolùm enim exigi-

tur in Bulla, quod Eccleſia, vel Monaſterium habeat Reliquias; non verò ſufficit habuiſſe aliquando, licet fruſtum aliquod, ſeu non inſignis Reliquia ex inſigni antecedente perſeveret. Quia *priuilegium ceſſat ceſſante cauſa conceſſionis*, ut *ex l. Nihil interſt, ff. de nautico fœnore*, & ex pluribus Doctoribus probant Sanchez *l.8. decmat. d.30 n.16.* Bonacina *de priuileg. §.8. §.2. n.4.* & Azor *l.1. c. 22. q. 14.* cauſa autem non fuit alia, quam inſignis Reliquia. Benè tamen ex pluribus fruſtis, ſeu non inſignibus Reliquijs eiuſdem Sancti una inſignis, ob quam celebrare de illo liceat, forſan coaleſcere poteſt.

7 Si Reliquia ſit, vel Chriſti Domini, vel B. Virginis, vel eminentiſſimi Sancti, non ita magna pars, aut quantitas requiretur, ut ſit inſignis, ac ſi fuiſſet alterius non ita eximij Sancti. Talis reputabitur unica Coronæ Spina; Crucis non valde magnum fruſtum; aliquot B. Virginis Capilli; S. Ioannis Baptiſtæ, vel S. Petri, S. Annæ, & aliorum inſignium v.g. Apoſtolorum, & Evangeliſtarum oſſa ad palmum, vel quid equivalens; licét integrum Crus, Brachium, aut Caput non ſint: tunc enim defectus quantitatis ab exceſſu qualitatis ſuppletur. Hoç videtur non improbabile.

8 Quinto, Gavantus *in Miſſal. p.2. tit.2. lit. A.* & exipſo Vander. *comp. p.2. n.7.* aiunt: *Quod ſi Sacerdos tranſeat ante altare, in quo ſit expoſita ſolemniter Reliquia inſignis Sancti, de quo ſit feſtum ibidem; conuenit, ut apertum caput inclinet ibi profundè; in aliis Reliquiarum expoſitarum caſibus, habeatur ratio altaris tantùm*, advertitque Gavantus, non peti flexione in genuum, ſed profundâ inclinationem, videlicet capitis, cum demiſſione corporis, & ibidem poſci genu utroq; flexionem, cum Sacerdos iacris indutus tranſit ad altare, & in alio Hoſtia elevatur; tunc enim uſque ad Calicis depoſitionem debet genibus flexis perſeverare. *Vnico vero genu*, ait: *adorabit; ſi accedens ad altare, in Maiori ſit expoſitum Sanctiſſimum Sacramentum, vel ſi aduertat in altaribus minoribus eſſe poſt conſecrationem.*

SINGVLARE XXIX.

An, ſi in Cathedrali, vel in alia eiuſdem urbis Eccleſia duæ inſignes extent Reliquiæ Sanctorum, qui eodem die ſimul Simplici ritu in Breviario celebrantur, poſſint in diverſis celebrari diebus?

1 EXEMPLVM, & reſolutio ſit: In Cathedrali Hiſpalenſi extat Caput unius ex undecim mille virginibus, quæ cum S. Vrſula Martyrium paſſæ ſunt, aliud item caput alterius ex his SS. Virginibus cuſtoditur in Eccleſia domus profeſſæ Societatis Ieſu, eiuſdem urbis: Die igitur Natali harum omnium SS. Virginum, & Martyrum, 21. Octobris celebrabitur in Cathedrali, ac ex cõſuetudine vetuſtiſſima in alijs Eccleſijs, Sæcularibus, & Regularibus, immo & per totam diæceſim, Officium duplex ſecundæ Claſſis unius, ſeu illius Virginis, & M. cuius eſt caput, quod Cathedralis poſſidet, cum commemoratione S. Hylarionis, nec non S. Vrſulæ, & aliarum Sociarum: in noſtra verò domo profeſſa celebrabitur eadem die feſtum, etiam duplex ſecundæ Claſſis, illius Virginis, cuius caput in ea ſervatur, cum commemoratione S. Hylarionis, & aliarum, excepta ea Virgine, cuius eſt caput, quod in Cathedrali colitur: huius enim feſtum, ut potè minus dignum reſpectu Eccleſiæ noſtræ, quç propriam poſſidet Reliquiam, videtur transferendum ad primũ diem non impeditum Officio novem lectionum; [ſicut transferri debebat, ſi occurreret cum feſto Titularis Eccleſiæ, vel Religionis Patroni] ſicque tranſlatum celebrabitur abſque commemoratione S. Hylarionis, & aliarum Virg. cũ hæc iam facta ſit in proprio harum die. Ita etiam videtur ſi in aliqua Eccleſia Collegiata, vel Abbatiali, vel Parochiali eſſet aliud caput alicuius ex his virginibus, quod Clerici illi Eccleſiæ adſtricti de hac feſtum prius celebrabunt, & poſtea de illa, quæ in Matrice colitur.

2 Ratio videtur eſſe, quia cum conceſſum ſit a Gregorio XIII. *Vt unaquæque Hiſpaniæ Eccleſia, vel Monaſterium ſub ritu duplici celebrare poſſit Sanctum, cuius inſignem Reliquiam habet*; cum Hiſpali, eiuſque in Diæceſi celebratur ea Santa virgo, & Martyr, cuius caput eſt in Cathedrali, fitque Officium duplex de una Virgine, & Martyre tantùm & commemoratio aliarum; in domo profeſſa celebrari poteſt, & debet eàdem die, ſub ritu duplici, non de prædicta. V. & M. quæ eſt in Cathedrali, ſed de ea, cuius caput poſſidet: cum ob poſſeſſionis titulum dignior ſit reſpectu ſuæ Eccleſiæ, quam ea, quç in Cathedrali aſſervatur.

3 Et ſi ita non celebretur, ſine debita duplicis ritus celebratione manebit, defraudabunturque immeritò, tam hæc S. Virgo, quam domus profeſſa, iure, quod habent, hæc ut illam celebret, illa, ut ab hac ritu duplici celebretur. Ac ſimiliter, ſi S. Virgo, cuius caput eſt in Cathedrali, tranſlata non celebretur in domo profeſſa; hęc activa

cele-

celebratione, illa passiva immeritò spoliabũtur, *Et iure suo nemo abs{s}, culpa privandus est*: ut statuitur *l. Crimen. ff. de panis. l. Sancimus C. eodem tit. Cap. 2. ad finem, de his quæ fiunt, &c. Cap. 2. in princ. de Constit. Cap. non debet. dereg. iur. lib. 6.*

4 Sed dices, potius videri dicendum, quod ipso Natali harum Virginum die 21. Octobris, hę duę Sãctę Virgines, & Martyres, qũarum sũnt prędicta capita, simul celebrentur in domo professa cum Officio duplici maiori de his duabus Virginibus, & M. cum commemoratione aliarum. Respondeo, minimè ita satisfieri; cum ius omnino distinctum, & adęquatũ sit, quod habet domus professa celebrandi festum illius S. Virginis, & M. cuius caput est in Matrice, ac quod habet celebrandi festum illius V. & M. cuius caput possidet, penitusque independens sit hoc ab illo, cum a diversis, & adęquatis causis, aut titulis proveniat; à Reliquijs, scilicet, quarum quęlibet insignis est, distinctę Sãctę Virginis, & à diversis Ecclesijs possessa; & ita quęlibet singillatim diversum festum celebrare potest: & nec potestas est alicui ex duplici festo integro unum efformare.

5 Consonat his verbum, quo utitur Gregorius XIII. in hac concessione dicens: *Vnamquamque Hispaniæ Ecclesiam, vel Monasterium celebrare posse Sanctos, quorum insignes Reliquias possidet*; Nam vox, *Vnaquæque*; quę idem est, ac *Quæcumque*, est distributiva, & *attribuit rem cuilibet in solidum*, ut docent Tiraquellus *de retract leg. §. 31. glos. 1. n. 12.* Cenedus *pract. q. Sing. 85. n. 6.* Barbosa *de dict. ha. n. 9.* & Tulcus *to. 2. lit. D. concl. 269. n. 12.*

6 Neque obstat, quod in eadem die utraq; Virgo concurrat, & in Breviario celebretur: nõ enim ideò illæ uniuntur moraliter quoad celebrationem. Nec ullus dubitabit, duobus diversis diebus, ac solemnitatibus celebrandum fore in domo professa S. Hylarionem, si in ea insignis esset eius Reliquia, & S. V. & M. ex undecim mille, cuius caput habet Cathedralis: ergo non obstat, quod eadem die concurrant, ut in diversis diebus celebrandę sint duę illę SS. Virgines, & Martyres, quod contingit in omnibus festis translatis, quę cum alijs eodem die concurrunt, & ab illo ob impedimentum ad alium non impeditum transferuntur.

SINGVLARE XXX.

Quid in prædictis observandum, si Sancti, quorum Reliquiæ possidentur semiduplici, vel duplici ritu simul celebrentur; & Quid si illæ sint eiusdem Sancti?

1 IDEM quod in Singulari antecedenti, dicendum est de celebratione aliorum Sanctorum, qui simul, & eodem die sub ritu semiduplici in Breviario celebrantur. Exemplum sint S.S. M. & P. Cornelius, & Cyprianus quibus ritus semiduplex assignatur 16. Septembris, cum commemoratione. S. Euphemię, Lucię, & Geminiani. Si Cathedralis habeat Reliquiam insignem S. Cornelij, & Parochialis, aut Regularis S. Cypriani, hęc ritu duplici cum commemoratione. SS. Euphemię, Luciæ, & Geminiani (translato S. Cornelio) S. Cyprianum celebrabit illo ipso Natalis sui die, quo illa S. Cornelium cum eadem commemoratione, translato S. Cypriano. Et cum SS. hi translati celebrentur, nulla fiet commemoratio prædictorum SS. iam enim facta est.

2 S. verò Reliquia esset alicuius ex his SS. Simplicibus, v.g S. Euphemiæ, hæc, translatis SS. Cypriano, & Cornelio, ritu duplici celebrabitur cum commemoratione SS. Luciæ & Geminiani, iuxta dicta supra, expręsłaque in codice Matriti pro Recitandi ordine edito; cuvis in fine hæc habentur: *Si adsit in aliqua Ecclesia alicuius ex Socijs Virginum S. Vrsulæ caput, aut insignis Reliquia, & nomen ignoretur, fiat de ea Officium duplici ritu cum Credo, supposita oratione de Communi in Singulari, tacito illius nomine (quod fit in S. Calixto, & alijs) & fiat commem. oratio S. Hylarionis, & SS. Vrsulæ, & sociarum.* Hæc ibi.

3 Enim verò si in Matrice, & in Parrochiali, aut Regulari sint duæ Reliquiæ Sanctorum, quibus in eodem die ritus duplex in Breviario assignatur, ut S. Sebastiani in una, & S. Fabiani in altera, idem observandum erit, ac si semiduplex assignaretur iuxta dicta Singulari 28. Idem etiam proportione servata fieri debet, cum Sancti celebrantur alijs ex titulis, v.g. quia Naturales, quia Patroni Diœcesis, vel loci, quia Titulares Ecclesiæ, vel quia Religiosi alicuius Ordinis. Animadvertere autem oportet, quoad præsens institutum, eandem rationem habendam Ecclesiæ Collegiatæ, ac si esset Parrochialis, vel Regularis.

4 Sed difficultas est, si sint duæ insignes Reliquiæ eiusdem Sancti: v.g. in Cathedrali Brachium dextrum S. Sebastiani, & in Parochiali, aut Regulari Caput, vel Brachium sinistrum eiusdem Sancti; an diversis diebus celebrandi sint; cumquæ-

liter

libet Reliquia ex his ius habeat suum, ut celebretur in propria Ecclesia, & cum celebratur in Cathedrali ob Brachium dextrum, non ob sinistrum, vel Caput, quod est in Parochiali eiusdem urbis.

5 Sed non posse tunc diversis diebus celebrari Sanctum illum in diversis Ecclesijs, insignes eius Reliquias possidentibus, existimo: cum intentio Pontificis ad concedendam hanc Reliquiarum celebrationem, seu potius venerationem, non tendat directè, immediatè, ac principaliter in ipsas Reliquias, sed in Sanctum, cuius eæ sunt, in quantum ob earum possessionem Ecclesia illa singularem; ac sublimiorem ei cultum præstare debet. Hinc Gregorius XIII. non dixit, Ecclesiam celebrare posse Reliquias, quas possidet, sed *Vnamquamque Hispaniæ Ecclesiam eorum Sanctorum Officia propria celebrare posse, quorum Corpora, seu notabiles Reliquiæ in ea requiescunt.*

6 Præterea, quia exorbitat omnino ab Ecclesiastica consuetudine, eundem Sanctum bis in eadem Ecclesia, seu bis intra eundem annum celebrari, præsertim ratione eiusdem tituli. Immo semel tantùm celebrari solet, etiam si respectu illius Ecclesiæ plures titulos ita adæquatos habeat, ut unusquisque sufficeret ad celebrationem. Sic Sanctus Hermenegildus celebratur in nostro Collegio Hispalensi quadruplici titulo; primo quia est festum totius Hispaniæ; secũdo, quia Hispali Martyriũ obijt; tertio, quia Titularis illius Ecclesiæ; quarto, quia hæc insignem sui Capitis Reliquiam habet.

7 Et licet Reliquiæ non sint eiusdem Sancti, sed aliarum rerum, quæ in Ecclesia celebrari solent, idem sentiendum est. Exemplum sit: Ecclesia Cathedralis Granatensis duas vel tres Spinas Coronæ Dominicæ possidet, aliam Collegium nostrum illius urbis: Cathedralis Hispalensis insignem Reliquiam habet ex Crucis Dominicæ ligno, alteramque possidet domus nostra professa; non ideo duobus, distinctisque diebus celebrabuntur Coronæ, & Crucis Dominicæ festa, altero in Cathedrali; in Collegio, aut domo nostra altero: illæ enim duæ Coronæ Reliquiæ unam Coronam constituunt, & illa Crucis frusta, unicam Crucem, sicut omnes Reliquiæ eiusdem Sancti v.g. Crus, Brachium, Caput, &c. moraliter uniuntur ad unicum corpus constituendum eiusdem Sancti, cui unica tantùm celebratio intra annum competit.

8 Hinc colliges, quod si in Cathedrali extet Caput unius ex undecim mille Virginibus: v.g. & in Parochiali, aut Regulari extet brachium unius etiam ex his Virginibus; si constet brachium hoc esse illius S. Virginis, cuius est caput, non potest in Regulari, aut Parochiali bis celebrari: si autem constet esse diversarum Virginum, celebrari bis in ea potest, iuxta dicta. Si autem dubitetur, ut fere semper continget, celebrari posse probabile est: cum in dubio favorabilior pars sit eligenda, & benignior interpretatio facienda, iuxta l. *semper. ff. de reg. iuris. Cap ult. de transact.*

9 Hoc potissime observandum est cum caput, & brachium sint eorum Sanctorũ, quorum velut Sociorum non exiguus numerus in Breviario, vel Martyrologio Romano simul assignatur, ut undecim milie Virginum; Sancti Mauritij, & sociorum; Quadraginta Martyrum, & Sanctorum Innocentium, quos ad quatuordecim millia accessisse in Græcorum Mænologio, Æthiopumque Missa legimus, testaturque Salmeron *to. 3. tract. 44.* nã tunc præsumi potest diversas Reliquias diversorum esse: & in his, inquibus nullum præiudicium alteri provenit, immo Sanctorum veneratio accrescit, latè, piè, & benignè proceden dum est; quia, ut in simili dixit Baronius: *Sancti ubique colantur, ubique honorentur.* In his omnibus viros doctos consulvi, qui prædictis assertis annuerunt.

SINGVLARE XXXI.

An, si in facultate celebrandi Sacrum in privatæ domus Oratorio assignetur civitas, possit privilegiatus extra illam privilegio uti?

1 HAc dere â Vicario Hispalensi ego hoc anno 1640. consultus; indulti formulam exposci, mihique hæc tradita fuit: *Cæsar Fachinetus Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Damiaten., &c. & SS. D. N. Vrbani Papæ VIII. eiusdemque Sedis in Hispaniarum Regnis, cum potestate Legati de latere Nuntius, &c. Dilectæ nobis in Christo Dominæ N. de N. viduæ, incolæ oppidi de Medellin Diœcesis N. salutem in Domino. Spirituali tuæ consolationi, quantùm in Domino possumus benigne consulere, ecque specialis gratiæ favore prosequi volentes, supplicationibus super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi asserenti, te de nobili genere procreatam, & variis infirmitatibus ob noxiam existere, quod in privato domus tuæ solitæ habitationis dicti oppidi Oratorio ad hoc decenter ornato, & á demeritis actibus libero, ab Ordinario, seu*

ſeu diſcreto viro, licentiato N. Rectore Parochialis Eccleſiæ S. Martini dicti oppidi viſitari, & approbari; unam Miſſam ſingulis diebus; Paſchatis, tamen Reſurrectionis, Pentecoſtes, Natiuitatis Domini, aliiſque ſolemnioribus anni feſtiuitatibus exceptis, & ſine iurium Parochialium præiudicio, per quemcumque Presbyterum ſæcularem, vel de Superioris ſui licentia Regularem approbatum, in tua, filiorum tuorum, ac familiæ tuæ præſentia celebrari facere libere, & licite poſſis, & valeas, authoritate Apoſtolica licentiam concedimus, & indulgemus.

2 Similis eſt aliorum indultorum tenor; ſed diſſimilis in aſſignatione loci Oratorij, ſolùm enim dici ſolet: *In priuato domus tuæ habitationis Oratorio*, Propter hanc ergo oppidi de Medellin aſſignationem, opinati ſunt aliqui, non poſſe hanc viduam Hiſpali; quo domicilium tranſtulit, Oratorium erigere, neque id approbari ab Ordinario Hiſpalenſi, cum Ordinario Diæceſis, vel Rectori Eccleſiæ illius oppidi ſit delegata hæc iuriſdictio, ac ita perſonalis ſit delegatio, quæ alteri non competit. Et ubi lex limitat, nos extendere non valemus, priuilegiaque tantum valent, quantum ſonant.

3 Nihilominus reſpondeo, quod tunc reſpondendum dux; poſſe viduam hanc Hiſpali in ſuæ habitationis domo, Oratorium erigere ſine noua facultate, in eoque iam ab Ordinario approbato poſſe celebrari. Probatur 1. Quia hoc eſt *priuilegium perſonale*; ſi enim hoc, ut definitur ab utriuſque iuris Doctoribus, illud *eſt, quod conceditur immediatè perſonæ ratione ſui; ut ex l. Priuilegium. ff. de reg. iur.* docent Suarez *l. 8. c. 3. n. 3.* Azor. 1. *p. l. 5. c. 22. quæſ. 6* Bonacina *de priu. p. 2. prop. 2. n. 6.* Salas *de leg. d. 20. ſect. 17. n. 124.* & eſt communis DD. Quis dubitet hoc perſonale eſſe; cum dicat Nuntius: *Tuæ ſpirituali conſolationi conſulere, teque ſpecialis gratia fauore proſequi volentes?* Et ùt notat Bonacina *ſup. p. 8. §. 1. n. 3* cum no men. & cognomen priuilegiati in priuilegio nominatur, ſicut in hoc accidit; hoc omnino perſonale eſt.

4 Igitur ſi *perſonale* eſt priuilegium hoc *perſonam ſemper ſequitur, & cum eadem perſeuerat, & extinguitur*, ut conſtat *ex c. Priuilegium, & ibi DD. de reg. iur. in 6*, ſtatuunt Tiraquellus *de retract. lig. §. 26.* Menochius *conſ. 123. n. 2.* Tuſchus *to. 6. l. P. conc. 746.* Cardoſus *prax. iudic. & aduoc. verb. priuil. n. 4.* Marius Antoninus *ver. l. 1. reſol. 109 n. 6.* Suarez, Salas, Azor, & Bonacina *ſup.* ac eſt comm. A cõtrario, ſi non perſonale, ſed locale foret ſemper, in domo eius oppidi poſſet celebrari, ſiue Nobilis, ſiue ignobilis, ſiue ſanus, ſiue infirmus habitarẽt in ea; quod ab ſurdiſſimum, & contra præxim omnino eſt.

5 Probatur 2. quia ſicut *ceſſante omnino, cauſa priuilegij, ipſum ceſſat*, ut probant Azor *l. 5. c. 22. q. 14.* Sanchez *l. 8. de mat. d. 30. n. 16.* Bonazina *p. 8. §. 2. n. 4.* & alij; ſic perſeuerante cauſa eius conceſſionis, ipſa perſeverat; licẽt aliæ circunſtantiæ mutentur. Cauſa autem fuit generis nobilitas, & valetudo in firma; ut exprimit indultum, non autem habitatio in tali oppido: ergo etiam ceſſante hac, illa non ceſſabit. Sicut ſi Petro exiſtenti Hiſpali diſpenſatio in ieiunio, lacticinijs, aut recitatione Horarum concederetur ob debilem valetudinem, vel cum eo diſpenſaret Pontifex in tertio gradu affinitatis ad cõtrahendum cum Maria; quamtumvis illi exiſtenti Hiſpali indultum concedi aſſereret, vel Vicario Hiſpalenſi de cauſis diſpenſationis cognoſcendum committeretur, Quis dubitet, ſi domiciliũ Cordubam transferat Petrus, nova illum ad hæc non indigere diſpenſatione? Sic Doctores Guttierrez. Salas, Angelus, Sylveſter, & alij apud Bonacinam *de diſpenſ. p. 10. §. 1. prop. 3. n. 5. & 9.*

6 Probatur 3. Quia in hoc Oratorio Hiſpali erecto concurrunt omnes circunſtantiæ; quas Paulus V. in Bulla ſuper hoc edita 30. Iulij 1618. exigit. I. Quod ſit decenter ornatum, & a domeſticis actibus liberum II. Quod ſit viſitatũ ab Ordinario loci, ubi ſcilicet eſt oratorium; abſurdum enim erat, ut Vicarius Cordubenſis, aut Parochus Aſtigitanus approbarẽt Oratorium Hiſpalenſe; & in alieno territorio iuriſdictionẽ exercerẽt III. Concurrit facultas Pontificis, vel eius Nuntij cõceſſa perſonæ nobili, & impeditæ IV. Miſſæ celebratio á Sacerdote approbato V. Quod non duæ dicantur, nec feſtis ſolemnioribus. VI. Quod celebretur coram perſona priuilegiata, eiuſque familia. Hæc verò ſolum requiruntur in Bullis Pontificis, vel Nuntij, nec non á Doctoribus. Vide Riccium *prax. deciſ. 528.* Quarantam *verbo Miſſa fol. 303.* Trulench. *l. 1. in cruc. §. 1. dub. 4.* Fagundez *l. 3. præc. 5. c. 13. a n. 11.* Barboſam *in Remiſ. Trid. ſeſ. 22.* & apud illum plures. Ac hæc ſervari in hoc Oratorio de novo Hiſpali erecto, nõ eſt dubiũ.

7 Ad 1. argumentum Reſpondetur, illam oppidi aſſignationem non eſſe conditionẽ vel limitationem, ſed demonſtrationem quę proinde materialiter ſe habet ad cõceſſionem: & ad eum locum Nuntius indultum direxit, quia ab eo vidua illa illud petivit. Præterea, cum verba ſunt dubia, non limitativè, ſed demonſtrativè ſumuntur; ut docent Zephalus *conſ. 30 num. 37.* Decius

conſ.

conſ. 183. *n.*1. & declaravit Sacra Congregatio in una Squillacenſi 4. mart. 1616. Et ſi dubium extet, an locale, vel reale ſit privilegium, perſonale iudicandum eſſe docent Menochius *l.*1. *præſumpt.* & plures, quos citant, & ſequntur Sanchez *l.*8. *demat. d.*27. *n.*4. & Gutierrez *c.*125. *n.*1. & 9.

8 Ad 2. Comiſſio facta N. Rectori talis Parochiæ non eſt cum electione perſonæ, vel induſtriæ, etiam ſi nomen ipſius exprimatur, ſed dignitatis ſolùm, iuxta doctrinam Salas *d.*20. *de leg. ſect.*17. *n.*124. Sanchez *l.*8. *d.*27. *n.*12. Gutierrez *c.* 125. *n.*9. Bonacinæ *de priuil. p.* 8. §.1. *n.*4. & aliorum, aſſerentiũ, commiſſionem tunc eſſe perſonalem, cum eligitur ſingularis perſonæ induſtria, & perſonalem non eſſe, cum ſi talis eſſet, privilegium foret inutile: atque utrumque in hoc caſu reperitur. Nam quæ ſingularis induſtria, ſcientia, aut experientia, vel neceſſaria eſt, vel inveniebatur in Parocho illo ad cognoſcendum, an Oratorium eſſet decenter ornatum, & à domeſticis actibus liberum? cum cuilibet hoc palam ſit, & aliunde ferè inutile eſſet hoc privilegium; ſi induſtria perſonæ requireretur; poterat enim is Parochiæ huius Rector alió ſe divertiſſe, aut impeditum eſſe, aut diem obiſſe, &c. Præterea, probatur quia in hoc diſiunctivè loquitur Nuntius: dicens quod Oratorium approbetur *ab Ordinario, ſeu diſcreto viro, ſeu* diſiunctiva eſt, ut probat Barboſa de dict. *ſeu.*

9 Poſt hæc præmeditata, Reſolutionem eandem inveni apud Dianam 4. *p. tr.*4. *reſ.* 208. aſſerentem, eum, qui habet licentiam celebrandi in Oratorio domus ſuæ in civitate Panormi, poſſe uti hoc privilegio, ſi transferat domicilium Meſſanæ. Affert pro hac ſententia Antonium Novarium *ſum. bullar. tit. de orat. privat. n.*6. & Magallium *to.* 2. *var. reſol.* 67.

Singvlare XXXII.

Practicæ obſervationes circa celebrationem Miſſarum in privatis Oratorijs.

1 Prima obſervatio eſt, viſitationem, & approbationem Oratorij poſſe fieri ab Ordinario cuiuſque Diæceſis. Ita nonnulli, quos tacito nomine citat, & ſequitur Ludovicus de la Cruz *d.*1. *in Cruc. c.* 5. *n.*4. aſſerunt, & probant, ex eo quod ad eligendum Confeſſarium pro reſervatis ex virtute Bullæ ſufficiat approbatio â quocumque Ordinario. Sed ab Ordinario loci, in quo Oratorium eſt, hanc viſitationem faciendam eſſe ſtatuere videtur Tridentinum *ſeſ.* 22. *decret. de obſerv:* ita: *Decernit S. Synodus, ut Ordinarij locorum Epiſcopi, &c. no patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum cultum dedicata Oratoria, ab eiſdem Ordinarijs deſignanda, & viſitanda; ſanctum hoc Sacrificium à ſæcularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi.* Nota in his verbis illa: *Ordinarij locorum*; & illa poſtea, *ab eiſdem.* Itẽ Concilium Triburienſe *in cap. Miſſarum, de conſecr. diſt* 1. ait: *Clericos, qui miniſtrant in Oratorijs, quæ intra Domos ſunt; cum conſenſu Epiſcopi loci illius, hoc facere præcipimus.* Sed non ita Tridentinum *c.*15. *de Reform. ſeſ.*23. in approbatione ad confeſſiones audiendas aſſignat locorum Ordinarios; ſed quoſcumque.

2 Nec obſtat quod in Cruciata, & in aliquibus, vel Pontificis, vel Nuntij indultis pro his Oratorijs cõceſſis, ſolúm in generali dicatur, ut *ab Ordinario*, ſeu tantùm *viſitanda* dicantur: hoc enim verbum, ut potê ambiguum, ſecundum commune Tridentini ius eſt intelligendum; ut ſtatuitur *cap. cum dilectus de conſuet.* & docêt Barboſa *de princ. iur. lit. V. n.*20. Hæc veriora videntur, & ſi Ludovici de la Cruz ſententia probabilis ſit, præſertim ſi ex Cruciatæ privilegio fiat viſitatio, cum ſolúm ab Ordinario viſitandum Oratorium dicatur ibi.

3 Secundò obſerva: quod ſi contingat locum eſſe decentem, & à domeſticis actibus liberum, Oratoriumque rectè ornatum ad arbitrium Sapientis viri, & nolit Epiſcopus illud approbare, ut in eo celebretur, poteſt ad id compelli; & ſi ad huc nolit, & Privilegiatus lites vitare velit; poteſt abſque Ordinarij facultate Sacrum celebrare, vel celebrare facere. Sic expreſsè Cruz *ſup. n.*5. licentia enim iuſtè petita, & iniuſtè negata, videtur ipſo iure conceſſa, ut ex S. Thoma, Ricardo, Adriano, Angelo, Sylveſtro, Ledeſma, Alexandro, & alijs probant Enriquez *l.*6. *c.*13. *à n.*4. & Cruz *c.*3. *dub.*5. *à n.* 7. Nec Epiſcopus poteſt Subditum privare privilegio hoc ſibi conceſſo à Pontifice in Cruciata, vel à Nuntio in ſuo indulto, nec eius uſum impedire, ut rectè Trulench *in Cruc. l.*1. §. *dub.*4. *n.*6.

4 Huic obſervationi adde 1. quod facultatem celebrandi, & Oratorij approbationẽ rite conceſſam non poteſt ſine cauſa Epiſcopus, immo nec Nuntius revocare. Sic Barboſa *in declar. Trid. ſeſ.*22. *n.*5. & 6. Adde 2. quod ſi contingat, Privilegiatum mutare ſe ad aliam domum ubi, extabat Oratoriũ iam ab Epiſcopo approbatum, & in eo ornatus ille, quo uſus fuit in Oratorio priùs

appro-

approbato, collocetur; nova approbatione, aut visitatione non erit opus, cum vtrumque iam approbatum sit, & locus Oratorij, & illius ornatus; & si vel locus, vel ornatus aliquando approbatus non sit, approbatione indiget; hæc enim ad utrumque expoſcitur.

5 Tertia obſervatio: Sufficit licentia tacita, vel præſumpta Superioris, vt Regulares in privato Oratorio celebrent: hãc enim ad multo graviora ſufficere docent Doctores, & hæc, vt minimum, ſemper intervenit cum ad dicendam Miſſam in Oratorijs eos frequenter Superior mittat, ſciatque ſæpiſſime ibi celebrare.

6 Quarta obſervatio: Vnicam tantùm Miſſam concedit Nuntius in his Oratoris quotidie dicendam; ſed accedente graui cauſa, aliquando plures dici poſſe exiſtimo v.g. Cum domus illius Dominus primam non audivit; & cum quis mortuus eſt in domo, vbi Oratorium eſt, & corpore præſenti Miſſæ plures dicuntur, vt in Nobiliũ domibus conſuetudo obtinuit; tunc enim non ſolùm plures Miſſas dici poſſe in vno Oratorio arbitror, ſed ab Ordinario concedi poſſe facultatem, vt in eodem domus ſacello, tria, aut quatuor altaria, decenter ornata, & ab ipſo viſitata, pro tunc erigantur, & in ipſis integro mane Miſſæ plures celebrentur. Sic Hiſpali ſæpe vidi. Et ratio eſt: quia licet Paulus V. Bulla edita anno 1615. prohibuerit Epiſcopis, ne concedere poſſint facultatem celebrandi in priuato Oratorio, hancque concedere, ad ſolùm Pontificem ſpectare, & ſemper poſt Tridentinum ſpectaſſe declarauit, vt probat Trulench. *l.1.§.1.in Cruc. dub.4.à num.5.* hæc intelligunt de conceſsione altaris, & Oratorij ſtabilis. At ſemel, vel iterum & in caſu neceſsitatis poſſe aliquando Ordinariũ concedere facultatem, vt in priuatis domibus celebretur, etiam poſt decretum Pauli V. rectè probat Fagundez, *l.3.in 1 præc.13. §.13.n.14.* magno Doctorum, & rationum pondere: ſufficiens autem neceſsitas eſſet obitus Nobilis Viri, & conſuetudo celebrãdi in his caſibus, ſicut & adminiſtrãdi Euchariſtiam moribundo, vel viro pio, diu illa priuato, vel ſimilis.

7 Quinta obſeruatio, Non eſt neceſſarium, ut Miſſa celebretur, quod adſit Dominus, vel Domina, vel Filij eius, ſed ſufficit quod aliquæ, vel aliqua perſona ſuæ familiæ, ſint præſentes, & Miſſam audiant. Sic innuunt Cruz *ſup.cap.5.* & Diana *4.part.tr. 4.ſect.13.* Nec obſtat particula *Ac*, in Nũtij indultis, & in alijs poſitam, *in tua, filiorum tuorũ, ac familiæ tuæ præſentia*: nam *Ac*, idẽ eſt ac particula *Et*, vt ex vtroq; iure docent Cenedus *pract.qq.ſing.16 n.1.* Barboſ. *dict.* Ac *n.1.* & particula, *Et* aliquando ſummitur diſiũctivè ſicut *Vel, Aut, &c.* Sic Cenedus *Sing 50. n.7.* Barb. *dict. Et n.18.* Gonzal. *ad reg.8.can. gloſ.3.n.14.* Vulpel. *de propoſ. & adverb. Sing. dict. Et n.2.* Rodrig *to.3.q.17.ar.19.* Comito. *l.7 q.9.n.4.* Portel *reſp.mor.p.3. caſ.4.* & alij; ſicque in his indultis particulã *Ac* diſiunctivè ſumendam conſuetudo docuit.

8 Nomine autem *Familiæ*; Vxorem, filios, nepotes, & famulos cõprehendi, immò & familiares, qui licét domi non habitent, Domini verò expenſis aluntur, intelligi, ſatis colligitur ex Rodriguez, Angelo, Ducñas, & alijs apud Cruz. *ſup.c.3.dub.3.* Et eos intelligi nomine familiæ, qui comitari ſolent Dominũ, vel Dominam, cũ ad Eccleſiam pergit probat Avila, *deciſ.5 p.d.4.ſect.2.dub.7* & apud illũ Navarrus, Emmanuel, Sotus, & Enrriq. Et ex Bulla præſentia cuiuslibet conſanguinei ſaltim vſq; ad quartũ gradum incluſiue ſufficiet, & his præſentibus alij qui ex familia nõ ſunt poterũt intereſſe Sacro in Oratorio, præceptoque Miſſam audiendi ſic ſatisfacere, ſaltim ex Cruciata, quæ id, ſicut alias Nuntij pro Oratorijs limitationes, non prohibet.

SINGVLARE XXXIII.

Obſervationes aliæ circa celebrationem Miſſarum in privatis Oratorijs: Vbi de privilegio Cruciatæ circa Oratoria.

1 SEXTA Obſervatio. Cum in prædictis Apoſtolici Nuntij indultis prohibetur, ne celebretur in privato Otatorio, *diebus Paſchatis, Reſurrectionis, &c.* primus ſolùm dies harum ſolemnitatũ intelligitur exceptus. Sic communis ſapientium ſenſus, & praxis, eſtque prohibitio hæc, ſicut alia, ne in die Paſchatis cõmunicent fideles in Eccleſij Mendicantiũ, de qua Fagũd. in *præc.3.* Circa ſolemniores verò anni ſolemnitates, ſeu feſtivitates, in quibus etiam hæc celebratio prohibetur, ſic Gavãt. *in Miſ.p. 1.tit.20.lit.F.* & ex ipſo Vender *p.1.n.8 fol.5* *In altari privati Oratorij, cui conceditur ex privilegio Apoſtolico celebratio Miſſæ, exceptis ſolemnibus feſtis, non poteſt in eo celebrari in Natali Domini, Epiphania, Paſchate, Pẽthecoſte, Annũtiatione, Aſſumptione B.V. feſt.SS. Apoſtolorũ Petri, & Pauli, & Omnium SS. ex decreto ſacræ Rituum Congregationis 17. Novembris 1607.*

2 Sed aliquibus visum est sub nomine *Solemnitorum Festorũ*, intelligi festivitates, in quibus nec indici, nec sustineri, aut continuari potest interdictum; vt & Festum Corporis Christi, Conceptionis B. Virginis, Patroni Diœcesis, vel locis. Sed declarationi prædictæ Congregationis standũ est, & cum hæc extensio ad plures festivitates sit materia odiosa, potius restringenda, quam ampliandа est. Sicutè cõtra cum *in cap. Alma mater* prohibetur, ne interdictum servetur in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, ac Pentheco stes, extensio fit ad omnes quatuor, aut tres dies Paschatis, vt docet Avila *supr. sect. 2. dub. 9.* & est communis praxis. Ratio est, quia materia favorabilis est, licèt primũ diem solùm intelligi debere asserant S. Antoninus, Sylvester, & Enriquez apud ipsum Avilam *sup.*

3 Septima obseruatio: Illa Clausula in Nũtij indultis apposita, *Sine præiudicio seu saluo in re iurium Parochialium*, sic in declarationibus in Tridentinum allatis à Barbosa *n. 6.* exponitur: *Hoc autem præiudicium intelligitur in his, quæ spectant ad Sacramentorum administrationẽ, & alia, quæ ipsi Parochiæ de iure debita attinent; in alijs verò non* seu ut docent Tuschus *pract. concl. to. 1. lit. C. cõcl. 330.* Farinacius *sacr. Rota Rom. decis. 226 n. 1. to. 1. p. 2. Quando dicitur, sine præiudicio alieno præservatur ius alienum seu alteri competens, ne ladatur.* Adde ex Seraphino Rotæ Rom. *decis. 398. n. 18.* & Barbosa *clauſ. 91 n. 10.* quod intelligitur hæc clausula; *In omnibus Concessionibus, quando potest stare cum principali dispositione.*

4 Hinc colliges, quod si ob iustã causam habens Oratorium non potest Ecclesiam addire, vt in Paschate Eucharistiam, adimplendum præceptum, recipiat, petita à Parocho licentia, & iniustè negata, vt in eo adimpleat, si habet Bullam Cruciatam, potest admplere; quia tunc in Oratorio eam recipiendi facultatem habet à Põtifice ex Cruciata, & sic à Nuntio nõ impeditur, ac aliũ de Parochiam addire non valet intra terminum pro præcepto assignatum.

5 Octava obseruatio, Quod licet ex virtute Indultia Papa, vel Nuntio obtenti in priuato Oratorio vnica solùm Missa quotidie dici queat, & nec vnica diebus exceptis *n. 1.* nec à Regulari, sine sui Prælati licentia; Omnia hæc ex Cruciata licent, eo ipso, quod supponatur, vt supponi debet, Oratorij privilegium à Papa, vel eius Nuntio cõcessum, & ab Ordinario approbatum: hoc enim non prohibetur in Cruciata, vt docẽt Rodriguez, *§. 5. n. 4. & addit. ad §. 1. n. 1.* Enriquez *l. 7. c. 3. n. 4.* Trulench, *l. 1. §. 3. dub.* & est totius Hispaniæ praxis *sup. n. 9.*

6 Immo aliqui docent, hoc etiam concedi in Cruciata in ea summarij clausula: *Possint in priuato Oratorio ad diuinum cultum, tantùm dicato, ab Ordinario visitando, & designando, etiam in tempore interdicti; cui ipsi causam non dederint, &c. Etiam per horam antequam illucesceat dies, & per horam post meridiem; in sua ac familiarium, & domesticorum, ac consanguineorum suorum præsentia Missas, & alia diuina Officia per se, si Presbyteri fuerint, vel per alium celebrari facere, & Eucharistiam, & alia Sacramenta, preterquam in die Paschatis, recipere, &c.* Sic docent Ludovicus à Cruce, *dist. 1. cap. 5 dub. 1. num. 1.* & alij tacitè nominati à Trulench, *sup. num. 6. & n. 12.*

7 Tandem Alphonsus Perez de Lara, *libertium gratiar. pag. 59.* ait: *El Comissario de la Cruzada tiene facultad de dar licencia para dezir Missa en Oratorio particular, siendo primero visitado por el Ordinario, y en altar portatil.* Sed hanc facultatẽ ignoro, præcipuè post decretum Pauli V. De alia verò de qua in præsenti obseruatione sermo est, *Supposita Oratorij approbatione, & concessione*, inquit Trulench, *num. 12. videtur concedere Pontifex per Bullam Cruciatam, vt possit in eo celebrari absque limitationibus supradictis, eo quod talis licentia absolutè, & sine temporis, & personarum differencia in Bulla concedatur.*

8 Nona obseruatio, In his privatis Oratorijs possunt Regulares ministrare Eucharistiam sæcularibus non obstante Episcopi prohibitione. Sic Portel *resp. part. 3. cap. 39.* Diana. 4. *part. tract. 4. res. 14.* Quia habent privilegium Pauli IV. anno 1557. & aliorum Pontificum ad dandam Eucharistiam sæcularibus extra Conuentus suos, ac proinde sæculares ad eam accipiendam etiam licentiam habent; Episcopus verò non valet impedire Pontificis privilegia. Neque hinc irrogatur Parocho iniuria; cum non sit danda in mortis articulo, nec in die Paschatis. Consule Rodriguez *tom. 1. quæst. 61. art. 3.* Suarez *de Relig. to. 4. l. 9. c. 3.* & Portel *supra*; Sed nihilominus Regularibus consulerem, ne id faciant inuitis Episcopis. Hoc etiam illis consulit Sixtus IV. quoad usum ampliſſimi privilegij concessi Fratribus Ordinis Prædicatorũ ad administrandam Eucharistiam sæcularibus, ut habetur Bulla, quæ incipit: *Sedis Apostolicæ*, edita anno 1577.

9 Vltima obseruatio: Episcopi, seu Ordinarij possunt dare licentiam, ut si Oratorium priuatæ domus habeat ingressum publicum, seu omnibus patentem celebretur in ipso: Tridentinũ etiam sess. 22. & Paulus

lus V. in decreto anni 1615. celebrationem tantùm in privatis Oratorijs prohibent: hoc autem eſt commune, publicum, authoritate Epiſcopi erectum, & approbatum. Sic Paſqualigius *deciſ.* 173. addens in hoc celebrari poſſe ianuis clauſis, ita ut accedant tãtùm Domini, & quos ipſi volverint, quia non præcipitur quod publicè celebretur, ſed quod in Eccleſia, ſeu Oratorio publico.

SINGVLARE XXXIV.

Practicæ adnotationes circa Regularium privilegia ad altaria, & Oratoria erigenda, inquibus Miſſa celebretur?

1 POSSE Regulares in ſuis domibus, aut conventibus, immo, & in ſuis prædijs oratoria erigere, in eiſque Miſſas celebrare, Ordinarij facultate, aut approbatione minimé requiſita, etiam poſt Concilium Tridentinum, probant Hyeronim. Rodriguez *comp. qq. reg. reſ.* 9 *n.* 17. Azor *to.* 1. *lib.* 10. & 28. *q.* 9. Fagundez *l.* 3. *in prim. præcep. c.* 14. *n.* 17. Villalobos *infra*: Emmanuel Rodriguez *to.* 2. *q.* 75. *art.* 1. Paſqualigius *deciſ.* 174. *n.* 2. & plures apud ipsũ ex conceſſione Alexandri VI. Vrbani V. Gregorij XIII. & Nicolai Nuntij in Hiſpania. Nam vt Hyeronimus Rodrig. *reſ.* 9. *n.* 7. rectè ait: *Concilium Tridentinum Epiſcopis mandans, ut non permittant Miſſas celebrari omnino extra Eccleſiam in domibus priuatis, non reiecit capellas, Oratoria, & altaria portatilia erecta in infirmarijs, aut grangijs monaſteriorum ad diuina celebranda, iuxta priuilegia Regularium, de quibus in Bullario, cum nomine Eccleſiæ veniant monaſteria, & eorum grangiæ, & loca, quæ habent eandem immunitatem, quam habent Eccleſiæ eorundem Regularium ex priuilegio Eugenij IV. in comp. Ciſterc. titulo grangiæ* §. 2. Idem docet Villalobos *tr.* 8. *diſſ.* 23. *n.* 7. Emmanuel *ſup.* Paſqualigius, & alij apud ipſum *deciſ.* 174. & 175.

2 Circa Oratoria verò Paulus III. Bulla, quæ incipit: *Licet debitum*, anno 1548. conceſſit Societati, & eius Presbyteris; *In locis, in quibus degunt, & eos pro tempore morari contingerit, habere oratoria, & in eis, ac quocumque alio honeſto, & congruenti loco in altari portatili, etiam tempore interdicti, Miſſas, & alia diuina Officia celebrare, &c.* Altaris huius portatilis uſum conceſſerant antea Sixtus IV. in Bulla Maris magni nũcupata, edita anno 1484. & Gregorius XI. Fratribus Prædicatoribus Bulla incipienti: *Virtute conſpicuos, &c.*

3 Ad horum privilegiorum uſum notandum eſt. 1. Non requiri viſitationem, aut approbationem Ordinarij loci, ſed ſufficere, ut Oratoria in conventibus, aut in prædijs erecta, viſitentur, & approbẽtur a Provinciali. Sic Azor, & Fagundez *ſupra*. Suarius *to.* 3. *in* 3 *p. diſp.* 81. *ſect.* 3. Enriquez *l.* 9. *de Miſſa c.* 27. *n.* 2. & conſtat ex Bulla Gregorij XIII. Societati conceſſa anno 1575. quæ incipit: *Decet Romanum, &c.* ibi: *Poſtremò conſiderantes, quantæ Societati huiuſmodi curæ ſit perfectio diuini cultus, quãmque etiam ſæpe, remotis in locis Collegia, & Reſidentias habeat, volumus, ut in Oratorijs, & capellis, quæ ipſius Societatis Prouinciales per ſe in domibus, Collegijs, & alijs locis, vbi aliqui Societatis reſidebunt, approbauerint, & ad diuinum dumtaxat cultũ deputauerint, Miſſæ, & alia diuina Officia, alterius licentia deſuper minimè requiſita, celebrari poſſint.*

4 Notandum 2. Hanc approbationem, & viſitationem poſſe committi alteri, vel ex Societate, vel ex terno: quia licèt dicat, quod per ſe approbet; cum hæc iuriſdictio Provinciali competat ex ordinaria poteſtate, æquè poteſt eam delegare; ſicut Ordinarij locorum eam delegant alijs Regularibus, vel Sæcularibus; licèt Tridentinum dicat: *Ab eiſdem Epiſcopis deſignanda, & approbanda.* Præterea quia commune eſt vtriuſque iuris axioma: *Facere per ſe videtur, qui per alium facit. l.* 1. §. *deieciſſe ff. de vi, & vi arm. c. Qui per alium* 72. *de reg. iuris l.* 6. Menochius, Flamminius, Thuſcus, Riccius, & alij plures apud Barboſam *de princ. iuris lit. T. n.* 1. At in altaribus, quæ pro Miſſionibus eriguntur, non eſt neceſſaria Provincialis approbatio; ſed ei, qui ad miſſionem mittitur, hęc committi videtur, cum nec adeſſe, nec adiri, aut conſuli tunc Provincialis valeat.

5 Notandum 3. Quod in Oratorijs conuẽtuum, & prædiorum non ſolùm Regulares, ſed Sæculares etiam Sacerdotes poſſunt celebrare: in altari verò portatili Regularibus conceſſo, ij ſolũ poſſunt, ut conſtat, ex in dultis relatis, & docent Suarius, & Fagundez *ſup.* Privilegium enim celebrandi in Oratorijs prædictis eſt locale, factum in gratiam ipſarum domorum, & prædiorum; aliud autem altaris portatilis eſt perſonale ipſis Regularibus conceſſum.

6 Notandum 4. Hæc privilegia Societatis, quoad Oratorium, & altare portatile communicantur alijs Religionibus, & Religioſis communicatione privilegiorum gaudẽtibus. Ita plures Doctores apud Paſqualigium *deciſ.* 174. illos enim non excludunt Pontifices, & cum excludere volunt ali-

quos á participatione alicuius privilegij ex primunt. Sic Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit: *Pium, & utile*, edita anno 1582. ubi, præcipit omnibus Antiſtibus, ut Religioſos Societatis noſtræ; etiam extra tempora à iure ſtatuta, tribuſque Dominicis; vel alijs feſtis diebus etiam continuis, ad Sacros, etiam Presbyteratus, ordines promoveant; addit: *Præſentis autem gratiæ communicationem omnibus alijs, qui ſua privilegia cum ipſa Societate copioſe participant, participareque poterunt, quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus.* Scio oppoſitum circa hoc privilegium ſentire aliquos Doctores apud Leandrum à Sacram. *to. 2. tr 6. d. 11. q. 23.* Sed immeritò, ut docent Peirinus, Suarez, Miranda, Vazquez, & Hurtado apud ipſum Leandrum.

7 Notandum ultimò ex Paſqualigio *deciſ.* 174 & 176. Quod ex vi privitegiorum prędictorum, & præſertim ex privilegio Pij IV. conceſſo Canonicis Regularibus anno 1565. poſſunt Regulares cõmunicatione gaudentibus, erigere altaria in locis, ſeu cellis, ubi decumbunt infirmi; ut poſſint è lecto audirè Miſſam, & Euchariſtiam recipere: nec neceſſum eſt, ut infirmitas ſit magni momenti, ſed ſufficit ut infirmus exire à cubiculo non valeat. Tunc autem Superiorem localé altare aprobaturum ſentio, ſive ex propria authoritate, ſive ex ratihabitione, aut commiſſione præſumpta Provincialis. Addit Paſqualius *deciſ.* 177. quod Regulares infirmi extra clauſtra degentes poſſunt facere celebrare in ſuis cubiculis; ſeçus ſi ſæculares ægrotarent in Monaſterio, quia, inquit, hoc eſt privilegium perſonale non locale, ſed exiſtimo, quod tunc in horum etiam cubiculis poſſent Superiores altare ad celebrandum erigere ex privilegijs relatis, cum erigantur in ſuo Monaſterio.

8 Addit 2. *ſup. & deciſ.* 178. Paſqualigius, quod Moniales ſub Regularium regimine viventes poſſunt frui, & uti hoc privilegio, ſi Regulares, quibus ſubiiciuntur, eo gaudeant, vel in eo communicẽt cum alijs Religionibus, quia prædictæ Moniales participant privilegia conceſſa Regularibus, nec non privilegiũ communicationis, quatenus capaces ſunt, cum ſint veluti quid acceſſorium Regularibus, & pars eiuſdem Ordinis. Sic etiam Caſtro Palao *par. 1. tr. 3. de priuileg. d. 4. p. 2. §. 9. n. 1.* Sed animadvertas non decere, hoc privilegium ita facilè ad praxim reduci, ſed raró, & cum approbatione, & licentia eorum, qui eam ad ingrediendum Monaſterium, concedunt.

SINGVLARE XXXV.

V. Sacerdotes in Hiſpania teneantur in Miſſis dicere Collectam: Et famulos tuos?

1 ALIQVOS audivi nimis in hoc ſcrupuloſos, ſub mortali obligantes ad huiuſmodi Collectam, propter conſuetudinem tot annis introductam, vel ſaltem eos, qui ſæpe, aut frequenter omittant illam, culpa mortalis damnantes; eo quod hæc omiſſio frequens videatur illis gravis materia.

2 Sed verius eſt, nullo modo ſub mortali teneri ad illam dicendam I. Quia ſolùm tenetur quis dicere, & ſervare quæ in Rubricis Miſſalis continentur; hęc autem inter Rubricas non invenitur. II. Quia non extat præceptum, neque in Hiſpania, neque extra illam: ergo nec obligatio. III. Quia conſuetudo hæc non eſt ita generalis, pluries enim Collectam hanc omittere, præcipue in ſolemnioribus feſtis viros doctos, & timoratos vidi; & ad hos attendendum eſt potius, quàm ad illiteratos, ut expendatur, an conſuetudo vim legis habeat: ut cũ Gregorio Lopez, & alijs probat Ioannes Sanctius *in Selectis diſp. 54. n. 33.* Ab Illiteratis enim introducta conſuetudo non habet vim legis, & conſequenter non obligat, ut idem *ibidem & diſp. 51. n. 10.* docet; niſi introducatur ſciente Legiſlatore, & in ſibi proficua, ut *diſp 55. n. 3.* probat; proficuum autem non eſt, ſed onoroſum, Collectam hanc ter repetere in Miſſa.

3 Præterea, quia ſi ſemel, aut iterum hanc omittere non eſt peccatum grave; nec erit pluries, aut frequenter omittere: cum omiſſio unius diei non uniatur alterius omiſſioni, ut plures poſſint materiam gravem cõſtituere: hac enim de cauſa quotidie in Officio divino unum, aut duos pſalmos omittere, aut ſemper horum omiſſionem proponere, non eſt peccatum mortale; nec ille, qui voto adſtrictus rẽcitãdi circulum Virgineum, ſi quatuor, aut quinque Salutationes Angelicas quotidie omitteret, non peccaret mortaliter: rimmo ſi ſolũm unam Salutationem Angelicam voviſſet, & illam omitteret ſemper, & omittendi haberet propoſitum, non committeret mortale, ut probat Thomas Sanchez *l. 2 ſum. c. 4. n. 13. & 14.* Paruitas enim materiæ in voto à mortali excuſat, ſicut etiam in præcepto Prælatorum, ut probat D. Sancho Arias de Quintanaduenas Frater meus, in doctiſſima Iuris Allegatione, quam in lucem edidit probans

bans: Abbatiſſas non poſſe Monialibus ſuis præcipere in virtute S. Obedientiæ, vel Spiritus Sancti *puncto. 3. an.* 1. Vtinam opera, quæ hic Sapientiſſimus Iuriſperitus prælo parata habet quamcitius divulgentur.

4 Igitur hanc Collectam dicere non conſuetudo, ſed privilegium eſt conceſſum toti Regno, aut communitati Hiſpaniæ; eoq; uti debemus iuxta doctrinam Suarij *l.4. defens. fid. ad Reg. Angli. c.* 31. Zerolæ *praxi* 1. *part. § exemptio. n.* 6. Turchi *de viſit. l.* 2. *c.* 20. *n.* 11. Enriquez *l.* 7. *c.* 25. *n.* 1. Cenedi *pract. q.* 26. *n.* 9. Didaci Perez *l.* 3. *tit. l* 2. *pag.* 467. Bonacinæ *de priuileg. punct.* 4. § 1. *n.* 3. Rodriguez *addit. Bal.* § 9. *n.* 43. & aliorum aſſerentium, priviligiatum non poſſe renunciare ſuo privilegio, ſeu debere illo uti, quando illud conceſſum eſt, non perſonæ, ſed Communitati, ut illud videtur conceſſum Communitati Sacerdotum Hiſpanorum, ſeu toti Hiſpaniæ Regno.

5 Sed ſi quæras, ſub qua culpa teneamur uti hoc privilegio, ſeu Collecta? Non dubito quod non ſit mortale illam non dicere iuxta dicta n. 2. ſed forſan erit veniale. Ratio huius eſt, quia licet privilegio Communitati conceſſo, iuxta dicta nuper, ſingulæ perſonæ illius teneatur uti, hoc grave ſolum erit, cum ex non uſu ſequitur aliorum prejudicium, ſeu damnum Succeſſorum, ut omnes Doctores citati aſſerunt: at ex eo quod hic, aut ille, aut plures Sacerdotes non dicant hanc Collectam, non oritur grave damnum Succeſſoribus, cum facultate illâ dicendi, illos non privent: nec inde privilegium amittant, nec ex ſe gravis materia eſt, iuxta num. 3. ergo, &c. Confirmatur quia Religioſi propter dicta non tenentur uti innumeris privilegijs quæ circa Abſolutionem, Communionem, Celebrationē Miſſarum, Recitationem Horarum, Ieiunia, & innumera alia ſuæ Religioni, ſeu Communitati conceſſa ſunt, & frequenter ita ad arbitrium eorum permiſſum eſt, ut nec venialis culpa ſit illis non uti: immo ſæpius perfectius eſt illis non uti, & iuri communi ſe accomodare: ergo â paritate rationis culpa ſaltem gravis non erit, in Hiſpania Sacerdotem in Miſſa non uti privilegio, non dicendo Collectam.

6 Culpa autem venialis eſſet, ea non dicere, tum, quia aliquod, licèt leve, præiudicium Regibus, & Regno Hiſpaniæ infertur ex omiſſione huius orationis, cum illius impretatione, & fructu priventur ij, pro quibus dicitur; tum quia ſæpe omittitur ob aliquam negligentiam, vel pigritiam, aut nimiam in celebrando celeritatem, & non ſe accommodat Sacerdos uſui, vel aliquali cõſuetudini reliquorum, ſeu Eccleſiæ Hiſpaniæ. Si autem iuſta adeſſet cauſa illam omittendi, vel ob capitis dolorem, aut fragilitatem, vel ob magnam feſtivitatem, v. g. cuiuſcumque Paſchatis, vel feſti primæ claſſis; tunc nec venialis eſſet; immo in his ſolemnibus feſtis omittendam forſan conſulerem, ut omittuntur aliæ orationes, ſeu commemorationes aliæ in honorem tantæ ſolemnitatis.

7 Poſtquam hæc ſcripſi ad me pervenit libellus, in quo decreta Sacræ Rituum Congregationis in Ordine ad Miſſam cum ſelectis obſervationibus Gavanti, congeſſit D. Laurentius Vvāder Hammen, & inter alia, hæc circa præſentem Collectam habet *part.* 5. *fol.* 301. *Additio hæc: Et famulos tuos, &c. ex conceſſione S. D. N. Papæ Pij V. & Gregorij XIII. confirmatione poteſt dici in omnibus Regnis Hiſpaniæ, tam per Sacerdotes ſæculares, quam per Regulares, & tam in priuatis Miſſis, quā in conventualibus, quamvis ſint ex ſolemnioribus, & celebris. Neque obligat, ſed ad libitum tantùm, & dicitur in prima oratione Miſſæ, in ſecreta, & in oratione poſt communionem. Et cum talis facultas ſit localis, poſſunt non ſolùm Hiſpani, verum etiam Itali, & reliqui omnes, quando in his Regnis celebrant: quod extra de gentibus non licet, ſicut nec dicentibus addere quidquam.* Hæc ille: Vbi nec veniali culpæ huius Collectæ omiſſionem arrogare, nec improbabiliter, videtur.

8 Sed quoad poſtremum, quod addit, ego exiſtimarem poſſe Sacerdotem Hiſpanum extra Hiſpaniæ Regna hanc Collectam dicere in Miſſa; nam non ſolùm locale privilegium iudico, ſed perſonale etiam; ac congruum eſt, ut pro ſuo Rege, & Regina Hiſpanus Sacerdos ſemper, & ubique celebrãs ſingulares in Miſſa effundat preces, iuxta id Pauli 1. *ad Timoth.* 2. *Obſecreo, fieri obſecrationes, orationes, &c. pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt.* Et ita in Italia, Gallia, & alijs Provincijs, aut Regnis exteris illam eis dicere licet (niſi ſcandalum eſſet) iuxta ea, quæ docent Suarez, Salas, Sanchez, & alij apud Bonacinam *de priuileg. d.* 1. *q.* 3. *p.* 6. *n.* 4. Et Navarrus *to.* 1. *l.* 3. *conſ.* 4. id in ſpeciali licere docet; & addit: *Quia etiam ipſo Pio vivente, & poſtea in hunc diem omnes Hiſpani ſervant illam conſuetudinem, & addunt illam particulam, & Regem noſtrum N. Principem cũ prole Regia, in hac ipſa urbe in tribus Eccleſijs S. Iacobi, b. Mariæ Monſerrate, quæ eſt Aragonum & S. Antonij, quæ eſt Luſitanorum.* Sed & in omnibus alijs Romæ, ac aliorum Regnorum Eccleſijs id Sacerdotibus Regi Hiſpaniæ ſubditis ſimiliter licere, non dubito.

Circa

Circa uſum huius Collectæ ultetius adlit Vander *fol.*306. Si *in Miſſa dicitur Oratio, A cunctis, in additione; & Famulos tuos, omittitur: Pacem, & ſalutem noſtris concede temporibus, & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam, & gentes Paganorum, & Hæreticorum dexteræ tuæ potentia conterantur. Si verò dicitur Oratio: Eccleſiæ, omittitur tantùm: Et ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam, & gentes Paganorum, & Hæreticorum dexteræ tuæ protentia conterantur.* Hæc ille, quæ frequenter nō obſervantur, quia ignorantur, aut quia in opinione ſunt poſita.

SINGVLARE XXXVI.

Quæ Perſonæ, & cum quibus circunſtantijs nominandæ ſunt in hac Collecta: *Et famulos tuos*: & an liceat quidquam ei addere?

1 IN PRIMIS, Pontificis nomen eſt exprimēdum, v.g. hodie *Papam noſtrū Innocentiū*; Nec eſt neceſſe, nec in vſu addere numerum, v.g. Decimum. Sede autem vacante; ſicut & quādo in Miſſa dicitur ſecūda, vel tertia Oratio pro Papa, verba illa prædicta omittuntur. Sic Vāder in Regulis Gavanti, *fol.* 304. Sed ego Sede vacante nullam pro Papa Orationem in Miſſa dicendam iudicarem. Addit ipſe; *Quod dictum eſt de Pontifice dicendum eſt etiam de Rege, Regina, vel Principe mortuo: nam tunc non ſunt nominandi.* Advertaſque nomen ſolummodò Regis eſſe exprimendum, non verò Reginæ, aut Principis, vt conſtat ex Collectis impreſſis non apponentibus pro his duobus litteram N. & ex communi vſu. In Canone autem nomen etiam Regis exprimunt plures, dicentes: *Vnà cum famulo tuo Papa noſtro N. Antiſtete noſtro N. & Rege noſtro Philippo*; quod vltimū addere non audēt alij; cum non adſit privilegium ad hoc: & in Canone, vtpotè ſacratiſsima Miſſæ parte, nil vel minimum tollendum, nec etiam addendum eſt.

2 Sed animadvertat Epiſcopus, Archiepiſcopus, aut Patriarcha celebrātes, ſe dicturos; *Et indigno ſervo tuo*; ac cum quilibet Sacerdos Romę celebrat, hæc verba omiſſurus eſt. Sic ex Miſſalis Rubricis notat Villalobos *infra*. Sed primum non de Epiſcopo Anulari intelligas, ſed de habente iuriſdictionem, ſive intra, ſive extra ſuam Diœceſim exiſtente; etſi Sacerdos diverſetur in aliena. Addit Gavātus *part.*2. *Rubr. ad Miſſal. tit.*8. *l.*7. & ex ipſo Vāder *p.*1. *fol.*13. *Quod usque nominandus eſt Abbas exemptus, ſed Epiſcopus vicinior, ad quem pro ordinatione itur, neque enim Abbas eſt Antiſtes.* Sed an hi, vel omnes alij Prelati Diœceſanam Iuriſdictionē, ſeu quaſi Epiſcopalē habentes, ſive Regulares, ſive Sæculares ſint, nominari in hac Collecta poſſint; in ſecundo Singularium tomo, Deo favente, diſcutiam.

3 De Antiſtite verò ſic Vāder *infra*, *Antiſtes ſemper nominandus eſt ſuo proprio loco, ſicuti in Canone, & in feria VI. in Paraſceve, & in Sabbato Sancto, etiam in Monaſterijs, Eccleſijs, & Capellis Regijs, vel exemptis, & quamvis celebretur coram, Imperatore, Rege, vel Principe maximo.* Sic ille. Circa quod Diana, *p.*2. *art:*14. *reſ.*40. aſſerit, peccare mortaliter Regularem, qui pro nomine Epiſcopi poneret nomen Generalis ſuæ Religionis: ſic enim declaravit Congregatio Cardinalium conſulta â Ceſare Epiſcopo Novatienſi, in Hiſpanijs Nuntio, anno 1615. Novemb. 17. At Emmanuel Rodriguez, *tom.*4. *ſum. c.*51. *num.*13. Villalobos, *p.*1. *tr.*7. *dif.*31. *nu.*3. Portel *dub. regul. verb. Miſſa, num.* 14. Eum à mortali excuſant ex ignorantia huius declarationis, quam ipſi afferunt. Hyeronimus Rodriguez, *dub. regul. reſ.* 25. de Miſſæ celeb. *n.* 14. ait, *Regulares non obligare hanc declarationem, quia nec proponitur authentica, nec ſufficienter promulgata, & intimata ipſis.*

4 Ego verò addo, quod etiam ſi hæc concurrerent, & vim legis haberet iſta declaratio, adhuc ſub mortali obligare non poſſet, ſi abſit contemptus, quia materia levis eſt, quæ ſub mortali cadere non poteſt. Si enim eſt materia levis aliquem Sanctum eorum, qui in Canone ponuntur, data opera omittere: immo & omittere ea, quæ interponuntur in *Communicantes*, aut in actione: *Hanc igitur*, tempore Paſchali, ut docēt Filiucius, *tom.*1. *tr.*6. *cap.*5 *n.*155. & ipſe Diana *ſup. reſ.*49. & 59. ex Homobo. contra Nugnum, 3. *p. tom.*1. *q* 83. *ar.*4. *dub.*2. *concl.* 2. nec mortale erit ob materiæ parvitatem tollere, *nomen Antiſtis*, & loco illius *nomen Generalis* apponere: nam tam ablatio, quam additio vnius nominis quid leve eſt; circa quod non poteſt ferri lex obligans ſub mortali: in materia enim levi talem obligationem lex non poteſt imponere, vt docent Valentia, Salon, Salas, Reginaldus, Sà, Sanchez, Azor, Beccanus, Vazquez, & alij apud Bonacinam de *leg d.*1. *quæſt.*1. 5. §. 4. *n.*13.

5 Circa ſecundam difficultatem ſic ſtatuitur in eadem Cōgregatione conſulta á dicto Hiſpaniæ Nuntio: Sancta Sedis Apoſtolica *reſpondit eos mortaliter peccare*; (cum ſcilicèt loco Epiſcopi in Canone ponebant Superiorem Ordinis) *cum ſit ad unguem Miſſale obſervandum.* Nec in Collectis Miſſæ poſ-

ſe

ſe aliquid addi ſub eadem pœna (præter Orationem ſolitam pro Rege, & eius prole, & exercitu] Dicũt aliqui. Sed & aliquid addi in his Collectis non eſſe mortale probãt rationes nuper allatæ, & ſic vidi viros doctos noſtræ Societatis ijs verbis, *& exercitu ſuo*, iungere, *Societatem noſtrã, & nos &c.* pluresque docti, ac pij Regulares in Miſsis ſolemnibus addunt: *Ordinem noſtrum.* Et ſi lethale nõ committeret, qui ex devotione quartam aliam Orationem poſt tres ante Epiſtolam, in Secreta; & poſt Communionem adderet, vt docti Theologi â me conſulti aſſerunt; cur peccabit mortaliter, qui adderet aliquid in hac Collecta, quæ non continetur inter communes, & vſitatas Miſſæ partes? Præſertim cum forma huius nõ ſit ab Eccleſia, ſed ex diſpoſitione pirorum Virum, & nec apud omnes Diœceſes, nec ſemper vniformis.

5 Neque obſtat Pij V. præceptum in ſua Bulla initio Miſſalis ſic impoſitum. *In virtute Sanctæ obedientiæ præcipiendes, & .ne in Miſſæ celebratione alias ceremonias, vel preces, quam quæ hoc Miſſali continentur, addere, vel recitare præſumant.* Nam in additione ſupradicta ſolùm, parvitas materiæ invenitur: & vt ex Soto Tabiena, & Suario, inquit Ioannes Baptiſta Scortia, *l. 2. de Miſſa cap. 17. num. 1. Nõ dicitur .s qui ſecretò ex ſua devotione, vti privata perſona, aliquid recitat, ipſi Miſſæ officio addree, quamvis imprudenter faciat, ſacrum myſterium interrumpendo.* Et ſi quis aliquam Orationem ex tribus, immo, *Gloria*, aut *Credo* ſcienter ommitteret, non peccaret ex materiæ leuitate, vt docent Filiucius, *tom. 5 tr. 5. c. 5. num. 155.* & Dianа, *p. 2. tr. 14. reſ 59.* nec qui addit quid æquivalens huic quantitati, dum ſit extra Canonem.

Singvlare XXXVII.

Quam Miſſam dicturus eſt Sacerdos, qui diei, vel Sancti propriam in Miſſali non invenit.

1 Saepivs hoc accidit, cum Miſſæ feſtivitatum, quæ de novo, ex inſtitutione præcipuè SS. D.N. Vrbani VIII. celebrantur, in antiquis miſſalibus non inveniuntur; & in pluribus ex recenter editis, ſint feſta SS. Nominis Ieſu, Nominis B.V. Mariæ, Coronæ Domini, Angeli Cuſtodis, impreſsionis Sacrorum Stigmatum, & ſimiles, quæ deſunt in alijs Miſſalibus. Tuncque ego Miſſas illis feſtivitatibus ſimiliores dicendas ſemper conſului, & poſtea inveni apud Gavantum, *p. 3. tit. 10. num. 16. ad Rubr. miſ.* & apud Laurentium Vanderum, *p. 1. n. 48. fol. 40.* de hac re hoc idem decreviſſe Sacram Rituum Cõgregationem die 20. Novemb. 1628. his verbis. *Si nulla eſt Miſſa in miſſali Romano; quæ concordet cũ Officio Monialium* (de illarũ Capellanis loquitur Cõgregatio (*puta de Nomine Ieſu de Spinea Corona, & ſimilibus: eo caſu Miſſam de Cruce, vel de paſsione recitare poterunt, vel certè pro debita licentia adeant ſacram eandem Congregationem.*

Idem igitur faciat quicumque Sacerdõs qui propriam diei Miſſam in Miſſali non habet v.g. Pro Miſſa Nominis Ieſu: Miſſam celebret de Circunciſſione; & ſi dicenda foret de Nomine Mariæ, dicat de Anuntiatione; ſi de Corona, votivam de Paſſione; ſi de Angelo Cuſtode, votivam de Angelis, aut de S. Michale; ſi de S. Gabriele, de Anũtiatione, ſi de Sacris ſtigmatibus, quæ eſt ſe S. Franciſco, & ſic de alijs, eas ſemper pro alijs dicendo, quę illis magis concordant.

3 Similiter; ſi Miſſæ propriæ de Sanctis nõ inveniantur in Miſſali, v.g. de S. Iſidoro Agricola, S. Carolo, S. Philipo Nerio S. Elyſabeta Portugaliæ Regina, S. Birgita, S. Brunone, S. Caſimiro, Ioachimo, S. Cõrado, & alijs, qui paucis ab hinc annis celebrantur; Miſſam dicat de communi Martyris, vel Pontificis, vel Confeſſoris, vel Virginis, aut non Virginis, iuxta quilitatem Sancti, de quo celebratur: & tempus, in quo celebrat, ſi Paſchale ſit, vel extra, attendere debet, vt Miſſam de communi iuxta temporis qualitatem etiam dicat. Idem dicendum eſt circa Horarum recitationem; fæpius enim contingit propria Officia his annis edita à Recitaturo non haberi: & tunc ſupplendum eſt Officium ex communi aut ex ſimiliori.

Singvlare XXXVIII.

An, & quando liceat, aut expediat Nominibus propriis Sanctorum, de quibus celebratur, cognomina addere in Miſſæ Sacrificio?

1 Vilis videbitur alicui hæc quæſtiuncula, ſed immeritò; cum vel minimum Iota, vel ſimplex apex ad Auguſtiſſimũ Miſſæ Sacrificium ſpectans, magni habenda ſit. Igitur hoc nunquam expedire, nec licere perſuadere intendunt nonnulli.

2 Quia Eccleſiæ conſuetudini opponitur prædicta cognominatio. II. Quia indecen-

tia,

tia, videtur gĕneris, vel pătriæ, aut ſimilis adnotamenti commemoratio in omnium graviſſimo Eccleſiæ Sacramēto, & ſtupendo Sacrificio. III. Quia ſuperflua eſt huiuſmodi additio, cum ſatis, ſuperque conſtet, quis nam ille Sanctus ſit, in cuius honorem Miſſa celebratur. IV. Quia Pius V. in Bulla Miſſalis initio poſita, edita anno 1570 præcipit, in Miſſæ celebratione nihil addere, vel demere aut mutare: ergo non licèt addere cognomina.

2 Sed ex iſdem primis tribus capitibus non ſolùm licere, ſed aliquando expedire probo I. Ex Eccleſiæ uſu, quæ in Miſſæ ſacrificio quandoque cognomina, aut notamenta aliqua nominibus proprijs addit; tunc ſcilicet, cum propter proprij nominis ſimilitudinem cum aliorum Sanctorum nominibus, non ita claré oſtenditur, quis nam ſit ille, in cuius honorem Sacrificium Deo offertur. Sic omnibus quinque SS. Ioannis nomine inſignitis, quos Eccleſia celebrat, notas addit, ex quibus in Miſſæ ſacrificio cognoſcantur. De Evangeliſta: *Eccleſiam tuam, Domine, benignus illuſtra, ut B. Ioannis Apoſtoli tui, & Euangeliſtæ, &c.* De Baptiſta: *Sumat Eccleſia tua, Deus, B. Ioannis Baptiſtæ, &c.* De alijs: *Eccleſiam tuam quæſumus, Domine B. Ioannis Chriſoſtomi Confeſſoris tui, &c. Interceſſio nos quæſumus, Domine, B. Ioannis Gualberti Abbatis commendet.* S. Ioannes Martyr ex ſocio Paulo diſcernitur: *Quæ de B. Ioannis, & Pauli glorificatione procedit.*

3 Similiter tribus Paulis ſingularia apponuntur ſigna, ex quibus dignoſcātur: Paulo Apoſtolo: *Deus, qui multitudinem gentium B. Pauli Apoſtoli prædicatione docuiſti, &c.* Eremitæ: *Deus, qui nos B. Pauli Confeſſoris tui, &c.* Martyris, ut ſupra. Sic duplici Petro Apoſtolo, & Martyri; duplici Martino, Martyri, & Confeſſori: duplici Stephano, Protomartyri, & Pontifici, & Martyri; duplici Thomæ Apoſtolo, & Aquinati; duplici Catherinæ, Martyri, & Virgini Senēſi, &c. notas, & ſigna nominibus proprijs in eorum orationibus addit Eccleſia, ut manifeſtè pateat, quis nam ſit, de quo loquitur, & ob eandem rationem Maria Magdalena ſimiliter, *Magdalenæ* nota diſtinguitur ab alijs.

4 Probatur II. Quia nullo modo indecens eſt quod cognomina Sanctorum, & eorum ſingulares actiones, aut ſigna in Miſſæ ſacrificio referantur. Omnia enim, quæ ad Beatos ſpectant, digna ſunt veneratione: nec neceſſariū eſt, quod omnia, quę in Miſſa dicuntur, ſint ſacræ Scripturæ verba. Sic de S. Franciſco Aſſiſio, de S. Martino Epiſcopo, S. Ioachimo, & alijs referuntur in Graduali aliqua ex ipſius vita, non ex ſacrā Scriptura, & in Poſt communionem, de S. Ignatio Martyre. Quod ſi cognomina Sāctorum addere in Miſſa nō liceret, quia hæc eadē habent interdum viri improbi; etiam nec liceret pronuntiare nomina, cum alijs hæc eadem talium interdum ſint, & cognomen non minus proprium eſt perſonæ, quam nomen, ut docet Alciatus *l. 3. c. 1.*

5 Nec ſuperfluum eſt, addere interdum cognomina, vel quid ſimile; nam ſi *Cognomen, ſive cognomentum*, ut loquitur S. Iſidorus *l. 1. orig. c. 7. eſt quod nomini cognitionis cauſa ſuper additur ſive quod cum nomine eſt*, illa Sanctis apponere neceſſe, aut ſaltém expediens erit, ut cognoſcantur quinam ſint illi, de quibus celebratur: æpius enim contingit nomen proprium Sancti in Orationibus audiri, v. g. SS. Petri, Pauli, Franciſci, & omnino ignorari à circunſtantibus, & Sacrum audientibus, quis ſit ex Beatis hoc nomine inſignitis, de quo tunc celebratur.

6 Igitur quoties hoc dubium evenerit, licebit, immo expediet cognomina, vel quid ſimile, unde dignoſcantur Sancti, nominibus proprijs addere. Sic Bartolus *in conſilt. 1. ff. verſic. quæro nunquid*, ait: *Cognomina debent poni, quando ex nominibus proprijs reſultat incertitudo.* Vnde noſtris Sanctis Franciſco Xaverio, & Borgiæ, tum ut in terſe, tum ut ab alijs SS. Franciſcis, diſcernantur, hæc ſua cognomina in eorum orationibus addere expediet; cum nō habeant Orationes proprias, ex quarum ſerie dignoſci poſſint; ſicut habent alij duo Franciſci, Minorum, & Minimorū Fundatores. Immo & forſan B. P. N. Ignatio adderet aliquis cognomen *Loyolæ*, ut in ſolemni ipſius Beatificationis Sacro apud oppidum de Fregenal addidit illuſtriſſimus D. D. Andreas de Cordova Epiſcopus Pacenſis, vir doctiſſimus, & in his rebus maximè verſatus; Romæ enim duodecim annis Rotæ extitit Auditor, & de hoc interrogatus, reſpondit, ſe id ſcienter feciſſe, Romæque circa alios Sanctos hoc fuiſſe agitatum, & reſolutum, licere cognomina addere Sanctorum nominibus in Miſſæ ſacrificio, ne cum alijs ſynonomis confundantur. Sed forſan notæ Confeſſoris, & Martyris, utrumque Ignatium in Eccleſia abunde diſcernunt, & ideo cognomen Loyolæ ſuperfluit.

7 Ad ultimum fateor eſſe ex ſuo genere materiam gravem addere, ſicut & adimere in Miſſæ celebratione novas preces, vel ceremonias, ut docent Sotus *to. 4. d. 13. q. 2. art. 4.* Silveſter *Miſſa q. 2. & 3.* Suarez *d. 85. Sect. 3. & d. 84. Sect. 2.* Navarrus *de orat. not. 16. n. 76.*

n.76. & alij: at hi docent, quod ſi id, quod in Miſſa additur, vel tollitur, eſt quid leve, lethale non ſit, etiam ſi ſcienter fiat.

SINGVLARE XXXIX.

V. Peccaret mortaliter Sacerdos, qui Prophetias ſemper omitteret in Miſſis quatuor Temporum; vel Sequentiam in feſtis; aut pro his Miſſis alias diceret?



1 AFFIRMATIVE reſpondendum videtur I. Quia tunc magnam partem Miſſæ celebrans omitteret, quod eſt culpa lethalis iuxta Theologorum ſenſum, ut probant Enriquez *l.9.c.35.* Azor *l.10 c.29.* Suarez *to 3. d.84. ſect.2* & Scortia *de Miſſa l.2.c.27.n.1.* Probatur II. Quia ſicut non licet Officium Reſurrectionis, aut Spiritus S. pro Officio Feriæ, vel novem lectionum recitare, ut plures apud Barboſam *de Paroc.c.10.n.10.* docent, & mihi indubitatum eſt; quia nimis illud ab hoc exceditur; ita nec Miſſas, quæ notabiliter maiores ſunt alijs, quæ ſine Prophetijs dicuntur, in eas commutare. III. Quia ſi quis in alijs Miſſis partem æquivalentẽ Prophetijs, immo & minorem omitteret, v.g Epiſtolã, aut Evangelium, aliãve ſimilem partem, ut tuetur Suarius *infra*, peccaret lethaliter: ergo qui & Prophetias. IV. Quia in re gravi violaretur præceptum Pij V. in Bulla initio Miſſalis poſita, ubi ait: *Mandantes, & ſtrictè omnibus, & ſingulis Patriarchis, Adminiſtratoribus, &c. in virtute S. Obedientiæ præcipientes, ut Miſſam iuxta ritum, modum, & normam, quæ per Miſſale hoc à Nobis nunc traditur, de cantent, & legant:* ergo, &c.

2 Sed ad huc lethale in his non committi, ſaltim ſi Miſſæ ſint privatæ, & ſcandalum abſit, exiſtimo, & probo 1. ex Granado *contr.6.de Euch.tr.14.n.3.* ſtatuente: *Quando pars quæ omittitur non eſſet neceſſaria ad ordinariam Miſſæ integritatem, quia ſolet non dici, ut Symbolum, vel Gloria, vel tres Orationes, facilius poſſe à culpa mortali excuſari eius omiſſionem:* ergo, cum Prophetiæ, vel Sequentiæ dici non ſoleant in ordinarijs Miſſis; immo ſemel, aut iterum in totius anni decurſu tantùm dicantur, & ſine illis integra Miſſa dicatur, harum omiſſio venialis ſolùm culpa erit ſine cauſa, & cum hac nec venialis. Præterea, quia Sequẽtiæ non ex præcepto aut decreto, ſed ex privilegio Nicolai Papę introductæ ſunt, ut refert Durandus *l.4.de Rit.c.22.* ergo non erit lethalis earum omiſſio.

3 Commutare verò Miſſas, ubi Prophetiæ dicuntur, pro alijs, ſeu loco earum votivas privatim dici poſſe de Feſtivitate, aut Sancto, etiam animo laborem effugiendi, conceditur in Rubricis Miſſalis §.4.*n.*3. ibi: *Hæ Miſſæ, & omnes aliæ votivæ in Miſſis privatis dici poſſunt pro arbitrio Sacerdotum quocumque die Officium non eſt duplex, cum commemoratione eius, de quo feſto eſt Officium:* ergo cũ hæ Prophetiarum Miſſæ duplices non ſint, pro illis votivas dicere licet.

4 At ſi quis Miſſas votivas, vel pro defunctis in feſtis duplicibus celebraret, lethale non committeret, ut docent Miranda *to.1. q.41.ar.21.conc.3.* Llamas *p.3.meth.c.5.§.14.* Suarius *d.83.ſect.3.conc.1.* Hurtado *diſ.12.* Villalob. *p.1.tr.8.dif.31.n.5.* & Diana *p.2.tr.14. reſ.30* ac iuxta hos duos, etiã in feſtis Apoſtolorum, B. Virginis, & Domini N. committeret verò veniale, ſi ſine cauſa fieret, ut ſentiunt Archidiaconus *in cap.2. de celeb. Miſ.* & Sylveſter *Miſ.1.n.4.* eſſet enim contra Rubricam, cõſuetudinem, & decretum Sacræ Congregationis 2. auguſti 1627. ut teſtatur Gavantus *1.p. tit.4.lit.O.* docens *n.3.lit.P.* idem tenendum de Dominicis. Pro re tamen gravi poterunt cantari Miſſę votivæ etiam in feſtis duplicibus non maioribus, cantata item altera de die, ut notat Gavant. *ſup.lit.O.* immo ſi non ſolet dici in aliqua Eccleſia niſi unica Miſſa Maior, ſeu ſolemnis, poterit tunc hæc dici votiva etiã in Dominica; vel etiam pro ſolemni feſto.

5 Ad 1. rationem ex oppoſitis R. non eſſe attendendum in omiſſione hac, an ſit magna, vel exigua pars, ſeu quantitas, quæ in Miſſæ celebratione omittitur, ſed an ſit ex ſubſtantialibus vel ad ſacrificium cõficiendum, vel ad integram Miſſam ex ordinarijs perficiendam. Hinc omittere ſcienter in Canone pauciora verba, aut preces; v.g. ab illis: *Nobis quoque peccatoribus*, uſque ad: *per Chriſtum D. N.* vel aliquod ex duplici Memẽto cum clauſula ei annexa, eſſet lethale, quia & in Canone, & ſemper dicuntur; nõ verò eſſet, ſi in eodem ommitteretur id quod in ordinarijs Miſſis dici non ſolet, ſed in ſingularibus Feſtivitatibus Paſchatis, Aſcenſionis, Nativitatis, Epiphaniæ, &c. v.g. id quod additur precibus, *Hanc igitur*, ac precibus; *Communicantes.* Sic Filiucius *to.1.tr.5.c.5.* & Diana *p.2.tr.14. reſ.59.* Sicut nec iuxta hos DD. eſſet lethale omittere *Gloria*, & *Credo*, quia ſine his integra Miſſa ex ordinarijs dicitur, ſecº Epiſtolam, vel Evangelium, cũ ſine his non dicatur: nam ſunt, ut cum Suario *d.88. ſect.3.* loquar, *veluti membra principalia, & neceſſaria huius corporis atherogenei.*

6 Ad 2. R. conceſſo antecedenti, negando ſequellam; quia *magna differentia eſt*, ut verbis utar Suarij *ſup. ſect. 3. inter Miſſam, & divinum Officium: nam ad hoc dicendum tenentur Sacerdotes, & ideo mirum non eſt quod obligentur ad dicendum ſingulis diebus illud Officium*, [adde, vel æquivalens] *Quod pro uno quoque ſignatur: in Miſſa verò non ita. Et hoc confirmat conſuetudo, nam ſine ſcrupulo ſolet hoc fieri à viris timoratis, & doctis.* Ad 3. patet reſponſio ex dictis num. 2. & 5.

7 Ad 4. R. in his omiſſionibus, & commutationibus ſaltim graviter non violari præceptum Pij V. Quia ut inquit idem Suarius ſup. *Tunc reuera, & in rigore non prætermittitur ritus dicendi Miſſam, neque videtur eſſe latum præceptum proprie, & in rigore de Miſſa dicenda de Feriâ, aut de Sancto; nam cum Sacerdos abſolutè non teneatur hodie, v. g. Miſſam dicere, non eſt cur obligetur ad hanc determinatam, ſi Miſſam vult dicere.* Preterquam quod, præceptum hoc Pij V. non ad ſingulares perſonas, ſed Patriarchas, Prælatos, & alios, quibus Eccleſiarum regimen incumbit, dirigitur, ut palam in eo eſt. Vnde de ſolemni, ac conventuali, non de privata Miſſarum celebratione potiſſimè intelligendum, iuxta c. p. *Quidam. & cap. Cum creatura. de celebrat. Miſſ.*

8 Animadvertendum tamen, quod rariſſimè, aut numquam fient prædictæ, aut ſimiles omiſſiones, & commutationes in Miſſis, ſine culpa veniali, niſi adſit cauſa iuſta devotionis, petitionis, vel ſimilis in votivis; neceſſitatis, difficultatis, aut impotentiæ in alijs. Sic Doctores de ijs, qui Miſſam dici propriam in aliam commutant, Panormitanus, Azor, Rodriguez, Tabiena, Armilla, Suarez, & alij apud Bonacinam *de Miſſa d. 4. p. 7. §. 7. n. 2.* Quia par eſt, ut ſemper Miſſalis normæ ſe Sacerdos accommodet, & Miſſa votiva, ut ſtatuitur in Rubrica §. 4. n. 3. *non fiat niſi rationabili de cauſa, & quoad fieri poſſit Miſſa cum Officio conveniat.*

9 Nec obſtat prædictis Eccleſiæ antiqua conſuetudo in legendis Prophetijs, & dicendis Sequentijs: à tempore nempe Nicolai Papæ, SS. Ambroſij, Auguſtini, ac aliorum antiquorum, ut videre licet apud Rodulphum *prop.* 23. Durandum *l.* 2. *c.* 22. Thritemium *l.* 4. *c.* 22. & Ioannem Rioche *comp. tem c.* 71. *tol.* 3. quia quantumuis vetuſtiſſima, ſub mortali obligare non valet iuxta ſepius dicta, & dicenda in hoc 1. volumine. Sic antiquiſſimus obtinuit mos, ut ab introitu Miſſa audiretur, & qui ab Evangelio audiret, non peccaret graviter diebus feſtis, ſicut nec Sacerdos qui *Gloriam*, aut *Credo*, omitteret: ergo ſimiliter, &c.

SINGVLARE XL.

V. Miſſæ Hebdomadæ ſanctæ, in quibus legitur Paſſio D. poſſint ſine illa celebrari, dicta ſolùm poſtrema parte, quæ Evangelij loco reponitur: vel pro his Miſſis alias votivas dicere liceat?

1 HANC primàm omiſſionem lethali culpæ tribuendam, ſi foret ſine cauſa, exiſtimo, cum verſetur in re gravi, quia integra Paſſionis lectio pro Evangelio reputatur, & ſubſtituitur in hac Miſſa: poſtrema verò pars potius eſt Evangelij continuatio, quam Evangelium: tam quoad textum Evangeliſtarum, ſeu contextum: hiſtoriæ, ut patet, quàm quoad Miſſæ celebrationem; unde in ea parte nec *Sequẽtia*, nec *Secundum*, nec *Signat o* fiunt: ergo iuxta doctrinam Singularis præcedentis, lethalis culpa erit Paſſionis lectionem omittere. Præterea, quia eam legendam tempore, quo legitur, à quatuor Evãgeliſtis ſcriptam ſtatuit Alexander Papa, ut teſtatur Durandus *l. 6. de ritib. c. 68.* & Gavantus *p. 4. in Miſſal. tit. 7. n. 9.* Et ob tam ſacratiſſimi temporis venerationem hanc omiſſionem maximè dedecere nemo dubitabit, & ſi publicè fiat non leve ſcandalum generabit. & in ſolemnibus, aut conventualibus Miſſis nullo modo licere, indubitatum eſt.

2 Quod verò pro his Miſſis poſſit Miſſa votiva privata (non ſolemnis, aut conventualis) dici, minus ambigo; cum hæc dici queat quocumquè die, dum Officium non ſit duplex; & licèt Officium hebdomadæ ſanctæ ſit maius, & duplicibus etiam feſtis præferendum; attamen duplex non eſt in eo gradu, quo Miſſæ propriæ excludunt votivas, ita ut hæ regulariter dici nequeant. Vnde Emmanuel Rodrig. *to. 1. q. 43. ar. 8.* ex Navarro *conſ. 16. n. 8.* ait: *Pro Miſſa longa de Paſſione ſatis implet Sacerdos ſi celebret de Feſto, etiam ſemidupli, aut infra octauam.* Conſulam tamen Sacerdotem, ut tunc non publicè, ſed in privato Oratorio celebret.

3 Et licèt iuxta Emmanue. *t. 4. q. 4. 3. ar. 9.* Hyeronim. Rodriguez *reſ. 25 n. 7.* ac Portel *ver. Miſſa n. 11.* non ſatisfaceret qui ſtipendium accipiens pro Miſſa hac de Paſſione aliam diceret, hoc non proveniret, ex eo quod ſimilis commutatio nõ liceat, ſed ex infidelitate, & iniuria, quę fieret petenti, & eleemolynã elargiẽti pro talis Miſſę celebratione, ut docent Suar. *d 83. ſe. 3.* Angel. Armilla, & Bonacin. *de Miſ. d. 4. p. 7. §. 3. n. 4.*

SIN-

SINGVLARE XLI.

Adquem in Cathedralibus Eccleſijs ſpectet mortuo, abſente, vel impedito, aut nolente Epiſcopo ſolemnem pedum ablutionem Feria V. in Cena Domini facere, & ad quem in alijs Eccleſijs?

1 AD Epiſcopum præcipuè hanc ablutionem ſpectare nulli dubium eſt; conſtatque ex Rubrica Miſſalis Romani, quo nunc utimur; de hac enim ablutione agens ait: *Prælatus, ſeu Superior ſingulorum pedes lauet.* Sub nomine autem Prælatorum, primo loco Archiepiſcopos, & Epiſcopos intelligi patet *ex cap. decernimus 2. de iudicijs.* Epiſcopiſque hanc competere actionem expreſsè decernitur in Rituali, quod *Ordo Romanus* inſcribitur: ubi: *Dicta oratione Epiſcopus ponat veſtimenta ſua, & præcinctus linteo præparet ſe ad lauandos pedes diſcipulorum ſuorum.* Idem ſtatuitur in Ceremoniali reformato à Clemente VIII. *cap.* 24.

2 Hanc ablutionem minimè omittendam mortuo, vel abſente, aut impedito, vel nolente Epiſcopo ſatis ſuadent SS. Patres, & Interpretes in *Ioann.* 13. ac Cõcilia; Aquiſgranenſe I. *c.* 14. Biterrenſe ſub Innoc. III. *c.* 18. & Toletanum XVII. *c.* 3. & expreſſè ſtatuitur in Ceremoniali relato ubi *cap.* 24. dicitur: *Seruẽtur omnia ſupra dicta abſente Epiſcopo, & in Collegiatis ſeruentur Rubricæ Miſſalis.* Hinc in libro inſcripto. *Sacrarum ceremoniarum, ſeu Rituum Eccleſiaſticorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ lib.* 2. à Pontifice tredecim pauperũ pedes abluendos ſtatuitur, & *cap. ſequenti*, cuius titulus: *De lotione pedum tredecim pauperum abſente Papa*, dicitur: *Paratur in aula conſueta pro tredecim pauperibus lauandis credentia, deinde venit Cardinalis lauaturus, &c.* Idẽ proportione ſervata de alijs Eccleſijs Collegiatis, Parochialibus, vel Regularibus, in quibus hæc ablutio fieri ſolet, ſentiendum eſt: abſente enim proprio Prælato, vel Superiore, illi, qui illius vicem gerit, hæc ablutio competit: nam ut colligitur ex ijs verbis Rubricæ Miſſalis, *Poſt lotionem Superior, vel qui alijs abluit pedes, lauat manus, abſtergit alio linteo, &c.* neceſſum non eſt quod ſemper ſit proprius Prælatus, qui abluit, ſed aliquãdo poteſt eſſe, vel qui illius vicem gerit, ipſo abſente, vel alius quivis ab ipſo deſignatus: ſed comuniter Prælatus ipſe hunc Ritum ad implere congruit.

3 Sed ut ad huius Singularis inſtitutum perveniamus, dicendum eſt; mortuo, abſente, vel impedito Epiſcopó, ſeu ipſo renuente, hanc pedum ablutionem in Eccleſijs Cathedralibus ad Decanum ſeu eum, qui toti præeſt Capitulo, ſpectare probatur ex iure Canonico; in quo functiones Epiſcopales Ordini Epiſcopali non annexas ad Decanum pertinere abſente Epiſcopo decernitur. Sic *cap.* 5. de officio Archipresbiteri: ſeu Decani; *Si Epiſcopus defecerit (exceptis his, quæ prohibita ſunt) Archipresbiter prouideat cuncta, quæ in Sacerdotum miniſterio perfici debent; fontes benedicere, infirmum oleo perungere, pœnitentem reconciliare, pœnitentiam cunctis alijs Sacerdotibus iniungere, in præcipuis feſtiuitatibus ipſe celebrationem Miſſæ ſolemniter impleat.* Vbi Gloſſa verbo: *miniſterium*, ait: *Archipresbiter in abſentia Epiſcopi debet omnia officia Epiſcopi ſupplere, exceptis ijs, quæ ei prohibita ſunt.* Prohibita autem ea ſolùm eſſe, quæ Ordinem Epiſcopalem expoſunt, explicant Gloſſa, & Doctores, & exponuntur *in diſt.* 68. Epiſcopos ſcilicet, & Eccleſias conſecrare, Ordines cõferre, & ſimilia. Ob hanc cauſam appellatur Archipresbiter, Epiſcopi Vicarius, ut docent Hoſtienſis, & Vaſconçelos, *in cap. perlectis. 25. diſt.* Cardinalis *in Clem. 1. q. 7. de præbend.* Zecheus *tit* 24. *de Officio* Archipre. *n.* 14. Petrus Greg. *Syntagm. iur. cap.* 21. *à n.* 11. Azor *p.* 2. *lib.* 5. *c.* 15. Anton. Faber *tit. de benef. à n.* 30. Sebaſtianus Ceſar *de Eccleſiaſt. Hyerarch.* 3. *p. diſp.* 12. *n.* 5.

4 Et quod idem ſit Archipresbyter, ac Decanus conſtat ex *cap. ad hæc de off. Arch* ibi: *Archip. qui à pluribus Decani nuncupantur*, ubi Gloſſa, & c. *Nullus d.* 6. in cuius tit. *Archipr. vel Decanus.* Conſule Azorium, Vaſconc. & Fabrum *ſup.* ac Barboſ. *de Ep. col.* 3. *c.* 3. *n.* 7.

5 Probatur 2. ex ſacra Rituum Congregatione, in cuius deciſionibus ita ſtatutum eſſe teſtatur Auguſtinus Barboſa *lib.* 1. *de iure Eccleſ. cap.* 21. *n.* 98. ubi: *Dignitas prima poſt Pontificalem poteſt abſente, vel impedito Epiſcopo celebrare Miſſas ſolemnes, & alias functiones facere, quas Epiſcopus celebraret, ſeu faceret, ſi præſens eſſet, quocumque nomine prima Dignitas appelletur, dummodo ſit in ordine Sacerdotali conſtitutus. Sic deciſum eſt à Sacra Rituum Congregatione in Callien. 18. Ianuarij. 1605. & in Valiſoletana. 11. Iunij. 1605. & in Brunden ſina 16. Iulij. & in Barens. 16. Ianuarij. 1608. & in Piſauren. 12. Martij. 1609. & in Aretina 30. Ianuarij: ac in Cuitatenſi, ſeu S. Seueri 25. Iunij. 1611. & in Hydruntina 15. Martij. 1614. & in Lamacen. 11. Nouemb. 1614. & in Alexandrina 18. Auguſti. 1618. & in Moſcnenſi 25. Ianuarij. 1621. Idem facere poteſt eius Coadiutor, ut declarauit eadem ſacra Congregatio, in Pientina. 8. Maij. 1621.* Hæc ex Barboſa *ſupra.*

6 Quod Decanus ſit prima poſt Pontificalem Dignitas, probat Barboſa de poteſtate Epiſcopi, *alleg.* 57. *tit.* 3. *n.* 9. *In Luſitania*, inquit, *& in tota fere Hiſpania Decanus in Eccleſia Cathedrali maiorem dignitatem habet.* Idem teſtantur Rodericus Zamorenſis, *ſpec. vita, lib.* 62. *cap.* 13. Caſaneus 4. *p. Catal. conſ.* 37. Riccius *praxi. p.* 4. *reſol.* 394. Roman *lib.* 3 *rerum public cap.* 10. Sandoval *p.* 5. *cap.* 3. & alij apud Barboſam, *ſup.* eſtque omnium fere Eccleſiarum praxis, quam in harum Dignitatum cognitione, ut regulam omnino ſequendam, docet idem Barboſa, *lib. de iure Eccleſ. cap.* 21. *n.* 16. additque *cap.* 26. *n.* 5. hanc Dignitatem, primam poſt Pontificalem eſſe, quoad Officia præcipue divina, Chorique obeunda munia ſtatutumeſſe à Sacra Rituum Congregatione, in una Placentina 19. Maij 1604. Sic in conſtitutionibus antiquis Eccleſiæ Hiſpalenſis, *fol.* 2. dicitur: *Decanus poſt Archiepiſcopum primum locum tenet*, & §. ſequenti: *Statuimus, quod Decanus in Eccleſia Hiſpalenſi poſt Archiepiſcopum habeat primam vocem.* Cum igitur hæc pedum ablutio, mortuo, abſente, vel nolente Epiſcopo primæ poſt eum Dignitati, ſeu iuxta Miſſalis Rubricas Prelato competat, Decano competit, ut pote primæ Capituli Dignitati, ipſiuſque Prælato. Et quod Decanus verè ſit Prælatus, ordinariamque iuriſdictionem habeat, conſtat ex *cap. dilectis de apellat. c. dilect. de ſent. excom.* & ex alijs. Conſule Barboſam, *de iure Eccl. c.* 25. *n.* 7. & antiquas Hiſpal. Eccleſiæ conſtitutiones. *fol.* 2. *&* 8.

7 Hæc reſolutio executioni mandata eſt his annis præteritis in Eccleſia Metropolitana Hiſpalenſi, cui cum abeſſet Eminentiſſimus S. R. Eccleſiæ Cardinalis D. D. Gaſpar de Borja, & Velaſco huius Diæceſis Archiepiſcopus, gravibus invigilans curis, tum Romæ, tum Matriti; D. D. Franciſcus de Monſalve huius almæ Eccleſiæ Decanus hanc ſolemnem pedum ablutionem fecit. Immo cum hoc anno 1644. iam Hiſpali adeſſet Eminentiſſimus Cardinalis, morboque impeditus ad hoc munus exequẽdum inveniretur, ſeque ab illud obeundo excuſſaret: Decanus illud eſt executus, abſque ulla ipſius Archiepiſcopi facultate aut beneplacito: hoc enim minimè requiri indubitatũ eſt: eo enim ipſo, quod Archiepiſcopus, vel mortuus, vel abſens ſit, aut impediatur, vel nolit hanc ſacram perage re functionem, Decano competit ipſo iure, re, nulloque modo fas eſt Archiepiſcopo alium pro ſe ſubrogare, aut ſubſtituere ad illam peragendam.

8 Hinc colliges, hanc, & ſimiles functiones Epiſcopales, quæ in divinis Officijs Epiſcopo competunt, ipſius Vicario minimè cõpetere, neque hunc pro illis ab Epiſcopo aſſignari, ſeu delegari poſſe. Sic ſtatutum eſt à ſacra Rituum Congregatione varijs deciſionibus, quas affert Barboſa *de iure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 21. *n.* 102 *in Marugion.* 25. *Ianuarij* 1603. *in Brundiſin.* 2. *Iunij, & 16. Iulij* 1605. *in Valven* 26. *Novemb.* 605. *in Neritonen.* 25. *Februarij* 1606. *in Adrien.* 9. *Maij* 1606. *in Neocaſtren.* 16. *Ianuarij* 1607. *in Baren.* 19. *Ianuarij* 1608. *in Matrina* 22. *Ianuarij* 1618. Quod intelligendum, etiam ſi ſit Vicarius ab Apoſtolica Sede conſtitutus, ut eadem S. Congregatio *in Brundiſina* 15. *Februarij* decidit, & etiam hoc eſt intelligendum, etiam ſi ſit Vicarius in Sede-vacante, niſi aliunde ſit Canonicus, vel una ex Dignitatibus, cui hæc competerent, ut Canonico, vel Dignitati, licét Vicarius non eſſet.

9 Enim verò; ſi Epiſcopus Epiſcopum alium Coadiutorem in ſacris his functionibus à Sede Apoſtolica conſtitutum habeat; ille hanc ablutionem exequetur, cum Epiſcopus, aut nolit, aut non poſſit exequi, iuxta Cap. *Paſtoralis de Clerico ægrotante*, ibi: *Sanximus*, ait Bonifacius VIII. *Vt Epiſcopus ſenio, aut valetudine corporali grauatus, vel etiam aliàs adeo impeditus perpetuo, ut officium ſuum nequeat exercere, poſſit de ſui conſilio, & aſſenſu Capituli, vel maioris partis ipſius unum, vel duos authoritate Apoſtolica Coadiutores aſſumere ad dictum Officium exequendum.* Ex quibus verbis colliges, Epiſcopo Titulari (vulgo de anillo) vel Epiſcopo alterius Diæceſis [etiã ſuffraganeo] ab Archiepiſcopo, v. g. Hiſpalenſi aſſumpto pro exercendis functionibus Pontificalibus dum taxat, non competere ipſo iure hanc pedum ablutionem, nec ſimiles functiones, quæ Ordinem Epiſcopalem non requirunt, exercerique ſolent ab alijs Canonicis, aut Dignitatibus Archiepiſcopo abſente, vel impedito. Hic enim Titularis, vel alterius Diæceſis Epiſcopus ad Pontificalia exercenda aſſignatus, non eſt proprié Archiepiſcopi Coadiutor, nec à Sede Apoſtolica conſtitutus, eo modo, quo petitur in prædicto capite *Paſtoralis.*

SINGVLARE XLII.

VTum Coadiutor Decani in ipſius abſentia prædictam pedum ablutionem, ſimileſque functiones, quæ Epiſcopo, & ipſius loco, Decano competũt, exercere valeat?

1 AFFIRMATIVE reſpondendum eſſe colligitur ex deciſione facta a ſacra Rituum

Rituum Congregatione *in Picentina* 8. *May.* 1621. quam affert Barbosa *lib. 1. de iure Eccles. cap.* 21. *n.* 98. & nos Singul. antecedenti retulimus. Ratio est quia *Officium Coadiutoris est* ut loquitur Glossa *in cap. Pastoralis, ea facere, quæ pertinent ad officium eius, cui deputatus est:* ergo cum hæc ablutio ad Decanum pertineat, si Episcopus eam non exequatur in absentia Decani illam Coadiutor exequetur, ac similiter omnes alias similes propter eandem rationem.

2 Probatur 2. ex Hieronimo Gonçalez *in reg. 8. Cancellar. Glosa* 5. §. 9. *n.* 97. qui ait: *Semper in modernis Coadiutoribus dici solet, quod Coadiutor habere debeat omnes, & singulas prærogativas, præeminentias, & honores in Choro, Altari, & Capitulo, ac processionibus, nec non in actibus Capitularibus, tam intra, quam extra Ecclesiam quas, & quos prædictus N. ratione talis dignitatis, vel canonicatus, & præbendæ habet, & si præsens esset haberet:* ergo cum hæc sit prærogativa Decani, ipsius Coadiutori competit, dummodò statutum, aut consuetudo vim legis habens non opponatur, [sic enim p. dicti Doctores sunt intelligendi] licet in præsenti non opponitur. Necobstat Rubrica Missalis, in qua statuitur, quod *Prælatus, seu Superior singulorum pedum lauet:* quia ut inquit Gonçalez *sup. n.* 2. & 3. *Coadiutor est Prælatus, & ut talis habet curam animarum, plenam, & liberam administrationem.* Probatque hoc pluribus iuris Canonici testimonijs, & addit. *n.* 4. *Hoc procedere non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus.*

3 Sed prædicta sententia limitanda, aut intelligenda est, dummodo Coadiutor Decani (seu cuiusvis alterius Dignitatis) sit Sacerdos. Sicut etiam de Decano statuitur à S. Congregatione iuxta dicta Sing. 41. nu. 5. Quia ut rectè Gonçalez sup. num. 6. ait: *In Coadiutore requiritur eadem idoneitas, ac sufficientia, quæ requiritur in Titulari:* ad fruendum scilicet dignitatis suæ prærogativis. Et licet hæc functio secundum se considerata sacerdotalem, immo nec sacrum ordinem exigat, sicque à Monialibus exerceri videamus, & à fidelibus etiam laicis fieri solita in Ecclesijs testantur S. Augustinus *de off. Eccles. cap.* 12. Albinus flacus Magister Caroli magni. *tit. de cana Domini*, at eo ritu, & solemnitate, qua iuxta Rubricas Missalis Romani fieri debet in Ecclesijs Cathedralibus, & in Collegiatis, Parochialibus, & Regularibus virorum, necessum est ut Sacerdos sit, qui eam exequatur; cum vestibus Sacerdotalibus, ministrisque Diacono, & Subdiacono in ea utatur.

(:§:)

SINGVLARE VLTIMVM.

Cui competat hæc solemnis pedum ablutio in Ecclesijs Cathedralibus, si Episcopus, Decanus, aut eorum Coadiutores nolint, vel non valeant eam exequi?

1 DECISA est similis controversia à sacra Rituum Congregatione, ut testatur Augustinus Barbosa, *lib. 1. cap* 21. *de iure Eccles.* his verbis: *In tantum spectat ad primam Dignitatem, & alias succesiue Missas celebrare solemnes, & alias functiones Episcopales facere absente, aut impedito, vel nolente Episcopo eas habere, ut non possit alteri Dignitati, vel Canonico sibi bene viso, seu Vicario dictas functiones delegare. Sic in una Adrien.* 20. *Decembris* 16. *& in alia* 9. *May.* 1606. *& in Mediolanensi* 28. *April* 1607. *& in Adrien.* 22. *January* 1618. *& in Alexandrina* 18. *Augusti.* Igitur iuxta Missalis Romani Rubricas Prælatus, seu Superior hanc pedum ablutionem facere debet, & ipso nolente, non ex delegatione, quæ ei denegata est, sed ipso iure Dignitati illi, seu Canonico, qui in Choro, seu divinis Officijs præest, & præcedit omnes, qui in Choro tùc adsunt, hæc competit. Nam Superiores inquit Rebufus, *ex l.* 51. *de verb. signif. sunt qui supra nos sunt, ut dicitur in consf. ff. de grad. Et Prælatus dicitur* inquit Iodocus Loricus, *lexic. qui præfertur aliis?*

2 Vnde impedito, vel nolente Decano, & ipsius Coadiutore ad Archidiaconum Cathedralis, vel Metropolitanæ Ecclesiæ spectat: & hoc impedito, vel nolente ad Cantorem, seu Chantre; post hunc ad Thesaurarium, deinde ad Magistrum Scholæ. Hos sequentur Archidiaconi tum Cathedralis, tum singularium locorum iuxta Dignitatum suarum præcedentiam; ac iuxta morem cuiusque Ecclesiæ.

3 His deficientibus Canonicus antiquior, & sic alij subsequentes. Regula igitur generalis est hanc pedum ablutionem, & reliquas functiones ad Episcopum primarió, & per se in Cathedralibus spectantes, non verò Episcopalem ordinem exigentes, fieri debere à Dignitate, vel Canonico, qui tunc alijs præest, & dignitate, ac sede alios præcedit; dummodo Sacerdos sit, ut supra diximus, & inveterata non obstet consuetudo, aut singulare ius, ut infra dicemus. Sic decisum esse a S. Rituum Congregatione *num.* 1. vidimus, & sic in simili in constitutionibus Hispalensibus statuitur, *fol.* 19. ibi: *E no celebrando el Perlado por ser absente, o*

no se

no ſe hallar diſpueſto en los dichos dias, celebre el Dean, o una de las Dignidades, que ſe fallare diſpueſta ſegun ſu orden. Et *fol.*20. *& ſi por ventura la Dignidad mayor no pudiere, celebre la ſiguiente. Eſto ſe entienda no queriendo celebrar el Arzobiſpo en los tales dias del Dean, &c.* Et poſtea additur id etiam obſervandum â Canonicis: *Cada uno ſegun ſu antiguedad.*

4 Sed rogabis, utrum in Eccleſia Hiſpalenſi hæ, & ſimiles functiones poſt Decanum, ipſius ve Coadiutorem competant Priori Eremitarum, cum ad ipſum ſpectet (ſi ſimul ſit Canonicus, vel Portionarius, vulgò Racionero, vel horum Coadiutor) in abſentia Decani choro præeſſe; aliàs vero ultima ſit in honore, & ſede omniũ aliarum Dignitatum Dignitas, & niſi præbenda potiatur in Choro locum nullum habeat? Ita ſtatuitur in relatis conſtitutionibus editis anno 1261. a D. D. Raymundo huius Civitatis Archiepiſcopo primo, poſt expugnationem illius a SS. Rege Ferdinando III. factam, cuius hæc ſunt verba. *Item volumus, & Sancimus, quod ſit Prior in Eccleſia, qui ſit Canonicus, vel Portionarius, & per Archiepiſcopum creatur: Qui circa officium diuinum cura peruigili ſit intentus, & in abſentia Decani ſolicitet omnes in Choro, ut officium diuinum cum timore Dei, & ſilentio peragant; renuentes, & nolentes obtemperare circa prædicta ſuis monitis puniat per ſubſtractionem portionis ſecundum quod viderit expedire; nullamque volumus, quod habeat ratione Prioratus aliam poteſtatem.*

5 Reſpondeo, conſuetudini, quoad hoc omnino ſtandum, fuiſſe, ſi eſſet. Sed huius nullum ad huc extat exemplar. Exiſtimarem ego (ſalvo meliori iudicio) poſt Dignitates omnes hanc ablutionem, & ſimiles functiones Priori, ut pote ultimæ Dignitate abſolutè competere. Quod enim hac conſtitutione in divinis Officijs regimen abſente Decano illi mandetur, non conſtituit ipſum abſolutè Superiorem, vel Prælatum omnium, qui Choro adſunt, cum Superiores abſolutè ſint omnes aliæ Dignitates, & munere, & loco, & ita hic non debet præferri in his functionibus.

6 Vltimò addendum eſt pro hoc, & alijs duorum antecedentium Singularium reſolutionibus, omnia ſupra dicta intelligenda eſſe, niſi inveterata conſuetudo temporis decurſu, & Prælatorum ſcientia, & conſenſu confirmata perſeveret, ex cuius vigore hæc, & ſimiles functiones alijs perſonis, ſive ex Dignitatibus, ſeu Canonicis, aut Portionarijs, ſive ex alijs Sacerdotibus non capitularibus in aliquibus Eccleſijs cõpetat: Tunc enim conſuetudini ſtandum erit; nam ut rectè Gregorius Pontifex, *epiſt. ad Felicem Epiſcopum*, & affertur cauſa 25. *q.*7. *Abſit hoc à me, ut ſtatuta maiorum cum Sacerdotibus in qualibet Eccleſia infringam: mihi iniuriam facio, ſi fratrum meorum iura perturbo.* Et in ſimili S. Bernardus ſcribens ad Canonicos Legionenſes: *Contra Eccleſiæ ritum præſumpta nouitas mater eſt temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, & filia leuitatis.*

7 Hinc ſacra Rituum Congregatio decernit, obſervandam omnino conſuetudinem cuiuſque Eccleſiæ in his functionibus: ita quod ſi Canonico hebdomadario, vel alicui Dignitati ex immemorabili conſuetudine competunt, nihil inmutetur. Sic decrevit, *in Haſtenſi* 25. *Ianuarij* 1602. *in Hydañ* 30 *Ianuarij* 1616. *in Metropolitana* 3. *Septembris* 1616. Conſule Barbolam *de iure Eccleſi cap.*21. *n.*101. Idem ſentiendum, ſi extet in hoc caſu ſpeciale ius, aut cõſtitutio alicuius Eccleſiæ: Cuilibet enim ſive Cathedrali, ſive Collegiatæ, Parochiali, aut Regulari virorum, horum Singularium doctrina proportione ſervata aptanda eſt, ſemperque à novitatibus inducendis abhorrendum in his enim *ipſa mutatio conſuetudinis*, ut verbis Auguſtini *epiſt. ad Caſulum* utar, *etiam quæ utilitate adiuvat, nouitate perturbat.*

FINIS TRACTATVS VII.

AD SACROSANCTVM

ORDINIS SACRAMENTVM.

SINGVLARIVM

TRACTATVS OCTAVVS

DE RECITATIONE HORARVM.

SINGVLARE I.

VTrum Poſſint Epiſcopi pro ſuis Diæceſibus, & Regulares Prælati pro ſuis Religionibus, Officia propria Sanctorum, quos celebrant, condere, ut ea à ſibi Subditis ſine Sedis Apoſtolicæ approbatione recitentur?

1 AFFIRMATIVAM partem ſequi videtur Emmanuel Rodriguez *to.1.qq.q.42.art.21.* dicens: *Poſſe in Religionibus recitari Officia propria de his Sanctis*; (ſcilicet, quos Religio celebrat) *etiam ſi hæc Officia à Sede Apoſtolica non ſint approbata; dummodo digna ſint, ut approbentur, vel Religio eis utatur, animo ea à Sede Apoſtolica confirmandi.* Idem de Epiſcopis in ſuis Diæceſibus iudicare exiſtimandus eſt; cum ampliori hi, quam illi fungantur poteſtate; præcipuè circa divini Officij celebrationem. Nec illorum iuriſdictionem excedere videtur, pro Sancto in ſua Eccleſia colendo condere, & approbare Officium; vèl ſaltém lectiones: cum talis approbatio non ſit ex cauſis gravioribus, quas Sedes Apoſtolica ſibi reſervare ſolet.

2 Sed negativam partem ſtatuit Pius V. oppoſitam conſuetudinem ſic damnans, ſua ad Breviarium affixa Bulla, edita anno 1568. *In Provincias*, ait: *paulatim irrepſerat prava illa conſuetudo, ut Epiſcopi in Eccleſijs privatum ſibi quiſque Breviarium conficerent.* Et in ferius: *Statuentes, Horas ipſas diurnas, & nocturnas, ex huius Romani Breviarij præſcripto, & ratione omnino teneri: neminemque exijs, quibus hoc dicendi, pſallendique munus neceſſario impoſitum eſt, niſi hac ſola formula ſatisfacere poſſe:* ergo prohibentur Prælati, Officia ſubditis concedere; & ſi illa recitent, non ſatisfacient obligationi recitendi.

3 Noviſſimè hoc clariùs, prohibitum eſt à SS.D.N.Vrbano VIII. in decreto Congregationis Rituum ab ipſo approbato, die 29. Novembris 1603. quod ſic habet: *Sacra Rituum Congregatio declarauit, & decreuit, non potuiſſe poſt Bullam Pij V. de Breuiario Romano, nec poſſe locorum Ordinarios, tam ſæculares, quam Regulares addere Kalendarijs, etiam proprijs, Sanctorum Officia, niſi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricis, vel ſacræ Rituum Congregationis ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur: neque propria authoritate quouis prætextu mutare Ritum, qui habetur in Kalendario Romano, ſeu Rubricis Breuiarij in aliorem Ritum, neque extendere Officia de loco ad locum.* Et poſt alia decreta additur: *Facta demum relatione horum decretorum Sanctiſſimo Domino Vrbano Papæ VIII. ea laudauit, & approbauit, atque ab omnibus ubique ſub prædictis ſeruari præcipit, nec non in nouis Breuiarijs de mandato Sanctitatis ſuæ imprimendis apponi iuſſit.* Sic habetur in Breviario SS.D.N. impreſſo Antuerpiæ anno 1632. ac in alijs Romæ, Venetijs, & alibi excuſſis: ac huius decreti meminere Barboſa de Parocho *ca.10.n.12.* & Gavantus *in Breuiar. ſect.1.c.5.tit.2.num.9.*

4 In quo adverte non prohiberi, Ordinarios, Sanctos, vèl Canonizatos, vel Hiſpaniæ Naturales celebrare, vel in ſua Diæceſi celebrari facere; ad hoc enim, ut Tractatu antecedenti Sing 9. & 10. dicebamus, Sedis Apoſtolicæ licentia adeſt; ſed Officia ab illis, vel ab alijs condita, abſque eo quod ab ipſa Sede Apoſtolica approbẽtur, apponere, ad hoc ut ipſi recitent, vel recitari faciant; & hæc Officia damnantur, & prohibentur, quaſi libri prohibiti, & ſub pœna non ſatisfaciendi obligationi recitandi divinum Officium; ut eadem S. Rituum Congregatio declaravit 8. Aprilis, & 28. Octobris 1628. ut teſtantur Barboſa *ſup.* & Gavantus *n.1.* addens: quod, *Præter peccati mortalis*

lis reatum, quo afficitur ille, qui prædictis Officijs utitur, iudicio Episcoporum seuerè punitur: quod certè expressè habetur in Regula 10. in fine, & in Bulla Pij IV. 24. Martij 1564. pro eodem indice data. Quod si Officijs prædictis uti prohibitum est, à fortiori Missa non approbata â Sede Apostolica erit prohibita; cum hæc quid sacratius sit, & cuius compositio, editio, approbatio, & usus magis ad Pontificiam authoritatem, seu illorum, qui ipsius hac in re vices gerunt, in Sacra Rituum Congregatione spectant.

5 Hinc usus obtinuit, post Bullam Pij V. in Breviario positam, ut suarum Ecclesiarum singularia Officia Ordinarij componant, seu à viris doctis componi faciant, & antequam illis utantur ad Sedem Apostolicam, ut approbentur, remittant; sicque approbata suis in Diœcesibus recitãda proponant. Ita fecit D. Gaspar de Quiroga Archiepiscopus Toletanus, cuius Ecclesiæ Officia ab eodem remissa, approbavit Gregorius XIII. & Cordubensis Ecclesiæ ab eodem Põtifice approbata sunt, & â Sixto V. ea, quibus Hispalẽsis Ecclesia utitur, ac Archiepiscopus D. Rodericus de Castro remisit Romam; alijque Episcopi fecerunt similiter.

6 Et licèt nèque Ordinarij, neque quivis in particulari possint recitare Officia à Sede Apostolica non approbata: approbatis nihilominus, vel pro universali Ecclesia, vel pro aliqua Diœcesi, possunt pro sua singuli uti. Vnde cum Gregorius XIII. Officia, & lectiones particulares de Sanctis Martyribus Ioanne, Adulpho, Aurea, Petro, Vbistrimundo, Theodomiro, & Vbalabonso, pro Ecclesia Cordubensi, in qua sanguinem suum fuderunt, approbaverit; potest Ecclesia Hispalensis, quæ hos omnes Sanctos, ut Naturales, seu in ipsius Diœcesi natos, ut laté in meo libro de Sanctis Hispalensibus probavi; celebrat, uti ijsdem lectionibus, & Officijs, quę Cordubẽsi Ecclesię sunt concessa. Hoc sensu, & non alio approbat Laym. *l.* 4. *c.* 5 *n.* 6. sentẽtiam Emmanuelis supra relatam: *Et placet*, inquit, *mihi hæc doctrina Rodriguez, si lectiones de Sanctis proprijs, omni suspicione falsi carentes, antehac in Ecclesia recitari consuetæ fuerant: sin verò lectiones de Sancto noviter introducantur, satis apertè significatur in citata Rubr. 1. opus esse approbatione Sedis Apostolicæ.*

(:§:)

SINGVLARE II.

V. In Matutinis Vigiliæ nocturnæ plusquam per triginta horas inter se sine iusta causa, absque lethali culpa dividi possint; & ita Recitantes divino Officio, ac præcepto satisfacere valeant?

1 SVPPOSITA sententia, quam in nostra Ordinandorum instructione 5. *p.* §. 2. *n.* 15. cum Thoma Sanchez *to.* 2. *conf. t.* 2. *l.* 7. *dub.* 3. secuti sumus, videlicet, Matutinum cum Laudibus sequentis diei secunda hora post meridiem recitari posse; vel tertia cum Barbosa, Gavanto, Sâ, & Enriquez *apud Dianam p.* 1. *tract.* 12. *ref.* 14. Supposito etiam, quod usque ad horam noctis duodecimam diei sequentis inclusivè, recitandi Horas præceptum impleri potest ex communiori ferè Doctorum sententia, negativa pars tenenda videtur. Nam si interruptio in Horarum recitatione sit notabilis, & sine iusta causa, est peccatum mortale, nisi repetatur postea Officium, ut docent Navarrus, Suarez, Azorius, Reginaldus, Vazquez, Squillanté, Molfesius, Ragucius, Paulus Comitolus, Ioannes de la Cruz, Homobonus, & Carolus Macignus, quos citat Diana *su. resolut.* 4. ergo etiam erit interruptio Noturnorum per triginta horas, cum unicam Horam ex septem tres Vigilię nocturnę in Matutinis constituant, & interruptio fiat non solùm per maximum tempus; quale foret à tertia post meridiem unius diei ad nonam, vel undecimam diei sequentis; sed etiam per diversos dies.

2 Præterea, quia si hæc interruptio licet inter eiusdem Matutini Nocturna, etiam inter Psalmos eiusdẽ Nocturni, & Laudum, licebit: quod omnino absurdum videtur, cum per eam temporis distantiam non uniantur moraliter Psalmi priores cũ posterioribus; immo nec nocturnæ Vigiliæ inter se; nec unicam efficiant Horam, qualis est Matutinorum. Vltimo, quia si tres Vigilias nocturnas per unam, vel duas, aut plures horas seiungi à se iusta de causa fas esse docent Navarrus *de orat. c.* 3. *n.* 64. & Azor *to.* 1. *l.* 10. *c.* 8. *quæs.* 4. ergo sine causa, & per triginta horas interrumpere nefas erit, & magnum peccatum.

3 Nihilominus arbitror, non peccare lethaliter eũ, qui Nocturna prędicto modo divideret; hoc est per triginta horas inter se, etiam sine ulla causa, nec teneri repetere die

die ſequenti Vigiliam Nocturnam, vel Nocturnas Vigilias, quas ab hora ſecunda diei antecedentis recitavit. Probo ex ſententia Doctorum aſſerentium, interruptionem etiam magnam, & ſine cauſa, non eſſe lethalem, nec repetendum quod antea fuerat recitatum; ſed ſolùm venialem, quia verè tunc quoad ſubſtantiam adimpletur præceptum, & licèt ſit magna interruptio, eſt eadem hora continuata moraliter propter intentionem, quæ habetur, ſupplendi quod deeſt intra eũdem diem. Sic Aragon 2. 2. *q* 83. *art.*12. Rodriguez *to.*1. *c.*143 *n.*3. Peltanus *l.*3. *de bon.oper.c.*6. Zechius *ſum. c.* 83. *de Offi.n.*80. Zanardus *p.*2. *c.*23. *in* 3. *præc.* Leſius *l.*2.*c.* 37. *du.*10. *n.*57. Villalóbos *to.*1. *tr.* 24. *diſ.* 11. *n.*4. Bonacina *de hor. d.*1. *q.*3. *p.*2. §.1. *n.*29 Thomas Sanchez *to.*2. *conſ.l.*7. *c.*2. *du.*19. *n.*15. & alij.

4 Enim verò licèt in pſalmorum eiuſdem Horæ recitatione, v. g. Laudum, ea magna triginta horarum interruptio neganda eſſet; non tamen in prædicta Nocturnorum diviſione; cum ſingularis pro hac ratio occurrat, conſuetudo, ſcilicet, antiquiſſima dividendi nocturnas Vigilias in multis Eccleſijs per magnum [in ſolemni etiam recitatione] temporis ſpatium. *Antiquitus*, inquit, S. Thomas *lect.*6. *n.*1. *Corinth.*14. *dicebantur Nocturna diuiſim ſecundum tres Vigilias noctis.* Hanc conſuetudinem olim viguiſſe aſſerunt S. Iſidorus *l.*1. *de diuin. off.* Valerianus *l.*1. *de offi. c. de matut.* Amalarius *lib. de ordinat. Antiphon.* Vvaldenſis *de ſacram. c.* 24. & 28. Hugo de S. Victore *c.*6. 2. *de officij. c.*9. & 10. Suarez *l.*4. *de horis. c.*4. *n.*8. Navarrus *de orat. c.*3. *n.*7. Layman *l.*4. *tr.*1. *c.*2. *n.*2. Filiucius *to.* 2. *trac.*23. *c.*3 *n.*122. Bonacina *infra n.*5. Gavantus *in Brevi, ſect.*4. *c.*1. *n.*9. & alij; nam has Vigilias Eccleſia obſervabat inſtar Vigiliarum, quas obſervabant milites, ut videre eſt apud Cæſarem 1. *bell. gall.* & apud Barradam *to* 2. *l.*10. *c.*3.

5 Igitur in primativa Eccleſia (verbis utor Guilielmi Durandi *l.*5. *de Ritibus. c.*3.) *Miniſtri Eccleſiæ ter de nocte interpellatim ſurgebant ad diuinum Officium celebrandum. Surgebant enim primò pauliſper circa primum ſomnum, quãdo vulgus ſolet ire dormitum; ſecundo circa mediam noctem; tertiò ante diem; ſic ordinantes, ut Officium nocturnum, & finita lectiones cum ſuis reſponſorijs perlectæ eſſent priuſquàm luceſceret: apparente verò aurora, pulſatis campanis cantabatur: Te Deum Laudamus, & Matutinæ Laudes.* Ecce inter initium primi Nocturni, & finem tertij pluſquam octo horæ intercedebant, & Nocturna cum maxima interruptione, etiam in ſolemni Officio, in choro decantabantur. Quod in privata recitatione cuilibet modò liceat ſe accommodare primævæ inſtitutioni, docent Navarrus *c.*3. *n.*75. & Layman *c.*3. *n.*7. & rationes allatæ ſuadent: ac proinde quamlibet interruptionem licere cum cauſa, & ſine illa ſolùm eſſe venialem.

6 Confirmatur, & præcipuæ obiectioni reſpondetur; quia non eſt dubium, quin liceat ſine culpa lethali; etiam ſine cauſa, hora ſecunda poſt meridiem Matutinum privatim recitare, & die ſequenti, hora undecima noctis, Laudes dicere: Et tamen in Romana Eccleſia Laudes matutinæ cum Nocturnis non ſolùm iunguntur, & olim iungebantur, ut ex Clementina unica *de reliq. & venerat.* Amalario, & Hugone probat Layman *ſup.* ſed etiam unicam tantùm Horam conſtitui ex Nocturnis, ſeu ex Matutino, & Laudibus, communior eſt, & verior ſententia, quam tuentur, ſeptem tantummodò Horas Canonicas recenſentes, ut Sotus Garcia, Filiucius, Molfeſius, quos citat, & ſequitur Bonacina *d.*1. *q.*1. *p.*3 *n.*3. Item Sylveſter, Angelus, Tabiena, & alij apud Suarium *c.*6. *n.*6.

7 Ad ſecundum Reſpondetur: Doctores & rationes in argumento allatas non ſolùm loqui de magna Nocturnorũ inter ſe, ſed etiam de interruptione inter pſalmos & alias eiuſdem Horæ partes; tum quia per intentionem eas continuandi prius recitatæ cum alijs poſtea recitandis moraliter uniuntur; tum quia, ut loquitur Leſius *ſup. n.* 57. *Singuli pſalmi, immo ſinguli pene verſiculi per ſe ſuum habent pondus, & completam ſignificationem; ſuntque per ſe vel precatio quædam, vel laudatio, vel ſententia non habens neceſſariam cum alijs connexionem.* Et ut doctiſſimus quidam Societatis noſtræ Magiſter mihi dixit: Hora, vel pars quælibet cuiuſcumque Horæ, ſemel recitata, etiam ſine alia, ſeu ab alia diviſa, ita quaſi characterẽ (ut ſic loquar) imprimit, ut non ſit neceſſaria illius repetitio.

8 Ego verò, cum magna exiſtit interruptio inter pſalmos eiuſdem Nocturni, vel Laudum, præcipuè cum hæc diverſis diebus contigit, & ſine cauſa; ac in eodem die in Horis Minoribus, conſulerem ut ab initio ſaltèm Nocturni, pſalmi repeterentur, ut monent Navarrus *c.*19. *n.*70. Comitolus *l.*1. *q.*66. & Laym. *c.*5. *n.*7. licèt, hoc non ſit neceſſarium, ut obligationi ſatisfiat, etiam ſi per magnum tempus interruptio fiat ſine cauſa, & etiam ſi fiat cum animo repetendi, & non ſatisfaciendi cum parte iam recitata; quod docent præter Doctores ſup. n. 3. relatos Paulus Squillas *p.* 1. *dub.*12. Vaz-

quez *opuſc. de benef. c. 4. §. 1. dub. 7. n. 114* Molineſius *tract. 5 c. 2. n. 40. & 52.* Garcia de benef. *tr. 3 c. 1. n. 198.* Valentia *to. 3. d. 6. q. 2. p. 10.* Naldus *verb. Officium. n. 3. & 8.* Filiucius *to. 2. tr. 23. c. 8. quæſt. 1. n. 251.* Enriquez *de Miſſ. c. 25. n. 6.* Francolin. *de temp. c. 27.* Macignus *c. 87. n. 26.* Reginaldus *l. 18. n. 150.* & alij. Circa cauſas excuſantes à veniali interruptionem, conſule Azorium *to. 1 l. 10. c. 8. q. 3.* & Sanchez, *ſup. n. 2.*

SINGVLARE III.

V. Lectiones in Matutinis dividi poſſint à Pſalmorum recitatione per quodcumque temporis ſpatium?

1 SIc hac in re ſentit Layman *trac. 1. c. 5. n. 7. fine. Si quis dictis pſalmis matutinis non habeat ſermones ad manum, vel eos ratione utneris, v. g. legere non poſſit, atque inſtet cauſa, ſiue neceſſitas aliqua exſolvendi ſe penſo canonico, permiſſum ei eſt ſermones differre, & cetera, etiam Laudes, perſoluere, teſte Philiarco p. 1. l. 1. c. 6. concl. 1. Eademque ratio eſt, ſi commemoratio de feſto, vel aliquid ſimile ad manum non ſit.*

2 Dico igitur poſſe abſque culpa gravi, ſine cauſa, & cum hac abique ulla culpa dividi Lectiones ſive tres, ſive novem ſint, à Pſalmodia eiuſdem Matutini per quodcumque temporis ſpatium à ſecunda hora poſt meridiem unius diei, ad undecimam, noctis diei ſequentis, ut de nocturnis dicebamus, rationeſque fere omnes pro reſolutione Singularis præcedentis allatæ perſuadent hanc aſſertionem, & tenent ex conſequenti, & à fortiori Doctores relati, qui magnam etiam inter Pſalmos eiuſdem Horæ interruptionem licitam eſſe concedunt: maior enim connexio datur, & maior unitas moralis debet dari inter verſus eiuſdem pſalmi, immo inter pſalmos eiuſdem Horæ, quàm inter pſalmos nocturnorum, & lectiones; hæ enim reſpectu pſalmorum ſunt velut quid etherogeneum, & verſus illorum inter ſe ſunt velut quid homogeneum.

3 Quo forſan attendens Eccleſia pſalmos omnes, verſuſque eorum cum Antiphonis cantari dicit; ſermones verò & hiſtorias, vel prophetias libroſque Scripturarum non cani, ſed legi; immo & audiri ſufficit, ſive in Choro, ſive extra illum, cum ab alijs cãtantur, vel leguntur, ut notant Navarrus *c. 10. de orat. n. 16.* & Layman *n. 8.* Hinc Lectiones appellantur, ut notant Durandus *l. 5. c. 2.* & Gavantus *in Breu. ſect. 5. c. 12. n. 1.* Adde quod harum lectionum uſus (quem antiquiſſimum eſſe ex Gregorio XII. Geleſio. 1. Concilio III. Cartaginenſi *c 47.* & Laodicenſi probat Suarius *l. 4. de hor. c. 2. n. 16.*) originem duxit a Lectionibus, quę fiebant in Scholis Patrum, ut notat Amalarius *l. 4. c. 9.* vel iuxta Iſidorum *l. 1. de offi. c. 10.* ab Hebræis, qui certis diebus legebant de lege, & Prophetis in Sinagogis; & in utroquè eventu, ſine Pſalmis legebantur. Vnde videtur colligi lectiones divini Officij, ad prædictarum inſtar inſtitutas, in Officio non ita magnam connexionem cum Pſalmis habere: ergo ab ipſis ſeparabiliſſimæ ſunt.

4 Sed oppones: Pſalmi ſeparati à Lectionibus non ſunt Officium divinum, nec illius pars, ſed Pſalterij, aut Bibliæ fragmentum: ergo in Officij divini recitatione ab illis ſeparari nequeunt. Probatur hoc ex ſententia Garciæ *de benef. to. 1. p. 3. n. 221.* Malderi *2. 2. tr. 10 c. 2. dub. 5.* Navarri, & Suarij apud Filiucium *to. 2. tr. 23. n. 287.* qui ait: *Siquis non habens Breuiarium poſſit recitare memoriter totum Officium, vel integram aliquam Horam, tenetur: ſi autem pſalmos tantùm ſciat, non autem lectiones, orationem, & capitula, non tenetur. Ratio eſt, quia illi pſalmi ut ſic, non ſunt Hora canonica, ad quam Clericus tenetur.*

5 R. Pſalmos ut ſic, ſine ulla relatione ad lectiones, & orationes non eſſe Officium divinum; eſſe verò cum relatione ad illas. Cum ergo qui Pſalmos recitavit intentionem habeat recitandi poſtea intra terminum ab Eccleſia, vel Doctoribus aſſignatum, lectiones, illi pſalmi intentionaliter perſeverantes, moraliter cum illis uniuntur, & conſtituunt unum morale divini Officij corpus, ut Singulari antecedenti dicebamus.

SINGVLARE IV.

U. Sacerdos Hiſpanus, Regis Hiſpani ſubditus, & extra eius Regna commorans, poſſit uti Bulla Compoſitionis quoad fructus beneficiorum ex omiſſione Horarum Canonicarum reſtituendos?

1 SVPPONENDA eſt in primis facultas circa hanc compoſitionem Commiſſario Cruciatæ conceſſa, quæ ſic in Bulla latina habetur: *Item etiam datur facultas Commiſſario componendi cum his, qui ad reſtitutionem fructuum ex omiſſione Horarum canonicarum tenentur; ita ut quan-*

quantitas compoſitionis pro medietate Eccleſijs, vel alijs locis, quorum, vel quarum ratione Horas prædictas recitare debent, & pro altera medietate in ſubventione hujus negotij detur. Et hoc in ſummario hiſpano ſic explicatur: *Item ſe puede componer ſobre los fructos de beneficios, y otras Rentas Eccleſiaſticas mal avidas, y llevadas por defecto de no aver rezado las Oras Canonicas, conque demas, y allende de los dos Reales, que ſe an de dar en limoſna por la compoſicion de los dichos dos mil maravedis, aya de dar la perſona, que aſsi ſe compuſiere de los dichos frutos, otros dos Reales, a la Fabrica de la Igleſia de donde fuere el tal beneficio, porque hiziere la compoſicion; y al meſmo reſpecto de lo que mas ſe compuſiere, y por el orden ſuſodicho, y declarado.*

2 In quibus advertas 1. Singulis Bullis valorem duorum millium marapetinorum componi uſque ad centum millia marapetinos; & ſi hanc excedat quantitatem reſtitutio facienda, ad Commiſſarium recurrendum erit ut huic exceſſui componendo ſingularem concedat facultatem. Sic ex Bulla conſtat; & latè explicant Trulenc. *l. 3. caſ. 2. dub. 3.* & Ludovicus à Cruce *diſp. 3. in proæm.*

3 II. Quod non licet hæc compoſitio in quotidianis diſtributionibus perceptis à Canonico, qui Choro non adfuit Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegialis: hæ enim ipſo facto, & ex quo Præbendatus non intereſt, cedunt alijs, & diſtribuuntur inter reliquos Canonicos vel Prebendatos preſentes, ut præcipitur *in cap. 1. de Cleric. non reſidentib.* & in Tridentino. Nec etiam locum habet cõpoſitio, quando lex, vel conſuetudo vigent, ut ſimiles abſentium, aut malè percepti fructus in aliqua pia opera conſumantur. Nec etiam cum quis nõ reſidet in proprio beneficio, in quo tenetur reſidere: tũc enim talis non facit fructus ſuos, ut ex cap. *Conquerente, de Cleric. non reſid.* & Tridentino *ſeſ. 6. c. 1. & ſeſ. 21. c. 1.* conſtat. Hæc omnia probata invenies ab Emmanueli in hac Bulla *§. unico n. 16. & 18.* Enriquez *l. 7. c. 136.* & Ludovico de la Cruz *d. 2. dub. 8.* Denique nec licet hæc compoſitio, cum ex illius fiducia recitationem quis omiſit, ut dicemus Singulari ſequenti.

4 His poſitis, negativam partem ſatis oſtendere videntur ipſamet Bullæ verba; cũ illius conceſſio facta ſit, ut præfatur Pius V. in ea, quæ incipit: *Cum antea Reſpublica, &c.* edita anno 1571. *Ipſi Philippo Regi, huic operi incumbenti; præterea omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, in Hiſpaniarum Regnis, & illis adiacentibus, nec non Sardiniæ Inſulis conſiſtentibus, & ad illa declinantibus.* Sic etiam habet Bulla Pauli V. anno 1619. & Vrbani VIII. 1629. Et in hiſpano ſummario exprimitur: *Bulla de la S. Cruzada concedida por la Santidad del Papa Paulo V. de feliz recordacion, y mandada publicar por N. muy S. P. Vrbano VIII. para en los Reynos de Eſpaña, e Iſlas a ellos adiacentes, y en los Reynos de Sicilia, y Cerdeña, en favor de los que ayudaren en la guerra, y gaſtos della al Rey Filipe IV. N. S.* Igitur, ſi pro conſiſtentibus in Hiſpaniæ Regnis conceditur hæc Bulla Cruciatæ, & Bulla Compoſitioni, (quæ eſt eadem, ſeu quædam Cruciatæ pars) & ijs, quibus illa, hæc etiam conceditur, ut ſupponunt Doctores, Rodriguez *hic n. 12.* Enriquez *l. 7. de indulg. c. 34. n. 3.* Trulench. *dub. 2. n. 1.* & alij, extra illa Regna degentes illius privilegijs minimè frui valent: aliter omnes Fideles, totius orbis Incolæ Bulla hac fruerentur, quod eſt abſurdum.

5 Dicendum eſt 1. Sacerdos, vel quivis alius Horarum recitationi adſtrictus, ſive ſit Hiſpanus ſive Exterus, accipiens Bullam in qualibet Hiſpaniæ, vel Inſularum adiacentium parte, ſi poſtea ſe Romam, v. g. aut ad aliam orbis plagam, pro qua non conceditur Bulla, ſe conferat, poteſt ibi præfata compoſitione uti, ſicut & alijs Bullæ Cruciatæ, Compoſitionis, & Defunctorum privilegijs, excepto ovorum, & lacticiniorum eſſu. Ita docent Emmanuel Rodriguez *in Bulla §. 1. dubio. 3. & addit. §. 6.* Antonius Gomez *in Bul. c. 3. n. 1.* Villalobos *to. 1. tr. 27. clauſ. 1. n 1.* Enriquez *l. 7. de indulg. c. 20. n. 6.* Vega *to. 1. ſum. l. 3. caſu 274.* Diana *1. p. tr. 11. reſol. 1.* Fernandez *exam. p. 3. c. 9. §. 2. n 3.* Sùarez *de leg. l. 8. c. 26. n. 4.* Trulench. *in Bul. l. 1 §. 1. dub. 5. n. 3.* & ut ipſe ait, communiter Doctores, ac ex Bulla conſtat; ſiquidem ipſa conceditur ad Regna Hiſpaniæ declinantibus: ſufficit enim, ut docent hi, & alij Theologi, quod ſint in Hiſpaniæ regno, cum accipiunt Bullam.

6 Immo, ſi quis Gallus, v. g. aut Italus veniret in Hiſpaniam animo tolùm accipiendi Bullam, & ea accepta ſtatim in patriam revertatur, poſſet illius privilegijs gaudere: quia Bulla non requirit, ut in Hiſpania commoretur, vel ſubſideat, ſed quòd in ea ſit, dum accipit, ut patet ex verbis, *vel ad illam declinantibus*: ex quibus declinaſſe ſat eſt: declinare autem, eſt deflectere, accedere. Sic Livius: *Si quò inde agmẽ declinare voluiſſem.* Sic *Numer. 21.* dicitur: *Non declinauimus in agros* & 1. *Machabeor. 5. Declinauit in Ioppen.* 1. acceſſit, & Cantic. *c. At ille declinauerat, atque tranſierat.* Nec Bulla diſtinguit, an hac, vel illa cauſa accedat; & *Vbi lex, aut privilegium non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.*

7 Hoc negant Cruz *d.* 1. *c.* 1. *dub.* 3. Trulench. *l.* 1. *§.* 1. *dub.* 5. *n.* 2. ſed immerito; nam abſolutè nõ eſt infraudẽ legis, quod acceptu-rus Bullam, accipiẽdi cauſa declinaverit in Hiſpaniam, quia ſic accipiens Bullam utitur iure ſuo; ſiquidem illa ſolùm requirit, ut exiſtat intra Hiſpaniam cum accipitur; quamvis ſolúm exiſtat, ut eam accipiat, & occaſione privilegiorum faciliùs in peccata labatur. Ita etiam ſi quis Hiſpaniæ Domiciliarius Bullam acciperet, vel iubileum lucrari vellet, ut eius fiducia in reſervata labi poſſet, & laberetur re ipſa, iuxta communiorem ſententiam poſſet uti his indultis. De iubileo ita Filiucius, Ledeſma, Lugo, Villalobos, Sanchez, Diana; ac de Cruciata Bellarminus, Sâ, Curiel, Acoſta, Cordova; & alij, quos attuli *tract. de inhil. duar. hebdomadarum. c.* 22. *n.* 4.

8 Dicendum eſt. 2. Probabile eſſe, quem libet Sacerdotem, vel adſtrictum Horis Canonicis, ſubditum Regis Hiſpaniæ, uti poſſe prædicta compoſitione, & gaudere Bullæ privilegijs, excepto lacticiniorũ & ovorum eſſu, etiam ſi exiſtat extra Hiſpaniæ Regna, & extra illa commoretur; dummodo alius pro predicto Bullam in Hiſpania accipiat. Probatur. 1. Quia in ipſa Bulla latina ſolùm excipiuntur, ſeu arcentur à privilegijs veſcendi ova, & lacticinia, atque etiam carnes de utriuſque Medici conſenſu ij, qui extra Regna hæc commorantur: *Item*, inquit, Pius V. in Bulla relata, *ut dicto biennio durante intra ipſa Hiſpaniarum Regna, & non extra, carnibus de conſilio utriuſque Medici, temporibus ieiuniorum totius anni, etiam quadrageſimalium veſci, ac pro eorum libito ovis, & lacticiniis, &c.* ergo reliqua privilegia poterunt illis prodeſſe, cum *Exceptio, ſeu caſus exceptus firmet regulam in contrarium, l. nam quod liquide. §. fin. primo reſponſo. ff. de penu lega. l. Quæſitum. §. idem reſpondit, & ibi Gloſſa verbo non poteſt. ff. de fund. inſtructor. c.* 2. *de coniugio leproſor.* Menochius *de arbitr. l.* 1. *q.* 30. *n.* 4. Surdus *conſ.* 303. *n.* 11. *Cardinalis Seraphinus Rotæ Rom. deciſ. n.* 7. Farinacius *prax. p.* 4. *conſ.* 65. *n.* 74. *& apud eum deciſ.* 51. *n.* 10. Rota Romana.

9 Confirmatur; Quia, ut Vega *ſup.* & alij Doctores docent, ideo prohibetur hoc extra Hiſpaniam, quia ſcandalum oriretur; cum publicè fiat apud Exteros; ſed nullum orietur ex hac compoſitione, cum ſecretò fiat, & in conſcientiæ foro tantúm: ergo fieri poteſt.

10 Probatur. 2. Quia ad indagandam vim legum, & privilegiorum, *Cauſa finalis diligenter inſpicienda eſt*, iuxta utriuſque iuris Doctores *in l. verum, de furtis.* Vnde communis Iuriſperitorum, & Theologorum ſtatuit, quod *Ceſſante cauſa finali legis in totum, ceſſat ipſa lex.* Sic Alphonſus â Caſtro, Sylveſter, Suarius, Azorius, Covarruvias, Aragonius, Gutierrez, Salas, & alij apud Bonacinam *de leg. d.* 1. *q.* 1. *p.* 10. *§.* 1. *n.* 1. *&* 2. & de privilegijs docet ipſe cum alijs *d.* 1. *de priuil. q.* 3. *p.* 8. *§.* 2. *n.* 4. ſed cauſa finalis, ſeu finis præcipuus conceſſionis Cruciatæ, & Compoſitionis, eſt ſubſidium Regi Catholico pro belli expenſis impenſum, vel a ſuis Subditis, vel ab alijs, qui tamen ad eiuſdem Regis regna declinent: ergo licêt extra Hiſpaniarum regna commorentur, dummodò ſint Vaſſalli, ſeu Subditi Regis Chatolici, non eſt cur Cruciata priventur; æquè enim finis conceſſionis perſiſtit, ſive ij exiſtentes in Hiſpania, ſive extra illam pecunias in ſubſidium belli contribuant.

11 Doctrina de ceſſante, aut non ceſſante fine, præcipué locum habet, ut docent Ludovicus Rodolphinus *var. qq. l.* 2. *q.* 35. *n.* 16. & Barboſa *de princ Iur lit. C. n.* 11 cum cauſa expreſſa eſt in lege, ſtatuto, aut privilegio, ut expreſſa eſt in hac Bulla, & ſic in ſummario latino Pij V. dicitur: *Concedit inſuper omnibus prædictis, nec non his, qui nec ibunt, nec mittunt ſi ex bonis à Deo ſibi collatis, in hanc expeditionem liberaliter pro Religionis defenſione contulerint, &c.* Clariùſque in hiſpano: *Bulla de la Cruzada, &c. En fauor de los que ayudaren, o firmeren en la guerra, o gaſtos della al Rey don Felipe Quarto, &c.*

12 Confirmatur 1. Quia hæc Bulla præcipuè conceſſa eſt in favorem Nationis Hiſpanæ, illiuſque Regis: ergo ubicumque inveniatur quicumque Hiſpanus gaudere illa valebit; ſicut ubicumque inveniatur Religioſus frui poteſt privilegijs conceſſis in favorem ſuæ Religionis. Confirmatur 2. Quia ſæpius continget, plures Hiſpanos Eccleſiaſticos, Regulares, & Sæculares detentos eſſe in Italia, Gallia, Anglia, & alijs orbis plagis, ubi Bulla nõ eſt, in rebus magni momenti, & in ordine ad obſequium Regis Catholici, nec non rectam bellorum contra Turcos, & alios infideles expeditionem; ut cum in his regnis pro Hiſpania legationẽ funguntur Comites, Duces Epiſcopi, ac alij viri nobiliſſimi. Quis igitur dubitabit, hos privandos non eſſe Bullæ Cruciatæ privilegijs; cum hæc conceſſa ſit tum Regi Catholico, tum ipſius Vaſſallis ad bellorum ſubſidium concurrentibus; cum hi, & ſint Vaſalli, & Regi, ac bello ijs in Regionibus maximè deſerviant? Aliter privilegium hoc pro Rege, & ipſi obſequentibus in bellorum expeditione conceſſum

in

in ipsos retorqueretur; contra iuris regulam: *Beneficium propter aliquem concessum in eum de minimè retorquendum: l. Si iudex. ff. de mino.* Aliæ probationes, & ad oppositum fundamentum responsio sequenti Singulari proponentur.

13 Sed ne videatur hæc sententia absque vllo authoritatis adminiculo nũc prodire, Ludovicus de la Cruz legatur, qui testatur esse aliquorum Doctorum sic dub. 3. cuius titulus est: *Verum Bulla accepta nomine Hispani subditi Regis, sed extra eius ditionem commorantis prosit illi; atque idem quæritur de eo, qui nec Regis Hispaniarum subditus est, nec in eius Regnis commoratur, &c?* Respondet n. 1. *Nonnulli Recentiores tenent partem affirmatiuam.* Et *n.* 4. *Hæc opinio videtur mihi probabilis.*

SINGVLARE V.

V. Italus habens beneficium in Hispania, & in Italia commorans, vel ipse, aut Hispanus habens beneficium in Italia, & in Hispania commorans, possint vti Bulla Compositionis quoad fructus suorum beneficiorum restituendos, ex omissione Horarum iniustè adquisitos?

1 POsse his hanc compositionem, immo & alia Cruciatæ privilegia prodesse, existimabunt sine dubio Recentiores immediatè à Ludovico de la Cruz relati; siquidem ad fruendum Cruciatæ privilegijs neque in Subdito, neque in non Subdito Regis Catholici præsentiam, aut existentiam in Hispania requirũt.

2 Igitur, quod Italus, Gallus, aut Anglus, alijve Exteri habentes Ecclesiasticum beneficium, aut capellaniam in Hispania, & extra illam commorantes; dummodò alius pro ipsis Bullam in Hispania sumat, ad bellique subsidium eleemosynam impendãt, possint compositione præfata gaudere, probatur. 1. Quia si ipsi ad Hispaniam accedant, & in illa sumant Bullam, poterunt: ergo poterunt, si alius pro ipsis in Hispania eam sumat; cum non sit necessarium, ut quis per se ipsum, sed sufficit ut per aliũ sumat Bullam; ut cum communi Doctorum probant Cruz *disp.* 1. *c.* 1. *dub.* 1. & Trullench *l.* 1. §. 1. *dub.* 3. Et quemadmodum nihil refert quod per se, aut per alium Bullam accipiat; sic nec quod non sit Subditus Regis, vel non Hispanus, aut sit Alienigena, obstat præcipuo Bullæ fini [ad quem attendendum in his concessionibus diximus supra] qui est subsidium peccuniarum Regi impertum ad bellum cõtra infideles; dummodò aliquis impendat pro Bulla eleemosynam taxatam: ergo, &c.

3 Porro hæ rationes, quæ etiam militant in Alienigena, non habente in Hispania beneficium; in habente vrgentiores erunt; & de his nominatim probatur. 1. Quia per beneficium, aut capellaniam constituitur Clericus Domiciliarius, & Civis illius Diœcesis, vel loci; & a fortiori illius Regni; in quo situm est beneficium, dum illud possidet. Sic Bartolus *in l. hæres absens. §. proinde. n.* 5. *ff. de iudic. & in l.* 1. *n.* 13 *ff. ad municipal. Præl. in repet. rub. §.* 39. *n.* 1. Boerius *decis.* 260. *n.* 20. Cardosus *prax. iudic verb. domic. n.* 6. Tuschus *verb. Cives conc.* 275. ac plures alij Iurisperiti.

4 Ex ijs, & Theologis, innumeri docent, ratione beneficij, sicut & Originis, & Domicilij Subditum, & Diœcesanum Episcopi, quemlibet constitui. Sic Emmanuel Rodriguez *to.* 1. *q.* 18. *art* 4. Comitolus *respons. moral. l.* 6. *q.* 46. Fornar. *de ord. c.* 5. *n.* 6. Praxis Epitcop. *p.* 1. *c.* 1. *à n.* 8. *pag.* 27. Enriquez *l.* 10. *c.* 24. *n.* 1. Quaranta *verb. ord.* Lesius *l.* 2. *c.* 44. *dub.* 19. *n.* 92. Riccius *prax. decis.* 298. *in edit.* 1. Campanillus *diuers. iur. Canonic. rub.* 9. *c.* 8 Bonacina *de sacr. d.* 8. *q. un. p.* 4. *n.* 8. Garcia *de benef. p.* 7. *c.* 9. *n.* 22. & alij: ac habetur *c. cum nullus, de temp. ordinat. l.* 6. & in Tridentino *c.* 6. *ss.* 23. *de reform.* Igitur, si hic Italus ratione beneficij est Domiciliarius, Civis, Subditus, & Diœcesanus Hispaniæ, quoad Ecclesiasticam, seu quoad Ordines, Bulla cõcessa pro Hispanis, & in Hispania consistentibus, illi proderit, quantum ad Ecclesiasticam Horarum recitationem, ita cum Ordinibus connexam.

5 Probatur. 2. Quia ut Singulari 4. dicebamus, Quilibet Capellanus, aut Beneficiarius est pars, & membrum illius Ecclesiæ, in qua possidet beneficium; & illius Ecclesiæ privilegijs gaudet, etiam si alibi existat: ergo Italus, etiam si in Italia degat, membrum erit Ecclesiæ Hispaniæ, in qua beneficium habet, & Bulla Compositionis in favorem Ecclesiarum, & beneficiorum Hispaniæ concessa, gaudere valebit. Et si potest, ac iuxta aliquos tenetur, se accommodare in Horarũ recitatione Ecclesiæ sui beneficij, ut ibi diximus; etiam se poterit accommodare illi Ecclesiæ in modo restitutionis faciendæ ex recitationis omissione.

6 Posterior Singularis huius pars probatione non eget: cum enim Bulla concedat compositionem prædictam consistentibus

intra

intra Hiſpaniæ Regna, & non diſtinguat, an hi ſint Alienigenæ, vel Hiſpani, vel an beneficium, de cuius fructibus iniuſtè ad quiſitis compoſitionem concedit, ſit in Hiſpania, vel extra illam, ſed generaliter de omnibus perſonis conſiſtentibus, & de cunctis fructibus loquatur ſine ulla limitatione, aut diſtinctione, non eſt á nobis addenda, vel fingenda: Nam ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguemus.

7 Ad fundamentum oppoſitum huius, & Singularis antecedentis reſolutioni R. verum eſſe Bullam concedi Regi, & in ipſius Regnis conſiſtentibus; ſed ad hoc non requiritur, quod cum quis Bullæ privilegio actualiter fruitur, in Hiſpania exiſtat corporali præſentia; quod patet in eo, qui in Hiſpania eam accepit, & Italiam ſtatim 10 adiens, ibique in caſus reſervatos incidens, & vota emittens; tunc virtute Cruciatæ in Italia à caſibus abſolvi, poteſt & vota eius commutari, ut iam docuimus. Neque neceſſarium iu dico ad fruendum his privilegijs, quod ipſe corporaliter exiſtat in Regnis Hiſpaniæ; cum Bulla pro ipſo accipitur, nam ſi Hiſpali v. g. pro illo exiſtenti Romæ, amicus Bullam accepit, & tunc ipſe eo anno Hiſpalim accedit, poteſt tunc Bulla uti, ut aſſerit cum Recentioribus, quos tacitè n ominat, Trulenc. *dub.* 3. *n.* 1. Igitur ly *Conſiſtentibus in Hiſpaniæ Regnis*, forſan eſt idem, ac ad Hiſpaniæ Regē, aut illius Regnum aliquo titulo pertinentibus, ut pertinent Vaſſallus, Beneficiarius, & Capellanus Hiſpaniæ, etiam ſi extra illam exiſtant.

8 Nec levis coniectura pro hac explicatione eſt verbum *Dominijs*, quod in ſuis Bullis addidere Paulus V. & Vrbanus VIII. Bu- 11 llam concedentes; *Philippo Hiſpaniarum Regi, ac omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus in Regnis, ac Dominijs Hiſpaniarum conſiſtentibus*: nam ly, *in Dominijs*, idem eſt ac *Sub Dominijs*; ſæpiſſime enim propoſitionem *In*, pro, *Sub*, latina linguâ uſurpat. Cum ergo Clericus Hiſpanus, de quo Singulari antecedenti, vel Alienigena habēs in Hiſpania beneficium, de quo in hoc, ratione originis, nativitatis, aut beneficij ſit Domiciliarius, Subditus, & 12 quaſi Civis Hiſpaniæ; in dominio, & ſub dominio illius Regni, & Regis eſt.

9 Præterea pro Alienigenis, nec in Hiſpania commorantibus, nec ad illam declinātibus, nec in ea beneficium poſſidentibus, ſic Recentiores propoſito, & oppoſito fundamento ſatisfaciunt apud Ludovicum á Cruz *dub.* 3. *n.* 3. *Neque obſtare videntur*, inquit, *ſi dicas in Bulla ſolùm fieri mentionem de ijs, qui in Regnis Hiſpaniarum commorantur, ac de ijs, qui ad ea Regna declinant. Reſpondetur enim Pontificis intentionem ſolùm eſſe, quod in prædictis Regnis dumtaxat fieret publicatio, cum Bulla expediatur in fauorem Regis Hiſpaniarum; huic tamen fini maximè conſonum eſt, ut quicumque velit, ibi diploma accipiat, ſiue perſonaliter adveniat, ſiue pro ſe alium mittat.* Hæc illē. Denique *Priuilegij, & legis finis, & legem ferentis intentio, aut mens magis ſunt attendenda, quam verba*, ut ſtatuunt lex, *Scire leges. ff. de legib.* lex, *non aliter. ff. de legat.* 3. *l. nominis, & rei. §. verbum ex lex. de verb. ſignif.* Surd. *deciſ.* 35. *n.* 14. ac Marcus Antonius Genuenſis *in præct. Eccleſ. q.* 144. *n.* 3. ergo idem curandum eſt in priuilegijs Cruciatæ; ac conſtat, quod ſalva hac ſententia, fini & intentioni privilegij fieri ſatis ſuperquè, & ſi non adeo verbis.

Nec de eſt aliqualis conſiſtentia, aut præſentia moralis huiuſmodi Alienigenis, vel Hiſpanis ab Hiſpania abſentibus; cum in illa pro ipſis amicus, vel conſanguineus accipit Bullam; nam moraliter quoad voluntatem, & quaſi poteſtatem, aut authoritatē recipiendi adſunt; cum ipſi hanc actionem amico, v. g. commendant, & quaſi facere exiſtimantur: nam *Facere per ſe videtur, qui per alium facit*, ut ex *l.* 1. *§. deiecceſſe. ff. deui; & vi. arm. l. ita. §. quod ſi quis. ff. de adminiſtrat. tutor. l. ſi per alium. ff. nequis eum, & alibi* docent Flaminius *de confident. q.* 28. *n.* 83. Gomez, *vari. to.* 3. *c.* 3. *n.* 39. Riccius *prax. reſol.* 564. *n.* 3. Et ut *ex l. hac. edicta. §. ſi verò pluſ. c. de ſecund. nupt.* docet Barboſa *de princ. Iuris lit. F. n.* 1. *Paria ſunt facere per ſe, aut per interpoſitam perſonam.* Sic cum quis per Procuratorem auditur, & litigat, aut matrimonium ducit; præſens adeſſe exiſtimatur.

Confirmatur hæc, & prióris Singularis reſolutio ex Suario *de relig. to.* 2. *l.* 6. *c.* 16. *n.* 3. Enriquez *l.* 6. *c.* 16. *n.* 3. Villalobos *to.* 1. *tr.* 27. Raphaele de la Torre *in* 22. *to.* 2. *q.* 88. *ar.* 12. *diſp. ult. n.* 2. Diana *tr.* 11. *p.* 1. *reſ.* 98. Trulench. *procm. dub.* 8. *n.* 4. & alijs aſſerentibus, privilegia Cruciatæ, ut pote Principum beneficia, ad abſolutionem melius cōſequendam conducentia, latè interpretenda, & ad caſus, ſimiles expreſſis extendenda eſſe.

Porro, quod in his fructibus iniuſtè ex- omiſſione Horarum perceptis, ſicut & in alijs rebus, circa quas conceditur compoſitio, locum hæc nō habeat, ſi ex prava huius Bullæ confidentia iniuſtè fuerint acquiſitæ, ſtatuit ipſa dicens: *Con tanto que el que ſe uviere de componer, no aya avido las coſas, de que aſsi ſe compuſiere en confianza deſta compoſicion; porque entonces eſtará obligado a reſtituyr a la ſanta Cruzada.* Enim verō tunc ādquiritur aliquid ex confidentia huius Bullæ, cum illa,

ſeu

ſeu propoſitum illam ſumendi, eſt cauſa totalis poſitivè movens ad acquirendum, ita ut non moveretur v. g. ad omittendas Horas, niſi quia videt facilem eſſe per Bullam compoſitionem: ſecus erit cum notitia huius Bullę ſolùm eſt cauſa facilitans, ut quando quis iam decreverat iniuſtè omittere Horam, & adquirire, & ex Bulla ſuſcepta, vel ſuſcipienda facilius omittat, ac ex confidentia, etiam cum peccato, retineat. Sic explicant Cruz *d. 3. dub.* 5. Trulenc. *l. 2. dub. 2. n. 2.* & Enriq. *l. 7. de indulg. c. 34. n. 3.*

SINGVLARE VI.

An reſtituere teneatur Capellanus non recitans, ſi alius pro ipſo recitet; vel ſi ipſe ex bonis patrimonialibus Capellaniam erexit; vel recitet alio die penſum prætermiſſum?

1 VTRIVSQVE dubij reſolutio conſtabit ex decreto Concilij Lateranenſis ſub Leone X. *ſeſſ. 9.* expoſito à Pio V. in Bulla edita Romæ anno 1571. & affertur à Quaranta verb. *Hora Canonica*, ac ſic ſe habet: *Ex proximo Lateranenſi Concilio pia, & ſalubris ſanctio emanauit, ut quicumque habens beneficium Eccleſiaſticum, cum cura, & ſine cura; ſi poſt ſex menſes quàm illum obtinuerit, diuinũ Officium, legitimo ceſſante impedimento, non dixerit; beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis Officij, & temporis, ſuos non faciat, ſed eos tanquam iniuſtè perceptos in fabricas ipſorum beneficiorum, vel pauperũ eleemoſynas erogare teneatur, &c.* Poſtea ſtatuit quantitatem reſtitutionis conmenſurandam quantitati Horæ, vel Horarum omiſſarum. Vide circa hanc conmenſurationem Suarium *de Horis l. 4. cap. 30.* Vazquium *opuſc. de benef. c. 4 §. 1. art. 1. dub. 8. & 9.* & quæ dixi in Ordinandorum inſtructione *p. 3. §. 6. a n. 11.*

2 Hinc colligitur 1. reſolutio: cum enim qui non recitat per ſe ipſum, non faciat ſuos fructus beneficij, vel capellaniæ, quãtumvis alius pro ipſo recitet, non ſolùm mortaliter peccat, ſed tenetur reſtituere; quia cum ij fructus, ut cum DD. utriuſque iuris docet Menochius *de arbitr. iud. l. 2 cent. 2. caſ. 429.* dentur loco mercedis, operæ, & laboris, iuxta id *num. 18. Filijs Leui dedi omnes decimas Iſrael in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi*, & id Pauli: *Qui altari ſeruit de altari viuat*; non dicit unus vivat, & alius ſerviat; Capellani qui laborem non impendunt in recitatione, non poſſunt fructus percipere; & ſi percipiant, debent ut iniuſti poſſeſſores reſtituere ijs, quibus competũt.

3 Secunda reſolutio: etiam ſi ex bonis patrimonialibus, vel ipſe Capellanus, vel Parentes ipſius, ſivé vivi, ſivê mortui, capellaniam erexerint, tenetur, ſi non recitat, reſtituere; quia cum bona, ſeu fructus, qui anteâ proprij erant ſæcularium, vel Eccleſiaſticorum, in beneficium Eccleſiaſticum tranſierint, illorum dominium capellaniæ Fundatores amiſerunt, & in Eccleſiam tranſijt; ſicque poſſeſſio, & diſtributio penes illam ſunt: cum ergo illa hos fructus Capellano tribuat pro labore, ſeu mercede recitationis; ſi ipſe non recitet, illos non valet percipere; & ſi percipiat, iniuſtè percipit, reſtituere que tenetur, ut patet ex decreto relato, ac ex doctrina omnium Doctorum de hac reſtitutione agentium, Suarij, Navarri, Filiucij, Reginaldi, Bonacinæ, & aliorum.

4 Sed adhuc in caſu utriuſque reſolutionis Capellanus, ſeu Beneficiarius qui peccavit omittendo Horas alijs ex capitibus poterit à reſtitutione excuſari. I. Si divinum Officium ab alio ex ſua intentione recitatum, pro eleemoſyna defunctis applicanda, ſeu applicata contribuat. Probatur ex ſententia Navarri *cap. 25. n. 122.* Reginaldi *l. 30. ſect. 4. n. 45.* Suarij *to. 2. de relig. l. 4. c. 30. n. 48.* Filiucij *to. 2. tr. 23. c. 10. n. 325.* Bonacinæ *de horis d. 1. q. 5. pu. 4. n. 4.* & aliorum, aſſerentium, reſtitutionem hanc fieri poſſe in celebrandis miſſis, vel alijs ſuffragijs pro defunctis offerendis: ipſi enim verè ſunt pauperes, ſuffragio noſtro maximè indigentes. Hæ igitur Horæ à quocumque recitentur, ſuffragia ſunt, & eleemoſynæ valde utiles defunctis: pro quibus offerri poſſunt à Capellano, ut inquiunt DD. vel, ut ait Filiucius, pro Fundatoribus capellaniarum, ſicut erit eleemoſyna data pauperi Sacerdoti recitanti pro Capellani intentione.

5 Nec obſtat quod ſit diverſus à Capellano, qui debitum hoc ſolvere debet; ille ſcilicet qui ex ipſius intentione recitat: quia etiam iuxta DD. citatos, & alios plures, Beneficiarius, & Capellanus ſatisfacient Miſſarum debito, ſufficienterque reſtituẽt, ſi alij Sacerdotes Miſſas celebrent pro defunctis, ſtipendia illis erogando; ſicut erogare valent his pro recitatione Horarum, & ſi Sacerdotes recituri velint gratis Horas recitare, ſatisfaciet ita Capellanus, eo modo, quo ſatisfaceret, ſi Sacerdos ſæcularis, vel Religioſus vellet pro hac intentione Sacrum grãtis offerre. Et idem dicendum, & ſi alia pia opera ſatisfactoria pro de-

defunctis intuitu huius reſtitutionis fierent, ut auditio Sacri, flagellatio, indulgentiarum, & iubilæorum lucratio, & his ſimilia recitationi omiſſæ æquivalentia.

6 Secundò excuſari poteſt à reſtitutione Capellanus, vel Beneficiarius, ſi verè ipſe pauper eſt, ſibique ut vero pauperi, aut cognatis pauperibus in eleemoſynam, alijs pauperibus quãtitatem reſtituendam, applicet. Ita huic reſtitutioni ſatisfieri docẽt Navarrus *ſupra Verb. Beneficio n.* 51. Suarez *n.*21. Filiucius *n.*136. Bonacina *u 9.* Macignus *c.*28. *n.*28. Leſius *l.*2. *c.*34. *dub.*32. *n.* 1122. Petrus Navarra *l.*2. *c.*2 *n.*191. Toletus *l.*2. *c.*12. *n.*5. Reginaldus *ſupra n.*45. Molfeſius *c.*5. *n.*22. Naldus *verb. Officium n.*3. & alij. Ratio eſt, quia non eſt deterioris conditionis Beneficiarius alijs pauperibus; quamvis enim peccaverit Officium omittendo; tamen cum reſtitutio ſit pauperibus facienda, & ipſe ſit pauper, non eſt cur illi hæc eleemoſyna ſit deneganda: nec tunc ſibi retinet pecuniam reſtituendam, ſed applicatam ut eleemoſynam accipit, & applicatam à ſummo Pontifice.

7 Nec indiget ad hanc applicationem conſilio aut iudicio Confeſſarij, ut Suarez, & Reginaldus iudicant, ſed abſque hoc, ſi ſibi de ſua, vel de ſuorum paupertate conſtet, poteſt inconſulto Confeſſore ſibi, vel eis applicare. Sicut ille, cui conſtaret de neceſſitate edendi carnes, aut lacticinia, vel non ieiunandi diebus prohibitis, non indigeret Medici, aut Confeſſarij licentia, ſeu potius declaratione: hæc enim neceſſaria eſt, cum dubium eſt de cauſa in his, & ſimilibus caſibus; attamen conſulatur Confeſſor, ut ſic Capellanus tutiori conſcientia maneat.

8 Sed hæc, & antecedens additio intelliguntur, dummodò ex conſuetùdine, vel ſtatuto particulari non ſit facienda reſtitutio applicatione facta in aliquod certum opus, vel alijs Canonicis, aut Clericis illius Eccleſiæ, non cedat; ut accidit in diſtributionibus quotidianis *ex c. Vnico, de Clericis non reſidentibus*, & ex Tridentino *ſeſ.*2. *c.*3. *& ſeſ.*24. *c.* 12. Quia nec Lateranenſe, nec Pius V. abrogarunt huiuſmodi ſtatuta. Ita Aragon 2.2. *q.*83. *art.*13. Naldus, Molfeſius, & Toletus, *ſupra*, Suarez *n* 17. Filiucius *n.* 324. Rodriguez 1. *p. c.*146. *n.*3. & alij apud Macignum *c.*28. *n.*27. & Garciam 3. *p. c.*1. *n.*35.

9 Nota ultimò ex Suario *num.*20. & Reginaldo *num* 43. Beneficiarium, aut Capellanum poſſe ſibi, ut pauperi quantitatem reſtituendam applicare, etiam ſi Naturalis, & Domiciliarius non ſit illius Parochiæ; aut etiam populi, in quo ſitum eſt benẽficium, aut capellania. Omnes enim pauperes in Chriſto Chriſtiana charitas complectitur, & ubi lex Pontificia non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Itemque ſuppleri poteſt hæc reſtitutio per eleemoſynas, quas Beneficiarius de fructibus ſui beneficij fecerit pauperibus, cum eæ cuiuſdam anticipatæ ſolutionis vim habere poſſint.

10 Ad ultimum dubium, teneri ad reſtitutionem fructuum, qui alio die ſupplet defectum in recitatione divini Officij, docuerunt Enriquez *l.* 13. *c.* 13. Petrus Navarra, *l.*1. *de reſtit. c.*2. *n.* 180. Aragon *ſupra*, & alij. Quia ſicut non ſatisfacit præcepto Miſſæ, aut ieiunij, qui alio die non præſcripto ab Eccleſia ieiunat; vel Miſſam audit, quia eſt onus diei præceptum illud, ſic qui alio die recitat.

11 Sed verius videtur non teneri ad reſtitutionem ſupplendo alio die penſum Horarum, aut compenſando alijs operibus. Sic tenent Maior, Paludanus, Ledeſma, & alij apud Enriquez *n.*2. Suarez *ſupra c.*27. *n.*5. *& c.*9. *n.*11. Molfeſius *c.*5. *n.*17. Filiucius *c.*10. *n.*307. & alij: tum quia repẽdit æquale: tum quia Capellanus, qui uno die tenetur ex onere capellaniæ celebrare, ſi alio die celebret, non tenetur per ſe loquendo reſtituere: ergo neque qui Officium alio die recitat. Ad rationes dubitandi reſpondeo, admittendo, quod Capellanus, qui ſemel omittit, non ſatisfacit præcepto recitationis, ſed ſatisfacit oneri contracto alio die recitando, hæc enim non eſt affixa diei, in quo recitandum erat. In Miſſæ verò auditione, & in ieiunio cum nõn detur reſtitutio, ſed præcepti adimpletio diei alligata, non poteſt hæc in alium diem tranſire. Sed animadvertas oportet, idem omnino dicendum eſſe ſi penſum omiſſum, v.g. hodie, recitet poſt duos, aut tres menſes, aut aliud tempus; immo & ſi recitet ante tempus, in quo recitandum erat, ſolvens anticipata ſolutione.

SINGVLARE VII.

An Sæcularis Sacerdos, Monialium Capellanus licitè poſſit ſe in recitatione Horarum accõmodare cum illis; recitans de Feſtivitatibus, & Sanctis, de quibus ipſæ ob ſpecialem ſuam profeſſionem recitant?

1 FREQVENS eſt hic caſus pluribus in locis, ſed præcipuè Hiſpali, ubi plura extant Monialium monaſteria, quæ & ſi Ordina-

dinariorum iurisdictioni, & regimini subiecta; Ordinum tamen tam Monachaliũ, quàm Mendicantium regulam sequuntur, & in horum Breviarijs singularia Officia, ac festivitates propriè sunt, scilicet eius Ordinis, quem profitentur. Sic Monasterium S. Paulæ, quod est S. Hyeronimi; Monasterium S. Mariæ de las Dueñas, quod est S. Benedicti; seu Cistercienſe, Monasterium purissimæ Conceptionis, quod S. Francisci, seu S. Claræ est, Monasteria S. Leandri, & SS. Nominis Iesu, & S. Mariæ de la Paz, quæ sunt S. Augustini; Monasteria S. Mariæ vulgo *la Real*, & S. Mariæ de los Reyes, quę sunt S. Dominici, institutum observant, suorum Ordinum Sanctos, & singulares Festivitates celebrant, vel iuxta Romani Missalis, & Breviarij ritum, vel iuxta singularem uniuscuiusque Ordinis. Interrogatur ergo; an possint se his accommodare proprij horum Monesteriorum Capellani, quoad recitationem Horarum, recitantes de ijs Solemnitatibus, & Sanctis, de quibus, ut sui Ordinis proprijs, ipsæ Moniales recitant?

2 Negativa sententia persuadetur 1. ex *cap. cum creatura, de celebrat. Missar.* ubi: *Mandamus quominus, & pro anniversarijs defunctorum, & pro festo, & feria secundùm temporum cõgruentiam, Missarum solemnia conventualiter celebretis.* II. Ex præceptis Pij V. Bulla in Breviarij initio posita, & edita anno 1568. ubi: *Omnes Presbiteri, & Clerici seculares, & Regulares utriusque sexus, nec non Milites, & exempti, quibus Officium dicendi, aut psallendi quomodocumque munctum est, ut ex huius nostri Breviarij formula, tam in choro, quam extra illum dicere, & psallere procurent.* Deinde in Rubricis. *§ 5. de Feriis. n. 1.* dicitur: *Item per annum sit Officium de Feria illis diebus, quibus infra hebdomadam in Kalendario non ponitur aliquod festum duplex, semiduplex, vel simplex, & non occurit aliqua octava.* Igitur cum hi Sancti, de quibus apud prædictas Moniales, ut earum proprijs celebratur, vel non inveniantur in Kalendario, vel sub diverso ritu in eo sint; Breviarij ordo invertetur ab his Capellanis, si de ipsis recitent: ergo recitare nõ possunt. III. Quia celebrare de his Sanctis, v.g. de S. Monica, vel S. August. S. Benedicto, Bernardo, & alijs cum octava, quibusuis qui cuiuslibet Religionis existunt, est privilegium solùm certi Ordinis professoribus concessum: ergo Sacerdotibus sæcularibus non licet illo uti.

3 Sed affirmativam sententiam in praxi tutam probabile existimo; supponoque in præsenti nos loqui, non de quocumque Capellano, v.g. de eo, qui frequentat Monialium Ecclesias, ut in eis celebret, vel pro se, vel pro alijs, vel pro ipsis Mõnialibus; nec de eo, qui earum audit præcisè confessiones, etiam si ad hoc licentiam habeat ab Ordinario, sed de eo, qui est præcipuus illarum Capellanus, veluti illarum Parochus, & illis, illarumque Ecclesiæ quoad divina Officia, & Sacramentorum administrationem præfectus est, vocaturque *Capellanus Maior.* Huic ergo licere, se accommodare in recitatione Officij suarum Monialium; etiam si nullã in earũ Ecclesia habeat capellaniam, vero simile, ac tutum arbitror.

4 Probo 1. ex ipsius Pij V. Bulla anno 1570. initio Missalis affixa, ubi dicitur: *Ad debitas Deo persolvendas laudes, Breviario castigato omnino, ut Breviario Missale responderet, uti congruũ est, & conveniens; cum unum in Ecclesia Dei psallendi modum, unum Missæ celebrandi ritum esse maximè deceat, &c.* Missa, & Officium debent conformari. Quod clarius habetur in 1. Missalis Rubrica: ubi: *Missa quotidie dicitur secundùm ordinem Officij, de festo duplici, & semiduplici, de Dominica, vel Feria, vel Vigilia, vel Octava, & extra ordinem Officij votiva, vel pro defunctis.* Et *§. 4. n. 3. Quoad fieri possit Missa cum Officio conveniat.* Igitur si prædicti Capellani Missam Cõventualem dicturi sunt, vel ad eos dicere spectat, de Sanctis Ordinis, quem Moniales profitẽtur, de ipsarum festivitatibus etiam, recitare aut debent, aut possunt; si quidem Missa debet concordare cum Officio, iuxta Rubricas allegatas; & Officium cum Missa, propter connexionem, quã ex Ecclesiæ institutione, præcepto & usu habent inter se Missa, & Officiũ.

5 Porro, si his Capellanis licet Missam de prædictis Sanctis celebrare; etiam de illis recitare licebit; nam *Correlativorum, seu connexorum idem est iudicium, l. 3. §. iudicio contrario ff. de contrar. act. tutel. l. proinde. ff. ad l. g. Aquil. l. cum actum ff. de negat. gest. C. Translat. de constit. cap. praterea de Offic. de legat.* Sic etiam Hier. Fernand. *repet. c. fin & post. n. 6.* Tusch. *lit. C. concl. 626.* Hypol. *sing. 25. n. 7.* Escob. *de ratioc. c. 13. n. 11.* Mendez à Cast. *praxi l. 5. c. 1. n. 43.* & alij: seu ut loquitur Surd. *de alim. tit. 9. q. 31. decis. 199. n. 13. Connexa dicuntur individua;* seu ut Status *de appellat q. 17. limit. 21. n. 25. Connexa reputantur unum.* Et si Moniales in recitatione se accommodant Missæ, cui inserviunt; Capellanus, se in illa accommodare poterit Missæ, quam celebrat.

6 Probo 2. ex sententia Hostiensis *dist. 12.* Sylvestri *verb. hor. n. 2.* Reginaldi *l. 18. n. 169.* Glossæ *in c. diversum. de celebrat. Miss.* & aliorum docentium: quod Monachus præfectus

Ecclesiæ sæculari, sequitur consuetudinem Ecclesiæ, ad quam transit, quoad Officium divinum; ergo Secularis præfectus Ecclesiæ Regularis, sequitur consuetudinem Ecclesiæ Regularis; *Cum contrariorum eadem sit disciplina l. 1. ff. de his, qui sunt sui. l. finali. ff. de l. gat.* 3. Aristoteles *lib. 7. Topic. c. 1* Surdus *consil. 1. n. 92*, Acacius Anton. *comment. ad Rub. ff. de condit & demon c. 1. n. 56.* Pichardus *ad princip. inst. de his, qui sunt sui.* Ioseph de Sesse. *Aragon. de sest. 52. n. 38.* & alij. Tum quia in utroque ratio est eadem, quod scilicet Ecclesia, cui unusquisque præsicitur, est sicut propria, & quisque verè tenetur recitare iuxta morem Ecclesiæ suæ. Hinc decrevit sacra Rituum Congregatio 11. Iunij 1605. ut testatur Gavantus *in Missal. tit. 2. sect. 1. c. 5. n. 2.* quod Episcopus Regularis debet Officium recitare iuxta ritum suæ Diœcesis, non Regulæ; & occurrente festo Regulæ cum festo Diœcesis, hoc præferri debet.

7 Probatur 3. quia quicumque Parochus cuiuscumque Ecclesiæ propter eandem rationem recitat de Sãctis proprijs illius Ecclesiæ, v. g. de Patrono, de Titulari, de eo, cuius Reliquiam insignem habet Ecclesia; etiam si in illa capellaniam non habeat: ergo cum Capellanus, seu Vicarius prædictus; Monialium, sit verè illarum, & illius Ecclesiæ Parochus, ab Ordinario constitutus, immo à Summo Pontifice, ex eo quod illius authoritate Monasterium sit erectũ, & Ordinariorum iurisdictioni submissum, recitare potest, ac forsan debet de Sanctis illius Ecclesiæ, cui præsidet. Confirmatur, quia ut statuit sacra Rituum Cõgregatio 8. sept. 1602. ut testatur Gavantus, *supra n. 2. Qui sunt de gremio alicuius Ecclesiæ debent recitare Officium, quod in choro dicitur, & licèt extra Ecclesiam, vel Diœcesim morentur, decet eos recitare Officium proprium Ecclesiæ ipsorum?* ergo decet Capellanum, seu Vicarium, qui verè est Monialium Parochus, recitare Officium, quod hæ in suo choro dicunt.

8 Probatur 4. ex sententia Suarij *lib. 4. de horis. c. 23. n. 6.* Filiucij *tr. 23. c. 7. quæstio 1. n. 221.* Bonacinæ *d. 1. q. 3. p. 1. n 9.* Reginaldi *supra*, & aliorum, quos citat & sequitur Carolus Macign. *c. 22. n. 32. & seq.* qui asserunt quod Clericus, & Beneficiarius recitare debet iuxta morem Ecclesiæ, in qua resident, etiam si in alia habeat capellaniam, aut beneficium; quia expedit imitari mores eorum, inter quos vivimus, & ad hoc potentius est vinculum residentiæ, ac domicilij, quàm beneficij. Immo etiam si Clerius commoraretur, non ut absolutè domiciliarius, aut Civis alicuius civitatis, sed ratione studij, litium, aut alterius causæ, posset se accommodare Breviario illius loci, in quo prædictis titulis resident; ut docent idem Suarius *n. 7.* Filiucius *n. 221.* Bonacina *n. 11.* & alij: quia tunc habet ibi quasi domicilium, & in spiritualibus utitur Sacramentis, & ministris illius Ecclesiæ: ergo cum Capellanus resideat in Ecclesia Monialium, tum ex assignatione Ordinarij, tum ex vera, & continua residentia, se conformare poterit cum illis, seu cum illius Ecclesiæ consuetudine, quoad divina Officia: sicut quoad hæc se accommodant omnes Clerici cum Parochia, in qua resident.

9 Ad 1. & 2. fundamentum partis negativæ satis, superque apparet ex dictis, nimirũ id quod defendimus non solùm non adversari, sed valde conformari decretis Pij V. Nam si hæc præcipiunt, ut Missæ celebrentur iuxta temporum congruentiam, & de Sanctis suis Moniales, ipsarumque Capellani iuxta sui Kalendarij tempora celebrent; & ex alio capite Pius V. statuit, Missarum celebrationem cum Officij recitatione conformandam fore; ex consequenti vult, ut de ipsis Sãctis, de quibus celebratur, recitetur. Nec obstat quod hi in Kalendario communi non sint, vel sub diverso ritu sint descripti; cum ipse Pontifex in Rubricis Breviarij §. 5. *de feriis*, decernat, quod de ferijs fiat, quando non occurrit festum duplex, semiduplex, aut octava, *Vel aliquod festum solemne, aut consuetum in aliqua Ecclesia celebrari, quamvis in Kalẽdario huius Breuiarij non sit descriptum.* Et hoc modo de Sãctis, de quibus à Monialibus celebratur, ut de proprijs cõsuetum est in earum Ecclesijs celebrari.

10 Ad 3. fundamentum R. quod & si omnes Doctores asserant Rubricas Breviarij, & Missalis obligare recitantes, dummodò absit privilegium, ut notat Suarius *d. 84 de Euch. sect. 2.* hoc autem his Capellanis adest; nam & si principaliter, absolutè & immediatè concessum sit Monialibus; illarum Capellanis mediatè, accessoriè, & dependenter ab illis censetur concessum, quatenus illarum Parochi, & Præsides sunt, præsertim quoad celebrationem Missarum, quæ habet maximam connexionem cum Recitatione, ut in Singulari sequenti dicemus. Præterea, quia dici potest concedi privilegia hæc Ecclesijs Monialium, quibus ipsarum præcipui Capellani præsunt. Et certè valde absurdũ videtur, quod toties diversum à Missa Officium hi recitent, cũ Missa neq; pro defunctis, neq; votiva ab his celebretur, in quibus tãtùmodò Officiũ à Missa discor-

diſcordare poſſe ſtatuitur in Rubrica 1. allegata, & in alijs debet concordare.

11 Sed animadvertas; ſemper tunc celebrandum, & recitandum eſſe ab his Capellanis iuxta normam Breviarij Romani, etiam ſi diverſum ritum ſervent Moniales in celebratione, & recitatione Sanctorum ſui Ordinis: nam ſic ſtrictiùs praxi, ac decretis, & Rubricis Pij V. adhærebunt, & Sacræ Rituum Congregationi obedient, quæ die 20. Novembris 1628. ſtatuit, *Vt Capellani Monialium Breviario utentium non Romano, dicere poſſint Miſſam de Sancto Ordinis, de quo Moniales Officium, ſed cum Miſſali Romano, ut in proprijs de Sanctis, vel de Communi.* Sic teſtantur Gavantus *p. 3. Miſſal. tit. 10. n. 16.* Novarius *verb. Miſſ. n 8.* & Laurentius Vander *in decretis Cong. Rituum fol. 39.* Idem ergo de recitatione Horarum dicendum eſt. Sed ſub eodem ritu duplici, vel ſemiduplici debent recitare ex privilegio, quo ipſæ Moniales recitant; quia cum acceſſoriè ab his communicato recitent, debent earum ſolemnitatē ſequi, iuxta id iuris principium: *Acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, leg. etiam. c. de iure dot. l. Acceſſorium. 42. de regulis iuris in 6.* ubi Socinus *reg. 5.* Menochius *conſ. 58. n. 13.* Tuſch. *to. 1. lit. A. concl. 76.* Pichardus *ad §. ſi quis alium n. 32. inſt. de utilibus ſtipulat.* Ioannes Franciſcus *in Theſauro fori Eccleſ. p. 2. c. 16. n. 30.* & alij.

12 Denique præfatæ Rubricæ, & rationes perſuadent, poſſe huiuſmodi Capellanos, & illos, de quibus in ſequenti Singulari loquemur, recitare in ſabbathis non impeditis Officio novem lectionum, de Conceptione B. Mariæ, & in quintis feriis ſimiliter non impeditis de Euchariſtia, cum de his recitent Moniales iuxta ea, quæ infra trademus.

SINGVLARE VIII.

Vtrum Sacerdos ſæcularis habens beneficium, vel Capellaniam ſi tam in Eccleſia Regularium, tam Fratrum, quàm Sororum, poſſit celebrare, & recitare de Sanctis, & Solemnitatibus illius Ordinis, in cuius Eccleſia habet beneficium?

1 NEGATIVAM Sententiam perſuadent omnia, quæ in proximo Singulari ſimilem huic ſuadebāt; ſed affirmativa mihi verior videtur, & tuta in praxi. Hanc aſſerere videtur S. Thomas *quodlibet. 6. art. 8.* ubi ait: *Licèt Clericus in ſacris obligetur ad divinum Officium abſolutè, tamen ut Clericus Beneficiatus in hac Eccleſia, tenetur ad dicendum Officium ſecundum modum illius Eccleſiæ.* Hinc Sylveſter *verb. Hora q. 1. dicto 4.* Tabiena, *Hora q. 10.* & *16.* Angelus, *Hora n. 12.* & *14.* Auctor directorij *lib. 1. titul. 8.* Azor, *1. p. lib. 10. c. 11 §. 2.* Reginaldus, *lib. 18. n 169.* Molfeſius, *tr. 5. c. 2. n. 47.* Macignus, *c. 20. n. 32.* & alij, quos videtur tacito nomine referre Suarius, *lib. 4. de Relig. c. 23. n. 5.* docent Beneficiarium, aut capellaniæ alicuius Eccleſiæ addictum, teneri morem illius ſequi in recitando, ubicumque reſideat. Vnde ſaltem poſſe habentem capellaniam, vel beneficium in Eccleſia Regularium recitare Officium illius Eccleſiæ ad minus cum his Doctoribus concedendum eſt.

2 Et probatur 1. Quia ſicut obligatio recitandi divinum Officium oritur ex beneficio in Beneficiarijs, ſeu Capellanis, cum hi ſacris non ſunt initiati, ita etiam obligatio recitandi Officium iuxta talem formam oritur ex beneficio exiſtenti in tali loco, in quo divinum Officium recitatur iuxta talem, vel talem formam: ergo Capellani, vel Beneficiarij in Eccleſia Regularium tenentur ad eam formam, quæ in illa ſervatur. II. Quia iuxta Sotum, *de iuſt. 10. q. 5. art. 3.* Beneficiarius illam Eccleſiam ſequi debet, cui tenetur inſervire, inſervit autem Eccleſiæ, in qua habet beneficium, ſiquidem, qui de illius beneficio vivit, illius altari ſervit, argumento à contrario ex illo Pauli: *Qui altari inſervit, de altari vivat*, ergo, &c.

3 III. Quia ratione beneficij in una Diœceſi, ita conſtituitur quilibet Subditus, vel quaſi pars, & proprium membrum illius Diœceſis, ac ſi in illa habitaret; etiam ſi ſit alterius Diœceſis origine, nativitate, & habitatione; ac ita ab Epiſcopo Diœceſis, in qua habet beneficium ordinari poterit, ut poteſt illius habitator. Sic *cap. cum nullus, de tempore Ordinationis*, in 6. ibi: *Cum nullus Clericorum Parochiæ alienæ præter Superioris ipſius licentiam debeat ordinari; Superior intelligitur in hoc caſu Epiſcopus de cuius Diœceſi eſt ille, qui ad Ordines promoveri deſiderat, oriundus, ſeu in cuius Diœceſi beneficium obtinet Eccleſiaſticum: ſeu habet; (licèt alibi natus fuerit) domicilium in eadem.* Vide Barboſam *de poteſt Epiſcopi, allegatione 4. num. 2.* & *54.* Avilam *de domicilio cap. 4. §. 2.* ergo ratione beneficij in Eccleſia Regularium conſtituitur quis membrum illius, perinde ac ſi in ea reſideret. Eccleſiæ autem, in qua quis reſidet poſſe; immo & teneri ſe accommodare in recitatione Horarum, iam probavimus Singulari antecedenti.

4 IV. Quia ſi haberet beneficium in Eccleſia ſæculari, recitare deberet iuxta illius normam: v. g. ſi eſſet in Parochia Diui Martini cum octava de S. Martino recitaret, & ſi in illa eſſet inſignis Reliquia alicuius Sancti, de illa etiam recitaret; ergo eodem modo cum capellania eſt in Eccleſia Regulari, tenetur dicere Officium illius, quia, ratio beneficij, æqualiter in utraque procedit, & *Vbi eſt eadem ratio, eadem debet eſſe iuris diſpoſitio, l. illud. ff. ad leg. Aquil. l. ad ſacros Eccleſ.* Præterea, quia lex cõſtituens aliquem Subditum alicuius Dioceſis, vel Eccleſiæ ratione beneficij non diſtinguit, de Eccleſia ſæculari, vel Regulari. Confirmatur denique ex eo quod hic ſit de gremio Eccleſiæ Regularium, cuius eſt Capellanus iuxta dicta Singulari antecedenti.

5 Sed adverte, quod etiam ſi hic Capellanus reſideat in alia Diœceſi, diverſam recitandi formam habente, eo quod habeat beneficium in Eccleſia prædicta Regularium, poteſt adhuc de Solemnitatibus, & Sãctis ſuæ regularis Eccleſiæ recitare. Doctores enim *ſup. n.* 1. relati, etiam in hac ſuppoſitione loquuntur. Et quamvis ita tenue eſſet beneficium, ſeu capellania, ut nõ ſufficeret ad tertiam ſuſtentationis partem, nec ut ad titulum illius ſacris initiaretur Capellanus; idem poſſet; hoc enim beneficium quantumvis tenue ſufficit, ut quis ratione illius ſubditus, & membrum conſtituatur alicuius Diœceſis, ab illiuſque Epiſcopo ordinetur, ut probant Enriquez *de ordine cap.* 22. *n.* 1. & Avila *ſupra n.* 3. Et etiam ſi ad titulum illius non ſit ordinatus ob eãdem rationem recitare dicto modo poteſt.

6 Idem dico ſi habeat aliud beneficium in alia Eccleſia, dignius, aut pinguius, vel in ea reſideat: poteſt enim Eccleſię, ubi eſt beneficium magis tenue ſe accommodare. Itẽ ſi æquale; vel Eccleſia utraque dignitate æqualis eſt, cui malverit poterit. Sic ex S. Thoma *quod libet.* 1. *art.* 13. Tabien. Angel. Sylveſter, Azor & Reginaldus *ſupra*. Et adverte hic, ut adverti Singulari præcedẽti, quod etiam ſi Beneficiarij poſſint de Solemnitatibus, & Sanctis Regularium, in quorum Eccleſia beneficium habent, recitare, & celebrare; non verò poſſunt ſe accomodare ſingulari eorum recitandi Regulæ; ſi ipſi Romanum Pij V. Breviarium non ſequantur; vel ex privilegio, vel ex inveterata conſuetudine ducẽtorum annorum; ſed Breviario Pij V. ſe accommodantes, recitabunt de Sancto, vel Solemnitate iuxta ritum duplicis, vel ſemiduplicis, quem ſequuntur ipſi Regulares, ſumendo Officium de communi Sanctorum; ſi de illo Sancto nil ſpeciale ſit in Breviario Romano. Nam licet beneficij titulus ſit ſufficiens, ut Capellanus, veluti pars, aut membrum eius Eccleſiæ, privilegio illius utatur circa celebrationem prædictam; non verò ut aliam recitandi normã, quam præſcriptam à Pio V. pro Eccleſia Romana ſequatur, ut diximus.

7 Adverte etiam, hoc eſſe intelligendum, dummodò in executione huius doctrinæ, non ſit ſcandalum, quia v. g. Miſſa omitteretur propria alicuius diei, vel alia ex cauſa; & dummodò celebratio, & recitatio Sãcti, qui celebratur, non ſint reſtrictæ á Sede Apoſtolica, ut eſſent, ſi de Beatificato ſolùm concederetur celebrare Regularibus, vel aliquibus ſingularibus perſonis, & locis. Tandem nota quod hæc procedunt, etiam ſi Capellanus non celebret, vel quia non eſt Sacerdos, & forſan nec in Sacris, quoniam poteſt de Sancto recitare, qui celebratur in Eccleſia Regulari, vel ſæculari ubi ſuum beneficium eſt.

8 Ex his audivi viros doctos probabiliter inferre, Seculares cum Regularibus cõviventes, ut domeſticos, ac familiares in eorum domibus habitantes, ſeu ſub eorum regimine, ut exiſtunt Collegæ, v. g. ſæculares tam Hiſpani, quam Exteri, qui in noſtris collegijs, ac ſeminarijs, & ſub regimine noſtræ Societatis educantur, ſtudiorum cauſa; poſſe recitare & celebrare in feriis quintis de Euchariſtia, & in Sabbathis de Conceptione B. Virginis; nec non de Sanctis Canonizatis, & Beatificatis, ſi non eſt expreſſa prohibitio aut limitatio, de quibus nos recitamus: tum quia Eccleſijs noſtris hoc privilegium conceſſum videtur, in quibus ipſi reſidẽt, & quibus ſe in Officio divino poſſunt accommodare, iuxta dicta Singulari antecedenti tum quia, & ſi nobis, aut alijs Regularibus ſit primariò & principaliter conceſſum de his recitare, ſed illis acceſſoriè, & conſequenter concedi videtur, ut notant Corduba *in priuilegi. Mendicant. verb. communicatio quoad Fratres §. 39.* & Sanchez *to.* 2. *Conſil. lib.* 9. *cap.* 9. *dub.* 9. *n.* 3. de privilegijs, quibus Religionum familiares, ſeu domeſtici fruuntur. Nomine verò Domeſticorum, & Familiarium qui intelligantur, colligitur ex *c. ſicut nobis de verb. ſignif. ſic. Verè tui Clerici familiares exiſtunt, & in tuis expenſis continue domeſtici commenſales; etiam ſi quos ex illis aliquando pro ſuis gerendis negotijs abeſſe contingat.* Vide Bartolum *in l.* 1. *in princ. ff. ad ſylli & in l.* 2. *c. de teſtibus.* & Felinum *in c. cum oporteat, verbo. Nec obſtat*, ac Conſule Tract. V. Sing. 3. & 4.

At

9 At verò, ut hæc sententia tutiùs, ac liberiùs uti possint prædicti, nec non alij quilibet sæculares extra Regularium domos habitantes, socij fiant in Horarum recitatione Regularibus; & sic de eorum Solemnitatibus, ac Sanctis, etiam cum Octava recitare poterunt, quia ut rectè inquit Enriquez, *lib.* 7. *c.* 30. *de indulgentijs. n.* 4. *Privilegium eius, qui olim poterat Breviario breui uti, aut nunc potest ante tempus recitare Horas, extenditur ad socium. Sic in privilegio, & lucro socij in contractu societatis docent Summistæ verb. societas, Astensis l.* 3. *tit.* 12. Item quia quod *Lex, aut privilegiũ disponit in uno ex correlatiuis extenditur ad aliud correlatiuum*; seu *correlatiuorum idem est iudicium, l. fin. ff. de acceptilat. l. fin. c. de indicta viduit, l. si quis servo. c. de furtis, l. de transact. l.* 1. *c. de crupres. lib.* 11. ubi Everardus *in topic. loco a relati. n.* 8 Farinacius *praxi cri. p.* 7. *lit. E. n.* 235. Tuschus *lit. C. conclus.* 1041. Bertazol *repet. l. siquis maior c. de transf. act. n.* 44. Perez *in l.* 3. *& fin. tit.* 1. *l.* 5. *ordin.* & in moralibus Navarrus *c.* 22. *n.* 47. & alij.

10 Nec necessarium est, ut socius Regularis, ratione cuius sæcularis hoc fruitur privilegio, ob senectutem, visus carentiam, ægritudinem, aut aliam ob causam socio indigeat ad recitãdum, ut existimavit Emmanuel *to.* 1. *qq. q.* 42. *art.* 10. Sed sufficit velle sibi ad habere socium in recitatione, ut hæc commodior fit; quia in omni casu æquè liberum, & usitatum est, ac præcepto satisfit cum socio, vel sine illo recitando. Quod si ad recitandum de hoc, vel illo Sancto conceditur privilegium Regulari; conceditur etiam ad recitandum quomodocumque recitandi Officio satisfit, & recitari solet tam intra, quam extra chorum; & ubilibet cum socio recitatur.

Singvlare IX.

Vtille, qui ob errorem, aut oblivionem de Festo duplici, vel semiduplici, die proprio non recitavit, recitare potuit de eo, primo die non impedito Officio novem lectionum?

1 Negativam partem suadent. 1. Quia recitatio de hoc festo est onus alligatum diei, sicut ieiunium diebus Vigiliarum, ac quadragesimæ; & Missæ auditio festis: ergo transacto die proprio, non est recitandum de illo. II. Quia si tunc liceret de Sancto duplici, vel semiduplici postea recitare, etiam de simplici, ac de Feria liceret: cum æquè statuatur in Rubricis de omnibus his in proprijs diebus recitare: ergo si hoc non licet, nec illud. III. Quia aliter siquis ob infirmitatem, aut iustam causam à recitatione excusantem; non recitavit pluribus festis, poterit postea cum convalverit, de illis recitare: sed hoc videtur absurdum; ergo. IV. Quia esset maxima Officij divini perversio, & Rubricarum transgressio: ergo nequit fieri. V. Quia casus, in quibus translatio licet, recensentur in Rubricis Breviarij, & nulla fit mentio huiusmodi casus: ergo in eo non licet.

2 Propter hæc veriorem iudico hanc negativam sententiam; sed adhuc affirmativam probabilem, ac tutam existimo: & probo. I. Quia tunc transfertur à proprio die in alium non impeditum Festum duplex, aut semiduplex, cum proprius dies est impeditus; sed in eo casu oblivio, & error, sunt impedimentum ad recitandum tunc de illo festo, cum hoc sit obstaculum, aut retardatio alicuius operis, *iuxta c. pia. §. fin. de exceptione l.* 6. ergo ille dies iudicandus est impeditus; & ipsius festum transferri potest ad diem non impeditum. II. Quia *Ignoranti non currit tempus*, ut statuunt lex *Quandiu. C. qui admitti ad bonorum possef.* Flaminius *de resignatione l.* 5. *q.* 4. *n.* 34. *cum seq.* & Caldera Perena *de renovatione emphyt. q.* 7. *n.* 3. *cum seq.* ergo cum ad alicuius notitiam pervenit, se recitaturum fuisse die, vel diebus antecedentibus de hac festivitate, perinde est, ac si eius proprius dies non pertransisset, & die non impedito poterit recitare.

3 III. Quia *Iure suo nullus privandus est absque culpa sua.* Sic *l. crimen. ff. de pœnis. l. sancimus C. eodem tit. c.* 2. *ad finem. de his, quæ fiunt, &c. in cap.* 2. *princip. de const. cap. non debet.* 12. *de regul. iuris l.* 6. sed Sanctus, & Recitans ius possident, ut de tali Festo quotannis recitetur semel: ergo absque illorum culpa privari non debent hoc iure. Oblivio autem, error, aut ignorantia non est Recitantis culpa; & ad hue si esset, non inveniretur hæc in Sancto, de quo recitandum est, & cui defertur hic singularis eius solemnitatis cultus. Vltimò quia nulla Rubrica est, quæ expressè huic sententiæ adversetur; immo similis videtur hæc translatio alijs, quæ in Rubricis exprimuntur.

4 Ad 1. rationem in oppositum R. Quod licèt obligatio recitandi septem Horas, ut sic, sit onus diei, & ita eo transacto recitari non debeat: at recitatio de tali Festo non est alligata ipsi diei, in quo festum incidit; cum ex institutione Ecclesiæ transferri possit, & sæpe transferatur, sed ieiunium, &

Missæ

Miſſæ auditio transferri non ſolent. Ad 2. cum non transferatur Officium de Feria, aut de Sancto ſimplici, ſicut transfertur de duplici, aut ſemiduplici; ideò ſi de illo, proprio, die non eſt recitatum, omittendum omnino videbitur. Ad 3. Quia qui ob infirmitatem, aut aliam cauſam eò die, quo de feſto recitandum erat, ad recitationem non tenebatur; ideo obligatio, vel ius ad recitandum de illo Sancto non perſeverat; nec ad fuit error, aut oblivio, ob cuius impedimentum concedimus iſtam tranſlationem.

5 Ad 4. Maior perverſio videbitur, & veluti iniuſtitia, negare alicui Sancto cultum à Pontifice conceſſum ſemel in anno, vel die ipſius obitus; aut ſi hic impeditus eſt, in proximiori non impedito, quàm recitare, v. g. die Iovis, quod recitandum erat die Martis, facta huius recitationis omiſſione ſine culpa, immo impedito per errorē, aut oblivionem die Martis. Et ſicut non pervertitur Eccleſiaſticus ordo, ob tot Feſtorum tranſlationes, quas experimur ex varijs cauſis, & aliquando ad longum tempus; ob unam, vel alteram huiuſce modi non pervertetur, Ad 5. R. Non fieri mentionem huius cauſæ ad transferēdum in Rubricis, quia hæ, veluti leges ſolùm attendunt ad communiter, non ad raró, & per ignorantiam, aut errorem accidentia; nec ad omnes caſus ſingulares ſe extendunt.

6 Sed nota, hîc loqui de privata recitatione, non tamen de ſolemni, & in choro: aliter enim iudicandum omnino eſt in illa. Qui enim privatè erravit, probabiliter poteſt ſe accommodare dictæ ſententiæ, vel ſi libet, choro ſuæ Eccleſiæ, aut Monaſterij, etiam ſi tranſvertatur hic ordo, & de Sancto omiſſo non recitet: præponderat enim tunc uniformitas publici cultus. Et forſan ſi in hac ſolemni recitatione, vel celebratione alicuius Eccleſiæ, vel Monaſterij erratum eſt; locum poterit aliquando habere etiam in choro, ſententia affirmans, niſi ſcandalum adſit, ad quod evitandum in Eccleſiaſticis Officijs attendi debet.

SINGVLARE V.

Quid ſit facturus, qui hodie recitavit de Feſto, de quo die ſequenti, vel ſequentibus recitaturus erat?

1 HAc de re ita Villalobos 1. *p. tr.* 22. *n.* 3. *El que oy rezò del Santo, que caya mañana, por yerro, y deſpues cayò en la cuenta, no haze bien mañana en rezar del Santo, que cayò oy, ſino que vuelba à rezar del meſmo Santo: porque menos mal es errar un dia el Officio divino, que dos.* Hæc ſententia mihi arridet, ut conformior regulis Breviarij, & præcepto Pij V. in Bulla ſæpe citata; ſed eam referens Trulench. *l.* 1. *in Decalog. c.* 7. *dubio* 14 *n.* 11. ait: *Attamen exiſtimo, poſſe die ſequenti de Sancto omiſſo recitare; ne maneat illo anno ſine recitatione, & hoc eſſe minus malum, quam illud, quod a Villalobos recitatur.* Sed Trulenchus Villalobij dubium minimè tetigit, ſed potius ſolvit noſtrum, quod antecedenti Singulari agitabamus, defendens ſententiam affirmativam, quam ibi retulimus.

2 In hoc igitur dubio poſſet quis dicere, forſan nō improbabiliter, quod, qui hodie recitavit de Sācto, de quo die, vel diebus ſequētibus recitaturus erat; non debet de ipſo recitare die ad ipſius recitationem aſſignato. Fundamentum eſſe poteſt, quod iam illi Sancto divini Officij penſum ſolutum ſit; & quod debitum anticipata ſolutione ſolutum fuerit, pleniſſimæ ſolutionis rationem non tollit. Præterea, quia inuſitatum videtur quod bis, vel pluries (ex ceptis Agnete 2. & Octavis,) de eodem Sancto recitetur: ſicut inuſitatum eſt, quod idem debitum eidem bis ſolvatur.

3 Sed ſi in hoc ſentiendi modo roges, de quo recitandum ſit in die huius Sancti, vel Feſti, de quo iam anticipatè recitatum eſt? Reſpondeo, quod de Feſto, vel Sācto aſſignato, in illo die, inquo recitatum eſt de Sancto nondum incidente: ſic enim utrique debitum Officij penſum ſolvitur, nullúſque defraudatur à ſuo cultu, quod maioris momenti videtur, quàm quod dies ſolutionis commutentur. Si verò recitandum erat de Feria, aut Sancto ſimplici die, in quo prævenia eſt recitatio de Sancto, tūc non poterit de his recitari, cum non tranſferantur; ſed recitandum erit forſan ab eo, qui præter regulas in has anguſtias ſe vult redigere, de S. Simplici, aut de Feria, quæ incidit in eam diem; & ſic iuſta velut compenſatio dabitur.

4 Denique in hac probabili ſententia circa Miſſam, & publicam recitationem obſervanda ſunt quæ notavimus antecedenti Singulari n. 6. addendumque. Quod ſiquis incipiat hodie per errorem recitare de Sancto, de quo die ſequenti, vel ſequentibus recitaturus eſt, vel de quo antea recitatum eſt, ſi ſolùm Veſperæ cum Completorio recitatæ ſunt, reliqua de Sancto illius diei proprio recitet; nec neceſſarium eſt, ut Veſperas repetat, ſed commemorationem Sancti, de quo debebat recitare, faciat; cum de ipſo poſtea recitaturus non eſt, iuxta

Sin-

Singulare antecedens. Idem dic si iam Matutinum cum Laudibus, vel Matutinum solùm recitavit. Et si forsan non deerit qui iuxta sententiam relatã dicat, tunc prosequendũ esse inceptum Officium, & Missam de illo celebrandam: nam maior pars debet trahere ad se minorem, ut constans est Doctorum axioma. Sed quoad celebrationem Missæ attinet, inspiciatur, ne in Ecclesia adsit scandalum, vel sit magnæ solemnitatis dies, ut Nativitatis, Assumptionis, & aliarum Virginis, Christi D. vel Apostolorum, aut Sancti maximé in loco celebris.

5 Pro his, & alijs mutationibus advertenter, vel inadvertẽter factis verba Lesij *li.* 2. *c.* 37. *n.* 77. libet referre. *Notandum est*, inquit, *quinto, mutationem Officij, etiam dedita opera, non esse peccatum mortiferum. & si loco Officij de feria dicatur de Sanctissima Trinitate, vel de venerabili Sacramento, vel de B. Virgine, aut contrà, loco officij de Festo, dicatur de Feria. Ita Caietanus verb. Hora c.* 2. *Sylvester n.* 15. *& alij passim. Et Azorius l.* 10. *instit. c.* 10. *dubio* 2. *dicit hanc esse communem omnium sententiam, &c. Vnde qui etiã prudens omisso proprio aliud recitavit, non tenetur repetere, ut rectè Sylvester supra, quia quæ ad substantiam legis pertinent, & si cum peccato venali, iam impleuit; multo minus tenebitur, si per inadvertentiam mutauit. Valde tamen laudabile est repetere vel totum Officium, si aliud per errorem, vel sponte recitatum est, vel saltem ea, quæ ad proprium Officium pertinebant, etiam si solùm esset Hymnus, vel Antiphona, vel Lectio aliqua.* Hæc ille.

SINGVLARE XI.

V. In quintis Ferijs possint Mendicantes, & qui illorum privilegijs fruuntur, Missam celebrare, & Officium recitare de augustissimo Eucharistiæ Sacramento?

1 VIVS privilegij notitia, nec non huius casus resolutio constat ex concessione, quam fecit Pius V. Fratribus Minoribus de Observantia, speciali Bulla Romę expedita 8. Ianuarij anno 1568. quæ ab Emmanuele Rodriguez affertur *tom.* 2. *Bullarij*, ac eius meminit ipse *qq. reg. tom.* 1. *q.* 42. *art.* 16. & Hyeronimus Rodericus *resolut.* 24. *n.* 15. sicque incipit: *Dilecti fili salutem, &c.* ac sic se habet: *Nos pium hoc vestrum desiderium plurimùm in Domino collaudantes, ac huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis, & vestrum cuilibet ubilibet existentibus, ut qualibet quinta feria, quæ totius Quadragesimæ, & Adventus non fuerit, & in qua aliquod festum, seu octaua non inciderit, omisso occurrenti Officio, illud de Corpore Christi, iuxta illud, quod in præsenti Breuiario Romano, in eius solemnitatis die recitandum proponitur, recitare liberè, & licitè valeatis: ita tamen, quod illud sic recitando, debito ad quod adstricti estis, in omnibus, & per omnia perinde satisfacere censeamini, ac si Officium pro tempore occurrens, & vobis à Romana Ecclesia propositum, recitaretis.*

2 Nonnulla circa tempus, & qualitatem huius privilegij dubitari, aut animadverti possunt. Circa tempus supponendum est ut certum, primò in quintis Quadragesimę, & Adventus ferijs hoc privilegio uti non licere; cum hæ excipiantur. Secũdò, in omnibus quintis ferijs, in quas Vigiliæ solemnitatum, aut Sanctorum inciderint, quantumvis solemnibus; de Eucharistia celebrare, & Officiũ recitare posse Regulares hoc privilegio fruentes, manifestum est; cum has illud non excipiat, & *ubi lex* (privilegium autem iuxta DD. est privata lex) *non distinguit, aut excipit, nec nos excipere, aut distinguere debemus.* Tertiò, occurrente in quinta feria festo semiduplici, vel Sancti, vel solemnitatis alicuius, sive sit totius Ecclesiæ, sive singularis Diœcesis, loci, aut Religionis non licet hoc uti privilegio, cum huius exceptio fiat expressa in illo.

3 Item occurente S. Simplice quintis ferijs, de Eucharistia recitandum est; cum ita ex consuetudine optima privilegiorum interprete habeatur, ut testatur Emmanuel sup. & omnes testari possumus, ac constat ex Codiculo quotannis edito, ubi pro festis aliquorum Ordinum sic habetur: *De Sacramento semid., exceptis Aduentus, & Quadragesima, & Officio novem lectionum.* Ac ita ex prefsé Clemens VIII. concessit Fratribus Eremitis, S. Augustini in Bulla, quæ in Codice suorum Officiorum effertur initio, & incipit: *Decet Romanum Pontificem*, ac edita est die 5. Martij anno 1596. ubi dicitur: Quod Officia SS. Nominis Iesu die 14. Ianuarij, & Archangeli Gabrielis 18. Martij, *Ac quintis ferijs extra Aduentum, & Quadragesimam non impeditis duplici, vel semiduplici festo, aut aliquo alio impedimento Officium SS. Corporis Christi iuxta Rubricas Breuiarij dicti Ordinis, tùm ab eodem Cardinali emendati, & ad formam Romani Breuiarij Romani redacti recitarè consueverunt, &c.* Postea ait Pontifex: *Nos eiusdem Andreæ votis, ac supplicationibus super hoc humiliter porrectis benignè annuentes, omnibus, & singulis utriusque sexus eiusdem Ordinis Eremitarum S. Augustini Religiosis, tam Fratribus, quàm Monialibus, quibuscumque mundi partibus existentibus, ut Officia SS. Nominis Iesu, S. Gabrie-*

Gabrielis Archangeli, & SS. Eucharistiæ Sacramenti, diebus, modo, & formâ prædictis, tam in choro, quàm extra recitare, atque ita obligationi diuini officij recitandi satisfacere, liberè, ac licitè valeant, authoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus. Non obstantibus, &c. Vbi nota festum duplex, & semiduplex excipi tantùm: ergo simplex non excipitur; cum exceptio firmet regulam in contrarium.

SINGVLARE XII.

An recitare possint de Eucharistia Regulares omnes in quintis etiam ferijs Adventus, & Quadragesimæ?

1 AFFIRMATIVAE partis resolutio fundari potest duplici Bulla: prima concessa à Sixto V. Fratribus Discalceatis de Monte Carmelo, edita Romæ 11. Iulij 1587. quæ incipit: *Redditurі de comisso*, & affertur ab Emmanuele Rodriguez in Bullario *fol. mihi* 488. ac huius Bullæ clausula sic se habet.

2 *Cum itaque (sicut accepimus) dilecti filij, Fratres Ordinis gloriosissimæ Deigenitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmelo, Congregationis Discalceatorum, singulis quintis ferijs, festo novem lectionum vacantibus, Missam de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, vel de festo, aut feria celebrare solent. Nos hanc captam laudabilem, & salutiferam consuetudinem Apostolica authoritate tenore præsentium approbantes, & confirmantes, monemus, & hortamur in Domino Fratres Discalceatos prædictos, & ubique eandem consuetudinem prosequentes, suis prædicationibus populos ad fidem, deuotionem, & frequentem usum huius sacrosancti Sacramenti allicere, & inuitare diligenter studeat.* Et infra: *Fratribus Discalceatis, & Christi fidelibus prædictis, qui illorum Ecclesijs, & præfatis quintis ferijs Missæ ad fuerint, centum annos de eis iniunctis pœnitentijs relaxamus.* Et addit Pontifex: Hoc observari posse: *Non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus.* Vbi nota, hanc Bullam editam esse post Bullam Pij V. excipientem Adventum, & Quadragesimam.

3 In primis clausula hæc concedit his Regularibus Missam celebrare de Eucharistia: confirmatio enim alicuius consuetudinis, vel facti, facta à Superiore per legem, aut statutum; legi, & statuto, vel concessioni æquivalet; nam ut in utriusque iuris Lexicone habetur: *Confirmare est alicui iuri, vel facto firmitatem præstare, ut colligitur ex cap. interdilectos, de fide instrum.*

4 Præterea cum à Pontifice approbatur, & conceditur, Missam de Eucharistia celebrare singulis quintis ferijs, Officio novem lectionum non impeditis; concedere etiam de ipsa recitare, aliquis probabiliter præsumere poterit; cum ipse Pontifex statuat in 1. Missalis Rubrica, quod, *Missa quotidie dicitur secundum ordinem Officij, de festo duplici, & semiduplici, de Dominica, vel Feria, vel Vigilia, vel Octaua, & extra ordinem Officij votiua, vel pro defunctis.* Et § 4. n. 3. *Quoad fieri possit Missa cum Officio conueniat:* ergo si à Pontifice conceditur ijs diebus Missa de Eucharistia, ac ipse præcipit, ut hæc cum Officio conueniat; concedere, videtur Officium de Eucharistia, ijs diebus, quibus Missam concedit.

5 Nec hæc votiva dici poterit, aliter nil speciale afferret hæc Discalceatorum consuetudo, & hæc concessio Pontificia illis facta nil operaretur; cum omnibus liceat omnibus diebus non impeditis Missam votivam de Eucharistia, vel de alio mysterio, aut Sancto celebrare; sed cum privilegia, sint stricti, & singularis iuris, aut communis correctiones, hoc privilegium aliquid singulare affert: & cum non limitet pro Adventu, & Quadragesima, limitandum non est.

6 Accedit huic indulto aliud Ordini SS. Trinitatis concessum à Clemente VIII. quod incipit: *Vestræ pietatis*, editum Romæ 18. Octobris 1597. & affertur in Epitome privilegiorum huius Religionis *cap. 3. art. 15. n. 1.* cuius concessio sic se habet: *Vt singulis hebdomadis, diebus tamen duplicibus festis non impeditis, uno scilicet SS. Trinitatis, & altero SS. Sacramenti Officium in Ecclesijs vestri Ordinis publicè, & priuatim recitare possitis, & valeatis; dummodo Officia prædicta iuxta Breuiarij Romani ritum recitetis, & à Congregatione sacrorum Rituum fuerint approbata, authoritate Apostolica præsentium, perpetuo concedimus, & indulgemus. Non obstantibus, &c.*

7 In quo notandum est 1. Non excipi tempus Quadragesimæ, ac Adventus: & ubi privilegium non excipit, nec non excipiemus. II. Ex hoc privilegio notetur, recitari posse de Eucharistia uno die, quicumque ille sit, semiduplici etiam Officio impedito, in qualibet hebdomada, excepta Dominica die, quia dies hæc, nec in hoc, nec in simili casu pro die hebdomadæ reputatur. III. Notetur, hunc diem eligi posse ad arbitrium recitantis, ac similiter variari; ita ut interdum dies electus in una hebdomada sit feria 2. in alia feria 3. vel 4. Cõgruentius autem erit ad celebrandum, & recitandum de Eucharistia, ut feria V. ut

potè

potè eius inſtitutioni ſacrata, eligatur, & quod non varietur, in publica præſertim recitatione; ſed ſi hæc Officio duplici impediatur, anteponi, vel poſtponi valebit.

SINGVLARE XIII.

An extet privilegium conceſſum Minoribus, & ijs, qui cum eis privilegiorum communicatione fruuntur, Miſſam celebrandi, & divinum Officium recitandi de B. Virginis Conceptione in Sabbatis novem lectionum Officio non impeditis?

1 HOc privilegium cõceſſum fuiſſe, ſed revocatum eſſe aliqui indubitanter affirmant: nam ex vivæ vocis oraculo ſolùm haberi, probant ex ipſius forma, quæ in Codice, ſeu Ordine recitandi Officij pro Minoribus edito, ſic habetur: *Paulus Papa V. ſuæ vivæ vocis oraculo coram illuſtriſs. Cardinali Aragoniæ Ordinis Protectore, die 19 Ianuarij 1609. ut in omnibus Sabbatis feſto novem lectionum non impeditis Fratres noſtri Ordinis poſſint facere Officium immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ, quod incipit: Sicut lilium, ſub ritu ſemiduplici.* Idem Oraculum affertur in Codice Officiorum S. Auguſtini; conceſſumque eſſe dicitur ad ſupplicationem Fratris Ludovici à S. Ioanne Evangeliſta, eius Ordinis Comiſſarij. Idem teſtatur Cardinalis Pompeius Aragonius titulo S. Sabinæ, 21. Ianuarij 1609. Cum igitur S. D. N. Vrbanus VIII. Bulla edita Romæ anno 1631. omnia vivæ vocis Oracula Religionibus, ac Religioſis conceſſa, etiam ſigillo munita, & manu Cardinalis ſubſcripta revocaverit, & annullaverit, hoc revocatum, & annullatum manere videtur; cum aliunde ex Bulla non habeatur.

2 Cenſeo igitur privilegium hoc firmum perſeverare, ita ut eo uti poſſimus, non ex prædicto Oraculo, vel ſimilibus, ſed ex nova Bulla expedita à S. D. N. Vrbano VIII. anno 1625. pro fundatione cuiuſdam monaſterij Monialium ab Apoſtolicæ Sedis Nuntio Iulio Epiſcopo Gravinenſi executioni mandandâ, & Excel. D. Gaſparis de Guzmã Ducis de Sanlucar la Mayor Comitis de Olivares, & ipſius uxoris Comitiſſæ D. Agnetis de Zuñiga, ſumptibus erigenda; in qua inter alia hoc ita concedit Pontifex: *Quæ Moniales omnes mihi divina Officia iuxta Rubricas Miſſalis, & Breuiarij Romani, nec non Officia Sanctorum dicti Ordinis, ex illius etiam Breuiario deſumenda, ſingulis Sabbatis diebus, Officio duplici, vel ſemiduplici non impeditis, etiam Officium Conceptionis B. Mariæ, prout in Ordine S. Franciſci fieri conſuevit, ſingulisque diebus in completorio Antiphonam: Conceptio tua cum eius oratione recitent, cantent, & celebrent.*

3 Hinc patet hoc privilegium Ordini S. Franciſci conceſſum, hoc authentico diplomate confirmari, & inde ex Bulla conſtare, ac de novo per illum concedi. Vnde etiam ſi non eſſe Oraculũ, nec illius mentio fieret nullibi; eo ipſo quod huiuſmodi monaſterij Monialibus in Bulla cõceſſum, ſit, conceditur omnibus Religioſis Mendicantibus & in illorum privilegijs cõmunicantibus, ut conſtat ex communicatione privilegiorum, quam omnes habent, & videre licet in pluribus Bullis Sixti IV. Bonifacij VIII. Innocentij VIII. Alexandri VI. Iulij II. Leonis X. Clementis VII. Eugenij IV. Gregorij XI. Adriani VI. & aliorum Pontificum in favorem Benedictinorum, Carthuſienſium, Minorum, Minimorum, Carmelitanorũ, Auguſtiniẽſium, Prædicatorum, Trinitariorum, ac aliorum Ordinum, quas affert Rodriguez in ſuo Bullario, & earum compẽdium invenietur apud Mirandam *to. 2. manualis q. 46.* apud utrumque Rodriguez Emmanuelem *qq. reg. to. 1. q. 55.* Hyeronimum *reſol. 116. n. 38.* Ildephonſum de Caſſarubios, & Hyeronimum Sorbum *in Compendio priuileg. verb. Communicatio.* Et inter ceteras ſpecialiter videndæ ſunt Bullæ Sixti IV. Iulij II. Leonis X. in quibus conceditur Fratribus Minoribus, ut fruantur omnibus indultis, gratijs, immunitatibus, & alijs conceſſis, tum Sororibus ſui Ordinis, tum earum domibus, Eccleſijs, & monaſterijs. Nec non ea videatur quę Pius V. Societati Ieſu conceſſit anno 1571. & incipit; *Dum indefeſſæ*, pro communicatione omnium privilegiorũ cum Mendicantibus.

4 Hinc fit, quod etiam ſi huic tantummodó Monaſterio, & illius ſolùm Monialibus hoc privilegium ſit conceſſum, ut illa verba exprimere videntur, *Quæ Moniales omnes mihi divina Officia, &c.* adhuc illo uti poſſunt omnes Mendicantes, ut ex prædictis Bullis conſtat.

5 Et in particulari dari hanc communicationem in Religionibus quoad recitationem, & celebrationem quorundam Feſtorum, ut Nominis Ieſu, & Mariæ, Euchariſtiæ, Conceptionis, & ſimilium, probant Emmanuel, *to. 2. q. 69. art. 2.* Hyeronimus Rodrig. *reſol. 65. n. 2.* & Portel *p. 3. caſu 28. n. 3.* Hoc verò intelligendum non eſt de Sanctis proprijs cuiuſlibet Ordinis, ſed de præ-

dictis festis, ac alijs toti Ecclesiæ generalibus, ut praxis, & Sapientium usus docent. Et si alicubi Gavantus oppositum sentire videatur, in hoc sensu percipiendus est.

SINGVLARE XIV.

An in Sabbatis Adventus, & Quadragesimæ, nec non quatuor Temporum, & Vigiliarum possint Regulares uti prædicto privilegio celebrandi, & recitandi de Conceptione B. Virginis?

1 NONNVLLOS viros timoratos, & doctos inveni in omnibus prædictis Sabbatis de Conceptione Virginis recitantes; & hi eo nitebantur fundamento, quod hoc privilegium sine limitatione horum dierum concessum fuit, ut testatur Emmanuel *to. 3. sum. c. 195. n. 6.* ubi; postquam retulit indultum relatum Pauli V. ait: *Como sin limitacion alguna conceda* [Paulo V.] *que en todos los Sabados puedan rezar los Frayles Menores de la Concepcion de la Madre de Dios, no estando impedidos con Santo doble, o semidoble, tambien pueden rezar della en los Sabados de Adviento y Quaresma; que si su Santidad no lo quisiera conceder, lo dixera claramente.* Idē docet F. Laurentius Lobo eiusdem Ordinis *in comp. Rubr. Breviar.* edito anno 1632. *c. 29.* Et videtur patere hoc ex illius forma, singulari antecedenti relata n. 1. Deinde, quia limitationem ipsi Fratres addiderunt. Vnde post privilegium supra relatum in Ordinis Officio positum sequitur: *Officium Conceptionis B. Mariæ recitari potest quolibet Sabbato anni, extra Adventum, & Quadragesimam, nō impedito Officio novem lectionū, etiam translato.*

2 Alij nituntur diplomate supra relato Monialibus Monasterij ab Excell. Duce de Olivares impetrato, in quo non excipiuntur Sabbbata Quadragesimæ, & Adventus, Vigiliarum, & quatuor Temporum; sed solùm, quæ Officio novem lectionum sunt impedita; & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Alij ex consuetudine optima legislatrice, ex qua constat SS. Francisci olim, & S. Augustini modò Religionesin Quadragesima hoc uti privilegio.

3 Adhuc dicendum est, in Sabbatis prædictis non licere celebrare Missam, & recitare Horas Canonicas de immaculata Virginis Conceptione; quia hos dies excipit privilegium Pauli V. iuxta Sacræ Congregationis Rituum; immo & ipsius Pontificis declarationem, quę sic habet: *Cum alias sub die 20. Ianuarij 1609. Sāctissimus D. N. Paulus Papa V. concessit Fratribus Observantibus Ordinis S. Francisci, ut singulis Sabbatis non impeditis festo novem lectionum, possint recitare Officium immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis Mariæ. Quæ gratia, cum etiam Fratribus Conventualibus sub die 14. Ianuarij, & Fratribus Capuccinis sub die 7. Iulij 1612. de voto Congregationis Sacrorum Rituum ab eodem Sanctissimo D. N. concessa fuerit; & eandē gratiam non esse simpliciter intelligendam; sed indigere aliqua declaratione, in eadem Sacra Rituum Congregatione ab illustrissimo, & Reverendissimo D. Cardinali Bellarmino propositum fuerit:*

4 *Placuit eidem Sacræ Congregationi, ut dicta gratia in Sabbato recitandi, declaretur esse intelligenda eo modo, quo intelligitur Rubrica de Officio S. Mariæ in Sabbato, ut excipiantur Sabbata occurrentia in Adventu Quadragesima, quatuor Tēporibus, & Vigilijs. Et facto de prædicta declaratione verbo cum Sanctissimo D. N. placuit Sanctitati suæ Congregationis declaratio, ut dicta gratia prædictis Religiosis concessa intelligatur cum supra dicta moderatione: & ita in futurum á prædictis Fratribus Observantibus, Conventualibus, & Capuccinis Ordinis S. Francisci Officium Conceptionis B. Mariæ in Sabbato eadem Sacra Rituum Congregatio recitandum esse censuit, & declaravit die 10. Novembris 1612.*

5 Vbi nonnulla notanda sunt in hac declaratione pro huius privilegij praxi. I. nota Rubricam de S. Maria in Sabbato: *In omnibus Sabbatis per annum extra Adventum & Quadragesimam, aut nisi quatuor Tempora, aut Vigiliæ occurrant, fit Officium de S. Maria:* & eodem modo dicitur faciendum esse Officium dē Conceptione. II. Quoties Sabbato occurrit festum duplex, vel semiduplex, vel Octava cuiuslibet festivitatis, vel Sancti, sive generale festum totius Ecclesiæ, sive speciale alicuius Diœcesis sit, de Conceptione non recitatur. III. Nec etiam recitabitur, si festum duplex, aut semiduplex translatum sit in diem Sabbati; cum enim hic sit proprius, aut quasi proprius dies talis celebritatis translatę ex institutione Ecclesiæ statuentis in Rubricis § 10. *n. 1.* celebrari debere prima die nō impedita festo duplici, vel semiduplici, & Sabbatum hoc non fit absolutè impeditum respectu totius Ecclesiæ, nec ex eius generali iure, sed secundùm quid, ex privilegio, & respectu singularium personarum, scilicèt, quorumdam Regularium, non potest ab hoc Conceptionis Officio excludi aliud de Trāslato.

6 Sed oppones, prædictam limitationem potius esse declarationem Cardinalium, seu Congregationis Rituum, quàm Pontificium decre-

decretum; Cardinalium autem declarationes, aut Congregationum illorum, ſeu quibus illi præſident, ut Concilij, Rituum, Regularium, & aliorum, non habent vim legis obligantis pro aliquo foro, ut docent Ledeſma, Thomas Sanchez, Valerius, Pontius, Zipæus, Serarius, & Bonacina, quos citat & ſequitur Diana, *p. tr.* 10. *reſ.* 29. hæ enim non ſufficienter promulgantur, illiſque deſunt plures cõditiones ad rationem legis requiſitæ, ut cũ pluribus probat Diana, *to.* 5. *tr.* 2. *reſ.* 29. & ſolùm ſunt Cardinaliũ declarationes doctrinales, & probabiles, maximiq; momenti: ergo hęc non obligabit.

7 Reſpondeo, omittendo an habeant vim legis Cardinalium Declarationes, ut habere docent plures apud Dianam, *p.* 1. *tr.* 10. *reſ.* 29. Sed hoc Speciale habet hæc Rituum Congregatio, quod ad declarandum, definiendumque de Ritibus, Ceremonijs, Solemnitatibus, ceteriſque, quæ ad Celebrationem & Recitationem ſpectant, omnem habet authoritatem. Præterea, nam in hoc caſu limitatio hæc non eſt appoſita à Congregatione tantùm, ſed ab ipſo Paulo V. qui privilegium conceſſit: ut patet ex ijs verbis: *Placuit Sanctitati ſuæ, &c.* & ex mente Legiſlatoris, legis obſervatio, & intelligentia ſumendæ ſunt: *Illius enim voluntas anima eſt legis*, ut docent Iuriſperiti; & legis verba ſunt intelligenda non ſecundùm quod ſonant; ſed ſecundùm mentem, & intentionem proferentis, *l. non omnis. in princ. ff. ſi cert. pet. l.* 3. *§. ſi quis hoc interdicto. ff. de itinere l. ſcire oportet. §. aliud. ff. de excutator.* Navarrus *man. c.* 23. *n.* 38. Tiraquellus *in l. ſi unquam. n.* 48. *c. de revocand. donat.* Franciſcus Mol. *de ritu nupt. l.* 3. *q.* 85. *n.* 50. ac alij.

8 Ad authoritatem Emmanuelis Roderici reſpondeo verbis Hyeronimi Rodrig. *reſolut.* 24. *n.* 16. quia ait, *Licet Emmanuel to.* 1. *qq. regul. q.* 42. *art.* 14 & 15. *& in ſumma to.* 3. *cap.* 195. *nu.* 6. *reſolverit poſſe recitari dictum Officium Conceptionis in Adventu, & Quadrageſime, quia id ſine limitatione in dicto privilegio indultum eſt; poſtea tamen contrarium fuit declaratũ per ſuam Sanctitatem, & ita uſus obtinet, ut in Adventu, & Quadrageſima non fiat dictum Officium Conceptionis. Immo nunc ex declaratione Cõgregationis ſacrorum Rituum in Sabbatis quatuor Temporum anni, idem prohibetur, ne ſcilicet fiat Officium de Conceptione.* Hæc ille.

9 Teſtimonium allatum ex Bulla conceſſa Monialibus prædictis, potius hanc veritatẽ confirmat, quam denegat. Si enim Vrbanus VIII. concedit in illa, ut hæ recitent ſingulis Sabbatis Officio duplici, vel ſemiduplici non impeditis Officium Conceptionis B. Mariæ Virginis *prout in ordine S. Franciſci fieri conſueui*, & in hoc Ordine nõ conſuevit fieri Sabbatis Adventus, Quadrageſimæ, Vigiliarum, & quatuor Temporum; nec his Monialibus, nec alijs Regularibus ex communicatione huius privilegij licebit his Sabbatis recitare.

10 Sed dices, illud *Prout*, appellari ſupra qualitatem Officij, ut ſcilicet recitent id, quod in Ordine S. Franciſci conſuevit recitari, quod incipit: *Sicut lilium*, non verò ſupra tempus. Reſpondeo, quod cum hoc privilegium, ut potiſſimam materiam reſpiceret tempus, inquo recitandum eſſet Officium Conceptionis, cur potius particula, *Prout*, appellare debet ſupra qualitatem, quàm ſupra tempus? Immo ad hoc potiſſimè attendiſſe Pontificem credendum eſt. Præterea, particula *Prout*, utriumque complectitur: quia denotat *omnimodam ſimilitudinem*, ut docent Gloſſa *in c. quanvis de offic. Ordinary. l.* 6. Octavianus *de propoſ. & ad verb. verbo prout*, Bertazol. *de Clauſul. inſtru... clauſ.* 5 *gloſ.* 2. *n.* 1. Menochius *conſil.* 1. *n.* 20. Surdus *Conſil.* 335. *n.* 38. & Barboſa *dict. prout. n.* 3. Et ſic ea ſignificatur, talem ſimilitudinem inter ſe hæc privilegia habere, ut potius unum exiſtimandum ſit, quàm duo. *Item quia inducit repetitionem qualitatum, & conditionum præcedentis* iuxta Galganet *de condit. p.* 2. *c.* 1. *q.* 18. *n.* 13. & Barboſam *n.* 6.

11 Tandem, *Prout*, æquivalet particulæ, *Perinde*, ac *Eodem modo*, & natura ſua ſtat limitativè, & reſtrictivè, ut conſtat ex l. *Si teſtamentum c. de inſtit l.* 1. *c. de bonor. poſſeſ.* & docent Maranta *p.* 3. *n.* 122. Bunor. *commu. oppin. l.* 9. *tit.* 34. *n.* 62. Menochius *conſ.* 177. *n.* 26. Surdus *conſ.* 379. *n.* 33. Azevedo *l.* 1. *n.* 50. Gratianus *March.* 212. *n.* 20. Barboſa *n.* 2. Tempus igitur limitatura eſt hæc dictio *Prout*, potiùs quã qualitatem duplicis, vel ſemiduplicis, aut Recitationem Officij; *Sicut lilium*: preſertim cum hæc potiùs aſſignentur, quàm limitentur. Immo ſapientes viri exiſtimant, magis conſenſum eſſe menti Pontificis concedentis hoc privilegium, ut his Sabbatis Officium de Conceptione, prout eſt in Romano Breviario, recitetur, quàm illud ſingulare apud Minores viſitatum; nam Breviario potius in omnibus, quàm Religionis uſui conformari tenemur, ex Bullis Pij V. Clementis VIII. & Pauli V. niſi aliud expreſsè conſtet. Ex ſic omnes fere Ordines commune in Eccleſia Conceptionis Officium recitant, ac ex ipſo Breviario recitandum eſſe etiam á Monialibus, quibus conceſſum eſt hoc privilegium, aliqui docent.

12 Præterea notandum eſt pro hoc, & ſequenti Singulari, quod in conceſſione prædicta facta Minoribus, & Monialibus prædictis duplex privilegium involvitur, aliud eſt recitandi de Conceptione in Sabbatis non impeditis, aliud recitandi illud Officium, *Sicut lilium*, non canonizatum pro tota Eccleſia. Vnde primo ſine ſecundo quivis uti poteſt, quia conceſſo toto partes conceduntur diviſæ, ſi ſeparabiles ſint, ut in ſimili ex pluribus DD. probat Sanchez, *l. 8. de matr. diſp. 1. n. 35.*

SINGVLARE XV.

An probabilis ſit opinio aſſerentium, Sabbatis Adventus, & Quadrageſimæ poſſe Regulares recitare Officium immaculatæ Conceptionis?

1 LICET propoſita ſententia verior, & probabilior ſit, declaratione, & conſuetudine optima legum, & privilegiorum interprete firmata; adhuc oppoſitam probabilem & in praxi tutam ſentiunt aliqui viri docti, quos illam ſuſtinere; immo & practicare vidi: tàm propter teſtimonia prædicta Emmanuelis, ac Hieronymi Rodriguez, quàm ipſiuſmet Rituum Congregationis, aſſerentia, abſolutè hoc indultum conceſſum eſſe à Paulo V. ut ex ipſo patet: ergo nos, aiunt, reſtringere non valemus, ſiquidem Legiſlator nõ reſtrinxit. Præſertim cum Religiones Mendicantes, & quæ eorum privilegijs fruuntur, uti valeant omnibus facultatibus, gratijs, indultis, &c. conceſſis cuicumque Religioni eo modo, quo à Pontificibus conceſſa ſunt; non ut ijs ſingulares Religiones utũtur, ſeu ut illa reſtringunt, ut ex ipſorũ Bullis communicationem privilegiorũ concedentibus, patet.

2 Nec huic opinioni probabilitatem fortè auffert ſacræ Congregationis Rituum declaratio relata I Quia vim legis non habere iam vidimus. II. Quia limitatio hæc quoad Sabbata Adventus, & Quadrageſimæ non eſt declaratio, ſeu decretum à Paulo V. dimanans; ſolùm enim in eo dicitur propoſitum fuiſſe Summo Pontifici, & illi placuiſſe: *Placuit Sanctitati ſuæ Congregationis declaratio; ut dicta gratia prædictis Religioſis conceſſa intelligatur cum ſupra dicta moderatione.* Verbum autem *Placet*, non legem imponit, ut verbũ *Ordinare, Mandare, Statuere, Iniungere, Præcipere*, & his ſimilia, quæ videri poſſunt apud Bonacinam *de leg. d. 1. q. 1. p. 7.* § 4. ſolùm enim ſignificat *alicui gratum fore, aut bene videri*, vel ad ſummum, *arbitrari*, ſeu in arbitrio vel libito actum ponere, ut *in l. Thais ancilla. § ſorore ff. de fidei commiſſ. l. fidei commiſſaria, de fidei comiſſ.* Hinc utriuſque iuris Lexicon verbum *placere* ait: *Placere licet videatur importare omnimodam voluntatem præferentis, tamẽ includit arbitrium boni viri.*

3 Vnde verbum *Placuit*, non de ſententia Iudicis, lege, aut ſtatuto Superioris, ſed de boni viri arbitrio intelligitur, ut docent Benedictus Ægidius Luſitanus *in repet. leg. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iure p. 1. c. 8. n. 60.* & Barboſa *dict. placere n. 1.* Sic igitur aliud eſt legem, aut illius declarationem Principi placere; aliud illam ſancire, intimare, proponere obſervandam. Declarationem verò hanc, & decretum, (licet placuerit Pontifice) dimanaſſe à Congregatione, ab ipſaque factum, expreſsé teſtatur ipſa illis verbis: *Et in futurum à prædictis Fratribus obſervantibus, Conventualibus, & Capuccinis Ordinis S. Franciſci Officium Conceptionis B. Mariæ in Sabbato eadem ſacra Rituum Congregatio recitandum eſſe cenſuit, & declarauit.*

4 Igitur ſi hæc declaratio approbata eſſet à Pontifice, vel de Pontificis mandato edita, ut aliæ conduntur his, aut ſimilibus verbis: *Et hanc declarationem Sanctitas ſua probavit, & obſeruandam dixit*, vel, *ex ſuæ Sanctitatis mandato hæc declaratio facta eſt*; nullo modo ambigerem vim legis habere, illique parendum eſſe, ut de his declarationibus ſufficienter promulgatis, & conſultatione, ac approbatione Pontificis editis expreſsè tenent Garcia *de Benef. proem. to. 1.* Rodriguez *to. 1. qq. regul. q. 11. art. 2.* Salas *de leg. d. 25. ſect. 9. n. 53.* Enriquez *l. 7. de indulg. cap. 29. n. 4.* Coriolanus *de reſerv. fol. mihi 104. n. 5.* Ochogavia *tr. de confeſ. n. 12.* & alij.

5 Adde, quod etiam ſi à Pontifice dimanaſſet hæc declaratio, cum facta ſit anno 1612. reſpectu Minorum, & Capuccinorum, non aliarum Religionum, ut ex ipſa conſtat, & iam ab anno 1609. in quo facta eſt gratia recitandi de Conceptione ſingulis Sabbatis ſine hac limitatione communicata ſit, ſeu per communicationem conceſſa alijs, eo modo quo ab initio emanavit; ſaltem aliæ Religiones abſolutè, & ſine limitatione præfatæ declarationis ea uti poſſunt. Præterea, quia probabile eſt ſine hac temporis limitatione concedi hoc privilegium Monialibus præfatis, & ly, *Prout*, ſupra qualitatem Officij ſolùm appellare. Deinde quia in primis conceſſionis huius privilegij annis mos fuit obſervatus à Minoribus, ut ipſi teſtantur, ut non excluderentur

rentur Adventus, & Quadrageſimæ Sabbata, quod ſignum eſt, ſine huius temporis excluſione verificari ly *Prout in ordine S. Franciſci fieri conſuevit*: ergo.

6 Nec huic etiam opinioni probabilitatem auffert, quod hoc privilegium ſit contra ius commune à Pontifice pro univerſa Eccleſia ſancitum, & Breviario inſertum; ac iuxta omnes Iuriſperitos: *Priuilegium cõtra ius commune ſtrictè accipiendum ſit*, ut ex Doctoribus probat Thomas Sanchez, *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 1. *n.* 3. Quia hæc regula exceptionem patitur, cum privilegium cedit in Religionis, & piæ cauſæ favorem; quia tunc latiſſimè eſt interpretandum. Sic Caſtro Palao *to.* 1. *tr.* 3. *d.* 14. *de leg. punc.* 10. *n.* 5. Salas *de leg. d.* 14. *ſect.* 8. *n.* 52. *reg* 8. *& ſec.* 6. *n.* 44. ac apud ipſum Doctores alij; nec non Suarez *lib.* 8. *c.* 27. *de leg. n.* 9. Sanchez *lib.* 8. *de Matri. d.* 1. *n.* 13. Rodriguez *qq. reg. q.* 11. *to.* 1. *art.* 6. Oldradus *conſ.* 300. *n.* 4 Enriquez *l.* 7. *de indulg. c.* 2. *n.* 3. *& cap.* 24. *n.* 4. alios referens. Et ut notant Sanchez *n.* 7. & Palao *ſupra* quando privilegia conceduntur in perpetuum, reputãtur ac ſi in corpore iuris eſſent. Hoc autem privilegium in favorem Religionis cedit, & ex certâ ſcientia conceſſum eſt præfatis Monialibus; & quæ *ex certa ſcientia* conceduntur latiſſimè interpretantur, etiã ſi ſint contra ius commune, ut ſentiunt Palao, & Sanchez *ſupra*, & apud ipſos plures. Quod ſi adhuc dubium de hac lege, & privilegio perſeverat, Suaritus *de leg. lib.* 5. *c.* 2. *n.* 13. ait: *In dubio legis, & priuilegij ſit ne fauorabile, vel odioſum; præferendum eſſe fauorem, & legem ampliandam.*

7 Nec obſtat etiam conſuetudo à Fratribus Minoribus ſive introducta, ſive obſervata. 1. Quia privilegium conceſſum pluribus non perditur per non uſum alicuius, nec uſui ũnius præiudicat, aut præiudicare poteſt non uſus alterius, ut tenent Panormitanus *in c. um acceſſiſſent, de conſt. in fin.* Silveſter *privileg. q.* 21 & alij *Vnde*, inquit, rectè Miranda. *manu to.* 2. *q.* 46. *art.* 8. *Cum Religionum priuilegia, eo ipſo quod communicantur, fiant communia, & propria earundem Religionum, quibus communicantur; per non uſum alicuius Religionis, cuiuſpiam priuilegium non amittitur, aut deperditur, iuſque habent alia Religiones ad ipſum: nam in priuilegiorum communicatione non communicatur uſus, ſed ius utendi. Hæc concluſio eſt certa, & manifeſta.*

8 Secundò, quia, ut mihi retulit P. Petrus de Vrteaga graviſſimus noſtræ Societatis vir, & concionator egregius, ipſe à quodam gravi, & ſapienti viro Auguſtinianæ familiæ audivit, in ſua Provincia omnibus Sabbathis etiam Adventus, & Quadrageſimæ de Conceptione celebrari, & recitari. In cuius rei confirmationem oſtendit illi Codicem pro ſuæ Religionis recitandi ordine inſtitutum authoritate Apoſtolica, & in illius initio ipſe vidit, pro omnibus totius anni Sabbathis, non exceptis Adventu, & Quadrageſima Officium Conceptionis aſſignari. Ego etiam vidi hunc Codicẽ Matriti impreſſum anno 1622. Et apud me habeo teſtimonium R. P. F. Mathæi Caro Prioris S. Auguſtini Hiſpalenſis, & aliorũ octo Patrum eiuſdem conventus, teſtantium, ſubſcriptioneque ſua affirmantiũ in totius huius Bæticæ Provinciæ conventibus ſui Ordinis de Conceptione recitari, Sabbatis etiam Adventus, & Quadrageſimæ. Sic ſubſcribũt Hiſpali 13. Ianuarij 1642.

9 Et licêt nulla Religio adhuc uſa eſſet hoc privilegio, amiſſum non eſſet, neque amitti poſſet; quia requiritur ad hoc, ut privilegium conceſſum Eccleſijs, Monaſterijs, & Religionibus amittatur per non uſum, ut 40. annis illo non ſint uſæ, ut cõſtat, *ex c. accidentibus. de privileg.* & docent omnes Doctores. At nondum tot anni tranſierunt, nec uſque ad annum 1649. complebuntur, tum quia requiritur ſcientia privilegij, & voluntas illo non utendi; ut probat Miranda, *to.* 2. *manual. q.* 46. *ar.* 8. Nemo verò, ut opinor, exiſtimabit privilegium ita favorabile, & in B. Virginis gloriã, & cultum cedens, bene notum, reiectum eſſe à Regularibus.

10 Accedit, Quod Frater Laurentius Lobo *ſu.* cenſuit, etiam poſt ſtatutum factũ in Capitulo generali Minorum celebrato anno 1612. ad cuius inſtantiam Declaratio prefata emanavit, poſſe ipſos, ſaltém privatim recitare de Conceptione, Sabbatis Adventus, & Quadrageſimæ; ſolũm enim ſolemnis recitatio ipſis tunc, inquit, prohibita eſt. Suffragatur denique conſuetudo recitandi etiam prædictis Sabbatis, iuxta quam ex Rubrica 1. Breviarij n. 1. etiam ſi detur prædicta limitatio, poſſent Minores, ut aliquis opinatur recitare de Conceptione. Item Ioannes Maria Novarius, qui opus ſuum, edidit anno 1638. ſic hoc aſſerit. *Officium Conceptionis B. M. ut ſingulis Sabbatis feſto nouem lectionibus non impeditis à Fratribus Obſervantibus S. Franciſci recitetur, conceſſit, S. Rituum Congregatio anno* 1609. *& eadem idem conceſſit Fratribus Conventualibus.* Ecce nullam limitationem apponit, *in ſua lucer. V. Offic. n.* 34.

11 Sed ſi roges, an Religioſi noſtræ Societatis uti poſſint prædictis privilegijs recitandi de Euchariſtia quintis feriis, & de

Con-

Conceptione Sabbatis non impeditis? R. posse eos, quibus P. N. Generalis hæc communicaverit: sine illius enim communicatione nullo privilegio nostræ Societati; vel alteri Religioni concesso frui possumus, ut cõstat ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*, Romæ edita anno 1575. Sciõ hæc privilegia communicata esse à R. P. N. Mutio Viteleschi Provinciæ Pervanæ, necnon multis Europæ, nominatimque nostræ Bæticæ, nomine enim eius Congregationis Provincialis celebratæ anno 1628. P. Iacobus Granado postulavit de his recitari extra. Adventum, & Quadragesimam, seu iuxta privilegia concessa alijs Ordinibus; & R. P. Generalis respondit 1629. *Quantum in me situm est, & per me licet, id quod petitur libentißimè concedo in Nomine Domini.* Vnde eo modo, quo communicatum est, hoc privilegio uti possumus. Et forsan quis opinabitur hæc, & similia, privilegia spiritualia posse communicari etiam à Visitatore, cum in eius Instructione num. 7. dicatur: *In foro interiori amplißima facultas ei relinquitur.* Provinciali autem communicatio alicuius privilegij conceditur, cum est periculum in mora, ut constat ex proemio nostrorum privilegiorum.

SINGVLARE XVI.

V. Omnes Moniales cuiuscunque Ordinis sub Ordinariorum regimine viventes, possint uti privilegio recitandi quintis ferijs de Eucharistia, & Sabbatis de immaculata Conceptione B. Virginis Mariæ: ubi an alijs privilegijs, Religionibus Mendicantibus conceßis fruantur?

1 CERTVM est hoc privilegio, sicut & iam exposito recitandi de Eucharistia quintis Ferijs, gaudere omnes Religiones habentes communicationem privilegiorum, ut habent omnes tam Mendicantes, quàm non Mendicãtes. Ita ostendit Cõpendium Mendicantium *verb. Priuilegiorum communicatio*, & probant Emmanuel Rodriguez *to.* 1. *qq.* 55. Miranda *in manuali to.* 2. *q.* 46. ac Hieronimus Rodriguez *qq. reg. resol.* 116. *a n.* 38 Quod verò eo gaudere possint etiam prædictæ Moniales, probatur ex indultis summorum Pontificum, qui absolutè, & sine limitatione hac, quod sub regimine Regularium vivant, concedunt omnibus Monialibus cuiuscumque Ordinis communicationem privilegiorum cũ Regularibus, quorum Ordinem profitentur: Et *Vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, l. de pretijs. ff. de public. in rem act. l. non distinguemus. ff. de recep. arbitr.* Et *lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda, l. in fraud. §. ultim. de testam. milit. l.* 1. *§. generaliter, ff. de legat. præstan.*

2 Extat de hac communicatione inter alias, Leonis X. Bulla, quæ incipit: *Dudum per Nos*, edita anno 1519. die 10. Decembris ubi sic ait: *Nos ad singulos Ordines prædictos, singulasque ipsorum Ordinum domos, ubi religiosè viuitur indifferenter absque acceptione personarum deuotionis affectum æqua lance gerentes, omnes & singulas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remißiones, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, indulta tam spiritualia, quam temporalia, qualiacũque illa essent, quæ Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Seruorum B. Mariæ, ac ac Minorum Fratrum, &c. Fratribus, etiam & Sororibus, & Monialibus, Cõuersis quoque, Oblatis, ac utriusque sexus personis de Pœnitentia nuncupatis, & alijs singulorum Ordinum prædictorum; motu proprio, & ex mera nostra scientia & liberalitate, de Apostolicæ authoritatis plenitudine communicauimus, illaque omnia, & singula interdictorum Ordinum personas pariformiter communia fuisse, & esse volumus, prout in singulis literis prædictis plenius continetur.* Affertur hæc Bulla à Confectio in compendio *fol.* 132.

3 Sed urgentiùs, & specialiùs probatur hoc ex Bulla Fratribus Eremitarum S. Augustini à Clemente VIII. anno 1596. die 5. Martij, data, ubi ait: *Nos omnibus, & singulis utriusque sexus eiusdem Ordinis Eremitarum S. Augustini Religiosis, tam Fratribus, quàm Monialibus, quibuscumque mundi partibus existentibus, ut Officia S. Nominis Iesu, S. Gabrielis Archangeli, & SS. Eucharistiæ Sacramenti, diebus modo, & forma prædictis, tam in choro, quam extra, recitare, ac ita obligationi diuini Officij recitandi satisfacere liberè, & licitè valeant, authoritate Apostolica tenore præsentium concedimus:* ergo quoad recitationem idem est utriusque sexus privilegium, nec in cõ distinguitur, an Moniales sub Fratrum, vel sub Ordinariorum loci cura degant.

4 Probatur 2. quia prædictæ Moniales, & eorum Monasteria gaudent alijs privilegijs, quibus gaudent Fratres sui Ordinis, etiam si sub illius cura non sint, v. g. circa decimarum solutionem, Sacramentorum susceptionem, Indulgentiarum lucrationem, & similia: ergo & hoc gaudebunt circa divini Officij recitationem; præsertim

cum

cum videamus illas in hac ſequi normam, & indulta Ordinis, quem profitentur. Hinc rectè Hyeronimus Rodrigù 2. *qq. reg. reſ.* 24. *n.* 23. ait: *Moniales gaudent omnibus privilegijs, & facultatibus conceſſis Fratribus circa recitationem diuini Officij.* Idem probat Emmanuel *to.* 1. *q.* 42. *art.* 20. & neuter diſtinguit an ſint, vel non ſub regimine Fratrum.

5 Probatur 3. ex conſuetudine optima legum, & privilegiorum interprete; nam Moniales Auguſtinianæs v. g. Monaſteriorũ S. Leandri, SS. Nominis Ieſu, S. Mariæ de la Paz Hiſpalenſium, Benedictinæ, aut Ciſtercienſes Monaſterij S. Mariæ de las Dueñas; S. Hyeronimi Monaſterij S. Paulæ; Franciſcanæ Conceptionis Virginis, (vulgò la Concepcion de S. Iuan) Dominicanæ S. Mariæ de la Real, celebrant omnes feſtivitates Sanctorum Ordinis, quem profitentur, etiam ſi ſub Ordinariorum regimine vivant; & recitant de illis, eo ritu, & modo, quo ſui Ordinis Religioſi; immo, ac ipſoru Breviarijs, aut recitandi Codicibus utuntur: & rationi hoc congruit, nam ut rectè dicitur in Bulla Clementis VIII. relata: *Conveniens eſt, ut qui in habitu, & regula ſunt conformes, in laudibus etiam recenſendis eundem ſeruent modum, ac ritum:* ergo de Conceptione, & Euchariſtia Sabbatis, & quintis ferijs poſſunt ex prædictis privilegijs recitare: ſicut aliqua horum Monialium Monaſteria recitant, etiam in Adventu, & Quadrageſima, & conſilio virorum ſapientium, & ſui Ordinarij approbatione.

6 Probatur 4. quia hæc, & alia privilegia conceduntur in gratiam Mendicantium, quia Mendicantes ſunt; ſed etiam Moniales ſunt Mendicantes, ut rectè notat Ludovicus á Cruce *in Cru. d.* 1. *c.* 9. *dub.* 4. *n.* 4. ergo etiam conceduntur in gratiã Monialium, quia *Vbi eſt eadem ratio, eadem debet eſſe iuris diſpoſitio.* Nec ex eo, quod Religioni Mendicanti non ſubiiciantur, Mendicantes deſinunt eſſe, cum Mendicantium ſequantur Inſtitutum, ex cujus obſervantia hic titulus, aut Religionis dignitas deſumitur. Cõfirmatur, quia privilegia conceſſa viris, intelliguntur etiam conceſſa feminis, quando ad ipſas pertinere poſſunt; habent enim extenſionem, ſeu deductionem á maſculino ſexu ad femininum. Sic docent Menochius, *de adipiſcenda poſſeſſ. remedio* 4. *n.* 61. & 63. Rebufus *in l.* 1. *ff. de verb. ſignif.* Trulench. *ſup. n.* 5. Cruz *ſup. n.* 5. Tiraquellus *de tract. Conſanguin. §.* 1. *gloſ.* 9. *n.* 221. & alij apud ipſum, & communiter Doctores *in cap. cum plantare. §. Eccleſiaſ. de priuileg.* Nec obſtat quod hæc privilegia dicantur concedi Fratribus, ſeu Superioribus Mendicantium; quoad ſuos Fratres; quia etiam intelliguntur concedi eiſdem in ordine ad ſuas Sorores, ut docent Trulench. *n.* 5. & Cruz *n.* 4. Vnde heres, quem Teſtator obligat ad reſtituendum aliquid ſuis Fratribus, manet etiam obligatus ad reſtituendum Sororibus, ut docent Iuriſperiti; *cap. Raynutius verbo declaratio. de teſtam. & l. Lucius. §. quæſitum. ff. delegat.* 3.

7 Probatur 5. Quia in Bullis conceſſis, vel in primo limine fundationis, ſeu erectionis horum Monaſteriorum, vel in exemptione eorum á Regularibus, quibus antea ſubiiciebantur, concedit Pontifex huiuſmodi Mònialibus eadem privilegia, quibus potiuntur Regulares, quorum inſtitutum profitentur. Sic in Bulla in qua SS D. N. Vrbanus VIII. Moniales Monaſterij Spiritus Sancti civitatis de Xerez de la Frõtera, Hiſpalenſis Diœceſis, eximens à regimine Fratrum Prædicatorum, & Ordinariorum iuriſdictioni ſubiiciens, eiſdem etiam ſic exemptis omnia privilegià Fratrum concedit his verbis: *Illas moderni, & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Hiſpalenſis ſuperioritati, iuriſdictioni, viſitationi, correctioni, curæ, & gubernio, in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus authoritate, & tenore præſentiũ perpetuò committimus, ſubijcimus, & ſupponimus; eiſdemque nunc, & pro tempore exiſtentibus Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, & Monialibus, ut ſubditi Archiepiſcopi Hiſpalenſis obedientia vivent, omnibus, & ſingulis indulgentijs, gratijs, indultis, & privilegijs, quibus aliæ eiuſdem ordinis Moniales de iure, uſu, conſuetudine, & aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum pari modo, & ſinè ullæ prorſus differentia, exemptione á iuriſdictione Ordinarij præſenti excepta, uti, frui, & gaudere, perinde ac ſi ſub Magiſtri Generalis, ac Superiorum, & Fratrum Prædicatorum cura, & gubernio ut prius exiſterent, liberè, ac licitè poſſint, & valeant authoritate. & tenore ſimilibus concedimus, & indulgemus.* Similem conceſſionem, ſeu communicationem vidi in alijs Bullis Monaſteriorum Hiſpalenſium Ordinario ſubiectorum, ut in Bullis pro Monaſterio S. Leandri, Incarnationis, ac aliorum.

SINGVLARE XVII.

V. Sacerdotes ſæculares ex Tertio S. Franciſci, Prædicatorum, Auguſtinienſium, & Carmelitarum Ordine, poſſint recitare Officium, & Miſſam celebrare de immaculata Virginis Conceptione in Sabbatis, & de Euchariſtia in ferijs quintis, in quibus Regulares: ubi an alijs eorundem Ordinum fruantur privilegijs?

1 TERTIARIOS Ordinis B. Franciſci in Congregatione viventes, tria vota eſſentialia, ut potè veros Religioſos emittentes, hoc, & alijs omnibus privilegijs ſpiritualibus, & temporalibus, quibus gaudent Minores Obſervantiæ, gaudere indubitatum eſt, ut patet ex Bullis Pij V. Innocentij VIII. Leonis X. Sixti IV. Gregorij XIII. & aliorum Pōtificum, quæ habentur in Compendio privilegiorum, & in monumento Ordinum *verbo Tertiarij*. Et idem dicimus de Monialibus Tertiarijs viventibus in communitate, ut patet in Bulla Sixti IV. *quæ eſt* 25. & Leonis X. *Bul.* 16. *in Bullario* Cherubini. Quod intelligendum eſt etiam de Monialibus Subditis Ordinario, & ſi ſub regimine Regularium S. Franciſci non vivant, iuxta dicta, & dicenda in Appendice.

2 Intelligitur etiam de Tertiarijs, quę ſunt Beatæ quædam caſtitatem voventes, & in privatis domibus degentes. Hæc enim, quamvis non ſint veræ Religioſæ, nec tria ſubſtantialia Religionis vota emittant, gaudent privilegijs omnibus quoad ſpiritualia, & temporalia, ſui Ordinis, ut conſtat ex Bulla Leonis X. quæ eſt 16. in Bullario, ubi generaliter, & indiſtinctè ait Pontifex illas *In omnibus, & per omnia gaudere privilegijs, & immunitatibus Fratrum.* Vnde apertè videtur deduci, quod illas a tributis, & alijs oneribus, ſolvi ſolitis à laicis, eximit Pontifex, aliaque indulta Fratribus communia concedit, ut docent Emmanuel, *to.* 1. *q.* 55. *art.* 4. Trulench. *l.* 1. *in Bul.* § 9. *dubio.* 3. Hyeronimus Rodriguez *qq. reg. reſol.* 136. *n.* 8. & Portel *verbo Tertiarij n.* 7. afferentes decretum Congregationis Concilij anno 1608. id declarans. Idem dicendum omnino eſt de Tertiarijs Fratribus, & Sororibus Ordinis Prædicatorum, & Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, & alterius cuiuſuis Ordinis Tertiarijs, Corrigiatis, Pinzocharis, Cordellatis, & Mantellatis, de omnibus enim loquitur Leo X. in Bulla relata, quæ incipit: *Nuper in ſacro Lateranenſi*, edita anno 1518. & Congregatio Concilij Tridentini in declaratione anni 1608. id ſtatuit.

3 Si igitur hæ Beatæ, & Tertiarij huiuſmodi, vel in communitate, vel in proprijs domibus vitam cælibem, virginalem, aut vidualem ex voto agentes ſub regula prædicta, adſtricti eſſent recitationi divini Officij, vel ex ſacro Ordine, vel ex voto, vel ex alia obligatione; poſſent ferijs quintis de Euchariſtia, & Sabbatis non impeditis de Conceptione celebrare, vel recitare, ſicut & alijs ſuorū Ordinū privilegijs frui.

4 Dubium verò præcipuum in hac materia eſt, an gaudeant prædicto privilegio recitandi de Euchariſtia, & Conceptione, ac alijs privilegijs Sacerdotes, & alij, qui ob ſacrum ordinem, beneficium, capellaniam, aliamvè cauſam ad Horarum recitationem ſub mortali obligati ſunt, ſi hi Tertiarij S. Franciſci ſint, ſeu huius Tertij Ordinis habitum acceperint: & ut ſæculares (tales enim veré ſunt) immo, ut coniugati illum accipiunt, in proprijs domibus habitantes, nullo nec caſtitatis voto ſub prædicta regula ligati, neque iuriſdictioni, aut obedientiæ fratum Minorum ſubiecti, ſed ſolùm directioni illorum ſponte ſubmiſſi ſub cura ſpirituali illorum verſantur. In quo dubio probabile exiſtimo hos Tertiarios poſſe uti hoc privilegio, illoque, & alijs, quoad ſpiritualia, ſuo ſtatui non repugnantibus, frui.

5 Probatur ex Bulla Pauli II. quæ incipit: *Expoſcit veſtræ devotionis, &c.* ex pedita anno 1470. ubi poſtquam Prælatis Eremitarum, S. Auguſtini conceſſit facultatem dandi Laicis habitum nigri coloris, habitui eiuſdem Ordinis Fratrum conformem, addit: *Ipſis Laicis, quibus taliter Mantellum, ſeu habitum huiuſmodi exhibuerit, quod omnibus, & ſingulis privilegijs, exceptionibus, immunitatibus, & indultis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus præfatis veſtro Ordini, & Congregationi Apoſtolicæ, & alia quavis authoritate in genere conceſſis, ad inſtar aliorum Mantellatorum prædictorum, etiam gaudere poſſint eàdem authoritate concedimus, & indulgemus.* Eadem concedit iſdem Clemens IV. Bulla anni 1474. quæ incipit: *Et ut virgines &c.* eſt 9. in privileg. Mendic. Et Monialibus Tertiarijs, & Carmelitarum Nicolaus V. in Bulla, *Cum nullā*, anno 1452.

6 Deinde Leo X. in Bulla edita anno 1518. ſtatuit, prædictos Tertiarios teneri ad recipiendam Euchariſtiam die Paſchatis, & extremam Vnctionem in mortis articulo á proprio Parocho, ad onera Laicis impoſita.

ſita, & à divinis excludendos tempore interdicti, ſi illi cauſam dederint. Vnde colligitur, quoad reliqua frui privilegijs Fratrum, ut in Lateranenſi conceſſum fuerat, nam exceptio firmat regulam in contrarium. Inſuper Nicolaus IV. & Innocentius VIII. ut teſtatur Collector privileg. *verbo Tertiarij n. 4. & 11.* extendunt gratias & indulta conceſſa Fratribus, & Sororibus Tertij Ordinis in communi viventibus, etiam ad illos, qui vivunt in particulari.

7 Et licèt hi, ſæculares reputentur, & veré ſint, remaneantque ſubiecti iuriſdictioni ſæculari in omnibus, quæ ad forum exterius ſpectant, ac Regulares non ſint quia tria Religionis vota nullo modo emiſerũt, ut docent Rodriguez, *in Bull. §. 12. n. 9.* Ioannes de la Cruz *l. 2. c. 3. dub. 5. concluſ. 1.* Ludovicus à Cruce *in Bull d. 1. c. 9. dub. 4. n. 9.* Trulench. *lib. 1. ſeſ. 9. dub. 3. n. 6.* & alij; nihilominus hæc ſpiritualia, ſeu in ſpiritualibus privilegia illis conceſſit Pontifex, exprimens etiam ſe laicis concedere illa.

8 Sed adverte, hos Tertiarios, ut his privilegijs poſſint gaudere, debere portare habitum aſſignatum á Pontificibus, ut deſcribitur â Hyeronimo Rodriguez *ſup. n. 6.* qui nimirum ſit vilis in pretio, & in colore, nec omnino albo, nec omnino nigro, ſitq; honeſtus, & à Prælatis benedictus. In Italia, & Hiſpania quoad formam afferũt Tertiarij veſtes non omnino diſimiles veſtibus aliorum ſæcularium, quoad colorem verò ad inſtar Fratrum Minorum ſubcinericiũ.

9 Poſtremò quod Pontifices prædicti, nec ad huiuſmodi habitum recipiendum, nec ad fruendum privilegijs Ordini ſui habitus conceſſis, exceptis ijs, quæ a Leone X. ſupra excepta retulimus; non expoſcant, ut huiuſmodi Tertiarij, aut Mantellati caſtitatis voto ligentur; patet ex Bulla Clemẽtis IV. anno 1268. ibi: *Et ut virgines, viduę, & coniugatæ perſonæ Mantellatæ, ſeu Pizocheræ dicti Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, &c. eiſdem perſonis concedimus, quod omnibus, & ſingulis priuilegijs, immunitatibus, & fauoribus, gratijs, & indultis ſpiritualibus, & temporalibus Ordini, & Fratribus prædictis conceſſis, & concedendis &c. potiri & gaudere, ac participes eſſe poſſint, & debeant.* Eadem habet Sixtus IV. in Bulla edita anno 1474. Et licét Nicolaus V. Tertiarios Ordinis Prædicatorum, Viduas, & Virgines continenter, & honeſtè victuras dicat in Bulla relata, & edita anno 1452. tamen eas caſtitatis voto adſtringendas non meminit.

SINGVLARE XVIII.

V. Sæculares in ſacris, portantes chordam S. Franciſci, vel corrigiam S. Auguſtini, aut habitum parvum, vulgo [Abitillo,] Carmelitarum, aut S. Mariæ de Mercede, aut S. Trinitatis, poſſint gaudere privilegio recitandi in quintis ferijs de Euchariſtia, & in Sabbatis de immaculata Conceptione? Vbi an alijs horum Ordinum fruantur privilegijs, & indulgentijs?

1 IVIVS dubij reſolutio pendet omnino ex Pontificijs indultis conceſſis Confratribus chordæ S. Franciſci, & corrigiæ S. Auguſtini, ſeu Corrigiatis, aut Chordigeris, ſive portantibus, *Chordam cinctam, ſuſceptam, & benedictam per Superiores Fratrum Minorum*, ut loquitur Sixtus V. qui Bulla, quæ incipit: *Ex ſuperna diſpenſationis*, ait: *His Confratribus omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, & relaxationes Archiconfraternitati Confalonis B. Mariæ Virginis in Eccleſia S. Luciæ de Vrbe inſtitutæ, nec non prædicto Ordini, & illius Fratribus, & perſonis quandocumque, & per quoſcumque Romanos Pontifices, ac etiam per Nos conceſſas, quoad illas tantùm, quæ hactenus reuocatæ non fuerint, motu, & auctoritate, ac tenore ſimilibus etiam perpetuò concedimus, & elargimur, ac communicamus.* Eadem concedit idem Sixtus in Bulla, quæ incipit: *Diuinæ charitatis*, edita anno 1587. & in utraque plures Indulgentias plenarias his Cõfratribus concedit, pro die 1 ẽpe quo Confraternitatem ingrediuntur, pro mortis articulo, & pro alijs diebus.

2 Item Gregorius IV. in Bulla, quæ incipit: *Cum ſicut accepimus*, anno 1599. 15. Decemb. dixerat: *Cum ſicut accepimus dilecti filij Confratres utriuſque ſexus fidelium Corrigiatorum nuncupati Diui Auguſtini, uti, frui, & gaudere poſſint indulgentijs, & participes fieri omnium gratiarum ſpiritualium Ordini ipſius S. Auguſtini conceſſarum, omniumque operum, quæ in dicto Ordine in tempore fiunt, &c.* Vide Emmanuelem *ſup. art. 2.* qui eam affert, adnotans non eſſe neceſſarium, ut huiuſmodi Confratres afferant zonam ab aliquo Prælato Auguſtinienſium conceſſam, ut eorum potiantur indulgentijs.

3 Cum ergo in his, & alijs Bullis tam harum duarum Confraternitatum, quam [ut exiſtimo] aliarum in Monaſterijs, ſeu

Eccleſijs Prædicatorum, Carmelitarum, B. Mariæ de Mercede, & aliorum Ordinum, ſolùm concedantur Confratribus habitum parvum: vulgo, *El Abitillo de la Merced, o del Carmen*, portantibus indulgentiæ, & peccatorum remiſſiones, vel aliquæ in particulari, vel in generali omnes, quibus Regulares eiuſdem rdinis, in quo Confraternitas ſita eſt, fruuntur: privilegia illa celebrandi; & recitandi quintis ferijs de Euchariſtia, & Sabbatis non impeditis de Conceptione, minimè conceſſa cenſentur, nec etiam conceduntur privilegia alia circa Miſſarum celebrationem, & Horarum recitationem, quibus fruuntur huiuſmodi Regulares. Fundamentum huius doctrinæ eſt, quia cũ expluribus concedendis unum ſolùm exprimitur in conceſſione, cetera, quæ tacentur, negantur ex communi doctrina Iuriſperitorum; ſed ex omnibus privilegijs, quæ Corrigiatis, & Chordigeris his concedi poſſent, ſolùm exprimũtur indulgentiæ, & remiſſiones: ergo cetera non conceduntur.

4 Sed oppones vivæ vocis Oraculum factum ab Innocentio VIII. die .Julij anno 1490. authoritate, & teſtimonio Cardinalis DD. Attit. SS. Ioannis, & Pauli munitum, quod affertur à Confectio, *in collect. priuileg. fol. mihi* 42. & in quo conceditur: *Vt ſuſcipientes habitum Mantellatorum, ſiue Mantellatarum Ordinis S. Auguſtini, licèt habitum illum cum licentia Prioris non retineant, neque continuè defferant, corrigiam tamen retinentes, ac defferentes, iiſdem priuilegijs, immunitatibus, & indulgentijs gaudeant, quibus ipſi Mantellati gaudent, & gaudere poſſunt.* Hos verò etiam ſi Laicos, privilegijs Ordinis gaudere, vidimus Singulari antecedenti.

5 Reſpondetur I. hoc vivæ vocis Oraculum revocatum eſſe ex Bulla Vrbani VIII. quam ſæpe retulimus. II. Licèt revocatum non eſſet, adhuc corrigiam portare non ſufficeret, cum Mantellati habitum ſuſcepiſſe, & aliquando defferre ad fruendum privilegijs neceſſum ſit. III. Et ſi in prædicto modo Corrigiati omnibus privilegijs fruantur; non verò Chordigeri, & portantes habitum, ſeu abitillo del Carmen aut de Mercede, aut alteriùs Cõfraternitatis ſitę in alia Religione; qũia inter Confraternitates non datur communicatio privilegiorum, ſicut datur inter Religiones.

6 Igitur concedendum ſolùm eſt omnibus Sacerdotibus, aut ſacris initiatis, qui harum Confraternitatum Fratres ſunt, quive corrigiam, chordam, aut habitum prædictum portant, quod fruantur omnibus indulgentijs, & Iubilæis, quibus ſui Ordinis Regulares [cumquibus in indulgentijs cõmunicant] fruuntur in Miſſæ celebratione, & Horarum recitatione, ſicut & pro alijs operibus, quæ videri poſſunt in Appendice huius operis, ac in Compendio privilegijs, *verbo Miſſa, officium, & indulgentiæ*, hæc enim ſolùm præfati Confratres poſſunt lucrari; quia hæc, & non alia privilegia ipſis conceduntur.

SINGVLARE XIX.

V. Inſtitui valeat Capellania collativa, quæ verè ſit Beneficium Eccleſiaſticum, ad integram Capellani ſuſtẽtationem ſufficiens, cum ea conditione à Fundatore expreſſa, ut Capellanus non teneatur divinũ Officium recitare?

1 VPPONENDVM eſt tanquam omnino certum, omnes capellanias ſine prædicta conditione inſtitutas, etiam ſi in eis divini Officij onus non exprimatur, cum illo onere erigi, & ab eis non poſſe ſeparari: nam Fundator ſemper cenſetur velle ſe conformare cum diſpoſitione iuris communis, ſeu univerſalis conſuetudinis, ut ex *l. 2. C. de hered. inſtit. l. cum quidam. §. quemadmodum C. de impuber.* docent Aymon *conſ. 25. n. 15* Rojas *de ſucceſſ. c. 32. a n. 11.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloſ. 5. n. 81.* Gutierrez *conſ. 18. n. 7.* Hojeda *deciſ. 18. de cauſ. poſſeſſ.* Graffis *deciſ. 1. n. 3.* Puteus *deciſ. 197. n. 81. l. 2.* Rota *deciſ. 11. n. 1. & deciſ. 550. par. 1. diverſ.* & alij. Vnde nec Epiſcopus, nec Fundator ſemel iam ſic fundata capellania poſſunt tollere hanc obligationem à Capellano, niſi forſan locum tunc habeat ſententia, quam retulimus Trac. 6. Singul. 21. n. 8. Poſſe fundatorem cum Ordinarij conſenſu addere hanc conditionem fundationi iam conditæ.

2 Deinde, non poſſe inſtitui capellaniam cum prædicta conditione non recitandi divinum Officium, ſuadetur I. ex Concilio Agathenſi, & habetur *c. 1. de celebr. miſſ.* ibi: *Presbyter mane matinali Officio explcto penſum ſeruitutis ſuæ, videlicet Primam, Tertiam, & c. perſoluat.* II. ex Concilio Lateranẽſi III. ſub Leone X. *ſeſſ. 9. can. 9. Statuimus, & ordinamus, ut quilibet habens beneficium cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio diuinum Officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, beneficiorum ſuorum fructus non faciat.* Et infra: *Si verò ultra dictum tempus in ſimili*

simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipsò privetur, cum propter Officium detur beneficium. Suadetur IV. ex Pij V. Bulla edita ann. 1571. in qua, postquam decretum Lateranense innovavit, & modum, quo restitutio facienda sit, assignavit, addit; *Declarantes præsumonia, præsumoniales, & alia quæcumque beneficia, etiam nullam seruitium omnino habentia, obtinentes cum prædictis pariter convenire.*

3 Suadetur V. ex communi Theologorum docentium, Clericum teneri ad divinum Officium ratione capellaniæ, dummodò sit collativa, & erecta auctoritate Episcopi, sitque beneficium Ecclesiasticum. Ita docent Medina, Navarrus, Reginaldus, Suarius, Macignus, Garcia, Aragon, Azor, Molfesius, Malderus, Sylvester, Vazquez, Filiucius, & alij plures apud Bonacinam *de horis can. d.* 1 *q.*2. *p.*4.*n.*6. ergo si necessariò ex Ecclesiæ institutione, seu canonico iure annexa est hæc obligatio huiusmodi capellaniæ, nequit hæc institui cum prædicta conditione, cum nequeat contra iuris communis statuta Fundator capellanias, sicut nec alia opera pia instituere, & separare inter se, quę ex Ecclesiæ iure sunt connexa.

4 Suadetur VI. ex definitione Beneficij Ecclesiastici, quam tradunt Corrasius 1.*p. c.*2.*n.*1. Pechius *in reg. benefic. n.*2. Garcia de benef. 1.*p c.*2. *n.*3. Toletus *l.*5. *c.*76. & alij. *Beneficium est ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, Clerico, seu personæ Ecclesiasticæ propter divinum Officium competens.* Vbi Toletus: *Officium in Laudibus diuinis consistit, in sacrificio Missæ, & sacrorum administratione:* ergo si ex natura beneficij affertur Officium divinum, tamquam quid essentiam illius constituens, iuxta *cap. fin. de reseript. in* 6. *Beneficium datur propter Officium*; nō potest institui beneficium, seu capellania, quæ verè sit beneficiū, quæ non habeat annexum Officiū.

5 Adhuc affirmativa pars placet, & probo I. ex ipsa beneficij definitione. Sic enim eam tradit Gregorius Tholosanus, *l.* 17. *Syntagm. c.*2. *Beneficium Ecclesiasticum est portio iurium Ecclesiasticorum distincta, & spirituali muneri coniuncta, ut perpetuò per Prælatum ad vitam utendo Clerico legitimè assignetur.* Clariùs, & perfectiùs definitur à Dom. Antonio de Quintanaduenas in Italiæ Consilio supremo Consiliario, qui *l.* 1. *Ecclesiasticon c.* 3. *n.* 1. inquit: *Beneficium est ius utendi, seu fruendi Ecclesiasticis rebus, tam spiritualibus quàm prophanis, quod Sacerdoti, vel Clerico ob sacrum ministerium in perpetuum conceditur.*

6 Ex his, & alijs definitionibus, quæ videri possunt apud Navarrum, *de redit. eccl.* 1. *q. monito.* 55. *n.* 4. Hojedam *de incompat. benef. præf. n.*2. Bartholomæum Vgolinum *de cens. tab.* 4. *de susp. c.*8. *n.*1. & alios, apparet non esse de ratione beneficij Ecclesiastici, quod habeat annexam obligationem recitandi Officium; sed tantùm, quod sit ius ad exercendas functiones Ecclesiasticas, ratione cuius habeatur etiam ius ad percipiendos redditus, quibus Beneficiarius sustentetur: ergo non repugnat quod instituatur beneficium cùm obligatione solùm celebrandi Sacrum: sic enim ver ificatur id, quod in secunda definitione additur: *Ob munus spirituale*, & in tertia, *Ob sacrum ministerium*: Missæ enim hæc competunt. Immo & id primæ definitionis, *Propter diuinum Officium*, tale namque est sacrificium Missæ, etiam iuxta explicationem traditam à Toleto, disiunctivè loquente, & rationem Officij divini in quocumque ex tribus rebus, quas assignat, salvari asserente. Quod etiam est iuxta communem acceptionem. Vndè S. Isidorus, Rupertus, Albinus, Durantus, & alij, qui de Missæ celebratione scripserunt, de divinis Officijs scripsisse dicuntur.

7 Probatur II. Quia omnes conditiones, quæ reperiuntur, & assignantur pro vera ratione beneficij Ecclesiastici, invenientur in ista capellania instituta absque conditione recitandi. Has ennumerat ex Doctoribus Gonzalez *ad reg.* 8. *cancell glos.* 5. *à n.* 6. & hæ sex assignantur. I. Quod sit fundata Episcopi auctoritate. II. Quod habeat quid spirituale annexum, tale est Missæ celebratio, seu obligatio. III. Quod Clerico, non laico conferatur. IV. Quod non nisi ab Ecclesiastica persona conferatur. V. Quod sit perpetua. VI. Quod conferens non possit sibi conferre, nec retinere.

8 Hæc sex requisita, esse tantummodò substantialia in Beneficio Ecclesiastico tradunt Felinus, *in c. in nostra n.* 9. *in prim. de rescript.* Lambertinus *de iure patron. q.* 9. *art.* 3. *n.* 10. Rebufus *in praxi requis. ad bonam Collationē n.* 287. Gonzalez sup. *n.* 16. Et tandem ita decidit Rota, *decis.* 508. *n.* 3. & 4. *p.* 1. *diuers.* & latissimè, in una Vlissiponensi administratione capellæ, 16. Ianuar. 1591. coram R. P. D. Pegna; & in alia Hispalensi Eremitorij 4. Decemb. 1596. coram Sapientissimo Pamphilio, ut testatur Gonzalez *sup.* Vbi nam ergo inter hæc requisita invenitur onus recitandi? ergo salvatur sine illo essentia beneficij Ecclesiastici: aliter si nō salvaretur quodcumque beneficium quātunvis tenue obligaret ad recitandum, & haberet annexū Officium divinum, quod hodie est contra communem sentētiam Theologorum.

9 Probatur 3. quia alia beneficia Eccleſiaſtica ſolùm ad animarum curam inſtituta ſunt, vel inſtitui poterãt ſinè obligatione recitandi, & licèt hanc annexã habeant omnia beneficia hac tenùs inſtituta, non eſt ex ratione beneficij præciſè, ſeu, ut ſic; ſed quia ut in plurimũ inſtituta ſunt ex decimis, & ex alijs bonis, quæ ſunt Eccleſiæ, & ipſa volvit, ut percipientes horum beneficiorum redditus, habeant onus orãdi pro ipſa Eccleſia, à qua ipſos percipiunt, ſed hæc de quibus nunc eſt ſermo, ex bonis alicuius privati inſtituuntur, & ita non habent neceſſario annexum hoc onus.

10 Probatur 4. quia capellaniæ Fundator poteſt in fundatione apponere quaſcũmque conditiones, quas malverit, ut ex *c. præterea, de iure patron. cap. quarum decens*, & ex Rota *deciſ. 2. de teſt. in antiq.* docent Rochus de Curte *de iure patron. verbo, pro eo quod*, 25. *& ſeq.* Lambertinus *de iure patron. l. 2. p. 1. q. 7. art. 29. n. 2.* Gonzalez *ad regul. 8. cancell. gloſ. 5. n. 103.* & alij apud ipſum *gloſ. 15. n. 130.* Quod intelligendum eſt, dummodò nil ſtatuat, quod ſit contrà ius. Nullum autem ius invenitur prohibens, quod inſtituens capellaniam ex ſuis bonis, poſſit hanc conditionem apponere, & cum liberaliter Eccleſiæ dona ſua elargiatur, in ipſius largitione, ſeu donatione liberè ſe gerere debet; & ita de ſuis bonis diſponere, beneficiũ inſtituẽs, ex quo Capellanus teneatur ad Sacra facienda, non autem ad Officium recitandum; ſicut poterat é contra, ut teneatur ad recitandum Officium, ſeu aſſiſtendum Choro, nõ verò ad Sacra facienda, vel quod primus Capellanus, & ſecundus, aut tertius teneantur ad unum ex his, reliqui verò ad utrumque. Quod in univerſo iure nullibi invenitur prohibitum.

11 Ad fundamenta oppoſita Reſpondetur. Caput 1. *de Celebratione Miſſarum*, de Presbytero loquitur, cuius Ordini omnino annexum eſſe Officij divini penſum extra controverſiam eſt. Concilium Lateranenſe, & Pius V. loquuntur de beneficijs, quæ communiter, & regulariter inſtituuntur; quia *Ius, aut Statutum* ut Iuris conſultus Paulus *in l. quoniam. de leg.* inquit, *ad ea potius debet aptari, quæ frequenter, & facilè, quam quæ raro eueniunt; quæ enim ſemel, aut bis accidunt, contemnunt Legiſlatores.* Communiter, & regulariter beneficia, & capellaniæ inſtituuntur ſine prædicta conditione, ut non teneantur ad recitandum: & ita tenentur iuxta dicta n. 2.

12 Et quod Concilium, & Pius V. non loquantur de omnibus beneficijs in generali, omnibus nullo excepto hanc obligationem recitandi imponentes, patet ex communi Doctorum Soti, Toleti, Gra s, Valentiæ, Suarij, Reginaldi, Leſij, Aragonis, Vvalderi, & aliorum, quos retuli in mea *Ordinand. inſtr. p. 3. §. 6. n. 4.* docentium, non obligare ad recitationem beneficium tenue, ſed neceſſarium eſſe, ut obliget, quod pars, quæ ex Miſſarum ſtipendijs, & alijs omnibus ad capellaniam conducentibus ſolutis, ſuperſit, ſit ſufficiens ad tertiam, vel ſaltem quartam partem congruæ ſuſtentationis Clerici honeſti, in eâ civitate, vel loco, ubi habitat, & iuxta tempus in quo neceſſaria ad domum, victum, veſtitũ, aliaque, ſine quibus degere non valet, emuntur. Quod verò ſit tenue beneficium non tollit rationem beneficij, ſed æquè eam habet, ac beneficium pingue. Ergo ſi illud ſine obligatione recitandi ſalvari poteſt, etiam & hoc, ſi conditio prædicta ab inſtituente illud imponatur.

13 Sed rogabis, an ſine ulla obligatione quidquam, vel minimum recitandi inſtitui queat prædicta capellania? nam videtur aliquid tunc, ſaltém Officium paruum à Capellano recitandum: cum Pius V. in præfata Bulla ſtatuat: *Quicumque penſiones, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas, ut Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum Officium paruum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum, fructuumque, rerumque ſuarum amiſſioni obnoxium.*

14 Reſpondeo, hunc teneri ad hanc recitationem, quia non habet aliud ſpirituale, propter quod conferatur beneficium; illũ verò non teneri; cum habeat aliud, ſcilicet Miſſarum celebrationem. Propter hanc rationem habens tenue beneficium cũ onere Miſſarum ad nihil recitandum tenetur. Rectè ſanè ad hanc rem Vazquez, *de benef. c. 4. art. 1. dub. 5. n. 23.* ait: *Si beneficium tenue ſit ſi aliud habeat annexum Officium ſpirituale, quam Horas dicere canonicas, v. g. ſi ſit capellania, & illa obligetur Capellanus dicere Miſſas aliquas per ſe, vel per alium aliquo tempore, interim dum ipſe ordinatur, tunc non tenebitur ad Horas recitandas, quia cum tenue ſit, ſufficienter ſolvitur ſpirituale Officium Miſſas celebrando: ſi tamen nullum aliud Officium habeat annexum ſpirituale, ut ſunt beneficia præſtimonialia, ego neſcio qua ratione excuſari poteſt ratione exiguitatis beneficij à perſoluendo diuino Officio.* Hæc ille.

15 Sed ſi ex hoc inſtes, ſufficienter Capellanum emolumento, quod percipit, non ſatisfacere Miſſarum celebratione in noſtro caſu, ſi beneficium eſt pingue. Reſpondeo: licèt ex ſe ſufficienter non ſatisfaciat, ſatisfaciet tamen ex voluntate Fundatoris, qui

ut

ut potè dominus illorum bonorum volvit hanc celebrationem tantùm ſibi eſſe ſufficientem ſatisfactionem: inquidem expreſsè aliam non petijt, & eam, quæ dari ſolet, excluſit; beneficio ex ſuis bonis inſtituto ſufficienter ſatisfieri ſtatuens, ſi tot Miſſæ á Capellano per ſe, vel per alium celebrentur: ac ſcienti & volenti non fit iniuria.

16 Sed ſi roges, an ſine prædicta conditione poſſit Fundator, non ſolùm alijs omnibus, & Conſanguineis, vel non Conſanguineis inſtituere capellaniam, ſed etiam ſibimet ipſi? Reſpondeo, æquè ſibi, ac alijs poſſe; non enim ipſe deterioris conditionis debet eſſe reſpectu ſui quam reſpectu aliorum, & eandem poteſtatem habet in conditionibus aſſignandis pro fundatione capellaniæ ſibi inſtituendæ, quam alijs; nec enim ex natura beneficij, nec ex iure communi hoc interdicitur; cum ex utroque capite ſolùm habeatur beneficio Eccleſiaſtico annexam neceſſariò eſſe aliquam obligationem ſpiritualem, aut Eccleſiaſticam, ſivé hæc ſit celebratio Miſſarum, per ſe vel per alios facienda; ſive recitatio Horarum, aut aliarum precum, ſivé adminiſtratio Sacramentorum, ut Toletus, *l.* 5. *c.* 76. docuit.

SINGVLARE XX.

V. Epiſcopus, teneatur, vel ſaltèm poſſit admittere, & authoritate Eccleſiaſtica erigere prædictam capellaniam ſine obligatione recitandi fundatam?

1 AFFIRMATIVAM partem ſatis indicat Tridentinum *ſeſſ.* 22. *de refor. c.* 8. ubi: *Epiſcopi tanquam ſedis Apoſtolicæ Delegati in caſibus à iure conceſſis omnium piarum diſpoſitionum, tam in ultima voluntate, quàm inter vivos ſint executores:* ergo huius capellaniæ, quæ eſt pia diſpoſitio, executor debet eſſe, eam admittendo, & erigendo. *Et ſeſſ.* 25. *c.* 5. *Quando ex beneficiorum quorumcumque erectione, ſeu fundatione, aut alijs conſtitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, ſeu certa illis onera ſunt iniuncta, in beneficiorum collatione, ſeu in quacumque alia diſpoſitione eis non derogetur,* Vbi ait Barboſa, *in declarat. Cõgregatio Concilij cenſuit non licere Epiſcopo poſt Concilium, etiam accedente Patronorum conſenſu derogare qualitatibus in beneficij fundatione appoſitis: ideoque ſi beneficium in fundatione certam ætatem requirat, non poſſe Epiſcopum illud ei conferre, qui nequaquam fuerit huiuſcemodi ætatis:* ergo nec ei licebit obligare ad recitationem in capellania fundata ſinè hac conditione, cum licitè ſine eâ fundari queat; nec poterit capellaniæ erectionem, & collationem negare; cum iniuriam irroget Fundatori illum privans iure, quo fruitur ad fundandam capellaniam conditionibus licitis, quas malverit, & Capellanum privans illo beneficio, quod obtinere licitè tunc valet ſinè prædicto onere recitandi.

2 Probatur 2. quia Epiſcopus tenetur Eccleuæ, cui præeſt, utilitati temporali, & ſpirituali attendere; ac proinde acceptare donationes, quæ in illius utilitatem cedunt; ſed hæc donatio cedit in augmentum bonorum Eccleſiaſticorum, & alio modo, quàm ſub prædicta conditione Fundator ſua bona Eccleſiæ donare non vult: ergo cum hæc donatio ex ſe licita ſit, acceptar. debet ab Epiſcopo.

3 Probatur 3. Quia ſi aliqua Eccleſia ita egeret, ut non poſſet ſuſtentare Sacerdotem quotidiè celebrantem (ut contingit in multis oppidulis) & aliquis ex ſuis bonis inſtituere vellet capellaniam, & alicui donare, ſub prædicta conditione, ut Capellanus nõ teneretur recitare Officium, donec ſacris initiaretur, ſed cum onere, ut cum Sacerdos fieret quotidiè, vel aliquoties in hebdomada, vel omnibus diebus feſtivis celebraret, ut populus haberet Sacrum, vel inſtitueret cum onere tantùm, ut eius populi confeſſiones audiret; ſine dubio tunc Epiſcopus poſſet, & deberet eam inſtitutionem cum prædicta conditione acceptare, propter bonum temporale, & Spirituale Eccleſiæ, maximamque habitatorum illius oppidi utilitatem ſpiritualem, cui tenetur incumbere; & hæc acceptatio maximè grata eſſet Pontifici, ergo poteſt, & tenetur hanc capellaniam admittere.

4 Semel tandem hoc modo acceptata capellania, & Capellano collata, nec Epiſcopus, nec Fundator ipſe illum poſſunt obligare, ut recitet divinum Officium, quia novum onus ab eo quod in fundationis limine impoſitum eſt, & in collatione á Capellano acceptatum fuit, imponi poſt modùm non poteſt. & ita Capellanus non tenetur recitare; quia nullum habet ſtipendium pro recitatione deſignatum; cum Inſtitutor non volverit reditus capellaniæ eſſe ſtipendium Recitationis, ſed Miſſarũ tantùm, vel curæ illas celebrandi per ſe, vel per alium: quia Capellanus nõ tenetur recitare Officium, niſi pro ipsá recitatione habeat ſtipendium, vel ſit ſacris initiatus.

FINIS TRACTATVS VIII.

AD MATRIMONIVM,

SEPTIMVM ECCLESIÆ SACRAMENTVM,

SINGVLARIVM

TRACTATVS NONVS.

SINGVLARE I.

V. Ex privilegio aliquo valeant Regulares in impedimento occulto Affinitatis dispensare ad contrahendum, vel revalidandum matrimonium?

1 AFFIRMATIVE respondet Ildefonsus á Veracruce: *Spec coniugat. art. 27. fol. 474.* his verbis: *Confirmatur expressa concessione Leonis X. qui dedit Fratribus Ordinis S. Augustini, quod cum his, qui in primo affinitatis gradu scienter, aut ignoranter contraxerunt, modo notorium id non fuerit, neque in iudicium productum, dispensare valeant, ut de nouo contrahant, & in eodem contracto matrimonio remaneant, prole quin etiam legitima. Hæc adducuntur à Roffensi in libello Matrimonij Regis Angliæ in principio, &c.* Et addit: *Hæc est magna concessio, & quoad forum conscientiæ in casibus grauissimis multùm necessaria post Concilium Trident. quia cum omnia Religiosorum priuilegia sint confirmata à SS. Papa Pio V. per proprium motum in illis, quæ non contradicunt definitionibus Concilij, & hæc dispensatio quoad animæ forum est ablata, poterunt Religiosi ea uti, maximè in nouo orbe, ubi specialiter data sunt, & concessa quædam, quæ in antiquo orbe non sunt permissa, neque sunt ita necessaria.* Hæc ille, cui ut potè Augustiniano de privilegijs S. Augustini Ordini concessis fides adhibenda esse videtur.

2 Huius etiam privilegij meminit Enriquez, *lib. 12. de Mat. c. 3. n. 3.* qui postquam dixerat, posse Episcopum dispensare in primo gradu affinitatis fornicariæ, in foro conscientiæ, quanvis ad Papam esset facilis aditus; dummodò utrique constet Matrimonium fuisse nullum, quanvis causam nullitatis ignorent; velintque denuo renovatis consensibus legitimè contrahere, addit: *Idem fertur habere quosdam ex Religiosis Mendicant. bus per concessionem Leonis Papæ si impedimentum occultum procedat ex fornicatione, etiam primi gradus. At sanè id priuilegium non concedit amplius, quàm dispensare, ut incestuosus contrahat cum alio, aut ut licitè debitum petat, non obstante incestu commisso post Matrimonium.*

3 Hoc privilegium, & si aliquando extiterit, modò non extare, seu vim non habere tenendum est. I. Quia concessum est ante Tridentinum, quod *sess. 25. cap. 23. de Regul.* annullavit omnia privilegia concessa Regularibus, si opponantur omnibus, & singulis decretis huius Concilij. Item omnia privilegia, & confirmationes privilegiorum post Concilium à Pontificibus cõcessæ, qualis est confirmatio illa Pij V. cuius meminit Veracruz, & aliæ factæ à Gregorio XIII. & Paulo V. quarum meminit Hyeronimus Rodriguez, *in comp. qq. reg. ref. 72.* intelliguntur, quatenus non adversantur Tridentino. Hæc autem dispensatio illi adversatur, hanc affinitatem impedimentum dirimens esse statuenti *sess. 24. c. 4. de reformat;* & eius dispensationem, cui ex iure communi cõpetit, committendam supponenti *cap. 2.* Pontifici autem ex iure communi solùm competit, & cum Episcopus eam, vel similem cõcedit ex Epicheia facit, aut præsumpta voluntate Pontificis, ob urgentem necessitatem, difficilemque aditum ad ipsum, incontinentiæ periculum, scandalum grave quod timetur, sicut & impedimenti huius secretum, ut latè Sanchez, *l. b. 2. de Matr. disp. 40.*

4 Secundo: quia forsan vivæ vocis Oraculo concessum est illud privilegium, cuius est indicium vehemens, quod non reperiatur scriptum apud eos, qui diligenter privilegia Mendicantium collegerunt, ut notat Enriquez, *sup. in Glossa lit. A.* Hos omnes ego sedulus revolvi, & neque in Bullis, nec in Oraculis Leonis X. ullũ vestigium similis privilegij reperi. Si igitur vivæ vocis Oraculum fuit, iam revocatum est à Gregorio XV. & Vrbano VIII. aut forsan.

ſan,ut ait Enriquez, videtur tantùm fuiſſe conceſſum à Leone X.diſpenſare in affinitate inceſtus, quæ ſupervenit matrimonio, de quo privilegio Sing.3.& 4.agemus. Niſi credamus ſolùm conceſſum fuiſſe,pro novo Indiarum Orbe, ut denotare videtur Veracruz *ſupra*, & hoc magis rationi congruit ob maiorem difficultatem adeundi Pontificem,aut Epiſcopum,& ob frequentiam, qua Regularibus illius Orbis oppida in eoru Miſſionibus circumeuntibus, occaſio frequens ſe ſe offeret hac diſpenſatione utendi. Ad quam dandam nullo frui privilegio Regulares in terris Fidelium verſantes,praxis oſtendit,cum pro illa ſemper ad Ordinarios recurrant.

5 Notandum eſt privilegium Leonis X.pro fratribus Minoribus in Bulla, quæ incipit: *Alias,&c.* anni 1521. & affertur ab Emmanuele;nam in illa conceditur in partibus Infidelium *degentibus,ut ſe his mantis,vel qui aliàs nouiter eſſent conuerſi, uxores ſuas, cum quibus in gradibus à lege diuina non prohibitis ſunt coniuncti, retinere valeant.* Et Paulus III. in Bulla anni 1549.concedit: *Cum iis,qui ab infidelitate conuertuntur,tantùm, & in locis remotiſſimis, qui prius in gradibus non licitis,tamen lege diuina non prohibitis, matrimonia contraxerant, ut in eiſdem manere poſſint, diſpenſare*, & modo his frui poſſe Minores docet Hyeronimus Rodriguez *reſol.* 127.*n.*12.

6 Sed ſi opponas, Regulares poſſe diſpenſare in caſibus Epiſcopo reſervatis iuxta privilegia Singulari 4.referenda:ergo poſſunt in hoc, qui eſt caſus Epiſcopalis, ſeu in quo poteſt Epiſcopus. Reſpondeo,poſſe quidem, tali privilegio fruentes diſpenſare in caſibus, qui ex ordinaria ſolùm iuriſdictione,vel à iure, vel conſuetudine Epiſcopo competunt abſolutè,non verò in iis,qui ratione urgentis neceſſitatis,ut docent Enriquez *lib.*6. *de penit. cap.*14.*n.*7. Manuel in *Cruc.§.*9.*n.*18.& Sanchez *lib.*2.*de Matr.diſp.* 40.*n.*9. Et licèt hęc iuriſdictio ſit Epiſcopo ordinaria, quia non ex Principis privilegio inèſt perſonæ; ſed perpetuò dignitati, vel Officio & ideo eam ut potè talem poteſt ille delegare,etiam generaliter,ut ex pluribus Doctoribus probat Sanchez,*ſup.n.*14.*ad* 17. contra alios; non ideò abſolutè eſt caſus Epiſcopalis exercitium huiuſmodi poteſtatis diſpenſandi in caſu graviſſimæ neceſſitatis,ſed Pontificius; quia Pontifici abſolutè,& Epiſcopo ſecundùm quid, ſeu ratione neceſſitatis,competit; & ita Vicarius eius ex generali commiſſione ſibi conceſſa diſpenſandi in impedimentis, hanc facultatem non habet, niſi ei ſit ſpecialiter commiſſa,ut cum alijs docet Sanchez,*n.*2. Nuntius verò Apoſtolicus,ut poté Delegatus ad univerſitatem cauſarum,poteſt hanc ſubdelegare.

7 At Commiſſarius Bullæ Cruciatæ, qui pro foro conſcientiæ habet poteſtatem diſpenſandi in affinitate conſurgenti ex copula fornicaria, in primo & ſecundo gradu,etiam ſi Pontifex eſſet præſens,& etiam poſt matrimonium initum, ac ſimiliter legitimandi prolem ſuſceptam, dummodò concurrant quatuor conditiones, quas Sanchez, *lib.*8.*d.*6.*n.*23.*&* 24. aſſignat, non poteſt ſubdelegare hanc facultatem; propriè enim ille Delegatus eſt, & non ad univerſitatem cauſarum.

SINGVLARE II.

V. Poſt revocationem vivæ vocis Oraculorum poſſint Confeſſores Regulares diſpenſare ad petendum debitum cum eo, qui voto caſtitatis ligatus Matrimonium contraxit, vel iam contracto votum emiſit?

1  VPPONENDVM eſt I. poſſe Epiſcopum diſpenſare ad petendum debitum cum eiuſmodi Coniugato, qui matrimonium iniit,voto perfectæ, & abſolutæ caſtitatis ligatus.Sic plures Doctores, quos citat, & ſequitur Thomas Sanchez,*lib.*8.*de Matr.diſp.*12.*n.*4. quibus addè Valentiam *diſp.*5.*q.*5.*p.*5.Leſſium *lib.*2.*c.*40. *dubio* 28. Baſilium Legionenſem *lib.* 8. *de Matr. c.* 9.*a n.*2. Caſtrum Palaum *to.*3. *tr.* 15. *diſp.*2. *p.* 12. Quorum præcipua ratio eſt, quia licèt attento iure hæc diſpenſatio ſit ſolius Pontificis:at conſuetudine, quæ iuriſdictionem præbet: *cap.cum contingat de foro compet.* obtentum eſt, ut Epiſcopis competat, præcipuè cum excuſari nequeat in hoc caſu diſpenſatio ratione urgentis neceſſitatis propter cohabitationem,& incontinentiæ periculum, quod in omnibus fere æquale ſemper adeſt. Nec audiendus Gaſpar Hurtado *diſp.* 16. *de Matr. d.*2. *n.*9. id immeritò negans.

2 Supponendum eſt II. poſſe Epiſcopum diſpenſare ad petendum debitum,& etiam abſolutè in voto caſtitatis emiſſo à Coniuge ſine conſenſu alterius; immo & cum conſenſu, & etiam quando uterque ſeorſim continentiam vovit, habita ab altero licentia; non tamen permodum contractus, & reciproçæ conventionis. Sic plures

Docto-

Doctôres, quos citat, & ſequitur Sanchez, *diſp.* 11. *a n.*4. cui addo poſſe á quocumque Confeſſario commutari abſolutè huiuſmodi vota ex virtute Bullæ, vel Iubilæi, cum non ſint omnimodæ, ac perfectę caſtitatis. Sic Sanchez *lib.*4. *ſum. c.*40. *n.*8. & 51. Diana 1. *p. tr.* 11. *reſ.*72. Ludovicus de la Cruz *in Bul. d.*1. *c.*6. *dub.*14. Trulench. *in Cruciat. lib.*1. §.7. *c.*3. *n.*12. & Enriquez *lib.*7. *c.* 3. *n.*12. & *de indulg. c.* 30. *n.*6.

3 At verò quando uterque Coniux communi conſenſu continentiam perfectam, omnimodam, & abſolutam vovit per modum contractus, & reciprocæ conventionis utriuſque, quæ explicatur, facio ut facias: in voto hoc Epiſcopus non poteſt abſoluté diſpenſare, nec Confeſſarius illud commutare ex Iubilæo, aut Cruciata; quia eſt abſolutæ caſtitatis, ut docent Sanchez, *diſp.*11. *n.*10. Leſius *ſup. n.*125. Layman *lib.*4. *tr.*4. *c.*8. *n.*15. Sayrus *c.*11. *n.*53. Navarrus *cap.* 10. *n.*59. Trulench. *n.*16. Cruz *n.*9. Diana *ſup.* Enriquez *lib.*11. *n.*10. Caſtro Palao *ſup. n.*10. Oppoſitum quoad diſpenſationem abſolutam ſentiunt Maior, 4. *diſt.* 23. *q* 2. *col.* & alij, quos tacito nomine refert Sanchez, *n.*8. Et Hyeronimus Rodriguez. *qq. reg. reſ.*32. *n.*30. Baſilius *n.* 2. & 3. & Leſius *n.* 126. probabile iudicant.

4 At poſſe Epiſcopum diſpenſare cum his ad petendum debitum, non ſolùm cum adeſt periculum incontinentiæ, ut cum Sylveſtro, Stunica, Palacios, Enriquez, Aragon, & alijs próbat Sanchez, *n.*10. ſed etiam ſine hoc periculo, docent Sà *verbo debitum coniugale n.*2. Emmanuel *to.*1 *qq. reg. q* 63. *art.* 12. & alij doctiſſimi Neoterici, ut teſtatur Sanchez *n.*9. quorum ratio, & ſi ab ipſo improbetur, mihi non diſplicet: quia licèt non poſſit Epiſcopus diſpenſare in voto abſoluto caſtitatis, niſi magna urgente neceſſitate, ſeu incontinentiæ periculo: at poterit in petendo debitum, quia hoc non eſt proprié diſpenſare in toto voto; ſed in effectu aut parte illius ad tempus; ſed diſpenſatione non interveniente, uterque, ſi in luxuriam incidat, eſt ſacrilegus, & cum ſola ad petendum debitum, eo matrimonio ſoluto ad aliud nõ valet tranſire. Denique omnis poteſtas relata quoad has diſpenſationes, non minus adeſt in Ordinario iuriſdictionem Epiſcopalem habente, vel Capitulo, ſeu illius Vicario, Sede-vacante, quàm in Epiſcopo iuxta Doctorum doctrinam, quàm retulimus Trac. 7. Sing. 19. n. 4.

5 His ſuppoſitis; poſſe Confeſſarios Regulares ex privilegio à Pontificibus illis conceſſo, d iſpenſare ad petendum debitum cum ijs, qui voto caſtitatis ligati matrimonium contraxerunt, aſſerunt Sanchez, *diſp.* 12. *lib* 8. *n* 4. & *diſp.*16. *n.*3. Hurtado *ſup.* ſingillatim de Religioſis Societatis Ieſu. *to.*1. *q.* 63. *art.*12. Hyeronimus Rodriguez *ſup. n.*30. Cordova *ſum. q.*13. *p.*2. Enriquez *lib.*12. *de matri. c.*2. *n.*9. Soibus *annotat. ad priuileg. verb. diſpenſ. n.*17 *fol.*207. Hinc in noſtro compendio, *verbo diſpenſatio* §.9. dicitur: *Poſſunt noſtri Confeſſarij, ſi ſint viri docti, & iuxta formam Concilij Tridentini approbati, ex commiſſione Prouincialis diſpenſare ad petendum debitum cum his, qui poſt votum ſimplex caſtitatis matrimonium contraxerunt. Conceſſit Pius V. Franciſcanis* 26. *Octobris anno* 1569. *in manu ſcrip. fol.*79.

6 Sed hoc privilegium Pij V. non extenditur, ut notavit uterque Rodriguez, ad diſpenſandum in petitione debiti, quando votum emiſſum eſt poſt contractum matrimonium; immo prorſus revocatum eſt ſi attendamus ad conceſſionẽ eius, ut hactenus eſt relata: quia eſt vivæ vocis Oraculum, & ut Oraculum refertur à Veracruz *ſpec. art.*12. *fol.*102. & ab Emmanuele in Bullario, *fol.*980. ac ideo revocatum eſt iuxta ſæpius dicta, & dicenda. Igitur ex alia conceſſione petenda eſt vis huius privilegij: nam aliqui Neoterici illud iam negan, propter revocationẽ dictam Oraculorum; ſed hoc non aſſererent, ſi attendiſſent ad authenticas Bullas, quibus conceſſum eſt Regularibus Mendicantibus, immo & aliquibus non Mendicantibus facultas ad diſpenſandum in omnibus votis, in quibus diſpenſare poteſt Epiſcopus; cum autem hic diſpenſare poſſit ad debitum petendum cum prædictis Coniugatis, qui votum caſtitatis ante, vel poſt contractum matrimonium emiſere, ut probavimus n. 1. & 2. ex conſequenti poſſunt Regulares omnes.

7 Igitur Bulla extat Eugenij IV. conceſſa Benedictinis Vallisoleti concedens quod, *Prior, & Monachi ab eo deputandi cum conſuetudinibus ad monaſterium, & cum eorum quolibet diſpenſare ſuper votis, etiam Epiſcopo reſeruatis, & ea commutare in alia pietatis opera, toties, quoties deuotioni prædictorum videbitur expedire, authoritate Apoſtolica liberè, & licitè poſſint, & valeant.* Affertur hæc ab Emmanuele in Bullario fol.102. & eſt 25. huius Pontificis. expedita anno 8. ſui Pontificatus, Ferrariæ 3. Nonas Ianuarij. 1138.

8 Eſt item Iulij II. alia Bulla, quæ affertur ab Emmanuele *fol.*251. & eſt 23. huius Pontificis, in qua hæc facultas conceditur Benedictinis Vallisoletanis ſub ijſdem etiã verbis; & in compendio Societatis noſtræ *ſup. §.*10. eadem conceſſio a Martino V. facta

facta invenitur. ſicut etiam in compendio privilegiorum S.Hyeron. *tit. diſpenſ. per commun.* §.3. Sed an hæ conceſſiones ſint Oracula ignoro; unde ſufficit Bulla dicta Benedictinis conceſſa ab Eugen. IV. & ad maiorem abundantiam eiuſdem Eugenij Bullã Singulari ſequenti referemus.

SINGVLARE III.

V. Sit revocatum Privilegium olim conceſſum Regularibus ad diſpenſandum in petione debiti coniugalis cum eo, qui Conſanguineam Vxoris ſuæ cognovit?

1 HOc privilegio frui Regulares Mendicantes, & non Mendicantes, qui in privilegijs eorum communicant, teſtantur Veracruz, *1.p.ſpec art.* 23. Palacios 4. *diſt.* 32. *diſp.* 2. Emmanuel *in Cruc.* §. 9. *n.* 143 & 13. *n* 17. Sanchez *lib.* 8. *de matr. d.* 16. *n.* 8. Enriq. *lib.* 11. *de matr. c.* 15. *n.* 11. Sorbus *comp. priu. ver. abſolutio* 2. *quoad ſæcul. concl.* 9. Trulenc. *in Bull. li.* 2 §. 4. *dub.* 3 *n* 4. & alij. Sed aſſerunt, hoc privilegium haberi per declarationem quandam à Iulio II. editam per conceſſionem Martini V. factam Monachis Benedictinis, & per aliam Pij V. vivæ vocis Oraculo factam anno 1569. & in cõpendio Mendic. *verb. diſpen. n.* 17. dicitur, idẽ ab Innocentio VIII. fuiſſe Minoribus conceſſum, & à Leone X. omnibus Regularibus teſtatur Enriquez. *ſup. n.* 3. *lit. A.*

Sanè conceſſiones prædictæ Martini V.
2 Innocentij VIII. Leonis X. probabiliter creduntur, fuiſſe tantummodó vivæ vocis Oracula; ſiquidem Bullæ, ſive indulta earũ non producentur ab eis, qui diligenter privilegia Mendicantium collegerunt, ut de privilegio Leonis X. notat Enriquez, & de alijs Corduba cum Doctore Ortiz, *in addit. ad collect verb. diſpenſ.* §. 17. Ideó ut ita facta revocata eſſe dicendũ, eſt & ſimiliter Oraculum Pij V. Vnde ex vi harum concèſſionum tutum nõ eſt uti hoc privilegio, cum Gregorius XV. Bulla, quæ incipit: *Romanus Pontifex.* edita Romæ 2. Iulij anno 1622. ſic Oracula §. 1. revocaverit: *Omnia, & ſingulam dulta facultates, & priuilegia, gratias, & conceſſiones quaſcumque, ſpirituales, & tẽporales, tam ad forum interius, quàm ad exterius ſpectantes, ac tam ad ſupplicationem partium quàm motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, à Sede Apoſtolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenus quandocumque, & qualitercumque, ex quauis et iam de neceſſitate exprimenda cauſa, quibuſuis Collegys, Capitulis, Ordinibus tam Mendicantium, quàm nõ Mendicantium, Societatibus, etiam Societati Ieſu, ac Congregationibus quibuſlibet ſiue eorum, & earum reſpectiue, Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Prouincialibus, quocumque nomine nũcupatis Superioribus, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè ſubiectis, cuiuſcumque dignitatis, præeminentiæ, aut quouis priuilegio munitis; non tamen ad ſupplicationem Regum conceſſas, in ys videlicet, quæ non ſunt ſortita effectum, tenore præſentium reuocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, &c.*

3 Et §. 2. addit: *Firmis tamen & in ſuo robore permanentibus, S. R. E. Cardinalium manu firmatis pro ipſis, vel alijs factis, & de quibus idem S. R. E. Cardinales teſtimonium in ſcriptis præbuerunt.* Et poſtea §. 5. apponitur clauſula communis: *Non obſtantibus.* Affertur hæc Bulla a Laertio Cherubino, *to.* 4. *Bull. fol.* 131. pro 27. huius Pontificis.

4 Sed S. D. N. Vrbanus VIII. ſua Bulla, quæ incipit: *Alias felicis:* edita Romæ 20. *Decemb.* 1631. revoçat omnia vivæ vocis Oracula, etiam ſi ſint teſtimonio, ſigillo, & ſubſcriptione cuiuſcũq; Cardinalis munita, *& ad inſtantiã Imperatoris, Regũ, & Principũ conceſſa.*

Advertendum eſt, quod Gregorius XIII.
5 Bulla, quæ incipit: *Ex benigna ſedis, &c.* edita Romæ anno 1575. & Paulus V. privilegia omnia Minorum confirmarunt, & innovarunt, ut teſtatur Hyeronimus Rodriguez *qq. reg. reſ.* 77. Vndé probabile exiſtimant Lezana *qq. reg. c.* 3. *n* 21. Peyrinus *to.* 3. *c.* 12. *conſt.* 18. & alij, Oracula facta ante hos Pontifices, ut poté per has Bullas confirmata, & innovata, ſeu denuò conceſſa, non eſſe revocata per Bullas Gregorij XV. & Vrbani VIII. ac ex conſequenti nec privilegium ad hanc diſpenſationem non revocatum exiſtimarent. Sed doctrina hæc non contemnendas difficultates continet, quo circa deſſerenda eſt. Nec unquam ego eam admiſi: in meo enim libello duarum hebdomadarum, *cap.* 16. *n.* 12. non ex mea ſed ex Lezanæ, & Peyrini ſententia ſum locutus, quam nullo modo approbo. Vnde ad hoc Bulla authentica inveſtiganda eſt.

SINGVLARE IV.

An extet Bulla Pontificia concedens Regularibus prædictam facultatem?

1 EXtare hanc Bullam teſtatur Cardinalis Ludovicus Tituli S. Marcelli in Iulij II. declaratione facta Benedictinis, ut iã retulimus. Eius teſtimonium eſt anno 1. Pontific. Iulij II. in eoq dicitur

Abbatibus, Prioribus, Præſidentibus ilius Monaſterij, *Per indultum quoddam* conceſſum eſſe privilegium, ſcilicet: *omnium, cuiuſque ſtatus exiſterent, confeſſiones audire, ac ipſos, à quibuſcumque peccatis, criminibus, exceſſibus, enormitatibus, & delictis ſuis, in omnibus, & ſingulis caſibus, etiam Epiſcopis reſeruatis abſoluere, &c. ac eos habilitare in prædictis caſibus, ac cum eis, & eorum quolibet diſpenſare ſuper votis, etiam Epiſcopo reſeruatis, & ea commutare, perpetuo, Apoſtolica authoritate indultum exiſtit.* Vbi notandum verbum *Indultum*, non vivæ vocis Oraculũ; ſed authenticam conceſſionem ex Bulla, aut diplomate Pontificio ſignificare, ut ait Tuſchus, *lit. D. concl.* 293. & in verbo *Habilitare* in prædictis caſibus, includi prædictam diſpenſationem, ut n 4. videbimus.

2 Hoc indultum eſſe illud, quod a Martino V. conceſſum eſt Benedictinis, aſſerunt Doctores Singulari antecedenti n. 1. relati, & ex preſsè affirmant Sorbus *not. ad collect. verb. diſpenſ. in §. 12. fol.* 207. dicens: *Iulius* II. *anno Domini* 1503. *pro Congregatione S. Benedicti Hiſpaniæ declarauit, quod virtute cuiuſdam facultatis Martini V. conceſſæ Monaſterio B. Mariæ de Monſerrate, in qua illi conceſſerat facultatem abſoluendi & diſpenſandi cum ſæcularibus in caſibus, & votis Epiſcopo reſeruatis, poſſint etiam inter Coniugatos, quorum alter cum alterius Conſanguinea adulterium perpetrauit, diſpenſare in foro conſcientiæ ad petendum debitum. Refertur in eius comp. priuileg. fol.* 40.

3 Sed meo videri, indultum hoc illud eſt, quod Eugenius IV. conceſſit Prioribus, Præſidenti, & Monachis, S Benedicti Valliſoletani, Ferrariæ anno 8. ſui Pontificatus, & affertur ab Emmanuele in Bullario *fol.* 102. Ducor; & quia eidem Monaſterio facta eſt conceſſio Eugenij IV. & declaratio Iulij II. & quia eadem omnino verba quoad conceſſionem præfatam abſolvendi, cõmutandi, diſpenſandi, ac habilitandi, quæ referuntur in declaratione Iulij II. habentur in indulto Eugenij IV. ea præcipuè: *Ac eos habilitare in prædictis caſibus, ac cum eis, & eorum quolibet diſpenſare ſuper votis, etiam Epiſcopo reſeruatis.* Et licèt hæc non videatur Bulla Pontificia, ſed Oraculum potius, cum nomine proprio non loquatur Pontifex, ut in alijs Bullis; ſed Cardinalis Ariminenſis; at pluſquam Oraculum eſſe, & diplomatis Pontificij vim habere, nemo qui eam legerit, dubitabit ex verbis ipſius. Nam I. dicitur, quod hoc, *Authoritate Apoſtolica libere, & licitè poſſint, & valeant.* II. apponitur clauſula hæc: *Conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumq; Et cum clauſulis opportunis conceſſum, ut petitur de omnibus.* III. inter Bullas huius Pontificis ennumeratur hæc 25. IV. quia ipſe Põtifex indulſit conceſſionem huiuſmodi, confectioni litterarum Apoſtolicarum æquivalere, paremque cum illis vim habere, ut apparet in fine huius indulti. Hanc igitur Iulij II. declarationem ſic eius nomine teſtatur Cardinalis Ludovicus prædictos Benedictinos alloquens:

4 *Cum credatis, iuxta illa verba in priori conceſſione appoſita, videlicet: Ac eos habilitare in prædictis caſibus; dictis ſic coniugatis & huiuſmodi exceſſus committentibus, de remedio opportuno prouidere, ut non obſtante affinitate, quæ ſuperuenit; debitum coniugale exigere, & reddere poſſint, & valeant, & cum ipſis diſpenſare, licentiam concedere poſſe. &c. Nos igitur authoritate D. N. Papæ, cuius Pœnitentiariæ curam gerimus, & de eius ſpeciali, ac expreſſo mandato ſuper hoc viuæ vocis Oraculo nobis facto, ut tam vigore conceſſionis Apoſtolicæ prædictæ, quam verborum huiuſmodi in illa appoſitorum, vos & pro tempore exiſtentes dictorum Monaſteriorum Abbates, Priores, Præſidentes, & Monachi prædicti coniugatos huiuſmodi, qui poſt contractum matrimonium Conſanguineas uxorum ſuarum cognouerunt, vel uxores, quæ à Conſanguineis Virorum ſuorum ſe carnaliter cognoſci permiſerunt, à talibus exceſſibus abſoluere, & eis pœnitentiam ſalutarem iniungere, nec non cum eis, & eorum quolibet, ut non obſtante affinitate ſuperueniente, debitum coniugale reddere, & exigere valeant, diſpenſare libere, & licite poſitis, & ualeatis, ac poſſint, & valeant perpetuo declaramus.*

5 Sed dices, hanc etiam declarationem revocatam eſſe, ut pote vivę vocis Oraculum. Reſpondeo, quod licèt revocata ſint à SS. Gregorio XV. & Vrbano VIII. vivæ vocis Oracula; non tamen revocatæ ſunt Declarationes, quas vel Iuris communis, vel Cõciliorum, vel Diplomatum Pontificiorum, edidere Pontifices; nam in his declarationibus ſunt expreſſa, quæ contenta ſunt, ſaltém implicitè, ac generaliter in prædicto Iure, Concilijs, & Bullis, quæ declarantur. Sic docent Lezana, *qq. reg. c. 3. n. 21.* Diana 5. *p. tit. 14. reſ. 22.* Laurentius de Peyrinis, *to. 3. c. 12.* & aliqui docti Recentiores, quos hac in re conſulvi; & manifeſtè patet in ipſis Bullis huius revocationis, iam poſitis.

6 Ac, ne ſcrupulus perſeveret ex eo quod dubitari valeat, an indultum illud ſive Martini V. ſive Eugenij IV. ſit, in quo conceditur hæc facultas diſpenſandi ſub illis verbis: *Ac eos habilitare in prædictis caſibus*: Bulla Pontificia vocetur, an vivæ vocis Oraculum: adde, ex alijs Bullis authenticis ipſius Eugenij IV. ſatis manifeſtè, meo iudicio, hoc privilegium conſtare. Prima eſt,

quæ

quæ dicitur nona huius Pontificis, & affertur ab Emmanuele in Bullario *fol.*8 & incipit: *Regularem vitam:* edita Bononiæ anno 1436. & conceſſa Benedictinis de obſervantia, S. Iuſtinæ. Vbi circa medium n. 2. dicitur: *Ne prædictæ Congregationis Monachi ab eorum quiete diſtracti Romanam curiam pro crebris obtinendis licentijs frequentare cogantur, quod in omnibus caſibus, in quibus de iure communi Prælatis, & Monachis dictæ Congregationis, aut horitas, ſiue licentia, ſeu diſpenſatio Ordinarij eſſet neceſſaria; ſi ab eiſdem exempti non eſſent; Prælatis, Abbatibus, Prioribus, & Rectoribus huiuſmodi, qui pro tempore fuerint, una cum eorum Conuentibus authoritate Apoſtolica, abſque eo quod ad Sedem Apoſtolicam habeant recurſum, huiuſmodi licentiam, & authoritatem tenore præſentium indulgemus:* ergo ſi hîc conceditur facultas ad ea omnia, in quibus *Diſpenſatio Ordinarij*, requiritur; cum ad diſpenſationem in debiti cõiugalis petitione requiratur; ad hanc etiam conceditur; & cum hæc ſit diſpenſatio, quæ frequenter occurere poteſt Regularibus in confeſſionibus audiendis, ne pro obtinenda ea ex monaſterio frequẽter exeant, ac curiam Pontificis, aut Epiſcoporum palatia frequentent; par eſt, ut eis ad hanc diſpenſationem facultas concedatur.

7 Secunda Bulla, quæ apud Emmanuelem undecima eſt eiuſdem Eugenij IV. & affertur *fol.*83. & incipit: *Et ſi quaſlibet:* edita etiam Bononiæ 1436. eandem facultatem ſic concedit, n. 11. ijs Benedictinis S. Iuſtinæ: *Liceat dictæ Congregationis Prælatis, ſiue Monachis deputatis a ſuis ſuperioribus ad audiendas huiuſmodi perſonarum* (ſcilicet recurrentium ad eos) *confeſſiones accedere, illaſque audire, & abſoluere ab omnibus, & ſingulis peccatis, præterquam Sedi Apoſtolicæ dumtaxat reſervatis, nec non a quibuſcumque excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti ſententijs, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis. Inſuper, & vota omnia permutare, ac in omnibus, & ſingulis caſibus, etiam Ordinarijs, ac per ſynodales, ſeu Prouinciales conſtitutiones reſeruatis cum eis diſpenſare.* Vbi notandum, quod non ſolum *abſoluere*, ſed etiam *diſpenſare*, conceditur in caſibus Ordinario reſervatis, ſeu in quibus ille poteſt. At unus ex eis, & præcipuus eſt prædicta diſpenſatio cũ impeditis, vel ob votũ, vel ob affinitatem ad petendũ debitum.

8 Quod verò hæc diſpenſatio ſit caſus competens Epiſcopis, vel Ordinarijs, poſſintque illi diſpenſare in debiti petitione, cum impedito ad illam ob affinitatem contractam ex inceſtu, communis eſt Doctorum. Innumeros citat, & ſequitur Thomas Sanchez, *diſp.* 12. *lib.*8. *n.*13. & praxis ipſa id teſtatur, ac ex conſuetudine iam præſcripta; & vim legis habente, id eis abſolutè, & ſine ulla limitatione competit. Neque audiẽdi ſunt Sylveſter, Margarita confeſſorum, & Ludovicus Lopez apud Sanchez, *n.* 11. hanc facultatem Epiſcopis concedentes tantummodò cum facilis aditus non patet ad Pontificem, eſtque periculum incontinentiæ; quia neutrum requiritur ad hanc diſpenſationem, ut de Regularibus in illa diſpenſantibus dicam Singular. 9. Nec obſtat quod copula ſit ſceleſtiſſima, ut cum Socru, vel Sorore uxoris, ut obſtare vitium eſt Soto 4. *diſt.*137. *q. un. art.*3. & Graffi *l. p. l.*2. *c.*81. *n* 3. quia conſuetudo, aut lex in hoc caſu Epiſcopis facultatem non limitavit, ſicut nec Religioſis limitant eorum privilegia circa hoc conceſſa.

Singvlare V.

Quæ conditiones concurrere debeant, ut qui conſanguineam uxoris ſuæ cognovit, diſpenſatione indigeat ad petendum debitum?

1 PRIMA conditio eſt, ut quam cognovit Maritus, ſit in primo, vel ſecundo gradu Conſanguinea uxoris ſuæ, quia ultra illum non contrahitur affinitas impediens petitionem debiti. Vndè qui cognovit Conſanguineam uxoris ſuæ in tertio, vel quarto gradu, non privatur iure petendi debitum. Ita Navarrus, *l* 4. *conſ.*5. *de Sangui:* & *affin. n.* 3. & 4. Ponze *l.*7. *c.* 33. *n.*6. Hurtado *diſp.* 10. *diſ.*7. Veracruz *ſpecul. art.*23. *de imped. affin.* Gutierrez *lib.* 1. *can. qq. c.*13. *n.*16. Petrus de Ledeſma *q.* 55. Sanchez *l.*9. *d.*67. *n.*14. Bonacina *de imp. q* 3. *p.*12. *n.*13. Manuel Rodriguez *to.* 1. *q.*63. *ar.*1. & apud illum Blancus Archiepiſcopus Cõpoſtellæ, Enriquez *l.* 12. *c.*20. *n.*1. Vivaldus *candel. de matr.* addens, quod ita conſulti tenuerunt Magiſtri Salmanticæ, & Compluti, ac Guerrero Archiepiſcopus Granatenſis. Ita etiam declaravit Congregatio apud Bonacinam *ſup.* & Barboſam *in ſeſſ.* 24. *c.* 4. Ratio eſt quia cum Tridentinum impedimentum affinitatis ex copula illicita ultra ſecundum gradum non extendat ad matrimonium contrahendum; conſequenter ad illius iam contracti uſum non extendit ultra hos duos gradus; ut expreſsè declaravit Congregatio Cardinalium ex mente S. D. N. Gregorij XIII. unde immeritò etiam in tertio, & quarto hoc impedimentũ reperiri docuit. Comitolus *l.*1. *q* 138. *n.*2.

2 Secunda eſt, quod detur copula carnalis; unde ſi ſemen alicuius viri defferatur à Dæmone, vel alio mõdo inducatur ſine carnali copula intra vas naturale feminę, non contrahitur affinitas, ac pro inde non reſultat impedimentum ad petendum debitum Sic Baſilius Ponze, *c.* 23. *n.* 2. Scio communiter oppoſitum docere Doctores, ut teſtatur Hurtado, *diſp.* 2. *de mat. diſ.* 1. *n.* 1. Quia adhuc ſine copula ex commixtione utriuſque ſeminis fiunt vir, & femina una caro, & unus ſanguis. Sed revera non fieri ſine coniunctione perſonarum, ratio ipſa ſignificat: quia verificari non valet tunc de his, quod ſint duo in carne una, nec locum habet definitio affinitatis tradita a Theologis apud Sylveſtrem *infra*, & ipſum Hurtado *n.* 1. ſic: *Affinitas eſt perſonarum propinquitas proueniens à copula carnali.*

3 Idem dicendum eſt, ſi copula habita poſt extractum membrum è vaſe feminæ naturali, emittat extra illud ſemen vir, licèt poſtmodum caſu in vas naturale labatur; nulla enim tunc conſurgit affinitas, nec eius impedimenta, ut notat idem Pontius, quia ut conſurgat neceſſum eſt, ut ab ipſo membro immediatè fluat intra vas ſemen, ex ſe aptum ad generationem; quia ut recte inquit Hurtado, *n.* 3. *Ad affinitatem requiſita eſt immiſſio ſeminis prolifici viri, & non ſufficit ſeminis Eunuchorum, quia hoc ineptum eſt generationi; neque ſufficit immiſſio ſeminis prolifici ſodomiticè facta, quia non eſt apta ad generationem, ut potè non facta intra matricem feminæ.* Idem dicendum eſt ſi femina aliquo modo poſſet ſeminare intra vas alterius feminæ. Si verò peraccidens non eſt apta immiſſio ſeminis ob infirmitatem, veneficium, vel ſterilitatem; affinitas conſurget.

4 Tertia conditio eſt, quod femina etiam intra proprium vas ſeminet, ita quod detur utriuſque ſeminis commixtio. Sic Innocentius, Hoſtienſis, & Hugo apud Sylveſtrem, *verb. Matrim.* 8. *q.* 15. Caietanus *in* 2. 2. *q.* 154. *art.* 2. Ludovicus Lopez 2. *p. inſtr. c.* 50. Ioannes Suarius *Enchi. caſu. l.* 5. *verb. affin.* & Hurtado *ſup.* quia, inquit: *Galenus, & Auicena docent, quod etiam ſeminatio feminæ eſt neceſſaria ad generationem; & ſane ſemen femina non videtur ad aliud à natura inſtitutum.* Oppoſitum docent Sanchez, Baſilius, Sylveſter, Floronus, 28. *ſup.* & Finelus *de caſ. reſ. cap.* 10. *num.* 9.

5 Quarta conditio eſt, quod in ea copula, ex qua contrahitur hæc affinitas, recipiatur ſemen virile intra vas naturale; aliter non erit copula perfecta, nec formalis inceſtus, & ita nec affinitas contrahetur, nec impedimentum orietur ad petitionem debiti. Sic Veracruz, Rodriguez, & Enriquez *ſup.* Sotus *de iuſt. l.* 1. *q.* 7. *art. ult.* Sanchez *l.* 9. *d.* 27. *n.* 1. Hyer. Rodrig. *reſ.* 32. *n.* 29. & Tulenth. *d.* 1. *bul. q.* 3. *p.* 5.

SINGVLARE VI.

Aliæ conditiones, quæ concurrere debent, ut qui Conſanguineam uxoris ſuæ cognovit, diſpenſatione indigeat ad petendum debitum.

1 QVINTA conditio eſt, quod copula ut voluntaria ex parte illius, cui impedimentum ſupervenit. Sic Enriquez *l.* 11. *c.* 15. *n.* 11. Quia ſicut non erit peccatum formaliter, nec inceſtus, niſi materialis, inde non contrahetur affinitas formalis, nec impedimentum, quod cum ſit in pœnam peccati, non orietur ubi peccatum non datur, de cuius ratione eſt eſſe voluntarium. Vnde ſi femina per vim à Fratre, Vel Patre viri ſui, vel ab alio intra ſecundum gradum conſanguineo viri ſui carnaliter cognoſcatur, poteſt debitum petere, ut rectè Sanchez, *c.* 9. *d.* 81. *n.* 1. At ſi levi metu femina conniveret inceſtui, privaretur debiti exactione, ut idem *n.* 2. docet.

2 Sexta conditio, eſt, ut vir ſciat feminam, quam carnaliter cognoſcit, eſſe Conſanguineam uxoris ſuæ non ingenerali, ſeu in quocumque gradu, ſed in prohibito, quoad debiti petitionem; ſcilicet primo, vel ſecundo; ſi enim hoc non ſciebat, non contraxit formalem affinitatem quoad hoc; nec in illius impedimentum incurrit. Sic Enriquez *ſup. lit. G.* Et ſatis probatur ex ijs, quæ Sanchez docet *l.* 9. *d.* 32. & *l.* 7. *d.* 15. *n.* 9. Et cum ignorantia excuſet ab inceſtu in generali cum, qui nullo modo ſciebat eſſe Conſanguineam, ita etiam ab inceſtu tali, ſcilicet intra ſecundum gradum excuſabit eum, qui intra hunc ſe coire cum Conſanguinea ignoravit. Et ita etiam excuſat cum à pœna impoſita pro tali inceſtu, ſcilicet petitione debiti. Sicut ſacrilegium non committit, nec in ſacrilegij pœnas incurrit qui Sacerdotem percutit, vel occidit, ignorans Sacerdotem eſſe, vel qui feminam Deo per votum ſacram carnaliter cognovit voti ignarus. Ita ex cap. *cum voluntate de ſent. excom.* dicitur: *Voluntate ac propoſito maleficia diſtinguuntur*: ubi Gloſſa quorundam: *Iniuriam inferens, erranſque circa perſonam, non amplius ſua exiſtimatione puniendus eſt.*

3 Septima conditio eſt, quod ſciat prohibitio-

bitionem iuris: si enim ignoravit, cum incestum patravit, sancitum esse iure, ut qui Consanguineam uxoris cognosceret; privaretur iure petendi debitum, potest sine dispensatione petere. Sic docet Basilius Pōtius, *de matr. l.* 10. *c.* 6. *n.* 10. Sanchez *l.* 9. *d.* 32. *n.* 49. Enriquez *l.* 12 *c.* 15. *n.* 1. Diana 3. *p. tr.* 5. *res.* 12. & alij contra Cordubam, *q.* 12 *art.* 1. & Rodriguez *to.* 1. *c.* 242. *n.* 11. Sic in cap. *Propositi* d. 82. quod est Innocentij I. ad Exuperium Toletanum, *Epist.* 3. *c.* 1. deciditur, Clericos incontinentes non deponendos esse iuxta constitutionem Siricij Pontificis, quia eam ignorabant; *His*, inquit, *ignorantibus venia non negabitur.* Vbi Glossa; *Quæ decretum non ligat ignorantes.*

4 Octava conditio: Nec sufficit, quod sciat hoc à iure sancitum in generali, dum taxat, & non in particulari privandum iure petendi debitum. Sic Diana, & Portel *sup.* Castrus Palaus *to.* 1. *tr.* 2. *disp.* 1. *p.* 17. *n.* 8. Et hoc similiter procedit in pœna excōmunicationis, suspensionis & irregularitatis, adquas incurrendas non sufficiet, quod sciam esse prohibitum à iure, hoc vel illud sub aliqua pœna; sed est necessarium, ut sciam prohibitum sub tali pœna, scilicet excōmunicationis. Ita Portel, Navarrus, Rodriguez, Curiel, Valentia, Enriquez, Suarez, Avila, Sayrus; Durandus, Coninch, ac Bonacina apud Dianam *sup.* Adde Thomam Sanchez. *l.* 9. *de matr. d.* 32. *n.* 31. dicentem; *Existimo ignorantiam, etiam moraliter culpabilem sive iuris, sive facti, modo non sit crassa, excusare à censuris, & pœnis; & idem dico licèt adsit scientia legis si adsit ignorantia non crassa censuræ.* Ignorantia autem crassa, seu supina ea est, quando ignorans, & dubitans de pœna, aut nullam, aut valde modicam adhibuit diligentiam, vel ut ait Grasis, *l. p. decis. l.* 4 *c.* 8. *n.* 20. *Quæ ex malitia, vel ex nimia negligentia procedit.* Et iuxta alios: Quando est latissima culpa, quæ dolo æquiparatur, & hæc vocatur etiam ignorantia vincibilis, quæ potest esse vel iuris, vel facti.

5 Item, si post commissum incestum; pœnam, vel cognationem feminę cum uxore sua vir cognovit, non verò ante incestum, vel in ipso incestu, etiam non indiget dispensatione, cum incestum formalem non commiserit. Sicut qui cognovit nuptam existimans solutam, cum postea scit nuptatu esse, non imputatur ei adulterium formale, nec de illo, sed de fornicatione, accusari in confessione debet. Et qui iuravit quod verum esse credebat, & postea falsum fuisse invenit, periurium non commisit. Et qui occidit Sacerdotem existimans feram, vel sæcularem esse, non eget absolutione ab excommunicatione; etiam si postea sciat: Sacerdoti enim iniuriam non irrogavit formaliter, ideo nec pœnam incurrit. Argumento *l. eum, qui* 18. § *si iniuria verf. at cum aliquis. ff. de iniurys*, ibi: *Cum aliquis filium familias, patrem familias putat, non potest videri iniuriam Patri facere; magis quam viro, si mulierem viduam esse credebat; cum affectus iniuriam facientis in hunc tamquam Patrem familias consistat.* Hinc *c. Iudicis. verf. illud*, de pœnis, in 6. dicitur: *Iudex pœnam metiatur ex culpa.* Et *c.* 2. *fin. de his, quæ fiunt. Nec pœna sit ulterius protrahenda, quam delictum fuerit.*

6 Propter has conditiones ex voluntate libera, & cognitione procedentes: si puer ante usum rationis, (etiam si seminare potuisset) vel amentes, aut dormientes, Consanguineam uxoris suæ cognoscerent, possent petere ab ea debitum, vel possent in matrimonium ducere Consanguineā eius, quam antea hoc modo carnaliter cognoverunt. At verò, si cum amenti, dormienti, vel puella ante usum rationis, vir rem habeat, si uterque seminet, contrahet vir affinitatem; & generaliter notandum est pro omnibus his conditionibus, quòd cum hæc reservatio dispensationis sit materia odiosa, restringenda est, & ad casus, in quibus impedimentum hoc non cōmprehendatur manifestè, amplianda non est.

7 Nona conditio, apud Angelum, *verb. incestus n.* 4. & Sylvestrem *verb. luxuria q.* 4. est: quod incestus sit publicus, ut ex eo contrahatur affinitas, impediens debitum matrimonij iam contracti. Sed sine probabilitate hoc asseritur, ut notat Sanchez, *l.* 9. *d.* 27. *n.* 2. æquè enim consurgit affinitas ex copula occulta, ac ex publica; cum non minatur scandalo, quod ex incestu oritur, sed copula cum commixtione seminis viri, & fœminæ consanguineæ uxoris suæ. Vnde predicti Doctores, & Abbas, Sotus, Sà, Ludovicus Lopez apud Sanchez, *l.* 7. *d.* 15. *n.* 13. audiendi non sunt, quatenus asserunt ex incestu occulto non consurgere impedimentum matrimonium contrahendum dirimens; quia ut rectè Sanchez ibi: *Hoc nullo iure probatur, & cum incestus sit eius naturæ, ut semper occultè committatur, raro esset locus huic impedimento.*

8 Igitur quæcumque ex his octo conditionibus deficiat, potest quis absque dispensatione debitum petere, seu potius dispensatione non indiget ad eius petitionem cum non sit contracta affinitas, nec commissus incestus cum qualitate sufficienti ad impediendam hanc debiti exactionem.

Vnde

Vnde rectè Hoſtienſis, *cap. à nobis el.* 1. *de ſentent. excomm.* ait: *Nec aliquem, & ſi obligatur ad culpam, quia facit rem illicitam, dicam obligatum ad pœnam; quia ad ipſam non adſtringitur niſi ſciens.*

SINGVLARE VII.

Quibus in caſibus liceat viro ab uxore ſua debitum abſque diſpenſatione petere, cum tamen Conſanguineam uxoris intra ſecundum gradum cognoverit?

1 SVPPONO, ut omnino improbabilem ſententiam Ildephonſi de Veracruz aſſerentis, *ſpec. coniug. p. 3. art. 27.* quod ſi, *Inceſtuoſus cum conſanguineis uxoris debitum petat ſeclvſo contemptu, abſque diſpenſatione, non videtur mortale; ſicut neque contrahere poſt inceſtum ſine diſpenſatione.* Innuunt Henricus *in c. Rurſus n.* 4. & Hyeronimus Mangiara, *in arbor. conſang. §. in nomin. n.* 55. cum expreſsé a Doctoribus oppoſitum aſſeratur, ut videre licet apud Thomam Sanchez, *l. 9. de mat. d. 27. a n. 9.* & ſit contra conſuetudinem, ac ius commune graviſſimè iuxta omnes obligans. Sic enim cap. 1. *de eo qui*, prohibetur: *Si quis cum filiaſtra ſua ſciente r fornicatus fuerit, nec á matre debitum petere, nec filiaſtra, nec illi ullo unquam tempore poterunt ſe aliis matrimonio copulare.* Conſonat Tridentinum *ſeſſ. 24. de refor. mat. c. 4. & 5.*

2 Igitur in quatuor caſibus liceret uti hac opinione, quæ abſolutè prolata improbabilis reputanda eſt. Primus iuxta aliquos, cũ uterque coniux affinis effectus eſt per copulam cum alterius conſanguineis mutuam: tunc enim utrique licere debitum ſine diſpenſatione exigere, facta hinc inde compenſatione, ſentiunt ſine dubio Vicentius, & Gotfredus *cap. ſi vir. de cognat. ſpi.*, & Ioannes de Triburgo *ſum. confeſſ. l. 4. tit. 7. q. 2.* & innuit Baſſolis 4. *d.* 42. *q. un. art.* 3. aſſerentes; id licere cum uterque coniux impedimento cognationis ſpiritualis laborant, & idem dicerent de impedimento affinitatis, cum eadem prorſus militet ratio. Sed hanc ſententiam minimè tenendam rectè probat cum pluribus Doctoribus Sanchez, *l. 9. d. 28. á n. 2. & n. 5. & 6.* explicans ibi, quomodo utrique liceat reddere debitum.

3 Secundus caſus, in quo vir poteſt ſine diſpenſatione petere debitum, eſt: cum fit, non ingratiam ſũi, nempe ut ſuo apetitui morem gerat, ſed gratia uxori placendi, & non reddendi matrimonium grave, & oneroſum. Hoc probat Sanchez cum S. Thoma & alijs *l. 9. d. 7. á n. 1.* aſſerens, ſimul idem tenendum, de eo qui voto caſtitatis ſit ligatus. Et circa hoc Ledeſma 2. *p. 4. q. 66. art. 1. ad fin.* ait: *Virum, qui vouit, poſſe animum concipere exigendi quater, vel aliquoties in menſe, ne reddat uxori matrimonium oneroſum.* Victoria *de matr. n.* 293. ait: *Poſſe petere quandocumque ſibi videtur honeſtum accedere ad uxorem.* Et Sanchez *ſup. Quarè* ait: *cum quædam fœminæ aliis in Venerem propenſiores ſint, atque ita frequentius concubitum appetant viri: ab aliis ſæpius quam quater, ab aliis rariùs in menſe exigere licebit.* Et *n.* 4. docet, hoc non ita licere fœminæ, ſi ipſa impedita ſit ob votum cognationem, vel affinitatem, ac addit: *Si tamen maritus talis eſſet, ut more fœminæ non audeat petere, tunc idem dicendum eſt de fœmina, cui petere eſt interdictum.*

4 Tertius caſus, in quo ſinè diſpenſatione exigere debitũm licet impedito, ſive fœminæ, ſive viro, eſt, cum in alio coniuge non impedito ſentit periculum incontinentiæ, quia hoc eſt quodammodo reddere, & nec lex hæc, nec votum obligant ad non petendum cum diſpendio vitæ ſpiritualis alterius coniugis. Sic expluribus probat Sanchez, *n.* 5. *&* 6. Quartus caſus mihi non improbabilis eſt, quem aſſignabo Singulari 12. Et circa hos omnes animadverte licere coniugi, cui interdicta eſt petitio debiti, alteri coniugi ſuum impedimentum ſignificare, ne ſuam petitionem expectet, reddaturque ei matrimonium oneroſum; & ſi impedimentum eſt ob votum caſtitatis, non tenetur, qui illud emiſit, indicare ſuum votum alteri coniugi, ut à petendo abſtineat.

SINGVLARE VIII.

V. Poſſint Regulares diſpenſare in petitione debiti coniugalis cum eo, qui ſpiritualem cognationem contraxit cum propria uxore ob receptionem in Baptiſmo, aut in Confirmatione?

1 QVomodo, & quando contrahatur ſpiritualis cognatio á Viro, & Vxore inter ſe, latiſſimè agunt Doctores, præſertim Sanchez *l. 7. de mat.* ubi de hoc impedimento, & Hiſpalenſis noſter Melchor Gallego, qui de ſpirituali cognatione librum integrum edidit. In præſenti difficultate, partem negativam tenent Sanchez *l. 7. diſp. 16.* & Trulench *l. 2. in Cruc. §. 4. dub. 3. n. 4.* Sed Emmanuel *addit. ad Bullam. §. 13. n. 17.* poſſe diſpenſare affirmat. Ducitur 1.

tum

tum ex privilegio relato Pij V. concedentis dispensationem hanc cum eo, qui affinitatem carnalem contraxit ex incestu. Vnde, ait, â fortiori colligi, posse dispensare cum eo, qui spiritualem affinitatem contraxit ex sublevatione propriæ prolis; cum hæc non ita propriè sit affinitas, ac illa. Ducitur 2. ex eo quod, hoc sit privilegium favorabile, & ita extendi debet, & ex concessione unius ellici cõcessio alterius: ergo.

2 Mihi placet Emmanuelis sententia, sed displicet eius ratio; Quia in his, quæ ex mera Pontificis voluntate, & concessione dimanant, & in facultate ad dispensandum præcipue, quamtumvis favorabilis hæc sit, non licet extensio ad casus, qui sub concessionis verbis non comprehenduntur. Sic Felinus, *cap. fin. n. 8. limit. 1.* Gambara *de author. legati l. 10. n. 230.* Sanchez *l. 8. de mat. d. 2. n. 2.* Impedimenta autem cognationis spiritualis, & affinitatis carnalis, diversæ omnino rationis sunt, & ita facultas dispensandi in una, quoad debiti petitionem, non potest comprehendi in alia; separabiles, etiam sunt, & inconnexæ; sicut & impedimenta: ergo una non involvitur in alia, aut affertur. Nec refert, quod impedimenta eundem sortiantur effectum, scilicet prohibitionem petendi debitum; omnia enim impedimenta dirimentia etiam eundem sortiuntur effectum, scilicet matrimonium dirimere, & tamen in potestate delegata [qualis ea est, quæ ad has dispensationes Religiosis, vel alijs per indulta competit] ad dispensationem in uno, non comprehenditur potestas ad dispensandum in alijs. Porro favorabiles facultates sunt ampliandæ ad casus, qui implicitè comprehenduntur, vel prudenti ratione connectuntur cum casu expressè concesso; quod in præsenti non accidit.

3 Probandum igitur est hoc privilegium alia via, scilicet ex Bullis Singulari 4. relatis, in quibus Eugenius IV. Monachis Benedictinis, ac proinde omnibus eorum privilegia participantibus, concedit authoritatem in omnibus casibus, in quibus de iure communi, authoritas, sive licentia, seu dispensatio Ordinarij esset necessaria. Quis autem dubitabit, hanc dispensationem ad petendum debitum, non obstante cognatione spirituali contracta post matrimonium, casum esse, in quo auctoritas Ordinarij necessaria est, & sufficit ad dispensandum. Et quod hic ex consuetudine, vim legis habente dispensare valeat in prædicto casu, seu impedimento cognationis spiritualis ad petendum debitum, docent plurimi Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez, *l. 8. d. 12. n. 14.* licet *disp. 15. n. 13.* contra Emmanuelem *sup.* hanc potestatem deneget Commissario Cruciatæ; cui ego negandam etiam existimo: nam ex facultate sibi concessa ad dispensandum in debiti petitione cum impedito ex affinitate, ob incestum, seu fornicationem contracta, non colligitur huiusmodi facultas; nec hic habet privilegium simile concessum Religiosis, ut dispenent in casibus Episcopo reservatis.

4 Animadvertendum est, probabilem esse sententiam, quæ docet, hunc, qui prædictam spiritualem cognationem contraxit, dispensatione nullo modo indigere ad petendum debitum: quia valde dubium est, an cognatio spiritualis superveniens matrimonio impediat debiti petitionem, ut ait Sanchez *disp. 12. n. 15.* & in dubio, an casus reservatus sit, vel indigeat dispensatione, illa non egere tenent Castro Palao, *to. 3. disp. 6. punct. 15. n. 10.* & Trulench. *in Decalog. l. 2. de voto dub. 12.* & alij.

5 Hoc sine dubio concedent Sanchez, Suarez, Enriquez, Sá, Bañez, Ioannes Vvigeis, Coninch, & Lorca, quos citat & sequitur Diana, *4. p. tr. 3. res. 15.* docentes, posse coniugem dubitantem de valore matrimonij reddere, & petere debitum, si post sufficientem diligentiam adhibitam, ad huc dubium perseverat; ante illam verò teneri reddere, sed non posse petere. Nam possessor bonæ fidei, si dubitat post diligens examen rem, quam possidet, esse alienam, potest retinere, & ea uti: quia in dubio melior est conditio possidentis. At non posse tunc petere, sed teneri reddere asserverunt Basilius Pontius, Montesinus, Rebellus, Hurtado, Turrianus, & Pesantius, apud eundem Dianam *ibi.* Denique de dubio impedimenti ad contrahendum idem docet Ioannes Sanchez, *select disp. 43 n. 4. Dubitans*, inquit, *an impedimentum matrimonij habeat, facta sufficienti diligentia, potest illud iure absque dispensatione, quia possessio stat pro libertate ad contrahendum, dubium vero impedimento favet; at absque certo iure nemo spoliandus est sua possessione.* Ergo â fortiori indubio hoc facta diligentia licet usus matrimonij post illud contractum,

(:§:)

SIN-

Singvlare IX.

V. Requiratur ſpecialis cauſa in coniugato, qui votum caſtitatis emiſit, vel qui Vxoris ſuæ Conſanguineam cognovit, aut cognationem ſpiritualem contraxit, ut diſpenſetur cum eo ad petendum debitum?

1 COmmvnis Theologorum ſententia cum S. Thoma, *q.* 88. *art.* 12. *ad* 2. & Iuriſtarum cum Gloſſa, *cap. Non eſt, de voto.* docet illicitam, & invalidam eſſe diſpenſationem ſine iuſta cauſa factã. Sufficere tamen dubiam eſſe hanc, ut Prælatus valide & licitè diſpenſet, ſentiunt Sylveſter, *verb. diſpenſ. q.* 14. *n.* 20. Palacios *in* 4. *d.* 38. *d.* 3. *verſ. eſt igitur.* Sanchez *l.* 4. *ſum. c.* 45. *n.* 10. Diana 1. *p. tr.* 10. *reſol.* 31. & Layman *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 8. *n.* 5. Et idem dicendum exiſtimo de Confeſſore in omnibus caſibus, in quibus ex iure communi vel ex privilegio poteſt diſpenſare, cum ſit in hac re veluti Prælatus, & ut notat Palao 3. *tom. tr.* 15. *p.* 9. *n.* 2. diſpenſationis actus eſt iuriſdictionis ſpiritualis Eccleſiaſticæ, vel potius divinæ à Chriſto Domino Petro, & illius ſucceſſoribus conceſſum, illis, *Math.* 16. verbis: *Quodcumque ſolueris ſuper terram erit ſolutum, & in cælis.* Quæ iuriſdictio Confeſſoribus competit. Immo ſi bona fide conceſſa, & acceptata fuit diſpenſatio in voto, ieiunio, &c. ſi poſtea hæc ſua cauſa ſufficienti facta deprehendatur, adhuc rata erit, ut docẽt Sanchez *c.* 44. *n.* 10. & Leſius *l.* 2. *c.* 40. *du.* 17. *num.* 119.

2 Igitur ad diſpenſandum in debiti petitione impeditis ob votum, aut affinitatem requiri cauſam aliquam, qualis eſſet periculum incontinentiæ, aut tranſgreſſionis: gravis difficultas in eius obſervatione, damnum aliquod familiæ, vel ſimilẽs probat ex Sanchez, Laymano, & Leſio Caſtro Palao, 1. *p. tr.* 3. *de leg. d.* ult. *n.* 12. Sed nullam requiri ſpecialem, ſolùmque rationem matrimonij initi, ſeu cohabitationis, aut prolis generãdæ ſufficere, etiam ſi nulla immineat ruina, nec ſit periculum incontinentiæ, ut cum uterque ſenex eſt, nec aliud oriatur incommodum, ſentio: & ratio eſt, quia cum matrimonij uſus debitis circunſtantijs exercitus, ſit ex ſe actus virtutis, & ad prolem ordinatus; ac præterea cohabitatio debita ſit Coniugatis, ſufficiens cauſa adeſt diſpenſationis, etiam ſi nulla alia ſit, & cum hac ſalvatur, quod diſpẽſatio nõ detur ſine cauſa;

3 Præterea diſpenſatio in voto caſtitatis, v. g. ante matrimonium initum eſt abſoluta: at cum ſolùm ad petendum debitum diſpenſatur, non eſt abſoluta, ut notat Enriquez, *l.* 2. *de mat. c.* 2. *n.* 9. cum adhuc votum perſeveret, & ſi uxor decedat, manet, ſeu reviviſcit obligatio ſervandi integram caſtitatem; & ſi cum alia copuletur, voti reus ſacrilegus eſt, nec poteſt ſine nova diſpenſatione cum alia matrimonio coniungi; & ſi coniungatur, diſpenſatione etiam nova ad petendum debitum indigebit. Vnde cõiugum impedimentum ad illud petendum non eſt abſolutum, ſed quaſi ſuſpenſio executionis, ſeu obligationis á voto dimanans, quoad illud effectum petendi debitum, quę tollitur per diſpenſationem, manente voto firmo quoad omnia alia, ut notat Palao *tr.* 15. *d.* 2. *p.* 12. *n.* 9.

4 Similiter dicendum eſt de diſpenſatione in affinitate contracta ex inceſtu, & in cognatione ſpirituali, quia per diſpenſationem ad petendum debitum in Coniugato non tollitur abſolutè affinitas, ſed expeditur eius effectus debitum petendi ab uxore ſua, conſanguinea feminæ, quam cognovit: & ſic emortua uxore manet, ſeu reviviſcit prædicta affinitas, & non poteſt in matrimonium ducere feminam quę ſit intra ſecundum gradum conſanguinitatis cum ea, quam per inceſtum præteritum cognovit: & ſi eam cognoſcat reus eſt novi inceſtus, etiam ſi diſpenſatus antea ſit ad petendum debitum à propria uxore.

Singvlare X.

Practicæ obſervationes circà diſpenſationes dandas impeditis ob votum caſtitatis, vel cognationem ſpiritualem, vel inceſtus affinitatem ad petẽdum debitum?

1 AD harum diſpenſationum praxim nonnulla obſervanda ſunt. I. Quod in alijs Religionibus, extra Societatem Ieſu, eo ipſo quod Sacerdotes Regulares conſtituantur ad audiendas ſæcularium confeſſiones, cum Epiſcopi approbatione, poſſunt, ſine nova facultate, aut communicatione hanc diſpenſationem concedere; non enim hæc expreſsè requiritur in prædictis indultis. Secus in Societate Ieſu, cum ex Præpoſiti Generalis facultate privilegiorum uſus ſuis Religioſis dimanet; & in noſtro compendio de facultate ad diſpenſandum in petitione debiti

cum

cum inceſtuoſis, & cum ligatis voto caſtitatis, nec non in votis omnibus Epiſcopo reſervatis, dicitur: *Facultas hæc conceditur Provincialibus, & alijs Confeſſoribus, quibus ipſi per ſe, vel per alios commiſerint.* Idem obſervandum in alijs Religionibus, in quibus hæc facultas ita concedatur.

2 II. Quod ſi votum fuit abſolutę, & omnimodę caſtitatis, ita quod propterea in illud cõmutatio non cadat, ſed ſolùm ad debitũ petendum diſpenſatur, admoneatur pœnitens, quod ſi coniux ſit ſuperſtes, manet obligatus ad ſervandã omnino caſtitatem. Moneatur etiam qui ob affinitatem contractam ex inceſtu diſpenſatur in petitione debiti, quod non poteſt Conſanguineam illam uxoris ſuæ, quam cognovit, ducere ſine nova diſpenſatione, neque prior diſpenſatio niſi ad pẽtendum debitum non prodeſt. III. Neque hæc ita conceſſa unquam niſi ad forum conſcientiæ valet.

3 IV. Quod extra confeſſionem poſſunt fieri hæ diſpenſationes ad debitum petendum; immo & ſi illas confeſſio nec præcedat, nec ſubſequatur, ſicut de votorum commutatione facienda ex Bulla, Iubilæo, privilegio, vel iuriſdictione ordinaria ſentiunt Enriquez, Sotus, Rodriguez, Ludovicus de la Cruz, quos citat, & ſequitur Trulench. *l.1. in Bul. §.7.c.3.dub.10.n.2.* Connexionem enim non habet commutatio, aut diſpenſatio vôtorum cum peccatorum confeſſione.

4 V. Quod ille Confeſſor Regularis ſolùm eſt ſufficienter approbatus ad diſpenſandum cum impeditis ad petendum debitum, ſeu in alijs votis Epiſcopo reſervatis; qui eſt ſufficienter ad commutãda vota virtute cuiuſlibet iuriſdictionis ordinariæ, vel delegatæ, ſeu virtute Cruciatæ, aut Iubilęi.

5 VI. Privilegia Regularium ſupra allata, ad hoc ut poſſint diſpenſare in votis, & caſibus etiam Epiſcopo reſervatis, intelligi debent de ijs votis, aut caſibus, qui ordinario iure, vel ex conſuetudine vim legis habente, Epiſcopo competunt, non de ijs, qui per ſe ad Pontificem ſolùm ſpectant.

6 VII. Quod omnes Religiones Mendicantes, & non Mendicantes comunicationem privilegiorum habentes, fruuntur prędictis privilegijs ad diſpenſandum, ut notãt Doctores. VIII. obſerva: Quod poteſt Regularis diſpenſare cum his omnibus ad debiti petitionem quamvis ad Pontificem, Epiſcopum, vel Commiſſarium, alios ve potentes diſpenſare, ſit facillimus additus; quia ſine limitatione hac illis in præfatis privilegijs conceditur hæc facultas, ut de Epiſcopo aſſerit Sanchez, *d.12.n.14.*

7 Vltimò obſerva: Etiam ſi contracta ſit affinitas ex copula cũ Conſanguinea uxoris, vel ſpirituali cognatione, antequam conſummetur matrimonium, dũmodó ratum ſit, poterunt Regulares diſpenſare ad petendum debitum, perinde ac ſi conſummatum eſſet; quia tunc ſimiliter tenetur reddere, niſi Religionis ingreſſum eligat, ad quam minimé obligatur, ut probat Sanchez, *l.9. d.3.n.8.* ac pro inde verſabitur in magno incontinentiæ periculo, petitione debiti ſibi interdicta. Propter hanc rationem Emmanuel *to.1. ſum.edit.2.cap.242.* & Sanchez *d.12.n.6.* aſſerunt, Epiſcopum poſſe diſpenſare ad petendum debitum ante conſummatum matrimonium cum eo, qui voto caſtitatis ligatus illud contraxit.

SINGVLARE XI.

An Confeſſor ſæcularis, vel Parochus poſſint diſpenſare in petitione debiti coniugalis cum impeditis ad petendum, ob votum, affinitatem, aut cognationem ſpiritualem: & Quomodo cum his ſe gerere debeant?

1 HIc I. Nullus Confeſſor ſæcularis, nec etiam Parochus [niſi ſit Ordinarius habens iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem] poteſt diſpenſare ad petẽdum debitũ cum impeditis ob inceſtum, aut cognationem ſpiritualem; quia ex iuriſdictione ordinaria illi competit; nam hæc ad Pontificem ſolũm per ſe ſpectat; nec ex conſuetudine; nã ſic eſt ſolius Epiſcopi, ſeu Ordinarij, nec ex delegata poteſtate, aut privilegio illi, aut pœnitẽtibus cõceſſo; hoc enim nullibi invenitur.

2 Et licèt in Iubilæis duarum hebdomadarum, & in Cruciata concedatur, ut quilibet Confeſſor approbatus poſſit commutare omnia vota [ultramarino caſtitatis, & Religionis dumtaxat exceptis] & ex vi huius conceſſionis poſſit quilibet Confeſſor ſæcularis commutare vota caſtitatis á Coniugatis emiſſa, quando hæc fiunt ſine conſenſu alterius coniugis, vel & ſi fiant cum conſenſu, ſeorſim non tamen ab utroque per modum conventionis, vel fiunt conditionata, vel pœnalia, aut nõ perpetua, vel nõ omnimodę caſtitatis, ut coniugalis, vel non petendi debitum, vel ſimilia, quæ non ſunt abſolutæ, & perfectę caſtitatis vota, ut ex Sanch. Trul. Cruz. & Dian. docui *tract. Iubil. duar. hebdom. c.16.* Attamen non poteſt commutare votũ abſolutæ caſtitatis, ex conventione ab utroq; Coniuge factũ, nec in ſupra dictis votis Coniugatorũ, quę poteſt ſęcula-

ris Confeſſor commutare; diſpenſare valet.

3 Ratio eſt: Quia diverſa omnino eſt poteſtas ad commutãdum, ac ad diſpenſandũ: & quidem conceſſa facultate prima, negatur ſecunda, ut potè maior, neque ullo modo eſt contenta ſub illa. Sic Sylveſter, Azor, Angles. Lopez, & Suarius, quos citat, & ſequitur Trulench. *ſup. dub.* 1 *n.* 7. Contra verò, conceſſa poteſtate ad diſpenſandum, conceditur ad comũtandum: nam hæc ut pote inferior in illa ſuperiori continetur, iuxta Regulam iuris: *Cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus.* Sic Sotus *de iuſt. q.* 4 *art.* 3. Leſius *l.* 6. *c.* 11. *n.* 94. Baſilius Leg. *l.* 8. *de mat. c.* 10. *n.* 3 Barboſa *n.* 13. Trulench. *n.* 7. Caſtro Palao *n.* 4. Layman *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 8. *n.* 20. Sa *verb diſpenſatio* 19 & alij contra Navarrum *c.* 12. *n.* 79. Valentiam 22. *d.* 6. *q.* 6 *punct.* 7. Azorium 1. *p. l.* 11. *c.* 10. *q.* 4. Sanchez *l.* 8. *de mat. d.* 2. *n.* 15.

4 Parochus igitur, vel quilibet ſæcularis Confeſſor ſi ad eum accedant Coniugati impedimentis his ad petendum debitum ligati, petat facultatem ab Ordinario, tacito nomine pœnitentis, & ſi hic commodè adiri nequeat, remittat eos ad Regulares fruentes privilegio ad diſpenſandum. Si verò nec Ordinarius, nec Regularis facilè adiri valeant, vel Cõiugatus impeditus eos adire recuſet, ſi ſtimulis carnis agitetur, ſitque non leve periculum incidendi in gravia peccata, permittere illi poterit, ut petat, vel ſe ad reddendum inſinuet, iuxta dicen. Sing. ſeq. vel ab Ordinario, aut à Regulari per Epiſtolam petat hanc diſpenſationem, tacito illis nomine perſonæ impeditæ, ita ut minimè in illius notitiam deveniat. Nec neceſſum eſt exprimere, an ex voto, vel ex affinitate, aut ſpirituali cognatione reſultet impedimẽtũ, ſed ſolũ in generali, quod diſpenſet cum impedito ad petendũ debitum. Quam diſpenſationem etiam Laicus poteſt petere, cum non petens eã, ſed Ordinarius, vel Regularis, á quibus petitur, diſpenſent.

5 Si verò impeditus ſit coniugatus ad reddendum debitum ob emiſſionem àlicuius voti ex prædictis, quod non eſt perpetuæ, perfectæ, & abſolutæ caſtitatis, ex conventione ab utroque coniuge nuncupatum; vel dubitatur an tale ſit iuxta dicta Sing. 10. licèt non diſpenſet Cõfeſſor ſecularis; quia diſpenſatio ei eſt interdicta; tamẽ commutet ex Cruciata; nam commutato, petere poterit Coniux, ſiquidem votum iam extinctũ eſt. Nec cauſam ullam præter cohabitationem, aut uſum matrimonij, ſive petitionem Coniugati requirat iuxta dicta Sing 9.

6 Sed ſi roges; an Confeſſor, vel Prælatus Regularis poſſint committere, aut delegare ſæculari Confeſſario facultatem, quam habent ad diſpenſandum in petitione debiti cum huiuſmodi impeditis ob votum, affinitatem, aut cognationem ſpiritualem? Reſpondeo, minimé poſſe; cum hæc facultas ſit illis delegata, non ordinaria, ut conſtat ex eius conceſſione in Bullis relatis; & delegatus, niſi ad univerſitatem cauſarum, ſubdelegare nequit. Nec obſtat, quod ſint Prælati, quia hi non habent iuriſdictionem ordinariam, niſi in ſuos ſubditos Regulares; alia verò, quæ eis competunt in ſæculares circa adminiſtrationem Sacramentorum, votorum commutationem, diſpenſationem, &c. ut Papę delegati illis hæc privilegia concedentis, exequntur.

7 Immo & ſi Doctores aſſerant, & in privilegijs noſtris dicatur; quod *Facultas hæc ad diſpenſandum in petitione debiti conceditur Provincialibus & alijs Confeſſoribus, quibus ipſi per ſe, vel per alios eam commiſerint*, hoc non ita intelligendum eſt, ut illi quaſi ordinariam circa hoc habentes iuriſdictionem, eam delegent Prelati, etiam Generalis, ſuis ſubditis, vel quod ut delegati ſubdelegare poſſint; ſed quod Pontifex illam concedit, aut delegat ſubdito Regulari, præcedente, & requiſita, tum approbatione Ordinarij ad audiendas ſæcularium Confeſſiones, tum conſenſu, aut communicatione ſui Provincialis, aut Superioris immediati ob privilegium tali Religioni ab ipſo Pontifice cõceſſum, quo uti non licet, ſine notitia, & conſenſu Superiorum; aut ſaltèm in Societate Ieſu, non licet privilegijs uti, niſi ea communnicaverit Præpoſitus Generalis.

8 Epiſcopus verò poteſt delegare hanc facultatem cuivis Confeſſario, etiam generaliter, & quoties occaſio ea utendi ſe ſe obtulerit; quia hæc ei competit ex iuriſdictione ordinaria, quam conſuetudo præſcripta ipſi conceſſit: & cũ ita delegat, neceſſũ eſt, ut perſona delegata ſit Eccleſiaſtica; cum hæc diſpenſatio ſit actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, hæc verò ſubdelegare nequit. Ille ergo, qui iuxta Doctores capax fuerit iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, quoad cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas inferendas, & ab eis abſolvendum, aut diſpenſandum, commutandum vè in votis; erit capax fruendi facultate diſpenſandi in debiti petitione, & illam delegandi, ſi Ordinarius iudex ſit, etiam ſi Sacris initiatus non ſit. Secus eſt de Religioſis, quibus, niſi ſint Confeſſores approbati, non concedit Pontifex in ſuis Bullis hanc facultatem; ſicut nec commũtandi, aut ſimilium. Poterat tamen illis, etiam ſi in Sacris conſtituti non eſſent,

essent, hanc potestatem Ordinarius delegare, sicut & sæcularibus Ecclesiasticis.

9 Tandem animadvertant tam sæculares, quam Regulares Confessores, si forsan facultatem ad dispensandum cum Coniugatis in petitione debiti non habeant, probabile esse sententiam asserentem, votum viri de non petendo debitum, aut de continentia, factum sine consensu Vxoris non obligare illum ad non petendum, ac proinde dispensatione non indigere; quia vir vovens imponeret uxori grave onus. Affert Enriquez. *l.2.de mat. c.2.n.9. Glossa l.t.* pro hac sententia Navarrum, Victoriam, Mancium, Peñam, Gallum, Ledesmam, & Abulensem. Alij addunt, quod quamvis fiat votum continentiæ de licentia uxoris, potest vir petere, non verò exigere, i. iure compellere, ut licitè petit adulter, qui exigere non potest. Sic apud eundem Enriquez Hostiensis, & Cardinalis, Rossella, & Veracruz. Mihi verò hoc non probatur, quia votum illud in communi acceptione omnium, & ipsius voventis utrumque complectitur, nec petere, nec exigere, & solùm reddere ab illo excipitur.

10 Nec etiam mihi probatur sententia Veracruz, *1.p.art.15.concl.2.* dicentis: *Licet post votum simplex continentiæ contrahens mortaliter peccat matrimonium consummando, exigendo debitum, non tamen post quotiescumque petat, mortaliter peccat.* Quia quoties fit contra votum graviter obligans, toties graviter peccatur, dum votum perseverat, sed tunc quoties petitur fit contra votum continentiæ, quod petitionem omnem debiti, seu actum quëcumque carnalem etiam propriæ Vxoris excludit, & adhuc perseverat; nam per consummationem non est ablatum, nec suspensum: ergo quoties petit, toties peccat. Hæc autem doctrina locum non habet; cum quis post votum Religionis matrimonium contrahit; nam tunc, peccat prima vice matrimonium consummando, eo autem consummato licet illi, & reddere, & petere; sed mortuo coniuge tenetur Religionem ingredi, ex voto pristino non extincto, sed suspenso, quoad effectum propter matrimonij impedimentum. Sic communiter Doctores.

SINGVLARE XII.

U. Coniugatus impeditus ad petitionem debiti, ob votum, aut incestum, aut cognationem spiritualem possit petere quoties vehementibus Carnis stimulis agitatur; ne periculo exponatur in gravia luxuriæ peccata labendi?

1 COMMVNIS fatis sententia negativam partem tuetur. Sic Covarruvias *4.dec.2.p.c.7.§.2.n.5.* Antonius Cucus *l.1. instit.maiorum tit 11.n.123.* Gutierez *l.1.q.can c.23.n.6.* Matienco *l.1. recopil.tit.1. rubr gl.1.n.103.* Sanchez *l.9.d.7.n.7.* & alij. Sed affirmativam sequor, si ita vehementibus carnis stimulis Coniugatus agitetur, ut proximo periculo se exponat incidendi in peccatum fornicationis, vel aliud; turpius, nisi debitum petat.

2 Probatur hæc sententia quoad petitionem debiti in illo, qui cognovit Consanguineam suæ Vxoris intra secundum gradum: Quia huius petitionis privatio est lex quædam purè Ecclesiastica, in materia indifferenti de se; ut supra vidimus; sed lex Ecclesiastica non obligat cum proximo periculo gravis damni, seu cum periculo violandi legem naturalem, aut divinam: ergo hæc non obligabit cum periculo incidendi in aliquod peccatum luxuriæ, v.g. pollutionem, fornicationem, tactus impudicos, & similia, quæ contra legem divinam, & naturalem omnino sunt. Maior est certa. Minor stabilitur ex communi Doctorum à Bonacina, *d.2. de legib. q.8.p.2.n.1.* his verbis: *Metus, seu probabile periculum gravis damni regulariter loquendo excusat à trangressione legis humanæ, & consequenter à peccato. Hinc ille, qui timeret prudenter se occissurum Petrum, vel proximè ex poni ad consensum adulterij, vel ad alia peccata patranda, si Ecclesiam adeat die festo, Missam auditurus, certum est non teneri ad eius auditionem.* Et si leges purè Ecclesiasticæ nõ obligant cum detrimento, aut detrimenti periculo considerabili vitæ, salutis, honoris, & rei temporalis iuxta commune Doctorum; à fortiori non obligabunt cũ periculo detrimẽti salutis spiritualis, & vitæ æternę.

3 Confirmatur 1. Ex eo iuris principio, quod probant Cæsar Argel, *de contradictore legitimo q.19.n.72.* & Barbosa *de princip. iur.l. n.25. Lex non debet esse iniquitatis vinculum,* Vinculum autem, scandalum, & occasio, ruinæ, ac gravissimæ iniquitatis, esset lex Ecclesiastica, impediens debiti petitionem in casu, in quo ex eius observatione, gravissimo, & proximo luxuriæ periculo, quis exponeretur: ergo non est credibile Legislatorem obligare voluisse cum tanto detrimentõ. Confirmatur 2. Ex alio iuris principio, nimirum; *Periculum ubi maius intenditur, ibi plenius consulendum.* Sic ex *l.1.§.& siquis ff.de carb.edic.l.manifestissimè c.de furtis l.addictos c.de appell.c.ubi pericul.de elect.l.6.* probãt Bertazol

repit. l. si quis maior C. de transact. n. 6. Tuschus *to. 6. lit. P. concl.* 281. Gratianus *March. decis.* 133. *n.* 19. & Farinacius *prax. Crim. p. 4. conc.* 65. *n.* 115. Maximum autem periculum est in eo, qui vehementibus tentationibus agitatur, ne in cidat in gravem luxuriam, cui periculo à lege consulitur, permittendo, ut ab eo sine peccato evadat, Vxore sua uti, etiam si cum Consanguinea rem habuerit.

4 Idem probatur in illo, qui post contractum matrimonium, vel ante illud castitatem vovit; quia sicut votum ex communi Doctorum cum S. Thoma, 2 2. *q.* 8. *art.* 1. & 2. debet esse de re meliori, ita etiam obsevatio voti, ut illud obliget: si enim illicitum, aut invalidum est votum in prima sui emissione; illicitum, & invalidum erit in eius observatione; sed votum & eius observatio in prædictis circunstantijs non erũt de re meliori, ergo non obligant. Maior est certa, & satis probatur ex ijs, quæ à Thoma Sanchez, *l.* 4. *de calog. c.* 1. *à n.* 1. & Azorio *l.* 11. *c.* 14. *à q.* 10. docentur. Minor est certa: quia cum ex observatione voti, periculo quis proximè exponatur incidendi in peccata aliqua luxuriæ intrinsice mala; & tunc non observatio voti, scilicet debitum petere à propria uxore, non sit intrinsice malum; manifestum est, nec votum, nec observationem voti esse de re meliori; *Tunc enim est votum de re meliori*, inquit Thomas Sanchez *sup. n.* 1. *quando maioris virtutis Officium est, quod in votum cadit, quam eius cõtrarium*; maioris autem virtutis non est, quod in illo casu vir non petat, immo melius multum est, quod vir matrimonio coniunctus castitatem secum, & cum alijs feminis servet: ad hoc enim ex iure naturali, & divino obligatur; quam quod eam veluti non servet cum propria uxore; cum hac enim non tenetur ex iure divino, & naturali se continere, sed ex mero Ecclesiæ, & humano iure.

5 Confirmatur hæc sententia ex Doctoribus asserentibus, licere coniugi impedito exigere debitum ab altero, cum in ipso periculum incontinentiæ sentit. Sic docent de coniuge, qui affinitatem contraxit, plurimi, quos citat, & sequitur Sanchez, *l.* 9. *d.* 7. *n.* 5. adstruens tunc id habere locum, quãdo spes est, quod ea copula periculo incontinentiæ subveniat, vel ubi id prudenter dubitaretur. Rationem adhibet, quia votum non obligat ad non petendum cum dispendio ruinæ alterius coniugis: ergo nec etiam obligabit cũ dispendio animæ illius, qui illud emisit; cum non minus, sed multo magis teneatur hic suæ saluti spirituali prospicere, quam saluti uxoris suæ; & matrimonij usus post lapsum ordinetur ut huic incontinentiæ subveniatur.

6 Nec obstat, si dicas, quod ea se medicina voluntariè privavit, qui matrimonio ligatus castitatem vovit, vel iniquè affinitatem contraxit, Consanguineam uxoris suę cognoscens: nam in quocumque statu hic inveniatur, nec lex humana, nec votum; legis ve, aut voti observatio; aut denique cuius vis iuris renuntiatio ad illius destructionem, & perniciem tendere debent, sed ad ædificationem, & spirituale emolumentum; & sic cum actio, circa quam votum, & lex versantur, non sit intrinsece mala, illa licet, dum ex eius observatione grave damnum spirituale sequitur observanti. Sic docet Homobonus, *volum.* 1. *ref.* 28. probabile esse, eum, qui votum Religionis, vel non nubendi emisit, ad id non teneri, si maximè in incontinentiam proclivis est, vehementibusque luxuriæ tentationibus concutitur; quia huic melius est nubere, quam uri, & illi gravissimo periculo frequenter exponi. Innuit huic Diana, 4. *p. tr.* 4. *ref.* 102. consulens simul, ut dispensationem petat.

7 Limitanda verò est prædicta sententia, ut tutiùs procedat, ut tũc ea utatur coniux, cum commodè dispensatio ad petendum debitum haberi nequit, vel est periculum in mora ipsius petitionis. Vnde in oppidis, ubi nec Parochus, aut sæcularis Confessor potestatem delegatam habent ad hanc dispensationem concedendam, nec Religiosus adest, qui eam cõcedere valeat: aut noctu suboritur vehemens stimulorum tempestas cum prefato periculo, potest etiã hoc impedimento ligatus, ab uxore debitum petere. Consultiùs verò erit quod si potest, ad has occasiones se præveniat, dispensationem ad cautelam antea impetrans, cum ad civitatem, vel locum divertit, in quo sunt illi, qui eam possunt concedere.

8 Sed nè scrupulis ansam præbeamus, adde, quod licèt hoc tutius sit; valde probabile est, nullo modo dispensationem esse necessariam tunc, etiam si facilè obtineri possit, cũ hæc sentẽtia nitatur in eo, quod tunc nec lex, nec votum obligant, seu ille casus non cadat sub lege, nec sub voto obrationes assignatas. Eo modo, quo Doctores, apud Bonacinam, *deleg. d.* 1. *q.* 1. *p. ult. n.* 3. docent, legis obligationem cessare in ijs casibus, qui per Epicheiam, seu æquitatem, & prudentiam non censentur comprehendi in lege, etiam si verba legis illos comprehendere videantur.

9 Confirmantur hæc, & præcedens doctrina, ex ea, quam docet Castro Palao, 3 *tom.*

tr. 15.

tr.15.d.2.punct.6.n.11. ubi ait: *Animaduertunt tamen communiter Doctores votum continentiæ, vel non petendi debitum emissum à Coniuge absque alterius beneplacito, regulariter illicitum esse, & indiscretum; tum quia molestum alteri; tum & præcipuè ob periculum violationis. Nam cum non possit diuerso lecto cubare quin alius permittat, difficilè se continere poterit. Sic Lessius. §.4.dub.15. fine. Immo neque ex licentia Coniugis, nisi sint senes, & periculum absit, tale votum consulendum est, ut indicauit Paulus 1.ad Corinth. 7. Reuertimini in id ipsum, nec tentet vos Satanas; & notauit Layman l.4.tr.4.c.7.n.16.* Hæc ille, qui addit ex Laymano, Sanchez, Enriquez, & alijs posse ab Vxore irritari votum Viri ad non petendum debitum, quia eam cogit ad semper petendum, quod nimis onerosum est & verecundiæ mulierum valdè contrarium. Vnde colligo quod etiam poterit irritare votum castitatis, quoad petitionem debiti.

SINGVLARE XIII.

Quid sentiendum de eo, qui falsis testibus à matrimonio solutus, in Religione professionem fecit, Sacerdosque est initiatus?

1 CAsvs sic evenit: Titius adulterium ab uxore sua commissum esse cognoscens, ac falsis testibus matrimonium solutum comprobans, Religionem ingressus est, solemnemque in ea professionem fecit. Postea Sacerdos factus celebravit, & Confessoris munus cum licentia obivit. Hic igitur à me interrogavit; an graviter peccaverit, validave fuerit professio; ac utrum in censuram aliquam incurrerit; vel possit prosequi in Missis celebrandis, & confessionibus audiendis?

2 Prima in hoc casu resolutio à me tradita fuit: Si morali certitudine cognovit Titius adulterium commisisse uxorem suam, etiam occultè; licitè potuit, quoad forum internum, non expectata divortij sententia, dimittere eam, & Religionem ingredi, ac Sacros Ordines suscipere; nisi aliunde ratione scandali, aut aliter, damnum aliquod, vel iniuria Religioni, Ordinive timeretur, ex eo quod coniux repetitura foret virum, & restituendus ei professus, aut Sacris initiatus: nam in hoc casu præcedere debuit sententia divortij. Ratio est, quia cũ adulterium ex iure divino, *Math.5. & 19.* & Canonico *cap. dixit dominus 32. q.2.* sit causa sufficiens divortij, seu divertendi ab uxoris cohabitatione; nullam iniuriam uxori vel matrimonio irrogavit Titius accipiendo statum incomparibilem cum cohabitatione uxoris adulteræ. Sic docet cum alijs Sanchez, *l.10.d.10.n.12.* qui etiam quoad facultatem liberam Ordines suscipiendi, innumeros Doctores affert *n.15.* nam ius coniugale æquè obstat ingressui Religionis, ac susceptioni Ordinis, quo iure omnino destituta est Adultera.

3 Secunda resolutio: Quoad forum externum necessaria fuit ad Religionis ingressum, & à fortiori ad professionem, aut Sacros Ordines suscipiendos, sententia divortij iuxta plures DD. apud Sanchez, *n.7. & d.12. n.11.* sed addunt alij apud eundem, *n.12. & d.1.n.8.* tunc etiam quoad externum forum sufficere adulterium esse notorium, ne innocens à Religione, vel ab Ordine sacro suscepto ad usum coniugalem revocetur, & consequenter ad licitè divertendum à coniugis cohabitatione, impediendamque restitutionem. Hi autem consequenter dicent hanc notorietatem sufficere ad professionem in Religione, Ordinesque sacros suscipiendos. In quo gradu notorietas hæc sufficiat, Sanchez ibi consule.

4 Tertia resolutio: Graviter peccavit Titius falsos testes inducens qui se à matrimonio solutum esse iurarent, & graviter ipse peccavit, si interrogatus de hoc cum iuramento, vel sine illo, veritatem negavit. Sic docent in simili Manuel, *to.1. sum.c.240.n.3.* Navarrus *l.4.cons.3.tit.de diuort.* ac Sanchez *d.11.n.12.* qui *n.14.* addit: *Quando moraliter in partibus remotissimis nullus esset timor damni Religionis, si nullum sit statutum contrarium in illa Religione, posse hunc rogatum negare, se coniugatum, quia respondet ad mentem interrogantium; quia re vera non est talis coniugatus, qualis non posset admitti.* Et infra: *Atque similiter possetis respondere Episcopo ad Ordines promoturo, vel litteras dimissorias concessuro, se non esse coniugatum in casu dicto, quamuis sciret fore, ut Episcopus Ordines, aut litteras dimissorias minime cõcederet.*

5 Quarta resolutio: Illa professio fuit valida, si non erat aliquod statutum in ea Religione non solùm prohibens, sed etiam irritans talem professionem. Quod intelligitur, etiam si admittens illum non admitteret, si sciret coniugatum esse; dummodô in admissione hunc actum non habuerit: *Nolo admittere hunc, si est coniugatus.* Ita Sanchez *n.14.* Ratio est, quia ius coniugis dimissæ, quod irritaret professionem, tunc non potuit, cum illo ob adulterium ipsa spoliata fuerit in foro conscientiæ, & liber fuerit innocens ad mutandum statum, ut docent Navarrus, *l.3 cons.5.de conuers. coniug.* Nata

cons.

*conſ.*116.*n.*11.& alij communiter. Nec irritaret hanc profeſſionem voluntas conditionata admittentis, quia hæc cum abſoluta voluntate admittendi compatitur. & ſolùm affert, quod non admitteret ſi ſciret, non tamen quod actu non admiſiſſet. Nec ſtatutum prohibens, non verò irritans aliquid operaretur; quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, ut in voto ſimplici caſtitatis patet, quo prohibetur matrimonium inire, ſed initum tenet.

6 Quinta reſolutio: In nullam excommunicationem, irregularitatem, aut aliam cenſuram, aut pœnam Eccleſiaſticam incurrit Titius in emiſſione illius profeſſionis, niſi forſan ſit cenſura lata authoritate Pontificia in aliqua Religione cõtra eos, qui quomodocumque coniugati in ea ſolemniter, vel non ſolemniter profiteantur: quam in nulla Religione ſcio eſſe; & ſi eſſet; ac eam ignoraret profeſſionem emittens, non incurreret in eam, iuxta dicta Sing. 6. Et ſi hęc lata eſſet contra coniugatos, qui profeſſionem emitterent, Titium forſan non cõprehenderet, cum, ut poté lex in materia odioſa, illos ſolùm coniugatos comprehenderet, qui licitè non poſſent á cohabitatione uxorum divertere, ut potuit Titius.

7 Sexta reſolutio: Idem dicendum eſt de eo, qui ſacros Ordines hoc modo ſuſcepit; cum nulla excommunicatio contra taliter promotos in iure inveniatur; ſicut nec irregularitas, aut ſuſpenſio. Decreta autem, quæ ad Ordines ſuſcipiendos, vel ſuſceptis utendum Irregulares, aut Suſpẽſos faciunt, non fundantur in hoc impedimento, ſed in alijs, ut in defectu legitimitatis, ſcientiæ, dimiſſoriarum, lenitatis, examinis, generis, capellaniæ, vel in aliquibus delictis, defectibus, aut vitijs.

8 Septima reſolutio: Licitè póteſt Titius ſine nova licentia, occultando etiam ſe eſſe coniugatum, celebrare, & confeſſiones audire: ſiquidem licitè Sacerdos factus eſt, & Confeſſor. Et ſicut uſus Ordinis, & Confeſſoris muneris capax eſt coniugatus, qui vel ſententia divortij præmiſſa, vel licentia prębabita alterius coniugis ſuperſtitis, & in ſæculo cum voto caſtitatis, ſi ſenex ſit, vel ſi iuvenis in Religione remanentis, Sacerdotio initiatus eſt; ita etiam Titius, qui ob adulterium uxorem dimiſit; cum non minus liber maneat in foro conſcientiæ ab illius cohabitatione, nec minus aptus ſit ad mutandum ſtatum, quam ille.

9 Sed valde notandum eſt pro harum, & ſimilium ſentẽtiarum praxi, & ſenſu; quod ſi Titius adulterium etiam patraverat, non poterit ſtatum mutare; cum non poſſit dimittere uxorem ſuam, ut habetur *ex cap. Significaſti, de divortio*, & probat Sanchez *l.*10.*d* 5.*n.*2. ubi latè agit, an etiam hoc locum habeat quando vir eſt cauſa adulterij uxoris, aut ipſa violenter fuit oppreſſa; fallaciave interveniente, aut caſu alio ſimili. Et *d.*7.*n.*4. ipſe probat ex pluribus Doctoribus, quod quando utroque coniuge fornicante, & reconciliatione non præmiſſa; hic eſt emendatus, alter verò non; poteſt emendatus, ſi alius admonitus adhuc in adulterio perſiſtat, divortium celebrare; ac conſequenter poterit in Religione profiteri, aut Ordines ſuſcipere; nec admonitionis præmiſſionem plures Doctores apud eundem *n.*3. adhoc requirunt. Si verò reconciliatione facta, Coniux recõciliatus in adulterium relabatur, poterit alter, non obſtante illa priori reconciliatione, ob novum illud adulterium, divortium celebrare, ob illudque à cohabitatione liber manebit; quia præcedens venia non trahitur ad futura delicta, ſed ſolùm præterita reſpicit, *Argumento l non alias* §.1 *.ff. de iudici.* Sic Sanchez *d.*5.*l.*10.*n.*20. quem circa hos, & ſimiles caſus conſule *à diſp.*4.*ad* 10.

10 Vltimó notandum eſt, quod ſi Titius erat Bigamus. Vel ex vera bigamia, quia duplex legitimũ matrimonium ipſe inijt; utrumque conſummans; vel ex bigamia interpretativa; quia ſcilicet duò matrimonia de facto inivit; vel unum, vel utrumque irritum, vel viduam, aut corruptam duxit; matrimonium conſummans; aut virginẽm á ſe ductam, & adulterij ream carnaliter cognovit, iuxta ea, quæ latè docet Sanchez, *l.*7.*de matrimonio d.*83.*&* 84. non poterit Ordines ſuſcipere, etiam Minores abſque diſpenſatione in irregularitate hac; quæ ex bigamia contrahitur; & in qua diſpenſare nequeunt Prælati Religionum, etiam Generalis, ut conſtat ex Mendicantium privilegijs, in quorum Compendio, *Verbo diſpenſatio a n.*9. videmus Sixtum IV. Iulium II. & alios Pontifices concedentes Religionũ Prelatis facultatem ad diſpenſandum cum ſibi ſubditis in omni irregularitate, excepiſſe irregularitatem provenientem ex homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione membrorum.

11 Sed tunc recurrere poterit Titius ad Epiſcopum, ſi bigamia occulta ſit, iuxta ſententiam Paludani, Gabrielis, Tabienæ, Armillæ, & Turrecrematæ apud Sanchez. *lib.*7.*diſp.*86.*n.*12. aſſerentium, poſſe in bigamia occulta Epiſcopum, ad Ordines, etiam Maiores, diſpenſare, vel iuxta ſententiam

Durand

Durandi, Alberici, Sylveſtri, Armillæ, Alberti Magni, Enriquez, & Vibaldi apud eundem *n.* 13. aſſerentium, abſolutè poſſe Epiſcopum diſpenſare in bigamia, etiam publica, ſi bigamus ad Religionem tranſeat. Et tandem animadverto, ex privilegio Gregorij IX. conceſſo Minoribus, & Nicolai IV. Fratribus Prædicatoribus, in terris Infidelium poſſe Regulares diſpenſare cum omnibus Irregularibus, ut conſtat ex Compendio, *verbo diſpenſatio n.* 1.

SINGVLARE XIV.

An in caſu antecedenti liceat Coniugato illi ad propriam Vxorem redire, ut cohabitet cum illa; ſaltimque ut debitum reddat?

1 BREVISSIME reſpondeo triplici concluſione. Prima eſt: Non licet Titio iam profeſſo, vel Sacris initiato ad uxorem redire, etiam ſi illi ignoſcat, & remittat adulterium commiſſum, & ipſa velit cum eo cohabitare; nec licet ei reddere debitum. Ratio eſt, quia nullum ius Titio Superfuit in uxorem, ex quo ſtatum immutabilem, & incompatibilem cum hac cohabitatione elegit, tradiditque ſe Religioni per profeſſionem, aut Eccleſiæ per Ordines; nec poteſt ab hoc ſtatu reſilire, & repetere uxoris cohabitationem; nam ex tunc omni huiuſmodi iuri renuntiavit, & renuntiatione illud amiſit. Sic Ioannes de Triburgo, *ſum. Conf. l.* 4. *c.* 22. *q.* 14. Palacios 4. *d.* 35. *diſp. unica, dub.* 2. Filiucius *tract.* 10. *de matr. c.* 10. *n.* 382. Conſonant Roſella *verbo diuortium, n.* 14. Sylveſter *q.* 10. Armilla *n.* 8. docentes, fas eſſe Adultero profiteri, ſi innocens eſt profeſſus; quibus ego addo, vel etiam quando Ordines Sacros accepit.

2 Secunda Concluſio: Si poſtquam Titius profeſſionem emiſit, vel Ordinem Sacrum ſuſcepit, cognoſceret ſe deceptum eſſe, uxoremque ſuam minimè adulterium cõmiſiſſe; ſi ipſa petat, ut cum ea cohabitet, teneretur in foro conſcientiæ redire ad cohabitandum, & ſi Vxor probaret iuridicè ſuam innocentiam, tenerentur Religio, & Eccleſia eum uxori reſtituere; etiam ſi antea lata eſſet divortij ſententia: tunc verò Titius teneretur reddere debitum, ſed petere non poſſet; quia votum illud caſtitatis in Religione, vel Ordine emmiſſum obligavit illum, in quantum obligare potuit abſque alterius Coniugis præiudicio.

3 Sic quoad profeſſionem, & Ordinem Sacrum docent DD. plures, quos citat, & ſequitur Sanchez, *l.* 10. *d.* 9. *n.* 9. Immo idem dicendum eſt ob eandem rationem, quamvis ſolùm ſimplici caſtitatis voto adſtrictus eſſet, ut docent Sotus, 4. *d.* 36. *q. un. ar.* 5. *a d.* 3. & Triburgo *ſup.* Vt in ſimili dicitur, *cap. placuit de Coniug.* de eo, qui exiſtimans alterum Coniugem defunctum eſſe, eſt profeſſus; & in noſtro caſu Roſella, *ſup. n.* 6. eam repetitionẽ minimè deſiderari aſſerit.

4 Si verò cohabitaret hoc modò cum uxore Titius, certum eſt illum non adſtringi tunc Religionis legibus, nec poſſe celebrare, aut confeſſiones audire. Si tamẽ illicitè celebraret, valide conſecraret; ſed valide non abſolveret; quia ex cohabitatione ſuſpenſus manet ad exercendum Confeſſoris munus, ablataque ei omnino eſt iuriſdictio. Aſt in mortis articulo, valide, & licitè, ſi alius non inveniretur, quoad venialia verò ſemper valide in ſententia aliquorum, ſed nunquam licitè abſolveret.

5 Tertia Concluſio: Si non ſolùm Titius eſſet profeſſus, ſed etiam ipſius Vxor, exiſtimãs utetque ritè divortium eſſe celebratum; quia ille adulterium commiſſum morali certitudine, licet falsò, credidit, & hæc ex ignorantia ob divortium factum profiteri poſſe exiſtimavit; etiam falſitate detecta, neuter poſſet alterum ad cohabitationẽ repetere; quia uterque ſciens alterius ingreſſum, videtur facto ipſo licentiam conceſſiſſe ad profitendum. Secus verò foret, quando ignorantia ingreſſus alterius adeſſet, error verò, dolus, aut fallacia, in quocumque, & vel in utroque inventa, circa cauſam profeſſionis emittendæ non irritarent profeſſionem, quamvis aliás minimè facienda eſſet, ſi fallacia priùs detegeretur, ut latè probat Sanchez, *diſp.* 4. *a n.* 12. & præcipue *num.* 20.

6 Æquiparatur ergo profeſſio matrimonio, quod irritum non eſt ex quocumque errore dante cauſam contractui, modò nõ ſit error perſonæ, vel conditionis. Ita ſimiliter dum non ſit eror circa, ſubſtantialia, v.g. ſiquis putans profiteri in Societate Ieſu, profiteretur in Religione alia Clericorum, vel Fratrum; aut quando eſſet notabilis deceptio circa inſtitutum, & ſubſtantialia regulæ. Secus eſt de voto ſimplici, quod comparatur ſponſalibus, quæ non ob ſolum errorem perſonæ, ſed ob multos alios errores irrita ſunt. Nec audiendi ſunt Roſella *n.* 7. & Aſtenſis, *lib.* 8. *ſum p. tr.* 34. *ar.* 2. *q.* 5. aſſerentes in hoc caſu utrumque poſſe repetere, quia profeſſio eo errore facta fuit invalida.

SIN-

SINGVLARE XV.

V. In Hiſpalenſi, aliave, Diæceſi, in qua præcipitur ſolemnitates Nuptiarum [vulgò Velaciones,] intra ſex menſes à celebratione matrimonij fieri, eas omittere, vel ultra hoc tempus differre, ſit culpa lethalis?

1 HISPALENSIS Synodi decretum hac ſuper re prius ſupponemus, ut inde huius, & ſimilis dubij reſolutio fiat. Sic igitur extat *tit. de ſponſ. & matr. c. 9. S. S. A mandamos á todas las perſonas de qualquier eſtado, y condicion, que ſean deſte nueſtro Arzobiſpado, que dentro de ſeis meſes, deſpues que uvieren contraydo matrimonio por palabras de preſente, vayan à la Igleſia à recebir las bendiciones nupciales, ſopena de ocho reales à cada uno que no lo cumpliere, y por cada mes que ſe detuvieren en hazerlo, dos reales. Y ſi la rebeldia paſſare muy adelante, ſe procederá contra ellos con cenſuras, y todo rigor de derecho.*

2 Dicendum igitur eſt, neque in hac Diæceſi Hiſpalenſi, neque in alia, ubi ſimili modo ſtatuatur, benedictiones nuptiales fieri intra ſex menſes ab inchoato matrimonio, vel quodlibet aliud tempus, eas differre, immo nec abſoluté omittere, ſi contemptus abſit, culpa læthalis eſt. Probatur 1. quia nullum præceptum extat, in iure canonico graviter obligans ad has benedictiones recipiendas: nam Capita *Aliter: Noſtrates: Nulum*, 30 *q.* 5. nullis verbis utuntur, quę ullo modo præceptum, aut mandatũ indicẽt; ut ex ipſis patet. Et præcipuè ex capité *Noſtrates*, ubi poſtquã ſtatuit Pontifex aliqua ad matrimonij celebrationem conducentia; inter alia has benedictiones his verbis commendat: *Primum quidem in Eccleſia Domini cũ oblationibus, quas offerre debẽt, Deo per Sacerdotis manum ſtatuuntur, ſicque demum benedictionem, & velamen cæleſte ſuſcipiunt*; addit; *Peccatum autem eſſe, ſi hæc cuncta in nuptiali fœdere non interueniant, non dicimus, quemadmodum Græcos vos adſtruere dicitis.*

3 Concilium autem Tridentinum nullo modo præceptum imponit, *ſeſſ. 24. c. 1.* ibi: *Eadem ſancta Synodus hortatur, ut coniuges ante benedictionem Sacerdotalem in templo ſuſcipiendam in eádem domo non cohabitent.* Hortari autem non eſt præcipere, nec obligare ſub aliqua culpa, ut ex latinę linguę, ac iuris peritis patet, & lex lata ſub verbis hortatorijs, aut monitorijs, ut *Moneo, Hortor, Suadeo, Rogo*, & ſimilibus, obligationem præcepti non importat, ut docent Bonacina *miſc. n. 12.* & Salas de *leg. diſp. 10 ſect. 9. §. de his verbis.*

4 Nec ex materiæ gravitate omiſſio harum benedictionum, præciſſo gravi præcepto, ſcandalo, aut contemptu, culpa gravis eſſe poteſt; cum enim hæ, ut verbis utar, Sanchez, *l. 7. diſp. 81. n. 6. non ſint Sacramentum, ſed Sacramentale quoddam, nec tanti momenti quanti Sacramentalia, quæ baptiſmo præmittuntur, non video cur earum omiſſio, deficiente contemptu ſit mortalis.* Hanc ſententiam tenent Veracruz, Sa, Matienzo, & Bartholomæus á Ledeſma apud eundem Sanchez, *ibi.* His adde Bonacinam, *q. 4. p. 6 de mat. n. 3.* Barbosã *de offic. Parot. c. 21. n. 6.* & Hurt. *d. 5. dif. 23.*

5 Nec verbum *Mandamos*, obligationem gravem importat, ſicut frequenter in legibus, & iure canico eam non importare docent Sylveſter, *verb. præcep. q. 2.* Ledeſma 2. *q.* 13. *art. 2. dub. 16.* Salas *ſup.* & alij, ac in Gloſſa, *in cap. rog. 11. & in cap. Mandatis 2 q. 5.* dicitur. *Mandat hic minor maiori; nam precarium verbum eſt mando, ut C. cum de lega. l. 2. in princ. ſic. 1. q. 1. filium.* Et ipſa Synodus Hiſpalenſis frequenter utitur hoc verbo, *Mandamos*, circa res, quæ ſub gravi præcepto manifeſtê non obligant, ut patet in titulo. *de mat. c. 4. tit. de immun. c. 2. tit. de caſt. Euch c. 8. tit. de Regul. c. 6.* & alibi ſępe; ac in dubio, an obliget hæc, vel ſimilis lex ſub mortali, dicendum eſt non obligare, niſi ſub veniali iuxta doctrinam Suarij *l. 3. de leg. c. 15. n. 10.* Navarri *c. 23. n. 50.* Bonac. *d. 1. q. 1. p. 7. n. 31.* & aliorum. Nec audiendi ſunt DD. qui apud Sanchez, *l. 3. d. 12. n. 2.* afferunt, mortale eſſe conſummarè prima vice matrimonium ante has benedictiones, vel ante illas debitum petere, cum hoc Sapientium ſenſui, & Fidelium praxi omnino opponatur.

6 Tandem cum ſcandalum grave in omiſſione, vel longiſſima harum benedictionum dilatione oriretur [quod culpam letalem inducens rariſſimè eveniet, ut notat Sanchez, *n. 9.*] vel contemptus adſit omittendo eas, ac ſi res vanæ, aut pueriles eſſent, peccatum mortale committeretur; & ſimiliter ſi in virtute S. Obedientiæ, vel ſub excommunicatione ſub prædicto tempore præciperent ur, ut probabo ſecundo volumine, in quo, divina favente gratia, plurima alia Singularia nimis ad praxim neceſſaria, ſpectantiaq; *Ad Quinque Eccleſiæ præcepta, nec non ad Eccleſiaſticas Cenſuras, & Perſonas* edã-

Finis Singularium ad ſeptem Eccleſiæ Sacramenta ſpectantium.

AD SACROSANCTVM POENITENTIÆ SACRAMENTVM

APPENDIX,

CELEBRIORA CHRISTIANI ORBIS Iubilæa continens.

1 AD Singularia, in quibus egimus de Clavium poteſtate, qua homo in Sacramento pœnitentiæ ſolvitur à culpis; congruum eſt, *Appendicem Celebriorum Iubilæorum* attexere; in quibus ſingulari quadam Clavium poteſtate extra Sacramentum ita ſolvitur homo á pœnitentijs iniunctis in ipſo Sacramento, & à pœnis pro peccatis confeſſis, aut commiſſis, in Purgatorio luendis, ut ſi quis verè Iubilæa illa, vel illorum aliquod lucratus fuerit, omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, ac indulgentiam omnium pœnarum ita ſit conſecutus, ac ſi rectè diſpoſitus, iam adultus baptiſmum recepiſſet: hoc enim importat *Iubilæum*, quod idē eſt iuxta Doctores, ac *Indulgentia plenaria, plenior, & pleniſſima*; ut docent Bellarminus, *l.1. de Indulg. c.9.* Valentia, *to.4 diſp.7. q.20. punct.3.* Conink. *diſp.12. n.5.* & Doctores communiter; importareque aſſerunt peccatorum omnium, etiam eorum, quæ in confeſſione oblita, aut pro quibus iniunctæ pœnitentię, non ſunt impletæ, remiſſionem, ita ut quantumvis graviſſima, ac plurima ſint, nil pęnę luendum reſtet in eo inſtanti, in quo, quis verè Iubilęum lucratus eſt, ſeu ultimam illius diligentiam perfecit. Sic S. Thomas, *diſt.2. q.1. art.3.* S. Bonaventura *2 p. q.2.* Suarius *to. 4. de pœnit. diſp.5 ſect.4. à n.5. ad* 10. Toletus *l.1. c.24.* Bonacina *diſp.6. q.1. p.1. n.5.* Enriquez *l.7. de indulg. c.9. n.4.* & innumeri alij. Hocque oſtendunt verba illa, quę in Iubilæis, quę explanamus, & in omnibus alijs legimus: *Pleniſſimam, vel plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam concedimus.*

2 Et ſi Indulgentię nomen ſcrutemur, relaxationem, veniam, condonationem, remiſſionem ſignificare inveniemus, ut docēt SS. Patres, ac Doctores, immo & Chriſtus docuit, cum proferret illud Iſaię 61. *Vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgētiam*; *Luc.4.* vertit. *Captiuis remiſſionem.* Hinc Theologi Sotus, Ledeſma, Caietanus, & Navarrus apud Enriquez *c.1. n.2.* Indulgentiam ita definiunt: *Indulgentia eſt pœnæ pro peccato debitæ relaxatio, quæ fit extra Sacramentum ex applicatione Thęſauri Chriſti, & Sanctorum.* Et Plenarię nomen ſic explicatur à Cardinali Tuſcho, *to.4. verbo Indulg. Indulgentia plenaria importat, quæ nihilo caret, & in nullo deficit, & abſoluit quoad omnia peccata, quantumuis enormiſſima.*

3 Iubilęum verò, vel Iubilęus (utroque enim modo invenitur apud Doctores) idē eſt, ac Indulgentia plenaria, vel pleniſſima Indulgentia, ſeu remiſſio, iuxta id *Leuit.25. Sanctificabiſque annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ; ipſe eſt enim Iubilæus.* Sicque quodcumque Iubilęum omnia quātumvis enormia, & plurima peccata, quoad pęnam illud lucranti remittit, ut docent Toletus, Conink, Bellarminus, Valentia citati *n.1.* Sotus, Nugnus & Grafis, quos citat Bonacina *ſup. n.5.* Differt tamen aliquando ab indulgentia plenaria, quod in illo cōcedi ſolet facultas commutandi vota, & abſolvendi á reſervatis, quam non niſi in Iubilęo duarum Hebdomadarum, & rariſſimé in ullo alio inveniemus. Igitur cum de Iubilæis, & indulgentijs plenarijs, & non plenarijs, in communi, innumeri Auctores antiqui, & moderni latè egerint; nos qui dicta exprofeſſo; non inculcare, aut repetere profitemur, celebriora quædam Iubilæa explicare conſultius duximus pro Sacramēti Pœnitentię cōplemēto.

AD IVBILÆVM COMMVNIONIS GENERALIS

singulis menſibus in Societate Ieſu, ac in alijs Religionibus occurrens:

TRACTATVS PRIMVS.

DVBIVM I.

Quod Nomen, Quod Initium, Quæ Formula huius Jubilæi?

1 SIcvt ſingulare eſt, quoad aliquas circunſtantias, Iubilæum hoc; ita & ſingulare nomen obtinuit: *Communionis Generalis Iubilæum* nuncupatur: conceditur enim lucrandum una ex Dominicis cuiuſlibet menſis, qua Communio generalis agetur. Non veró hæc ſic vocatur, ut aliqui exiſtimarunt, quia omnibus Fidelibus generaliter conceditur hoc Iubilæum; reliqua enim omnia, vel ferè omnia omnibus Chriſti Fidelibus conceduntur; ſed quia ad hanc Communionem faciendam eodem tempore, ſcilicet, eadem Menſis Dominica, in qualibet civitate, vel oppido, ac eodem loco, ſcilicet, Eccleſia Societatis, vel alterius Religionis; aut ſi plures ſint ſimul in ijſdem omnibus. Sic dicitur, *Concilium Generale*, omnium, quibus ius eſt ad ſententiam dicendam convocatio eodem tempore, & ad eundem locum, v. g. ad Tridentinam civitatem, ut habetur *in Cap. Romana 15. diſt. cap. ſatis euidenter 96. diſt.* Turrecremata *l. 3. ſum c.* 12. Gutierrez *theſ. relig. c.* 52. *§* 7. Et hoc ſingulare eſt huic Iubilæo; alia enim communiter, vel non expoſcunt Communionem, vel ſi poſtulant eam, non eſt neceſſe ut fiat eodem die, & loco, quo lucranda ſunt.

2 Huius Iubilæi exordium á Societatis noſtræ ſollicitudine dimanavit, illique prima illius conceſſio facta eſt à Paulo V. anno 1616. Aprilis 30. die; ut conſtat ex ipſius Bulla hoc anno, & die expedita ad ſeptennium valitura. Mirum eſt quanta alacritate, devotione, concurſu, & quod plus eſt, quanta animarum utilitate his primis annis Chriſti Fideles in omnibus civitatibus, & oppidis hoc Iubilæum lucrati ſint. Teſtor me vidiſſe in hac Profeſſorum Hiſpalenſi Domo ad viginti, & viginti duo, & viginti quatuor millium numerum ac ſupra excreviſſe eorum, qui in noſtra Eccleſia Euchariſtiam accipiebant. Hoc exemplo ſollicitatæ, & eo, quo in Proximorum ſalutem ardent zelo, ſuccenſæ aliæ Religiones, ſimilia impetraverunt Iubilæa, quorum formulæ, cum ſimiles, aut ferè ſimiles ſint formæ Iubilæi nobis conceſſi, dubia, ac illorum ſolutiones de hoc propoſitæ illis deſervient. Formula igitur poſterioris huius Iubilæi a SS. P. N. Vrbano VIII. Societati conceſſi anno 1634. ad quindecimum valituri, eſt, quæ ſequitur:

VRBANVS PAPA VIII.

VNIVERSIS CHRISTI Fidelibus, &c.

3 *AD augendam Fidelium religionem, & animarum ſalutem cœleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti; Omnibus utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, qui aliquam Societatis Ieſu, vel quamcumque aliam ſæcularem Eccleſiam, ubicumque exiſtentem una ex Dominicis cuiuſlibet menſis, qua Communio Generalis ſollicitudine dilectorum filiorum Clericorum Regularium dictæ Societatis, & quoad Eccleſias ſæculares de licentia Ordinariorum locorum, illarumque Rectorum conſenſu agetur, deuotè viſitauerint, & ijs Dominicis in prædictis Eccleſijs Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ibique pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, quam animabus Fidelium defunctorum applicare poſſint, miſericorditer in Domino concedimus. Volumus autem, quod ſi pro præſentatione, ad miſſione, ſeu publicatione præſentium aliquod vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint eo ipſo; utique etiam præſentium trauſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis & ſigillo alicuius perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica cõſtitutæ munitis, eadẽ prorſus fides adhibeatur; quæ præſentibus adhiberetur, ſi forẽt exhibitæ. Dat. in Arce Gaudulphi die* 10. *Maij* 1634. *Pontificatus noſtri anno undecimo.*

DV-

DVBIVM II.

Quomodo Computandi ſunt Menſes pro Jubilæo iſto lucrando?

1 AD tria capita reduci poſſunt ſingularia dubia, quæ in iſto Iubilæo offerri poſſunt. Primum eſt *Tempus*; ſecundum *Locus*, tertium *Dil gentiæ* ad illud lucrandum neceſſariæ. Circa Tẽpus, quod ſit, *Vna ex Dominicis cuiuſlibet menſis*, ſtatuit Pontifex. Ad cuius intelligentiam ſupponendum eſt, duplicem eſſe menſium rationem, ſeu computationem; aliam lunarem, phyſicam, ſeu mathematicam; moralem aliam. Eccleſiaſticam, ſeu uſualem. Lunaris, ſeu mathematica eſt, quę apud Hebræos fieri ſolebat, apud quos, inquit S. Iſidorus Archiepiſcopus Hiſpalenſis, *l.5.orig.c.34. Menſes legitimi non ex Solis circulo, ſed ex Lunæ curſu enumerantur, quod eſt de noua ad nouam.* Sic menſis ab ipſo Iſidoro *de nat. rer. c.4.* definitur, quod ſit: *Luminis lunaris circuitus*; ſeu ſecundum Antiquos; *Quo in diu Luna Zodiacum circulum perducit.* Cum enim, inquit Iſidorus, *de nat. c.19 Terris vicina Luna breuiori orbe conuertitur, & iter, quod Sol in diebus 365. peragit, iſta per triginta dies percurrit; unde & Antiqui menſes in Lunæ; annos vero in Solis curſu poſuerunt.*

2 Menſium moralis, Eccleſiaſtica, ſeu uſualis computatio non dierum numero menſuratur, ſed iuxta Eccleſiæ ritus, & communem acceptionem illorum diſtinctio, & enumeratio fit, ſive paucos, ſive plures dies complectatur unuſquiſque. Hi ſuis nominibus diverſis nuncupantur, v.g. Ianuarius. Februarius. Martius, Aprilis, &c. Quorum nominum diſtinctio, & uſus apud Romanos à varijs eorum Dijs, vel cauſis ſummebantur, v.g. Ianuarius à Iano, ſeu quod Ianua ſit anni; Februarius à Februo, ſeu Plutone, cui hoc menſe ſacrificabatur; Martius á Marte, Romuli Parente; Aprilis a Venere, quæ eſt Afrodis, & ſic de alijs, ut videre licet apud S. Iſidorum, *l.5.Orig.c.33. & denat. rer. c.4.* Vnde in hac computatione non debent triginta dies, nec determinatum tempus inter unum, & alium menſem fluere; ſed iam plures, iam pauciores.

3 Hæc igitur Eccleſiaſtica, & moralis computatio ad hoc Iubilæum facienda eſt; ita quod in quolibet menſe quælibet ex quatuor vel quinque Dominicis, quas afferre ſolet, aſſignari poſſit, etiam ſi Dominica Iubilæi unius menſis, v. g. Februarij non diſtet 30. diebus, nec viginti, nec duodecim à Dominica alterius, ſcilicet, Martij. Immo etiam ſi uniçus ſolus dies interſit inter unum, & alium menſem; quia Sabbatũ fuit ultimus dies Februarij, & Dominica ſequens prima dies Martij; vel é contra, etiam ſi quinquaginta, plus, minuſvè intercedant, quia in Februario prima Dominica, & in Martio ultima aſſignata fuit pro Iubilæo.

4 Quod hæc computatio obſervari poſſit probatur; quia Pontifex ſolùm ſtatuit; quod *Vna ex Dominicis cuiuſlibet menſis*, hoc Iubilæum poſſint lucrari Fideles: ergo quæcumque Dominica, ſive prima ſit, ſive ſecunda, ſive tertia pro quolibet menſe aſſignari poteſt, & in uno, v.g. Aprili tertia, vel quarta; & in alio, v.g. Novembri, ſecunda, aut prima: *Vbi enim lex non diſtinguit, nec limitat, nec nos diſtinguere, aut limitare debemus*; Præſertim cum propriiſſimè in qualibet ex ſingulis menſibus aſſignata verificetur formula Iubilæi, quod ſcilicet lucratur, *Vna ex Dominicis menſis.*

5 Vnde etiam ſi conſuetudine, ſeu longo temporis ſpatio, aut ab ex ordio Iubilæi huius, conſenſuque Superiorum in aliquo oppido ſtabilitum fuerit hoc Iubilæum in determinata menſis Dominica, v.g. prima, aut ſecunda: pro arbitrio, ſine ulla cauſa poteſt alia in alijs annis; immo & diverſæ in ſingulis menſibus eiuſdem anni aſſignari poſſunt; quia contra expreſſam voluntatem, mentem, legem, & privilegium Principis, quale eſt hoc, non poteſt conſuetudine præſcribi, nec in legem conſuetudo converti. Lunaris, veró aut mathematica computatio obſervari non poteſt frequenter; cum rarò inter Dominicam unius menſis, & aliam ſequentis, triginta dies, nec plus, minuſve intercedant. Hæc igitur noſtra computatio ſimilis eſt illi, quam pro anno durationis Bullæ Cruciatæ ſtatuunt plerique Doctores: nõ enim hic reputatur, ut cum Rodriguez, *ſ.5.n.2.* aliqui tenuere, Solaris, aut mathematicus; ſed more Eccleſiaſtico a publicatione in publicationem alterius Bullæ; licèt aliquando plures dies habeat, aliquando pauciores hic publicationis annus. Sic etiam contingit in anno Confeſſionis, & Communionis à Paſchate uſque ad Paſcha. Ita Enriquez, *l.7. c.20. n.2. lit.O.* qui refert conſultos hac de re Doctores Salmanticenſes, & multos Theologos ex varijs Religionibus id ſenſiſſe. Idem ſentit Trulenc. *in Cruc. l.1.ſ.1. du.2.n.3.* Ludovic. à Cruce *d.1.* Ioannes Sãchez *ſelec.d.55.n.22.* & Diana *p.1.tr.11.reſ.91.* Ita ſimiliter a Dominica Iubilæi unius mẽſis ad Dominicam alterius ſequentis, iã pluręs, iã pauciores dies poſſunt intercedere.

6 Sed ſi roges; an ſi dies Dominicus, v.g. Februarij ſit ultima huius mẽnſis dies, hæc pro Martij menſe poſſit aſſignari ad Iubilæum; vel ſi ſit Dominicus dies, prima Martij dies hæc aſſignari poſſit pro Iubilæo Februarij? Videbiturque ita fieri poſſe: parva enim eſt, v. g. unius diei diſtantia in 30. diebus uniuſcuiuſque menſis, vel 60. utriuſque. & ita pro parvitate materiæ reputanda eſt; & parum in moralibus pro nihilo reputatur; ac etiam iam finitum februariũ, ultima eius die, & inceptum Martium iudicare poſſumus, ſicque in hac die Iubilæum Martij lucrari poterimus; præſerim cum in iure annus tantummodò inceptus pro cõpleto reputetur, *l. qua ætate ff. de teſt.* ut iuxta DD patet in annis, qui pro Sacris Ordinibus á Tridentino, *ſeſſ. 23. c. 12.* expoſcuntur.

7 Reſpondetur nihilominus, nullo modo poſſe Iubilæum menſis, v.g. Februarij obtineri prima die Martij, quæ ſit Dominica; nẽc é contra, quia expreſsè ſtatuit Pontifex lucrandum, *Vna ex Dominicis cuiuſlibet menſis*; Dominica autem Martij, etiam ſi illius prima dies ſit, nec mathematico, nec morali, aut Eccleſiaſtico modo eſt Dominica Februarij, aut è contra: diſtantia verò unius diei, licèt parva ſit reſpectu 30. aut 60. dierum, eſt talis conditionis, ut omnino menſes diſtinguat. Hinc contractus, & Officia, vota, vel obligationes, quæ pro uno anno, aut menſe præfiguntur, certũ eſt, non tranſire ad primum diem; immo nec horam, aut quadrantem alterius anni, aut menſis ſequentis, nec è contra; etiam ſi tam exigua diſtantia quanta eſt unius quadrantis, inter unum, & alium interveniat. Denique annus inceptus, vel menſis pro completo reputatur in favorabilibus, ſed nec inceptus, nec mediatus, nec fere finitus tũc erit in ultimo die cum pro alio menſe, aut anno reputatur; quod erat neceſſarium ad præſentem materiam, in qua ad novum Iubilæum novus menſis exigitur a Pontifice.

DVBIVM III.

Quid nomine Diei intelligendum ſit in hoc Jubilæo; & an neceſſariò futurus ſit dies Dominicus?

1 CONSIDERANDA eſt in præſenti duplex Diei acceptio; prima vulgaris, ſeu uſualis, pro tempore *Ab oriente Sole uſque ad occidentem*, ut loquitur S. Iſidorus, *l. 5. orig. c. 30.* ſeu ut Plinius *l. 2. c. 77. A luce ad tenebras*, iuxta id Geneſis. 1. *Diuiſit Deus lucem à tenebris, appellauitque lucem Diem, & tenebras Noctem.* Hanc Diem Naturalem vocat Cenſorinus, & illius meminere Plautus, & Aſcanius apud Alciatum, *de verb. ſignif. l. 2.* Atque hic Dies definitur ab Iſidoro *ſup.* quod ſit, *Præſentia Solis ſiue Sol ſuper terras, ſicut Nox ſub terras.* Huius nominis uſus ab ipſo ſic proponitur: *Vocatus autem dies à parte meliori; unde & in uſu eſt, ut ſine commemoratione noctis numerum dicamus dierum. Is Dies*, verbis utor Alciati *ſup. vulgò ſemper horarum duodecim erat, quæ cum ipſa luce, vel augebantur, vel minuebantur*; Huic vulgari loquendi, & utendi modo ſe accõmodavit Chriſtus cum dixit *Ioan. 11. n. 6. Nonne duodecim ſunt horæ diei* ubi Maldonatus noſter: *De die loquitur, quem uſualem vocant.*

2 Naturalis verò, mathematicus, & verus, integerque Dies lucem & tenebras complectitur, viginti quatuor horis conſtans. *Dies legitimus*, inquit Iſidorus, *ſup. viginti quatuor horarum eſt, uſque dum dies, & nox ſpatia ſui curſus ab oriente uſque ad alium orientalem Solem cæli volubilitate concludat.* Frequentiorq; hæc eſt in divinis litteris uſurpatio. Sic *Geneſ. 2.* dicitur: *Quocumque die comederitis, morte moriemini. 87. Vt ignorem diem mortis meæ*, & alibi ſæpiſſime.

3 Præter hæc, triplex eſt in Eccleſiaſticis diei computatio; prima, ut ab occaſu Solis incipiat, & in ſequentem occaſum finiatur. Sic *cap. 2. de feriis.* Secunda eſt, á veſpera uſq; ad veſperam; & hæc obſervatur more Iudæorum in diebus feſtis celebrandis, ut notat noſter Pererius, *in 1. Gen. verſ. 5.* ac cõſtat ex Eccleſiaſticis Ritibus, & Solemnitatum uſu. Tertia eſt á media nocte in mediam noctem, ſcilicet ab hora duodecima noctis antecedentis iuxta hiſpanũ horologium ad duodecimam noctis ſubſequentis, iuxta illud à Tuſcho, *verb. dies conc. 407.* allatum:

Incipit Eccleſia medio ſub tempore noctis.

Et hæc computatio attenditur ab Eccleſiâ in Feſtorum obſervatione, Horarum recitatione, Ieiuniorum præceptis, in abſtinentia a carnibus, & lacticinijs pro diebus prohibitis, & in ſimilibus, quę obſervari debẽt, ut in votorum adimpletione, in iuramentorum obligatione, in debitorum ſolutione, in contractuum diſſolutione, & alijs ad certũ diem ſancitis. Hoc etiam in civilibus, præcipuè in favorabilibus obſervari deberi docent communiter Iuriſperiti, *ex l. more. ff. de feriis.* Sic Alciatus, & Tuſchus *ſup.* Egidius Bellam, *conſil. 1. n. 3.* Alexander *conſ. 190. n. 20. li 6.* & alij Licet in odioſis aliquando obſervari poſſit deſignatio diei de luce ad tenebras, iuxta Federicum *Conſ. 44. & 256.* Iulium Clarum, *pra. crim. verb. ſtatutum. 9.* ac Tuſchium *ſup.*

Igitur

4 Igitur hæc poſtrema Diei acceptio, quæ naturalis, mathematica, ſeu Aſtrologica vocari poteſt, obſervãda eſt in hoc noſtro Cõmunionis menſtruæ. & in ſimilibus Iubilæis, vel indulgentijs pro determinato, aut determinatis diebus cõceſſis; ut ſcilicet illa lucrari poſſimus diligentiaſq; facere à duodecima hora noctis ad duodecimam noctis ſubſequẽtis; (niſi aliud forma Iubilei exprimat) & in quacumque hora harum viginti quatuor poteſt fieri quælibet diligentia, v. g. viſitatio, Communio, & aliæ ſi quæ ſunt. Probatur; quia hoc Iubilæum pro Die dominico conceditur; dies autem Dominicus ab ea hora, in qua in horologio hiſpano duodecima noctis Sabathi ſonuit, incipit, & ad duodecimã uſque noctis ſubſequentis eodem modo durat; & ſic ab hac ad illam horam ab opere ſervili abſtinemus: ergo pro toto illo ſpatio 24. horarum conceditur Iubilæum, & illius diligentiæ fieri poſſunt; cum in quacumque harum verificiter propriſſimè tam moraliter, quam phyſicè, quod opus fiat, & Iubilæũ lucremur in una ex Dominicis mẽſis, ut Pontifex vult.

5 Quod verò aliæ acceptiones attendendę non ſint, probatur; quia ſi à primis veſperis Dominicæ diei ad ſecundas concederetur, Sabbato poſſet fieri ſaltim viſitatio Eccleſiæ, quod eſt contra expreſſam Pontificis mentem, ſtatuentis, & Dominico die viſitandam, & eodem Dominico communicandum: ibi: *Qui aliquam Societatis Ieſu Eccleſiam una ex Dominicis, qua Communio generalis, &c. viſitauerint.* Quod etiam nec conſiderandus ſit dies à luce ad tenebras, ſeu á Sole oriente ad occidentem, probatur. Quia reliquæ horæ noctis non minus ſunt partes diei Dominici, quam alię: ergo non minus in his, quam in alijs indulgentiam conceſſam lucrari poſſumus.

6 Sed ſi roges, cur hoc Iubilæum non ſit conceſſum, ſicut communiter alia plura, á primis veſperis uſque ad occaſum Solis? R. Quia cum hæc concedantur in honorem aliquarum feſtivitatum Chriſti D.B. Virginis, & aliorum Sanctorum, ſeu ſolemnitatum, ut Dedicationis templi, ac ſimilium; & hæ feſtivitates iuxta Eccleſiaſticos ritus, & mores à primis veſperis ad ſecundas celebrentur; Iubilæum pro hoc tempore conceditur. Menſtruum verò Iubilæum non pro feſtivitate, ſed pro uno die cuiuſlibet menſis eſt conceſſum, & ita in illo non ſolemnitatum ritus, ſed legitimi diei 24. horarum conſideratio obſervatur.

7 Sed pro hoc, ac pluribus alijs præcipuè pro præceptis Eccleſiaſticis, v. g. ieiunij Eccleſiaſtici, etiam naturalis, pro obſervatione feſti, abſtinentiæ â cibis prohibitis; & pro obligationibus votorum, contractuum, iuramẽtorum, ac ſimilium, animadverte, non ita mathematicè, aut phyſicè obſervandam eſſe computationem diei à media nocte ad aliam mediam, ut à momento ad momentum accipiatur, ſed moraliter; ita quod ſi diverſa ſint horologia, & ex uno ſonuerit hora duodecima mediæ noctis, ex alio (ex rectè moderatis intellige) nõ ſonuerit; huic ſtare poteſt quilibet. Sic in mea Ordinandorum inſtructione, 5. *p. ſ. 9. n. 2.* notavi ex Toma Sanchez, *de mat. tom. 1. l. 2. diſp. 41. n. 4.* Fagundez *præc. 4. l. 1. c. 10. n. 5.* Ioanne Sanchez *ſelec. diſp. 4. n. 18.* Villalobos *tr. 1. dif. 21. n. 7.* ac Diana *to. 3. tr. 4. reſ. 36. & p. 4. tr. 3. reſ. 19.* Et hęc obſervanda ſimiliter ſunt pro omnibus Iubilæis, pro aliquo anno, menſe, hebdomada, ac die conceſſis. Vnde horum diligentiæ fieri poſſunt nocturno tempore, ut benè cum Enriquez advertit Ludovicus de la Cruz, *diſp. 1. in Bul. c. 8. dub. 13. n. 2.* ſicut etiam in Iubilæis â primis veſperis uſque ad occaſum Solis, illa nocte intermedia viſitatio, & aliæ diligentiæ fieri poſſunt.

8 Denique licèt Dies Dominica ad lucrandum Iubilæum hoc in prima illius Bulla a Paulo V. conceſſa non exigatur; at in hac S. P. N. Vrbani exigitur, cum dicat, lucrandum, *Vna ex Dominicis*; & ſic nullo alio hebdomadæ die, etiam ſi feſtivus ſit, lucrari poteſt; quia non ſervatur Iubilæi forma, iuxta illud Iuriſprincipium: *Tempus legis, qui non obſeruat, non dicitur formam legis obſeruare. l. obſeruare. §. poſt hæc. ff. de offic. Procons.* Rebufus *tract. non n q. 14. n. 6.* Gam. Luſit. *deciſione 337. n. 4.* Cardoſus *prax. iudic. verb. tempus n. 1.* & alij.

Dvbivm IIII.

An ubi ſunt plures domus Societatis (vel alterius Religionis) lucretur in omnibus Iubilæum hoc?

1 Affirmative reſpondendum eſſe iùxta formulam Iubilæi a Paulo V. conceſſi anno 1617. docuerunt viri docti ex noſtra Societate: ibi enim Communionem faciendam, *in Eccleſijs Societatis* ſtatuitur. Sed iuxta novam SS. D. N. Vrbani VIII. conceſſionem maior difficultas eſſe videtur; nam Iubilæum conceditur ijs, qui aliquam Eccleſiam Societatis viſitaverint, & in ea communicaverint: ergo non in omnibus viſitatio, & Communio fieri valet.

valet. Præterea ſi in omnibus poſſet lucrari non iam una Communio generalis quolibet menſe fieret, ut in eadem Bulla dicitur; ſed plures in eodem menſe, & loco, tot ſcilicet quot Eccleſiæ, ſeu domus ſunt Societatis in illo loco. Demum, quia cum omnes unius urbis vel oppidi poſſint ad unicam Eccleſiam convenire, non eſt credibile omnes Eccleſias illius loci aſſignare volviſſe pro Iubilæo iſto Pontificem.

2 Nihilominus dicendum eſt, in omnibus Eccleſijs collegiorum, vel domorum, etiam ſi plures in eadem urbe exiſtant, ut Romæ, Neapoli, Vlyſipone, Hiſpali, Matriti, & alijs ampliſſimis civitatibus exiſtunt, Iubilæum hoc locum habere. Probatur 1. quia illud conceſſum eſt Eccleſiæ, aut Eccleſijs Societatis: at quælibet illarum, quæ in hac civitate, v.g. Hiſpalenſi, eſt, ita abſolutè eſt, & dicitur Eccleſia Societatis, ac ſi illa ſola Hiſpali exiſteret, & quod aliæ ſimul hîc exiſtant, nec denominationem, nec rationem Eccleſiæ Societatis alteri tollit: ergo. II. Quia ſi conceſſum eſt hoc Iubilæum Fidelibus orantibus, & communicantibus in aliqua Societatis Eccleſia, cur in quacumq; communicaverint, ſive ſit hæc, ſive illa, illud non conſequentur? III. Quia non debent eſſe deterioris conditionis Religioſi habitatores unius domus, vel collegij, quàm alterius ad fruendum indulgentia Iubilæi, forentque ſi hi in ſui collegij Eccleſia celebrantes, aut communicantes, & non illi in ſua, lucrentur Iubilæum. Et ſanè Pontifex pro univerſa Societate ſine diſtinctione, aut limitatione illud concedit.

3 IV. Quia non eſt maior ratio, quare in hac, quam in illa domo locum habeat Iubilæum, cum omnes ſint eiuſdem civitatis, ac Religionis, & in omnibus Sacramentum Confeſſionis, & Euchariſtiç adminiſtretur; Communioque generalis fieri poſſit. V. Quia alia Iubilæa noſtræ Religionis, v. g. Sanctorum Parentum Ignatij, & Xaverij, ac ſimilium in omnibus Eccleſijs noſtris eiuſdem civitatis poſſunt Fideles lucrari; ſicut & ſimilia Iubilęa aliorum Ordinum in omnibus ſui Ordinis Eccleſijs, & cum aliter conceditur, a Pontifice exprimitur, ut infra videbimus.

4 Ad præcipuam rationem dubitandi ex Iubilæi formula deſumptam, R. ex illa colligi forſan manifeſtè, hoc Iubilæum in omnibus eiuſdem loci Societatis domibus, ſeu Eccleſijs lucrari poſſe; ſi enim ſtatuit frui Iubilæo hoc qui viſitaverit aliquam Societatis domum, i, *Alguna Igleſia, o de las Igleſias de la Compañia*: ergo qualibet viſitata, dum ſit Societatis, ſive hæc, ſive illa, ſive domus profeſſæ, ſit ſive collegij, ſive domus probationis, (omnes enim æqualiter ſunt Societatis Eccleſiæ,) Iubilæum proderit viſitanti, & in ea Communicanti: quia verificabitur, quod in aliqua Societatis Eccleſia viſitatio, & communio fiunt; quod ſolùm petitur in formula Iubilæi.

5 Præterea, quia hæc vox, *Aliquis*, inquit Auctor Theſauri linguæ latinæ, *incertam perſonam ſignificat, & eſt idem, ac quiſpiam.* Sic Terentius, *Andr.* 4. 6. 18. *Simul arbitror, iam eſſe aliquem amicum deffenſorem ei, i. Quaſi unum aliquem*, ait Theſaurus, *quiſquis ille ſit.* Sic ſi una aliqua Societatis Eccleſia viſitetur, quæcumque illa ſit, aliqua viſitatur. Et iuxta linguæ latinæ peritos, ut eſt in Theſauro: *Aliquis vim habet pluralem, quamuis ſingulariter dicatur; non enim eſt aliquis niſi de multis.*

6 Confirmatur, quia in iure hæc vox, *Aliquis eſt uniuerſalis, & omnia comprehendit.* Sic Gloſſa *Cap. ſi propter. de Reſcriptis, in 6.* Surdus *Conſil.* 383. Brunor á ſole *loc. comm. verb. Dictio n.* 4. *p.* 336. Tuſchus *lit. d. conc.* 243. *n.* 1. Cenedus *quæſt. Sing.* 1. Melchor Phebo *deciſ.* 9. *n.* 8. *tom.* 1. Barboſa *dictio Aliquis*: ergo clauſula *Aliquam Eccleſiam Societatis viſitent*, omnes ita comprehendit, ut ex omnibus aliqua, ſeu una ſufficiat viſitari. Et iterum confirmatur ex Tiraquello, *in l. ſi unquam verb. omnia. n.* 14. *c. de reuocand. donat.* & Surdo *de alim. tit.* 9. *q.* 26. *n* 26. qui docent, quod terminus, cui adijcitur dictio, *Aliquis*, intelligitur laté, & contra propriam ſignificationem: ergo ſi Eccleſiæ nomen unam ſolam ſignificat, laté acceptum non una, ſed omnes ſimul Societatis ſenſu prefato ſignificantur. Præterea, quia ſumitur diſiunctim, & diſtributivè iuxta DD. apud Barboſam, quod Singulæ Eccleſiæ à Singulis viſitentur, ut in Iubilæo duarum hebdomadarum.

7 Ad 2. R. unam Communionem generalem dici, etiam ſi in pluribus Eccleſijs Societatis fiant plures Communiones, quia omnes uniuntur phyſicè quoad tempus, ſcilicet, quoad eandem Dominicam, in qua fiunt quoad eandem civitatem: & moraliter quoad eandem Eccleſiam, in qua, & perſonas, per quas fiunt; quia Eccleſiæ, & Religioſi, licèt aliorum collegiorum ſint, eiuſdem tamen Religionis ſunt, unicumq; corpus myſticum, aut moralè efficiunt, & omnes Communiones ſunt per modum unius convivij.

8 Ad ultimum R. Quod licèt omnes unius civitatis poſſent ad unam Societatis Eccleſiam pro hoc Iubilæo lucrando confluere, quod quidem in ampliſſimis çivitatibus,

v. g.

v.g. Hiſpali, Neapoli difficillimum; immo moraliter impoſſibile eſt; tamen, ut id commodiùs, & faciliùs fiat præ populi multitudine, & Eccleſiarum diſtantia, congruum eſt, & Pontificis menti, ſemper intendentis ab omnibus omnia Iubilæa lucrari, magis conſantaneum, ut in Singulis Eccleſijs Societatis omnes poſſint lucrari Iubilæum, ut unuſquiſque proximiorem, & commodiorem eligat.

9 Confirmatur ex illo iuris principio, *Lex aut Legiſlator ſi aliud voluiſſet, expreſiſſet, l. uni. §. fin. autem ad deficientis. C. de caduc. vol. l. Si ſervus §. præter ait. verſ. non dixit. ff. de acquirend. hæred. cap. ad audientiam 2. de decimis*, & tradunt Tiraquellus, Menochius, Surdus, Gonçalez, Gutierrez, Cardoſus, Tuſchus, & alij apud Barboſam, *de princ. lit. l. n. 32.* & ſic cum volvit Pōtifex obſervandum, quod in una tantùm Eccleſia Iubilæum valeret, expreſſit, ut expreſſit Gregorius XIII. in Bulla, quę incipit: *Quanta in vinea, &c.* edita anno 1578. ubi concedit indulgentiam plenariam, *Omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ cibo refectis, qui Circumciſionis Dominicæ, vel alio per præfatum Everardum ſeu viſitandi loci Superiorem ſemel pro ſemper nominando die, quamlibet ex dictis Societatis Eccleſijs ſeu Capellis, aut pijs locis, ubicumque Societatis huiuſmodi Religioſos habitare contingerit, dummodo ſi plures Societatis Eccleſiæ in eadem ciuitate, terra, vel loco fuerint, una tantùm ex eis ad id per illius Generalem Præpoſitum ſtatuatur: & inibi quinquies orationem Dominicam, & totidem ſalutationem Angelicam recitauerint.* Ecce uti volvit, expreſſit. Tandem noſter P. Generalis Mutius Vitelleſchus, cui in hoc magna authoritas ineſt, hanc eſſe Pontificis mentem, & Iubilæi intelligentiam declaravit, ut conſtat ex eius epiſtola ad P. Bartholomæum de Chaves, Rectorem domus probationis Hiſpalenſis, anno 1630. Iunij 20. cuius hæc ſunt verba: *Lo que ſienten muchos y ſe practica en no pocas partes, es que eſte Iubileo del mes ſe puede ganar en qualquiera Igleſia de la Compañia, aunque ſean dos, o tres, o mas en una Ciudad, como ſea en todas ellas en la meſma Dominica. Si yo viere, que ay razon para dezir, que no ſe puede en todas lo auiſare paraque no ſe gane en mas que en una. Pero mientras no uviere razon que obligue à ello; yo no puedo, ni eſta en mi mano limitar lo que por el parece concede ſu Santidad.*

10 Sed animadverte 1. non lucraturum Iubilæum eum, qui in una Societatis Eccleſia communicaret, & aliam viſitaret; exprēſsè enim Pontifex ſtatuit in eadem Eccleſia Communionem, & viſitationem, ſeu orationem faciendam. Adnimaverte 2. minimè poſſe lucrari in diverſis Dominicis Iubilæum intra eundem menſem; in primo v.g. Hiſpali in domo profeſſa, una Dominica; & in ſecunda in collegio, & quarta in probationis domo, &c. Sed eodem die Dominico in omnibus Societatis domibus unius civitatis ſimul celebrandum; quia Pontifex pro unoquoque menſe, in unoquoque loco unam tantùm ex Dominicis ad lucrandum concedit, aliter quatuor, & aliquando quinque Iubilæa eſſent in menſe; cum quatuor, aut quinque Dominicæ in menſe, & domus Societatis in civitate eſſe poſſent. Et iam non una ſed plures Communiones generales fierent; cum hæ omnino in tempore diſtinctæ forent. Et ſic ſemper obſervatum fuit; nam eadem Dominica in omnibus Societatis domibus unius civitatis ſemel celebrari ſolitum eſt.

DVBIVM V.

V. In Eccleſijs Seminariorum Societatis Jeſu celebrari poſſit hoc Iubilæum?

1 SEMINARIA hæc ſunt collegia, in quibus vel Alumni variarum Nationum, Angli nempe, Hiberni, Germani; vel alij Sæculares educantur, & gubernantur á Noſtris, ſimul cum illis habitantibus; & in horum collegiorum Eccleſijs Iubilæum hoc; ut in alijs Eccleſijs Societatis Ieſu locum habere probabiliſſimum extimo. I. Quia hæ ſunt veré Eccleſiæ Societatis; ergo illis hoc Iubilæum eſt conceſſum. Probatur antecedens, quia vel ſunt Eccleſiæ Regulares, vel Sæculares; nequit enim dari medium; non Sæculares, cum Ordinariorum poteſtati non ſubiaceant, nec ab illis viſitentur, aut regantur: ergo Regulares ſunt; ſed non alterius Religionis; niſi Societatis: ergo, &c. II. Quia illæ Eccleſiæ dicuntur Regulares, quæ ſubiacent iuriſdictioni Regulariū, ab illiſque gubernantur; ſed hæ ſubiacent iuriſdictioni, & regimini Superiorum Societatis, id eſt Provinciali, & Rectori; ergo Regulares ſunt; quia abſurdum eſſet, ut ſtatuit lex, *cum principalis ff. de reg. iuris*, caput eſſe Regulare, & Eccleſiam, ſeu corpus eſſe ſæculare. Et iuxta caput *In Sede vacante*, Eccleſia, unita ſortitur naturam, & privilegia Eccleſiæ, cui unitur?

2 III. Quia hæc ſeminaria ſunt ſimul collegium, domus, ſeu habitatio Religioſorum

rum Societatis, & ſine hac habitatione illa admiti non poſſunt, ut decernitur, *can.* 13. *Congreg. II.* ubi *Seminaria Epiſcoporum gubernanda ne admittantur; ſi tamen fundatio perpetua, & inſignis ita fieret, ut ſimul etiam coniunctum collegium noſtrum valde promoueretur, vel de nouo inſtitueretur, &c.* ergo & Eccleſia eorumdem Religioſorum: ergo cũ omnibus noſtris Eccleſijs Iubilæum hoc concedatur, etiam & his conceſſum intelligitur: prudenter enim credi poteſt nolle Pontificem Religioſos horum Seminariorum habitatores his gratijs privari, aut eorum Eccleſias, cum in ipſis, per prædictos Regulares, aut eorum ſollicitudine, Communio generalis Fidelium celebrari valeat. Propter has, & alias rationes P. N. Generalis Mutius Vitelleſchius, apud quem eſt authoritas declarandi noſtrum inſtitutum, & poteſtas communicândi noſtra privilegia, interrogatus ab aliquibus horum Seminariorum Rectoribus, declaravit, in ipſorum Eccleſijs lucrari hoc Iubilæum; & ſic etiam exiſtimo lucrari alia in omnibus Societatis Ieſu Eccleſijs conceſſa, in feſtis Sanctorum Parentum Ignatij, Xaverij, & ſimilium.

3 Sed ſi opponas, quod Rectores horum Seminariorum non ſunt abſolutè Rectores Societatis, nec ea propriè ſunt domus Societatis; ſed Sæcularium; quia ob hanc cauſam hi Superiores non habent ius ſuffragij in Congregationibus Provincialibus, ad quas admitti debent omnes legitimi Rectores Collegiorum, & domorum Societatis; ut conſtat ex formula approbata à Congregatione IV. R. Domos, & collegia horum Seminariorum Regularia eſſe abſoluté ob dicta. Quod autem Rectores illorum non admittantur ad Congregationem non obſtat, nam hoc pertinet ad ſpecialem diſpoſitionem iuris huius Religionis, quæ quibus viſum fuit conceſſit ius ſuffragij, attenta præſertim fundationis perpetuitate. Hac etiam, vel ſimili ratione ad Congregationem non admituntur Superiores Reſidentiarum, ſeu collegiorum non perfectorum. At nemo ambiget hæc eſſe propriè domos Societatis, & in eorum Eccleſijs Iubilæum hoc vim habere; ſicut & cetera pro Eccleſijs Societatis conceſſa.

4 Præterea, quia in formula præfatæ Congregationis approbata á IV. Generali, admittuntur horum, aut ſimilium Seminariorum Rectores ſic: *Intererunt quoque* (Provinciali Congregationi) *eodem modo Rectores collegiorum Societatis, & domorum probationis; itemque Rectores, qui præſunt Seminarijs, vel Conuictorum Collegijs; dummodo nouem de Societate, ut minimum in huiuſmodi Seminarijs, & Conuictorum Collegijs ordinariè habitent, & ipſa immediatè Prouinciali ſubiecta ſint.* Licèt autem in VI. Congregatione, & in recognitione eiuſdem formulæ in VI. & VII. Congregatione, revocatum hoc ſit, non tamen propterea non probat, quod domus, & Eccleſiæ Regulares Societatis ſint.

Dvbivm VI.

U. In Sacellis, Oratorijs, & Capellis, domorum, aut collegiorum Noſtrorum poſsit fieri Communio ad lucrandum hoc Jubilæum?

1 RESPONDERVNT affirmativè omnes fere viri docti ex noſtra Societate hac de re conſulti, & inter eos PP. Iacobus Granado, Mathæus Rodericus Ferdinandus de Mendoça, Ioannes de Pineda, & alij. Probatur 1. Quia ut ex iure civili, & canonico, ac DD. infra probabo, cum de Iubilæo ſeptem, vel quinque Altarium, & Eccleſiarum agam: Capellæ, Sacella, & Oratòria, ab Ordinario pro celebratione Miſſarum approbata, vel authoritate Pontificis ex privilegio â Superioribus Religionum erecta, ſub Eccleſiæ nomine; præcipué in favorabilius, comprehenduntur: ergo cum hæc ſint Eccleſiæ, vel partes, eius, & non Sæcularis, nec alterius Religionis, quàm Societatis; Iubilæum quod in Eccleſijs Societatis lucratur, in illis locum habet. Nec neceſſarium eſt, ut in illis Euchariſtia ſervetur, ſed ſufficit, quod celebretur. Nec item neceſſaria eſt approbatio Ordinarij, ſed Provincialis ſufficit, iuxta dicta Tract. 7. Sing. 34.

2 Probatur 2. Quia nomine Eccleſiæ Monaſterium, ſeu Religioſa domus comprehenditur, & intelligitur, præcipuè in favoralibus, [non in odioſis] ut communiter tenent utriuſque iuris Doctores, Tuſchus *ver. Eccleſia conc. 9. n. 4.* Alexander *conſ. 145. n. 13. l. 7.* Covarruvias *c. Alma mater p. 2. §. 4. n. 2.* Calderinus *cons. 293. n. 2.* Panormitanus *c. conqueſtus. ad hæc de relig. dom.* Geminian. *Conſil. 131. n. 2.* Federic. *de ſen. conſ. 201.* Innocentius *apud Sylueſtr. ver. Hoſpitale n. 4.* Sa. *verbo Eccleſia n. 1.* Manuel *to. 2. qq. q. 38. art. 2. & q. 75.* ubi refert, ita dici communiter in Rubrica de rebus Eccleſiæ non alienandis: ergo Iubilæa conceſſa Eccleſijs Societatis toti domo conceduntur, & in illa ubicumque celebretur poterunt id lucrari.

3 Probatur 3. Quia in his Oratorijs poteſt Euchariſtia miniſtrari non ſolùm Noſtris, ſed

ſed etiam ſæcularibus ſine licentia Ordinarij, ut patet ex noſtris privilegijs, *verbo Euch. §. 2. & 3.* & ex monumentis Minorum *fol.* 114. 149. & 150. ac ex compendio Mendicantium, *verb. communicare. §.* 13. ergo poteſt in illis fieri Communio neceſſaria huic Iubilæo, & de ijs, qui in illis communicaverint, verè dici poteſt quod in Societate Ieſu, ſeu eius domo, aut Eccleſia communicaverint. Et quis dubitabit, quod ſi ibi Noſtri celebrent, vel communicent Dominica Iubilæi, ut contingit, illud lucrabuntur? Confirmatur, quia non eſt dubium, quod non ſolùm noſtri Religioſi, ſed etiam Famuli, aut Servitores noſtrorum collegiorũ, quibus ob communicationẽ ex privilegijs Alexandri IV. & Clemẽtis IV. Martini V. Pauli III. ut conſtat, *ex comp. Mendic. & Societ. verb. Familiares*, poſſumus adminiſtrare Sacramenta, ſicque adminiſtratis ipſi Communionis annuæ præcepto ſatisfaciant cõmunicantes in noſtris Eccleſijs, ſi in ſacellis, aut Oratorijs noſtrarum domorum communicent, huic præcepto ſatisfacient: ergo etiam communioni Iubilæi, expoſcentis illam fieri in noſtris Eccleſijs.

4 Hinc fit I. eos, qui in altari Atrij, ſeu clauſtri Religioſi, ubi celebraretur, Communionem acciperent, ut ſæpiſſime in atrio domus profeſſa Hiſpalenſi factum eſt, hoc Iubilæum lucraturos eſſe: quia atrium eſt pars domus; & quia magis ſpecialiter ſub Eccleſiæ nomine comprehenditur, illiuſque immunitate gaudet, ut aſſerunt Romanus *Conſil.* 227. & Tuſchus *verb. Eccleſ. concl. 9. n.* 7. & immunitas illius, & porticus decernitur *cap. ſi quis in atrio, & cap. id conſtitutum* 17. *q.* 4. Idem ipſe dico quoad immunitatem de cæmeterio, ut ex Ambroſino, Deçiano, Farinacio, Suario, & alijs probat Bonacina, *ſup. n.* 7.

5 Deduco II. Quod Religioſi noſtri ægroti, qui in valetudinario, aut in cubiculis communicarent die Iubilei huius, illud lucrabũtur, quia valetudinarium, & cubicula ſunt pars Monaſterij, quod totũ cadit ſub nomine Eccleſiæ, ut docent Alexander, *ſup.* & Tuſchus, *verb. Monaſt. conc.* 338. Sed nota quod ad lucrandum alias indulgentias cõceſſas viſitantibus noſtras Eccleſias, non eſſet neceſſaria Communio, ſed ſolùm dicere quinquies Pater noſter, & Ave Maria, quo privilegio fruimur Nos, & aliæ Religiones fruentes privilegijs Mendicantium ex conceſſione huiuſmodi facta ab Innocẽtio VIII. Fratribus Minoribus, ut ſcilicet dum infirmi in ſuis infirmarijs, & cellis & etiam lectulis (quando commodè aliter facere non poſſunt) valeant promereri Indulgentias ſtationum, & alias conceſſas in proprijs, ſeu ſuis Eccleſijs, dicendo quinquies Pater noſter, & Ave Maria. Sic Hyeronimus Sorbus *comp. verb. Infirmi num.* 3.

6 Infertur III. Quod ſi propter accedentium ad Iubileum magnam multitudinem, aut aliam cauſam; immo etiam ſine illa altaria erigerentur in Eccleſię ambitu, in ſpatio circum circa triginta paſſuum, probabile videtur, quod in illis poſſet fieri Communio conducens ad Iubileum hoc: quia hic ambitus ſub nomine Eccleſię comprehenditur, præcipuè in favorabilibus, illiuſque immunitate fruitur, ut ex *cap. Sicut antiquitus*, probant Iulius Clarus *praxi crim §. fin. q.* 30. *n.* 2. Romanus *conſ.* 227. Alexander *conſ.* 145. Tuſchus *verb. Eccleſ. conc. 9. n.* 1 Farinac. *de carcer. & carcerat. q.* 28. *n* 70. Ambroſinus, 10 *n.* 5. & 6. Suarius *to.* 1. *de relig. tr.* 2. *l.* 3. *c.* 8 *n.* 3 & *c.* 9 *n.* 8. & plures alij.

7 Vltimò nota, prędictas rationes probare non ſolùm Communionem, ſed etiam viſitationem ſeu orationem requiſitã ad hoc Iubileũ poſſe exequi in his ſacellis, capellis, & oratorijs intra collegia, & domus exiſtẽtibus: omnia enim cum principali Eccleſia unam Eccleſiam conſtituunt. Nihilominus omnino ſecurius erit quod quando commode poſſit, utrumque in Eccleſia principali, aut in capellis intra ipſam contentis & non alibi fiat.

DVBIVM VII.

V. In Sacellis, Capellis, aut Oratorijs noſtrarum villarum ſeu prædiorum lucrari poſsit hoc Iubilæum?

1 SVppoſitis Pontificum indultis, ex quibus conſtat, conceſſum eſſe Religioſis, in ſuis prædijs Oratoria erigere, in quibus Euchariſtia miniſtretur, iuxta dicta Trac. 7. Sing. 34. in præſenti dicendum eſt, non carere probabilite, quod hoc Iubilæum poſſit in huiuſmodi prædiorum capellis, ſeu Oratorijs lucrari. Probatur I. Quia hęc ſunt fundata authoritate Põtificis, & Religionibus ab ipſo conceſſa ac ſub Eccleſiæ nomine comprehendũtur, nõ minuſquã fundata auctoritate Epiſcopi: ergo cũ ſit Societatis Iubilæũ Eccleſijs cõceſſum; etiam & illis Capellis prędiorũ conceſſum cenſendũ eſt. II. Quia

hæc ſacella, ſeu capellæ comparantur ab Eugenio IV. Atrijs Eccleſiarum; & quod illorum inſtar immunitate gaudeant, his verbis Ciſtercienſibus conceſſit: *Quod grangiæ monaſteriorum ſicut Eccleſiarum atria a prauorum hominum incurſu, & violentia liberæ, & quietæ debent eſſe, ita ut nemo in eis hominem capere, ſpolium, aut ruinam exercere præſumat in virtute ſpiritus S. inhibendo ſtatuit.* Sic habetur in compendio, *Ord. Ciſt. tit. grangiæ. §. 2.* ergo ſicut in atrijs Societatis lucratur Iubilæum, ut probàvi *ſup.* ſic in prædijs.

2 Probatur III. Quia *Prædium*, ſeu Grangia, inquit Tuſchus, *lit. G. conc. 48. n. 1.* ex Federico deſen. *conſil. 151. eſt membrum ſuppoſitum Monaſterio, in quo extat oratorium ad celebrandum*, ergo ſi in toto Monaſterio, ſeu domo Societatis poteſt Iubilæum lucrari, poterit ètiam in Grangijs, quæ ſunt pars Monaſterij.

3 Probatur IV. Quia omnia ſuburbia, prædia, villæ, vici, horti, viridaria, grangiæ, & alia loca ſubiacentia alicui civitati comprehenduntur ſub nomine illius civitatis in favoribus, illiuſque privilegijs potiuntur tam in ſæcularibus, quàm in Eccleſiaſticis, ut probatô ex utriuſque iuris teſtimonijs, & Doctoribus cum de Iubilæo Miſſionum agam: ergo hęc prædia, cum ſint domus Societatis, fruentur hoc ſpirituali Iubilæi privilegio, quod in civitate fruuntur domus Societatis, quibus ſubiacent.

4 Confirmatur 1. Quia *Acceſſorium ſequitur naturam ſui Principalis*, ut ex *l. etiam de iure dot: reg. acceſſorium. de reg. iur. l. 6.* conſtat, & probant Socinus, Menochius, Surdus, Tuſchus, Pichardus, & alij apud Barboſam, *de princip. iur. lit. A. n. 7.* Acceſſorium autem eſt quod adiacens eſt alteri, ſeu quod neceſſarium, aut utile, aut connexum principali; ut explicat utriuſque iuris lexicon: ergo cum hæc prædia ſint quid acceſſorium, ut potê utile, connexum, aut etiam neceſſarium Monaſterio; illius naturam, & privilegia ſequentur. Confirmatur 2. Quia Eccleſia Societatis in civitate, v. g. Cordubenſi eſt velut caput omnium ſacellorum, capellarum, & oratoriorum tam intra collegium, quàm extra in ſuis prædijs exiſtentium: ergo indulta, & gratiæ conceſſæ illi, his concedentur. Hinc probat Franciſcus Marcus, *deciſ. q. 365. n. 22. ex l. 2. cap. de Epiſcop. & Cleric. & cap. licet de priuileg. l. 6. & Cap. final de verb. ſignif. eod. tit.* quod privilegium conceſſum Romanæ Eccleſiæ, ut capiti, ſe extendere debet ad Eccleſias, quæ ſunt ſub Romana.

5 Sed obijcies 1. Neceſſariumeſt, ut fiat Communio Generalis in Eccleſia eadem, in qua Iubilæum eſt lucrandum: ergo cum illa non poſſit fieri in Oratorijs prædiorum, tum propter exiguam illorum capacitatem, tum propter difficultatem illuc conveniendi; non poterit in illis hoc lucrari. R. Non eſſe neceſſarium, ut omnium Communio in eadem Eccleſia fiat, ſed quod unuſquiſque Eccleſiam viſitet, in qua communicat, ut conſtat ex formula, ibi: *Qui Eccleſiam viſitauerint una ex Dominicis, qua communio generalis peragetur*; licèt neceſſarium ſit, quod qui in hac Eccleſia communicavit, eandem viſitet.

6 Addo II. Communionem generalem in eadem Eccleſia fieri, cum fit aliqua in Eccleſia, ſeu Oratorio prædiorum, quia hoc cum Eccleſia principali Societatis in urbe exiſtentis unam moraliter componit Eccleſiam, ut dicebamus. Nec diſtantia loci obſtat, cum ſub nomine civitatis veniant prædia, aut territoria, etiam ſi longè, v. g. per ſex, aut octo, aut plures leucas à civitate diſtent, & in præſenti patet, nam unio moralis, quæ inter prædium Societatis, & illius domum eſt, cum fiat ratione dependentiæ, & connexionis, & ſubiectionis; diſtantia nec tollitur, nec minuitur.

DVBIVM VIII.

Quid ſub nomine Eccleſiæ Sæcularis, quæ aſſignari valet pro hoc Jubilæo lucrando intelligatur?

1 NOn ſolùm in Societatis Eccleſijs, ſed & in alijs ſæcularibus lucrari poſſe hoc Iubilæum conſtat ex ipſius tenore, ita: *Chriſti Fidelibus qui aliquam Societatis Ieſu, vel quamcumque aliam ſæcularem Eccleſiam, ubicumque exiſtentem, una ex Dominicis cuiuſlibet menſis, &c. viſitauerint, & ijs Dominicis in prædictis Eccleſijs Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint.* Vbi nota I. excludi Eccleſias aliorum Regularium, nam expreſſio ſæcularium firmat Regulam in contrarium. II. In eadem Eccleſia, & orandum eſſe, & communicandum deberi. III. Quod Eccleſia hæc ſæcularis aſſignanda eſt à locorum Ordinarijs, ut ſequenti dubio dicemus.

2 Igitur Eccleſia Sæcularis, quæ aſſignari poteſt ad lucrandum hoc Iubilæum, eſt illa, quæ diſtinguitur à Regulari: Regularis verò, quę excluditur ab hac electione, eſt illa, quę eſt propria Monaſteriorũ, Collegiorum, Cõventuum, vel domorum cuiuſlibet Religionis à Summo Pontifice approbatę, ac Regulariũ iuriſdictioni omnino ſubiecta;

ſeu

seu ut docent Abbas, & Innocentius, *in cap. cum inter n. 2. Quæ ad Regulares eo pleno iure ita spectat, ut nullum ius Episcopale in ea habere, vel exercere Ordinarius valeat, præter illud, quod specificè super Regulares Episcopo, vel Ordinario in iure, vel in Concilio conceditur:* & quæ dicitur ab illius iurisdictione exempta, etiam si sit intra suam Diœcesim, pro ut habetur, *in cap: cum Episcopus*, & ibi Glossa ac Geminianus, *de Officij ord. l. 6.*

3 Iuxta hanc doctrinam sæcularis Ecclesia erit illa, quæ subiacet potestati Episcoporum, seu Ordinariorum sæcularium, in illaque ius, seu iurisdictionem habet; & licèt Episcopus, seu Ordinarius sit Regularis, ut contingit in pluribus Ecclesijs Catedralibus, & Parochialibus, Ordinum præsertim Militarium; cum Superiores sint harum Ecclesiarum, non in quantum Regulares ipsi sunt, cum sæculares interdum, ac sæpe illis præsint, hæ absolutè sunt sæculares, ut a num. 4. videbimus.

4 Hinc fit, quod Ecclesiæ sæculares, quæ pro hoc Iubilæo lucrando assignari possunt, sunt I. Ecclesiæ Metropolitanæ: II. Cathedrales: III. Collegiatæ: IV. Parochiales, quia hæ omnes Episcopi potestati subiacent, & ab illo gubernantur, & visitantur, pro illisque ex communi iure ad Episcopum, seu loci Ordinarium ius præsentandi, instituendi, similesque iurisdictionis actus exercendi spectant: & quamvis aliquæ sint immediatæ Pontifici, non ideó desinunt esse sæculares; sicut sunt in Romana urbe existentes.

5 Propter has etiam rationes, omnes Ecclesiæ, Capellæ, Oratoria, Sacella, Eremitoria suburbiorum, Confraternitatum, Hospitaliorum, & similium locorum; dummodó Ecclesiæ nomine propriè gaudeant, & inter Ecclesias Regularium, illisque subiectas, non sint, sed Ordinariorum iurisdictioni; poterunt eligi pro hoc Iubilæo: quia & sunt Ecclesiæ, & sunt sæculares; naturamque, ac privilegia Ecclesiæ, vel Catedralis, vel Parochialis, aut Collegiatæ, cui immediatè subiacent, sequuntur.

6 De Oratorio domus privatæ ego minimé affererem eligi posse ad hoc Iubilæum, quia licèt quoad aliqua favorabilia sub Ecclesiæ nomine comprehendatur; attamen; non est talis conditionis, qualis in præsenti exigitur á Pontifice; cum dicat, *Rectoris Ecclesiæ eligendæ consensum expectandum:* & Oratoria non dicuntur habere Rectorem, seu Parochum. Præterea, quia exigitur Ecclesia, ad quam populus, etiam copiosus cõcurrere, & in qua Eucharistiam suscipere commode valeat, ut in his non valet. Quæ quidem absolutè Ecclesiæ non sunt, quæ communes esse debent, ac ideo immunitate non gaudent.

7 Difficultas verò superest: an eligi valeat pro hoc Iubilæo Ecclesia Parochialis, Regularibus subiecta, ut sæpe esse contingit, vel quia Regulares sunt Domini in temporalibus, & spiritualibus aliquorum opidorum, ut olim erant plura; modo aliqua sunt Religioni Benedictinę subiecta, vel in spiritualibus tantùm, ut contingit in plurimis novi Orbis Ecclesiis; vel Ecclesię, & oppida exempta sunt ab Episcopali iurisdictione quoad spiritualia, & Ecclesiastica; ut sunt oppida, & Ecclesiæ Ordinibus Militaribus D. Iacobi, S. Ioannis nec non Alcantaræ, & Calatravæ subiectæ; quæ ab horum Ordinum Regularibus Sacerdotibus gubernantur, vel quia in locis Episcopo subiectis, alicui Religioni tradita est aliqua Parochia ad regimen illius, & Sacramentorum administrationem, sunt que Beneficiarij aut Curati Regulares, sicut & Matriti Parochia S. Martini, & in oppido Naval carnero Parochia illius loci, & Romæ non paucæ, ac alibi aliæ similes.

8 Circa hanc difficultatem dicendum omnino est, posse has Parochias, seu Ecclesias eligi pro Iubilæo illo; quia hæ absolutè sunt sæculares, vel saltém potius sæculares, quám Regulares. I. Quia hæ erectæ sunt ad ministrandum Sacramenta omnia sæcularibus, ad idque ex iustitia tenentur; ergo ad illos potius, quám ad Regulares spectant. II. Quia his Ecclesijs competunt iura Parochialia, quæ à sæcularibus soluuntur, qualia sunt, ut declaravit Sixtus IV. *in monument. Minor. fol. 102.* & asserit Emmanuel Rodriguez. *to. 2. q. 75.* primitiæ, & decimæ: ergo sunt sæculares.

9 III. Quia in his Ecclesijs potest Episcopus suam iurisdictionem exercere, tum in Clericos illi Ecclesiæ addictos; tum in Regulares ipsos, quatenus Sacramentorum administrationi, & divinorum Officiorum celebrationi incumbentes, ut ex Tridentino, *sess. 25. cap. 11.* tradit Zerola, *verbo exemptio, & excommunicatio ult.* tum in Sæculares ea Sacramenta recipientes. IV. Quia cum omnium Parochianorum cura, & iurisdictio apud Episcopum sit, etiam omnes Parochiæ, & Parochi, quantumvis exempti quoad hanc partem, aliquomodo illi subsunt. Vide Paulum Fuscum, *de Regim. Eccles. l. 2. c. 8.* ubi plura invenies de iurisdictione, quam habet Episcopus in has Ecclesias, etiam exemptas.

10 Idem dicendum eſt de Eccleſijs Canonicorum Regularium, qualis fuit olim S. Ioannis Lateranenſis Fratrum S. Auguſtini, & modò ſunt aliæ in Europa, ut videre licet apud Federicum de Sen, *conſ.* 19. *n.* 4. & Tuſchum *lit. R. conc.* 91. Sed intellige quod Eccleſiæ hæ ſæculares ſunt ad hunc effectum; dummodò in his, & ſimilibus Eccleſijs, vel Collegiatis, vel Parochialibus, (etiam ſi Regularibus ſint ſubiectæ, & ab ipſis gubernentur) adſit cura perſonarum ſæcularium; nam ſic in has, & ſimiles Eccleſias iuriſdictionem competere Epiſcopis ſtatuit Tridentinum *ſup.* Conſule ibi Barboſam: & animadverte ſub clauſula, *Quamcũque Eccleſiam ſæcularem*, quàm ibi apponit Pontifex, comprehendi omne genus Eccleſiarum Secularium, quia univerſalis eſt, & ad caſus etiam improprios extendi tur, ut ex Rota, Menochio, Anto. Monacho & alijs docet Barboſa, *dict.* 260. & 266.

DVBIVM IX.

Quæ obſervanda ſunt in aſſignatione Eccleſiæ ſæculari pro iſto Jubilæo?

1 OBSERVANDVM eſt I. Quod cum aſſignatur Eccleſia aliqua ſæcularis pro hoc Iubilæo, non manet locus ad lucrationem eius illo menſe in ulla Societatis Eccleſia illius urbis, vel oppidi: diſiunctivè enim loquitur Pontifex dicens: *Aliquam Societatis Eccleſiam, vel quamcumque aliã ſæcularem, &c.* Obſerva II. Quod licèt ubi ſunt plures Eccleſiæ Societatis, ut Romæ, Neapoli, Hiſpali, &c. in omnibus hoc Iubilæum ſimul eodem die valeat; nõ tamen ideo ubi plures Eccleſiæ ſæculares ſunt, omnes, ſeu tot, quot ſunt Eccleſiæ Societatis, aſſignari poſſunt, ut in eis eodem die Iubilæum lucremur: nam cum hoc ſit Societati ratione Religionis talis conceſſum; & omnes Eccleſiæ Societatis unam conſtituant, in omnibus ſimul unum Iubilæum eſt, & ſimul vim habet: at ex pluribus ſæcularibus Eccleſijs regulariter non fit una, ſicut quoad hoc manifeſtè non fit. Nec in una ſæculari, & in alia ex Societate poteſt ſimul Iubilæum lucrari propter eandem diſiunctionem verborum Pontificis.

2 Obſerva III. Quod etiam ſi in urbe, vel oppido nõn ſit Eccleſia, vel domus Societatis, poteſt aſſignari una Eccleſia ſæcularis ad hoc Iubilæum; cum prædicta conditio, ut ſit ibi domus, vel Eccleſia Societatis, nullo modo apponatur à Pontifice, qui ſtatuit aptam eſſe quamcumque Eccleſiam ſæcularem, & ubicumque exiſtentem: cum dictio *Vbicumque* ibi appoſita, ut ex *cap. Ad honorem, de uſu paly*, notat Tuſchus *to.* 2. *lit. D. conc.* 391. *n.* 1, ſit univerſalis, & omnia loca ſine exceptione generaliter comprehẽdat. Vnde in Miſſionum locis poteſt hoc Iubilæũ lucrari. IV. obſerva, quod Eccleſiæ Monialium Epiſcopo, ſeu loci Ordinario ſubiectarum eligi poſſunt: cum abſoluté ſint ſæculares, quatenus ſæculari iuriſdictioni ſubiacent; licèt ſecundum quid ſint Regulares, quatenus Religioſis feminis deſerviunt.

3 V. obſerva, quod ſi aliquando contingat, ut contigiſſe ſcio, quod in oppido aliquo, in quo Eccleſia ſæcularis erecta non ſit, vel uſui non expedita, Parochi, & reliqui Clerici in Regulari virorum, vel feminarum, regiminique Regularium ſubiectarum Eccleſia, divina Officia celebrent, ac Sacramenta populo adminiſtrent, in omnibuſque alijs pro Parochiali deſerviat, poterit hæc tunc aſſignari pro iſto Iubilæo, quia quoad uſum, & exercitium hæc Parochialis eſt, & cũ alia non ſit, privarẽtur Fideles his Indulgẽtijs; ac aliunde hæc aſſignatio, ut potè favorabilis, ampliãda eſt. Sed nihilominus tutius eſſet ut tunc, ſi alia Eccleſia ſæcularis eſſet, etiam ſi Capella foret, vel Eremitorium, eligeretur.

4 Demum adverto, quod in his omnibus Eccleſijs ſæcularibus, ſive urbium, in quibus Societatis domus ſunt, ſive oppidorum, in quibus non ſunt, ut contingit in Miſſionum locis, Communio huius Iubilæi debet fieri, *Sollicitudine Clericorum Regularium dictę Societatis*, ut Pontifex loquitur; cura ſcilicet, ſuperintendentia, præſentia, & regimine Societatis Ieſu, ſèu aliquorum ex illa, qui Confeſſionibus, & Communionibus adſint. Hoc enim verbo, *ſollicitudine* comprehenditur iuxta latinæ linguæ peritos. Hinc Cicero, *ad Attic. l. 6. Sollicitudine Prouinciæ maximè urgebamur*, ideſt, moderamine, & cura. Sic Romæ una ex Parochijs ſæcularibus pro hoc Iubilæo eligitur, illamque Religioſi Societatis adeunt, ut Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Fidelibus miniſtrent, ſimiliterque in alijs locis, ac præſertim in Miſſionibus fit.

DVBIVM X.

A quo asſignanda ſit ſæcularis Eccleſia pro hoc Jubilæo; cuiuſvè licentia, aut conſenſus requiratur?

1 

SIC habet clauſula. *Et quoad Eccleſias Sæculares de licentia Ordinariorum locorum, illarumque Rectorum conſenſu agetur.* Vbi nomine Ordinariorum intelligit Pontifex Archiepiſcopos, Epiſcopos, Capitula Sede-vacāte, illorum Vicarios, & omnes habentes Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem in ſuis Diœceſibus, aut territorijs, ut oſtendimus Tract. 7. Singul. 2.

2 Nomine verò Rectorum Eccleſiarum præcipuè intelliguntur Parochi, ſeu curam habentes animarum intra limites alicuius oppidi, vel Parochiæ, ut docēt Petrus Gregorius, *Syntagm. iuris l.* 15 *c.* 24. *n.* 6. & 7. Rebuſus *concord. tit. de Collat. §. Statuimus. n.* 2. Gonçalez *ad regul.* 8. *cancel. gloſ.* 6 *n.* 39. Lelius Zechius *de R. pub. c.* 18. *n.* 2. Barboſa *de Paroch. c.* 1. *n.* 14. colligiturque ex *c.* 1. *de Capell. mon. cap. cum ſingula, de prębend. l.* 6. & ex Tridentino *ſeſſ.* 21. *c.* 4. *Reform.* Vnde Rectores in præſenti ſunt omnes Parochi & Beneficarij curam animarum habentes; Vicarij etiam foranei conſtituti per loca Diœceſum, etiam quoad hoc, Rectores Eccleſiarum ſuarum iudicandi ſunt, ſicut & illi, qui iuriſdictionem, & regimen habent ſuper Eccleſias.

3 Hoc poſito dicendum eſt I. Non eſſe neceſſe, ut Eccleſia ſæcularis, in qua lucrandum eſt Iubilæum aſſignetur ab Ordinario; ſolùm enim à Pontifice præſcribitur, quod de eius licentia ſit in Eccleſia ſæculari locus huic Iubilæo. In quo ſupponi videtur electio, ſeu aſſignatio illius iam facta, & quod licentia, vel cōfirmatio huius electionis præſtanda ſit ab Ordinario. Vnde exiſtimo, electionem; ſeu aſſignationem hanc ad nullum alium ſpectare, niſi ad Superiorem domus Societatis loci, ubi aſſignatur, ut Romæ ad Præpoſitum Generalem, ſeu Vice Præpoſitum domus profeſſę Romanę illius vices gerentem, aliumvè alterius domus Superiorem, & Hiſpali, alijſvè locis ubi domum profeſſam habemus, aliaſque domos, vel collegia ad Prępoſitum, aliosvè Prælatos, Rectores, vel Vice Rectores.

4 Dicendum eſt II. Ordinarij licentia ad hoc, ut in tali Eccleſia ſęculari electa à Superiore Societatis Ieſu, Fideles lucrentur hoc Iubilęum, ita eſt neceſſaria, ut ſine illa valide illud non celebretur, quantumvis à Societate aſſignetur, & in ea Fideles communicent, ac preces fundant; quia eſt expreſſa conditio à Summo Pontifice requiſita, ſine qua nihil rite fit; nec illa Eccleſia locus aptus eſt, & perinde ſe habet, ac reliquę Eccleſię ſęculares pro Iubilęi lucratione non aſſignatę; iuxta illud Iuris principium. *Conditio inducit formam, qua omiſſa diſpoſitio non ſortitur effectum.* Sic *l. Meuius. l. qui hęredit. ff. de condit.* Gironda *de Priuileg. explicat. n.* 667. Caldera Pereira *de poteſt. eligend. c.* 4. *n.* 30. Rota Romana apud Farinacium, *deciſ.* 515. *n.* 8. *to.* 2. *p.* 1. & Barboſa *de princ. lit. c n.* 30.

5 Sufficit autem hanc facultatem pręſumptam eſſe, vel tacitam, aut eſſe ratihabitionem de futuro. Conſultius tamen erit ſemper expreſſam adipiſci, cum poteſt fieri; ne ſub opinione Iubilęi lucratio exiſtat. An verò ſi iniuſtè negetur, popoſciſſe ſufficiat, vide quę diximus Sing. 12. Tract. 3. n. 6. & in præſenti accomoda.

6 Dicendum eſt III. Prętęr licentiam prędictam Ordinariorum requiritur conſenſus Rectoris, ſeu Parochi Eccleſię ſęcularis, quę ad hoc Iubilęum eligitur. Conſtat ex clauſula relata: *De licentia Ordinariorum, illarumque Rectorum conſenſu.* Coniunctio autem *Què*, ut potè ęquivalens *Et* iuxta latinę linguę uſum copulativa eſt, & iuxta iuris peritos collectiva, ut docet Barboſa, *dict.* 264. Nec ſuperfluus eſt hic conſenſus, etiam ſi adſit Ordinariorum licentia; cum hęc concedatur cum reſpectu ad conſenſum Parochi; prudenter enim hunc requirit Epiſcopus in ijs, quę ad eius Eccleſiam ſpectant.

7 Sed animadvertendum eſt, quod ſi Parochi conſenſus, vel haberi nequit, quia abeſt, vel iniuſtè negatur (ut iniuſtè negatus præſumi poteſt cum manifeſta ratio, aut gravis cauſa in oppoſitum non apparet) tunc celebrari poterit Iubilæum in illius Eccleſia, præcedente ſola Ordinarij licentia, præſertim ſi ab eo determinate illa Eccleſia fuit conceſſa. Sicut ſi licentia Ordinarij tacita, vel præſumpta iniuſtè negatur, poteſt celebrari Iubilæū iuxta dicta Tract. 3. Sing. 11. n. 6. & 7. Nec ideo deficit conditio hæc á Pontifice requiſita; nam tunc ipſius conſenſus, ut potè ſupremi omnium Ordinariorum, & Parochorum Principis, prudenter præſumitur.

8 Sed ne tunc Societatis Superiores, vel Operarij litibus, aut moleſtijs ſe interſerant; iræve, ac diſcordiæ, quæ venenum eſt ſpiritualis culturæ, detur locus; conſulerem, ut renuente Parocho unius Parochiæ ad

aliam

aliam Iubilæum deferant; & ſi alia non ſit, vel illius Parochus etiam renitatur, Iubilæum non promulgent, ſed alia in ea Societatis miniſteria exerceant, ſi in miſſionibus verſantur; & ſi nec hęc exercere Parochi patiuntur, oppida, & loca deſerant; iuxta id Chriſti præceptum Apoſtolis ad prędicandum miſſis, *Math.* 10. datum: *Cum perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam.* Et antea. *Quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris.* Quam perſecutionem aliquando patiuntur noſtræ Societatis Operarij, cuius motores rigidè punire debent, & ſolent Epiſcopi, cum inde tot, tamque copioſis fructibus eorum oves fraudentur. Conſule, quę de his perſecutionibus noviſſimè edidit P. Michael de S. Roman in Expeditionibus miſſionum, *lib.* 5. *à cap.* 3. *ad* 7.

9 Sed rogabis, quid ſi duo ſint Parochi unius Parochię, & unus renuit, alter annuit? R. ſufficere unius conſenſum; licèt enim dicatur: *illarumque Rectorum conſenſu*: non ideo dicitur, quia omnium Rectorũ unius Parochię conſenſus requiratur; ſed quia de pluribus Eccleſijs ibi eſt ſermo, & ita ut in pluribus Iubilęum celebretur plurium Rectorum requiritur conſenſus; hũc enim in ſua quilibet exhibiturus eſt. Ab antiquiori ergo Parocho primò expoſcatur, & ſi hic tunc abeſt, ab alio quocumque. Quod ſi unus annuit, & alter renuat, ad Vicarium illius loci deferatur diſcordia, & illius ſententię ſtandum. Sed ſemper obſervetur, ne cum contradictione Parochorum illud promulgemus, etiam ſi valide, & licitè id poſſimus.

10 Si verò in Eccleſia non ſit Parochus, quia Parochialis non eſt, non requiritur conſenſus Capellani, vel alterius ibi celebrantis; ſicut nec Confratrum, ſi ibi ſit Cõfraternitas; quia hi propriè Rectores non ſunt; & cum hęc ſit materia odioſa, ſtrictè eſt interpretana. Adminiſtrator verò Hoſpitalis, Rectdr Eccleſię exiſtimari poteſt, quia in eo loco & in eius Eccleſia curam gerit animarum.

DVBIVM XI.

V. Laici communicantes, & Sàcerdotes celebrantes extra Societatis Ieſu, vel ſæculares deſignatas Eccleſias pro hoc Iubilæo, illud lucrentur, ſi in illis ſub illius intentione preces fundant?

1 NEGATIVE omnino reſpondendum eſt: nam hoc expreſsé poſcitur à SS. Vibano VIII. ibi: *Qui aliquam Societatis Ieſu, vel quamcumque aliam ſæcularem Eccleſiam una ex Dominicis cuiuſlibet menſis, & iiſdem Dominicis in prædictis Eccleſijs ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint.* Et antea à Paulo V. ita poſcebatur: *Omnibus Chriſti Fidelibus, qui tempore Communionis generalis per Clericos Regulares Societatis Ieſu in eorum Eccleſijs, extra Vrbem ubilibet, ſemel in menſe dumtaxat faciendæ, ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumpſerint, &c. plenariam omnium peccatorum indulgentiam concedimus.* Ergo cum expreſſa adſit hęc conditio, nequit indubium verti, an ſit adimplenda, ut Iubilęum fructum habeat: præſertim cum, ut actus, vel contractus valeant, conditio impleri debet in forma ſpecifica, ut ex. *l. qui hered. & l. Mauius. ff. de condit.* docent Sũrdus *deciſ.* 209. Valaſcus *conſ.* 82. *n.* 11. Ceballos *commun. contra com. to.* 4. *q.* 90. *n.* 58. Tuſcus *to.* 2. *lit. C. conc.* 595. *n.* 4. Cardoſus *prax. indic. ver. condit. n.* 3. & alij. Hoc denique praxis, & conſenſus omnium Sapientium in univerſo Orbe confirmant.

2 Hinc infero, omnes eos, qui vel communicare abſoluté nequeunt, ut pueri, aut vomitum patientes, ac non ieiuni, vel qui nequeunt Eccleſias Societatis ad communicandum adire, ut ęgroti decumbentes in lecto, incarcerati, abſentes, Moniales, &c. non poſſe lucrari hoc Iubilęum; cum hęc Communio, immò & ſæpiſſime alia diligentia viſitationis executioni mandari ab his non poſſit; nec commutari queat, non enim hęc commutatio in Iubilęi huius indulto conceditur; ſicut concedi ſolet in Iubilęo duarum hebdomadarum, aut ſimili. Quod pro alijs Iubilęis obſervandum eſt.

3 Nec quod omnes in eadem Eccleſia pro hoc Iubilæo communicent eadem die difficile alicui videatur in magnis urbibus; cum inceſſanter in pluribus altaribus Euchariſtia laicis adminiſtretur: & ſi Eccleſia Societatis non ita capax ſit, eligi poteſt ex ſæcularibus omnium maxima. Sacerdotes verò, etiam ſæculares celebrare incipiant ab Auroræ crepuſculis, ita ut Miſſas finiant hora una cum dimidia ante Solis ortum; ac Regulares ex privilegio ſuo una hora ante Auroram eas ita poſſunt incipere, ut pluſquam duabus horis ante Solis ortum finire faciant. Sic Doctorẽs aliqui apud Dianam, *1. p. trac.* 1. *reſ.* 33. Ac tempus celebrationis prorogari poſſet propter hanc

hanc causam multitudinis, & celebritatis Iubilæi usque ad primam horam cum dimidia, post meridiem, plus minusve, iuxta doctrinam Suarij, *de Euch. sect.* 4. Ledesmæ *c.* 4. Villalobos *dif.* 22. *n.* 2. Laici verò communicare possunt quacumque hora post meridiem, sive quarta, sive quinta, dummodò sint ieiuni, & scandalum absit: nō enim hoc est prohibitum, licèt consuetudini regulariter standum.

4 Et licèt Sacerdotes Communionis Paschalis præcepto satisfaciant in quacumque Ecclesia celebrantes; immo & Laici communicantes in quacumque de licentia Parochi, non ideo lucrabuntur Iubilæum hoc nisi in Ecclesia Societatis celebrent, vel communicent; quia ad primum sufficit celebrare, vel communicare in quacumque Ecclesia, vel Oratorio de licentia saltem præsumpta Parochi, vel consuetudine, iuxta dicta Trac. 4. Sing. 12. ut in Sacerdotibus datur: ad Iubilæum verò expressè deposcitur à Pontifice, ut fiat Communio in Ecclesia Societatis, vel alia sæculari assignanda iuxta dicta. Immo nec Religiosi habentes privilegium lucrandi Iubilæa aliarum Ecclesiarum, si propriam visitent, iuxta dicenda in hac Appendice, hoc lucrabuntur, si in nostra non communicet, quia non exequuntur diligentiam requisitam, scilicet Communionem in tali Ecclesia.

Dvbivm XIII.

Quæ circunstantiæ servari debent in Confessione, & Communione pro hoc Jubilæo requisitis: ubi & quæ pro alijs Jubilæis?

1 Vo ad Confessionem ita dicitur in huius Iubilęi Bulla: *Christi Fidelibus vere pœnitentibus, & Confessis.* Inqua, & in similibus clausulis non requiri venialium confessionem, docent Zanardus, Filiucius, Ludovicus de la Cruz, Enriquez, Suarius, Navarrus, Comitolus, Bonacina, Coninch, Lugo, & Villalobos, quos refero in hebdomadarum duarum Iubilæo *c.* 18. Ratio est, quia hæc exigitur à Pōtifice ad acquirēdum gratiæ statum, in quo existimatur esse, qui conscius non est lethalis culpæ; sufficiet ergo tūc, quod quis cōfessus fuerit pro adimplendo Ecclesię præcepto.

2 Requiri confessionem, & non sufficere contritionem, si culpa lethalis adsit, exvi huius clausulæ, sentiunt Navarrus, Angelus, Peyrinus, Cordova, Caietanus, Adrianus, & Sotus, quos citat Cruz, *c.* 8. *dub.* 6. *n.* 7. E contrario contritionem tunc sufficere docent Sylvester, Angelus, Rosella, Torquemada, & alij, quos affert Enriquez, *l.* 7. *de indulg. c.* 2. Paludanus, Gerson, Ioannes Andræas, & Felinus, quos citat Suarius, *to* 4. *de Pœnit. d.* 52. *sect.* 3. *n.* 12. *&* 13. ac plures alij, quos citat Cruz. *sup. n.* 7. *& dub.* 7. *n.* 5.

3 Probant hoc 11. Cruz, & Suarez, *sup. n.* 13. quia confessio non requiritur tunc ut conditio, sicut posceretur, si diceretur, *Præmissa, aut facta confessione*, sed ut quis tollat obicem peccati ad lucrandum Iubilæum, quod tollitur per contritionem, ergo, &c. 111. Quia si copulativè hæc verba, *Pœnitentibus, aut contritis, & confessis:* intelligerentur, semper cū confessione esset necessaria contritio perfecta, quod non est dicendum, sed si detur imperfecta contritio, quæ est attritio cum hæc non sufficiat ad statum gratiæ sine cōfessione, confessio requiretur. Sensus ergo est distributivus, vel disiunctivus, ideſt, tam verè pœnitentibus, seu contritis, quàm confessis, ut explicant Suarius, & Cruz. Addo tamen Suarij, *n.* 13 consilium: *Consulendum semper*, inquit, *erit, ut quoties forma Indulgentiæ, seu Iubilæi huiusmodi fuerit, actualis confessio præmittatur, si fieri possit, ut omne dubium tollatur.*

4 De Communione licèt Doctores Corduba, *q.* 35. *de Indulg.* Grasis, *c.* 5. *n.* 55. & apud eum Astesis, & Hostiensis, Turrianus, *select. disp.* 31. *p.* 2. *dub.* 64. Diana 3. *to. trac.* 4. *resol.* 166. & alij tueantur, unicā sufficere ad plura Iubilæa obtinenda eodem die in diversis Ecclesijs, cum hæc conceditur ijs, qui post cōfessionem, & Communionem, seu *Confessi, & sacra Communione refecti fuerint; & idem dicendum esset*, addit Lugo, *de pœnit. d.* 27. 5. 6. *n.* 93. *licèt secunda Indulgentia non eadem die, sed sequenti intra debitam distantiam occurreret:* at hoc Iubilæum ita requirit Communionem eodem die, ut nullomodo quisquam illud lucrari valeat, nisi in Dominica Iubilæo dicata, & in Ecclesia, ubi celebratur, communicaverit; quamtumvis antecedenti Sabbato communicasset in Ecclesia Societatis: vel eadem Dominica assignata in alia Ecclesia cum intentione illud lucrādi. Posset verò Communione istius Iubilęi postea eodem die; immo, & sequenti lucrari alia alterius generis, scilicet concessa ijs, qui post confessionem, & Communionem Ecclesiam aliquam visitaverint; quia pro his non exigitur, ut singularis diligentia Communio, sicut in Iubilæis mensis, & duarum hebdomadarum; sed solùm dispositivè, seu præsupositivè: tunc enim unica Communione lucrari quis poterit omnia Iubilæa,

ut

ut diſpoſitionem eam exigentia intra eundem, & ſequentem diem, & forſan intra alium, ſi verificetur ad illud Iubilæum communicaſſe.

5 Omnia hæc breviter, & dilucidè, ut ſolet, expoſuit noſter Lugo, *ſup.* dicens: *Quando Communio exigitur directè, prout in quibuſdam Iubilæis ſolemnioribus exigi ſolent Communio, ieiunium, eleemoſyna, ac preces intra eandem hebdomadam; aut quando conceditur Indulgentia iis, qui ſingulis menſibus in tali Eccleſia communicauerint; tunc unica Communio non poſſet deſeruire ad duplicem Indulgentiam ſimilem; poſſet tamen deſeruire illa eadem Communio ad aliam indulgentiam, ad quam Communio non directè, ſed præſuppoſitiuè exigeretur.*

6 Rurſus animadvertendum eſt, non requiri, quod Communio ſuſcipiatur de manibus Sacerdotum Societatis Ieſu, per ſe ipſos miniſtrantiũ Euchariſtiam, ſed ſat eſt ut ſuſcipiatur á quocumque Sacerdote ſæculari, vel Regulari cuiuſvis Ordinis: ſolùm enim dicitur in Bulla hac, quod peragatur Communio generalis, *Sollicitudine Clericorum Regularium dictæ Societatis*: in quibus verbis non exigitur, quod immediate perſe ipſos Communio miniſtretur, ſed quod eorum cura, ſtudio, & diligentia id fiat: has enim ſignificationes importat verbum Sollicitudo. Sic *ad Corinth. 2. c. 11.* ubi eſt, *Inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum*; alia verſio: *incumbens mihi quotidiana cura omnium Eccleſiarum. Et cap. 8. Abundatis in omni ſollicitudine*, alia verſio, *Omni diligentia* & infra; *Sed per aliorum ſollicitudinem*, alij, *Per aliorum ſtudium.* Immò in Iubileo hoc, & ſimiliter Pauli V. ubi dicebatur: *Tempore Communionis generalis per Clericos Regulares Societatis Ieſu faciendæ*; omnes viri docti PP. Iacobus Granado, Didacus Ruiz, Ferdinandus de Mẽdoça, Matthæus Rodericus, Ludovicus Ramirez, & alij uno ore dixerunt, ac noſter egregius Concionator, ſupremæque Inquiſitionis Cẽſor P. Didacus Davila Hiſpali in concionibus promulgavit, hanc Communionem poſſe fieri per quoſcumque Sacerdotes; quia *Per ſe facere dicitur, qui per alios facit. l. 1. §. deteciſſe. ff. de vi, & viar.*

DVBIVM XIV.

Quæ preces pro hoc, ac pro alijs Iubilæis expoſcantur?

1 QVOD ad preces attinet, ita in hoc, & in alijs Iubilæis communiter clauſula apponitur: *Eccleſiam viſitauerint; ibique pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint.* Et in primis has preces mentales eſſe ſufficit, iuxta Filiucium, *tract. 8. de ſacrif. p. 3. c. 10. n. 257.* Navarrum *de Indulg. not. 47.* Trulench. *in Cruz. l. 1. § 6. dub. 2 n. 7.* Laurentium á S. Franciſco, *notab. 8. de Iub. n. 13.* & alios: licèt oppoſitum tueatur Ludovicus á Cruze, *in Cruz. l. 1. c. 8. dub. 13. n. 6.*

2 Sed ſentio, quod quamvis certum ſit, quod poſſint Pontifices Indulgentias concedere, ad earumque lucrationem actus interiores, v. g. mentalem orationem, conſcientiæ exculſionem, contritionem, & ſimiles exigere, ut probant Suarius, *to. 4. de Relig. d. 52. ſect. 4 n. 5.* & Lugo, *ſup. d. 27. ſect. 6. n. 86.* attamen tutius eſt in his, & ſimilibus Iubilæis vocales preces fundere, ſcilicet aliquẽ numerum Orationum Dominicarum, aut Salutationum Angelicarum, vel dicere aliquot Salve Regina, aut Roſarium, aut Litanias, Pſalmos ve aliquos, aut alias Orationes ab Eccleſia approbatas, vel ab ipſo lucrante, vel á pio viro ex proprio penu compoſitas: quia vocalium effuſio, non eſt dubium, quin ſufficiat, aliarum verò mentalium ſolùm, non ita certum eſt: conſultiuſque etiam erit mentalẽ orationem voçali admiſceri, ut notat Lugo, *ſup. d. 27. ſect. 7. n. 3.* addens: *Nec obſtat per Roſarium orari B. Virginem; in Bulla autem exigi, quod oretur Deus; nam orando B. Virginem, oratur Deus mediatè, cum a Virgine petamus, quod pro nobis apud Deum intercedat.*

3 Deinde precum numẽrum, ſeu quantitatem quamlibet ſufficere pro his Iubilęis docent Filiucius, *ſup. c. 6 n. 164.* Boſius *de Iub. p. 1. cap. 18. n. 8.* & alij. Sed hi intelligendi ſunt, aiunt aliqui, iuxta Emmanuelẽ *in Bull. §. 7. n. 13. Quamcumque orationem ſufficere, dummodo non ſit notabiliter modica.* Modica autem eſſet unica tantum Oratio Dominica, vel Salutatio Angelica, aut quid ſimile: ſufficiens verò eſſet, trium Orationum Dominicarum, vel Salutationum Angelicarum; Pſalmus etiam quincumque ex Pſalterio, ut Pſalmus *Miſerere, Benedicite*; aut quilibet alius ex Horis canonicis, excepto minimo, ut *Laudate Dominum omnes, &c.* Ego verò cenſeo, quod qui hunc Pſalmum recitaret, vel ſemel Dominicam Orationem cum Salutatione Angelica, vel hanc, aut illam ſeorſim, lucraretur hoc, & ſimilia Iubilæa, cum verificetur, quod preces fuderit.

4 Probari poteſt hoc ex Iubilæo, quod Societati noſtræ Paulus III. in Bulla, quæ incipit: *Licet debitum*, edita anno 1549. in hunc modum conceſſit: *Omnibus, & ſingulis Chriſti Fidelibus utriuſque ſexus, ubilibet commorantibus,*

verè pœnitentibus, & confeſsis, ſeu temporibus á iure ſtatutis, confitendi propoſitum habentibus, qui aliquam Eccleſiam, aut alium pium locum dictæ Societatis ſemel ſingulis annis [*præter annum Iubilæi*] *in die ab ipſo dictæ Societatis Præpoſito eligendo á primis veſperis, uſque ad occaſum Solis eiuſdem diei incluſiuè, deuotè viſitauerint, & inibi orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam recitauerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, ac remiſſionem in forma Iubilæi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium miſericorditer concedimus, & elargimur.* Si ergo unicam tantùm orationem Dominicam cum ſalutatione Angelica aſſignat Pontifex pro Iubilæi precibus. Communionem non requirentibus, pro iſto hanc exigente hę orationes ſufficient, & aliqua brevior oratio ſat erit. Ego verò ſemper in his, & in alijs Iubilæis quinquies Pater noſter cũ totidem Ave Maria, recitari conſulvi.

5 Denique licèt Manuel *ſup.* Boſius *de Iub. ſect.4.caſu* 17.*n.*15. Cruz *in Cruc.l.*1.*c.*8.*dub.*11. Layman *l.*5.*tr.*7.*c.*8.*n.*13. Comitolus *lib.*1.*q.* 38. Sanctarelus *de Iub.c.*4 *dub.*10. & alij aſſerant, operibus, etiam aliàs, vel ex voto, vel ex præcepto debitis, poſſe quemlibet lucrari Iubilæum, ut eleemoſina; [ſi hęc in eo petatur] quę ex obligatione naturali extremè indigenti debetur, & recitatione divini Officij, ob ſacrum Ordinem, vel Eccleſiaſticum Beneficium debita, ſatisfieri precibus à Iubilæo exactis; ſemper tamen conſulendum, & ſervandum eſt, ut opere ſupererogationis, ſeu nullo modo debito Iubilæi diligentię fiant.

6 Sed advertas, non eſſe neceſſe, ut ante aram maximam hę preces fundantur, nam in quocumque altari, immo etiam ſi in nullo fundantur, ſi funduntur in Eccleſia, vel ad ianuã ipſius ſufficiet, iuxta dicenda. Nec genu flexo, aut ulla alia circunſtantia ſpeciali addita, ſufficiet, quia ut rectè Filiucius, *ſupra* ait: *Nulla peculiaris forma orandi, tanquam neceſſaria præſcribitur*, oratio verò hęc fieri poteſt, vel ante, vel poſt Communionem, vel mane, vel veſpere, vel noctu; dummodò fiat á prima hora poſt mediam noctem illius diei uſque ad duodecimam noctis ſequentis iuxta dicta

Dubio tertio.

[§]

DVBIVM XIV.

An, & quo modo poſsit hoc Jubilæum applicari Animabus purgatorij, ubi nonnulla pro harum indulgentijs conſequendis adnotantur?

1 NOn poſſe applicari indulgentiam, nec Iubilæum pro defunctis, nec illis prodeſſe, niſi in conceſſione illius exprimatur, communiter ſentiunt Theologi cum S. Thoma, *diſt.*45. ut notant Navarrus, *notab.*22. *de indulg. n.* 29. & Trulench. *l.*4. *in Cruc. dub.*9.*n.*6. Ratio eſt, quia nemo poteſt lucrari pro alio indulgentiam, niſi expreſsè in conceſſione habeatur, ut docent Rodriguez, *in Bull. §.*8. *n.*13. Cruz *d.*2. *dub.*6.*n.*10. Trulench *ſup.* & Suarez *de pœn. d.* 53. *ſect.*1. *n.*7. qui optimè addunt, quod cum conceditur Iubilæum omnibus Fidelibus, non comprehenduntur ibi Animæ purgatorij, ſed ſolùm Viatores; nam ij ſunt immediatè ſubditi Pontifici, ob idque in conceſſione pro defunctis communiter additur: *Fidelibus viuis & defunctis*, vel quod lucrari poſſint indulgentiam, *Pro Animabus purgatorij* & ut habetur in Cruciata, ſumentibus eam conceditur, ut omnes, & ſingulas indulgentias ſtationum Vrbis, tam pro ſe, quàm per modum ſuffragij pro defunctis, pro quibus viſitaverint (quinque ſcilicet altaria) conſequantur vel quid ſimile. Sic etiam exprimitur in hoc Iubilæo, in cuius Bulla ait SS. D. N. Vrbanus VIII. *Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem quam pro Animabus Fidelium d functorum applicare poſſint miſericorditer in Domino concedimus.* Hanc applicationem non conceſſerat Paulus V. pro hoc Iubilæo.

2 Noſter ſapientiſſimus Lugo, *de pœnit. d.* 27.*ſect.*5. refert, refellitque varios modos, quibus Pontifex poſſit Animabus purgatorij indulgentias concedere, ſeu applicare: & tandem docet *n.* 64. ex S. Thoma, *in* 4. *diſt.*45.*q.*7. *art.*3.*q.*2. Indulgentias concedi defunctis non directè, & principaliter, ſed tantùm ſecundariò, & indirectè; *Ac ſi dicamus*, explicat ipſe, *n.* 70. *Pontificem tunc non concedere immediatè indulgentiam defuncto, nec etiam viuenti ſed ſolùm ex Theſauro Eccleſiæ elevare opera pia Fidelium viuentium, ita ut non ſolùm ſint ſatisfactoria ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato; ſeu ultra condignum, ſi pro defuncto offerantur.* Et *num.* 71. addit: *Eleuat autem non diuiſibiliter, ſed indiuiſibiliter*

totum opus, ut in fine operis detur totus fructus ex opere operato. Consule ipsum hac in sectione, & Trulen. *dub.9.* qui optimè probat ad hãc concessionem necessum non esse Pontificem auctoritatem habere in Animas purgatorij, sed sufficere, ut habeat in Ecclesiæ thesaurum, cuius dispensatio, ipsi à Christo commissa est in utilitatem Fidelium, omnibus modis convenientibus iuxta varios illorum status, quorum unus modus est, ut fiat per modum suffragij; in quo nõ requiritur suffragantis iurisdictio super personam, cui suffragatur, ut patet in suffragijs privatis, quæ fiunt inter amicos.

3 Hinc inferes, Iubilæum, aut Indulgentiam determinatè pro defunctis solùm cõcessam, nõ valere pro vivis, neque pro ipso lucrante, qui diligentias exequitur. Item II. deduc, non posse defunctis concedi Indulgentias, nisi vivo interveniente. III. Quod fructus Indulgentiæ, v. g. remissio peccatorum, nõ prius percipitur a vivo diligentias exequenti, ut postea defunctis applicetur, sed immediatè illis applicatur medio opere vivi ad hoc elevato. IV. Requiri intẽtionem determinatam applicandi Indulgentiam pro defunctis in lucrãte illam. V. Quod cum conceditur liberatio Animæ purgatorij, pro qua dicatur Missa, vel recitetur Corona, aliud ve simile opus fiat, tunc necesse erit substantiam operis, ideſt, Missam, vel Coronam, seu satisfactionem ex opere operantis ex illa provenientem, applicari á lucrante: quando verò dicitur, *Quoties dicat Coronam, vel Psalmum, liberabit Animam Purgatorij*, probabile est non requiri talem applicationem specificam operis. VI. Collige, non requiri acceptationem suffragij ex parte Animæ purgatorij, ut ei prosit, huicque, etiam si Cathecumeni, vel amentis sit, posse applicari. Hæc omnia probat Lugo, *d.27.*

4 Sed petis, an requiratur gratiæ status in vivo lucrante hoc, & similia Iubilæa pro defunctis, & licet Lugo *n.75.* & Rodriguez *in Bulla. §.8.* ac alij requiri asserant; tamen non requiri docent Gabriel, *n Canc. missæ lect. 57.* Toletus *l. 5. n.5. Portel de Iub. n.24.* Reginaldus *to.1.l.7.ca.ult.n.195.* Fabius *in 4. d.19.d.3.c.8.n.256.* Ioannes Præpositus *in 3. p.q.14.dub.10.n.93.* Naldus *verb. Indulg n 7.* Trulench. *lib.1. in Cruc. §. 6.dub.4. n.3.* Hyeronimus Rodriguez, *resolut. 77.n.67.* Granadus *in 3.p.contr.12 tr.5.dub.5.* Navarrus *notab.22.n.31.* Suarius *to 4.d.53. sect. 4.* Villalobos *tr.28.n. 3.* & alij; quia tunc non satisfacit prosè, sed pro Anima purgatorij, quę est in gratia, & cui applicatur á Pontifice opus ab ipso factum, tanquam ab Ecclesiæ Ministro, cum ex Pontificis indulto ob illius diligentias, & Christi, ac Sanctorum satisfactionem, Ecclesia, seu Ecclesiæ caput applicet Indulgentiam. Qui autem, ut Minister Ecclesiæ offert pro defunctis suffragium non est necesse, quod sit in gratia, ut cum S. Thomas *quodlib. q.2 art.1.q.3.& 3. p.q.82.art.8.* docent Theologi *Sed omnino tutus est*, ut cum Bellarmino *l.1.de indulg.c.14.* loquar, *ut qui cupit pro mortuis Indulgentiam obtinere, prius det operam, ut ipse Indulgentiam à culpa per Sacramentum confessionis obtineat.*

5 Rogabis iterum, an cum veré pro Anima purgatorij hoc, vel simile Iubilæum, aut plenariam Indulgentiam, aliquis lucratur, illa ab omnibus pœnis libera statim ad cælum evolet, quamtumvis magnæ pœnæ in extensione, & intensione solvendæ restent etiam ú sint usque ad iudicij diem duraturæ. Respondeo affirmativè cum communi fere Theologorum sententia. Ita enim docent Sotus, *4. dist.21.q.2.art.3.* Valentia *to.4. d.7.q.20.p.5.* Suarius *to.4.d.53. sect.3.n.3.* Coninch. *d.12 dub.70.n.45.* Navarrus *notab.22. n.18.* Tannerus *to.4.d.6.q.8.dub.4.* Trulench. *l.4. in Cruc. dub.9. n.4.* Hyeronimus Rodriguez *n.68.* Cruz *d.27. dub. 4. n.6.* Ledesma *to.2.p.4.q.29.art.3.* Lugo *d.27. sect.5. n.59.* & plures alij, constatque ex Bulla Leonis X. in Bulla contra Lutherum, quæ incipit: *Exurge Domine, &c.*

6 Nec ideo comparato hoc Iubilæo, v. g. pro uno defuncto ab alijs comparandis desistendum est, cum certò non constet omnia requisita posita esse ad valorem illius, sive ex parte sua, sive ex parte lucrantis, aut diligentiarum. Et si iam libera Anima evasit, ad illius accidentalem gloriam conducet Iubilæorum lucratio pro illa: semperque intentio adsit, quod si Anima, pro qua Iubilæum lucramur, eo non indiget, alteri indigenti applicetur.

7 Notandum tandem est, quod licét, ut quis lucretur hoc Iubilæum, sicut & alias quascumque Indulgentias plenarias, & non plenarias indigeat Cruciata in Regnis, ubi hæc promulgatur; non verò indiget ea, ut has, & illud lucretur pro Animabus purgatorij, quia, ut docent Martinus Carrillo, *in Bul. defunct. p.2.c.9.* & Trulench. *in Cruz l.1.§.9.dub.4* Indulgentiæ concessæ pro Animabus purgatorij non suspenduntur per suspensiones generales, v. g. per promulgationem Iubilæi in anno sancto; nec per Cruciatam, ut etiam ex ipsius Summario constat; nam in eo ait Commissarius: *Suspendimus omnes Indulgentias per dicta Regna,*

Regna, Dominia, Insulas, quibumſcuque Eccleſijs, Hoſpitalibus, & locis piis, Vniuerſitatibus, & Confraternitatibus, & ſingularibus perſonis conceſſus. Indulgentiæ verò conceſſæ pro Animabus purgatorij non comprehenduntur ſub hac clauſula; cum neque loca, aut communitates prædictæ ſint, neque pro ſingularibus perſonis in communi loquendi modo accipiantur.

8 Enim veró quis unquam purgatorij Animam perſonam nominavit? Licet enim phyſicè loquendo hæc ſit, *Rationalis naturæ individua ſubſtantia*, ſemper veró in iure civili, & Canonico, ac in Ponti cijs Bullis, in ſtatutis, alijſque iuridicis, & non iuridicis decretis, ſub *Perſonæ* nomine intelligitur, vel vivens modo, vel qui olim vivebat, ut vivebat, & comprehenditur maſculus, ac fæmina, ut notant Azebedo, *ad l. 1. n. 175. tit. 5. lib. 8. nouæ recopil.* Gratianus *diſceptat. forens. c. 58. n. 19* Barboſa *remiſſ. ad ordinat. Regni luſitanor. l. 4. tit. 36. n. 2.* Nec altari privilegiato propriè Indulgentia conceditur; ſed Animæ purgatorij, quæ eius fructum, ſcilicet ſolutionem pœnæ debitæ, percipit; & ita non ſuſpenduntur Indulgentiæ pro Animabus conceſſæ, ſeu potius alligatæ talibus Eccleſijs, altaribus, confraternitatibus, &c. Tum quia ex Summario cõſtat, quod ſolùm ſuſpenduntur illis, reſpectu quorum revalidantur, qui ſolùm viatores ſunt, cum ij tantùm Cruciatam ſumant.

DVBIVM XVI.

Vtrum tempore Interdicti poſsint ſolemniter pulſari campanæ ad commonendum populum de hoc Jubilæo Cõmunionis generalis?

1 AD huius Iubilæi nõtitiam ſpargendam campanæ ſolemniter pulſari ſolent in noſtra Societate, ſabbato antecedenti, meridiano, & nocturno tempore; nec non ſummo mane in ipſamet Communionis Dominica; ſæpe que contingit, (ut cum hæc ſcribo) tunc obſervari locale Interdictum: dubitaturque â plurimis, an tunc prædicta pulſatio liceat? Partem negativam probo 1. quia ex capite, *Alma mater*, tempore Interdicti ad nullum divinum Officium pulſari fas eſt: ſed adminiſtratio Euchariſtiæ ſolemniter facta à Sacerdote, vel veſtibus ſacris, vel extra ſacrificium ſuperpelliceo. & ſtola in duto, ut fit in hoc Iubilæo; eſt Officium divinum: ergo ad illam, ut pote tale, extenditur prohibitio illa, quod celebrari nequeat pulſatis campanis. Maior conſtat ex illo capite. Minor probatur ex Suario, *de interdict. d. 33. ſect. 3. n. 1.* aſſerente; *In celebratione diuinorum certum eſſe includi miniſtrationem Sacramentorum ex Officio*, immo & excommuni Doctorum, qui ut ait Filiuciùs, *to. 1. tract 18. ca. 3. n. 78.* docent: *Sub nomine diuinorum Officiorum omnia illa prohiberi, quæ ſubſtantialiter diuina ſunt, & non exercentur, niſi ab Eccleſiæ Miniſtris ad id deputatis*, ſeu ut loquitur Rodriguez, *to. 2. q. 109.* qui ſunt *Actus ſpecialiter deputati ſacro Ordini.* Talis abſque dubio hæc adminiſtratio eſt: ergo, &c.

2 Secundò, quia adminiſtratio hæc laicis tunc ſanis facienda, expreſsé prohibetur, ad illamque admitti nequeunt, ut conſtat ex capite *Alma mater*, ergo non poteſt laicorum populus ad illam campanarum ſonitu convocari. Sicut quia populus non eſt admittendus ad divina Officia; ad illa non eſt vocandus illo publico ſigno, nec alio æquivalẽti, quo ſolitum ſit vocari, ut communiter Doctores aſſerunt. Tertiò, ex conſuetudine probatur: cum enim hoc Iubilæum tempore Interdicti aliquõties ſit celebratum, & hinc inde exagitata ſit hæc controverſia, numquam viri docti, & timorati auſſi ſunt pulſationem hanc conſulere, & ad praxim reducere: ergo. Quartò; quia ſi ſolemniter fit hæc Communio campanarum ſonitu, Interdicti per Eccleſiam tranſeuntes ad eam ingredientur, adminiſtrationique Euchariſtiæ aderunt: ergo ita non eſt facienda.

3 Nihilominus partem affirmativam, probabiliorem, nec dicam certam, exiſtimo. Primò, quia licitum eſſe pulſare campanas tempore Interdicti generalis ad convocandum populum ad aliquas actiones, ſeu munia, etiam Eccleſiaſtica, aut ſacra, indubitatum eſt apud omnes, inter quos Bonacina, *d. 5. de interd. p. 4. n. 7.* ait: *Campanas pulſare licitum eſſe ad conuocandum populum ad concionem, ad comitandum Euchariſtiam, quæ miniſtratur infirmis, vel ad ſalutationem Angelicam, vel ad indicandam populo feſti diei ſolemnitatem, ad oſtendendas Reliquias.* Conſonant Enriquez *lib. 13. cap. 46. n. 1.* cum Villadiego, *reg. 39. n. 12.* Avila *de cenſ. p. 4. d. 4. ſect. 2. dub. 19.* addit-que uterque, *Pro aduentu Regis, aut Prælati*, pulſari poſſe: & Navarrus ex Calderino, *de Interdicto membro. 6. col. 16. cap. 27. n. 177.* ait: *Lo ſexto, que no ſe pueden tañer campanas, ni campanillas, para las horas Canonicas, aunque ſi para otros fines, como para la Aue Maria, o para moſtrar Reliquias, o para notificar horas, o otra coſa, o para predicacion, o otra coſa que no ſea Officio diuino.*

4 Igitur ſi ad indicandum, & notificandum populo aliquam rem, quæ non ſit Officium divinum, poſſunt pulſari campanæ, pulſari licebit etiam ad notificandum populo, Societatem noſtram, v.g. habere hoc indultum conceſſum à Pontifice, ut omnes, qui in noſtra Eccleſia communicaverint, lucrentur indulgentiam plenariam; & ad notificandum ſolemnitatem Dominicæ ſequentis, in qua ſolemniter manifeſtabitur Euchariſtia; & ad excitãdam memoriam, & animos fidelium, ut ad confeſſionem Sacramentalem, quæ prohibita non eſt tempore interdicti, ſe præparent, ac diſponant ad lucrandum Indulgentiam plenariam: cuius lucrationi abſolutè ut tali, non opponitur Interdictum, licet per accidens hęc expoſcat Communionem.

5 Secundò, quia manifeſtatio ſolemnis Euchariſtiæ, & illius adoratio extra ſacrificium, etiam ad campanæ ſonitum, ſine dubio licent tempore interdicti. Sic ex Doctoribus Enriquez, *lib.*13 *cap* 45 *.n.*2. ait: *Deferenda eſt Euchariſtia ad infirmos reuerenter cum ſolemnitate, & pulſu campanulæ, & lumine; poſſuntque recitari pſalmi, & preces, aut hymni à Sacerdote cum alijs, dummodo non recitet Horas Canonicas, & in reditu ab infirmis licet Euchariſtiam oſtendere populo, ubi mos erit.* Citat, præcipuè quoad campanulæ pulſationem, S. Antoninum, Calderinum, Sylveſtrum, Angelum, Tabienam, Armillam, & alios. Conſonant Suarius, Vgolinus, Sayrus, Coninch. & Philiarcus, quos refert, & ſequitur Bonacina, *d.* 5. *p.*3. §.2.*n.*1. Quibus adde Rodriguez, *to.*2. *q.*109. & Ludovicum de Torres, *l.*6.*d.*48.*dub.*2.

6 Quoad publicationem verò, & ſolemnem Euchariſtiæ manifeſtationem, ait Vivaldus, *de interd. n.*208. *Non eſt de actibus prohibitis per interdictum conſpectus Sanctiſſimi Sacramenti, niſi in Miſſa.* Eadem habet Navarrus citans Calderinum. *Sum. hiſp.n.*178. & Armillam. §. 45. addunt que hic, nec non Enriquez, *lit.Y.* Hyeron. Rodriguez *reſol.*80. *n.*14. hanc Euchariſtię publicam manifeſtationem licere, etiam coram Interdictis; quia hi non prohibentur, *Videre, & adorare Euchariſtiam*: non, quia hæc actio conſequens ſit ad illum comitatum à iure nunc permiſſum, quo defertur Euchariſtia ad infirmos, ut neſcio quis excogitavit, ſed *quia videre*, ut inquit Hyeronimus Rodriguez ex Emmanueli. *ſup.* & aſſerunt Doctores *ſupra, & adorare ſacroſanctum Chriſti Domini corpus extra Miſſam non eſt aſſiſtere diuino Officio, nec Sacramentum recipere.*

7 Igitur ſi hæc publica, & ſolemnis Euchariſtiæ oſtenſio, cultus, adoratio, & oratio tempore interdicti coram omni populo, ianuis apertis, etiam Interdictis, ſeu non habentibus privilegium non excluſis, licent; licebit etiam campanas pulſare ad convocandum populum ad hanc oſtenſionem faciendam, ad hanc venerationem, & cultum exhibendum, & ad preces fundendas coram Euchariſtia, quę veſpertino tempore ſolemniter manifeſtatur in Eccleſijs Societatis noſtræ, ubi tunc concio etiam fit? Et huic veneration, ſicut & contioni aſſiſtere poſſunt etiam Interdicti, & actióni ſolemni, qua Euchariſtia in Sacrario includitur, vulgò, *Al encierro del Sanctiſſimo Sacramento*, ſi fiat eo modo, quo dubio ultimo dicemus.

8 Nec obſtat quod populus intelligat ex campanarum pulſatione excitari animos Fidelium ad recipiẽdam Euchariſtiam pro lucrando illo Iubilæo: cum enim dentur aliæ cauſæ, quæ omnino adæquatæ, & ſufficientes ſint ad hanc pulſationem, licitè tempore interdicti præſtandam pro omni populo, licitè hæc fieri poteſt: quia ex cauſa aliqua de novo ſuperveniente licitum eſt ab omni diſpoſitione recedere, iuxta *l. de ætate. §. ex cauſa. ff. de interrogat. act. cap. non debet. de conſanguinitate, & affinit. cap. ſuggeſtum. de decimiſ.* & Decium, *conſil.*335. *vol.*2. Sicut ex eo quod campanæ pulſentur, ut tempore interdicti pulſantur, eo ſingulari ſonitu, interdictum indicante, tempore quo Horæ celebrãtur; vel ex eo quod tuba, aut ligneo inſtrumento, vulgo *matraca*, aut alio ſigno Canonici, & Eccleſiaſtici ad eas celebrandas convocentur, cognoſcit populus tunc celebrari; & tamen non ideo à pulſatione abſtinetur. *Nihil enim refert*, ut inquit Suarius, *d.* 34 *ſect.*1.*n.*16. *quòd populus intelligat tunc diuina celebrari; quia hoc non eſt prohibitum.*

9 Similiter, quis dubitabit, pro admonendis Fidelibus de defuncti morte, ut pro eius anima orent, indulgentiaſque lucrentur, pulſari poſſe campanas, *Doblando por los Difuntos*, licèt populus intelligat tunc celebrari, vel celebrandum eſſe pro eo Officium defunctorum? Sicut ad concionem pulſatur, etiam ſi ex pulſatione hac intelligat populus ſimul divina Officia facienda, ſiquidem concio ſit inter celebrandum, & ante celebrationem, vel immediatè, vel hora certa, iam aſſueta, & populo nota ad concionem pulſatur. Et quis dubitabit, pulſandas eſſe campanas pro ingreſſu Epiſcopi in aliquam Eccleſiam, etiam ſi ex illo ſonitu cognoſcat populus benedictionem Epiſcopalem cum baculo, mytra, & omni ſolem-

ſolemnitate ab ipſo dandam? Quæ actio, iux a plures, prohibita eſt coram Interdictis, ut potè divinum Officium.

10 Igitur quoties, ex aliquo fine licèt aliquis actus; ex hoc iudicandus eſt, & approbandus; non ex alio illicito; quia *Actus ſimpliciter geſtus cenſetur factus, eo modo, quo debuit*, iuxta *l. Gallus. §. quidam rectè. ff. de lib. & poſth. l. ſi hæreditas. §. Servus alienas. ff. de teſtam. tutel.* Et ſi dubitetur ad quem finem ordinetur hæc pulſatio, quæ ad plures fines indifferens eſt, ad eum, qui licet, ordinari credendum eſt, nam iuxta legem, *cum creditur. ff. de furtis. Actus indifferens in meliorem partem accipi debet.* Præterquam quod non eſſe prohibitam campanarum pulſationem ad adminiſtrationem, & receptionem Euchariſtiæ, mox videbimus.

11 Adde, quod pulſatione ad Communionem huius Iubilæi facienda, non convocantur, nec convocari poſſunt ex inſtituto ſeu natura ſua alij præter eos, qui admitti poſſunt tempore interdicti, tam ad Communionem, quam ad Officia divina; quia ſolùm convocantur habentes Bullam Cruciatæ: hi enim tantummodò capaces ſunt Iubilæum hoc obtinendi, etiam extra interdicti tempus: ergo convocari poſſunt cãpanarum ſonitu, & pulſatione, quia iuxta Doctores omnes ideo pro Miſſa eſt, & pro Horis Canonicis campanæ non pulſantur, quia ad eas admitti non poteſt populus tẽpore interdicti, ſicut extra illud tempus, & ſimilis pulſatio pro generali populi pulſatione inſtituta eſt: ergo pulſatio, quæ ſolùm fit pro ijs, qui privilegium Cruciatæ habent ad Iubilæi lucrationem neceſſariũ, ſolùm pro ijs inſtituta eſſe dicetur, ac ſimul pro eis convocandis eam licere.

Dvbivm XVII.

Rationibus in oppoſitum allatis ſatisfit, & nonnulla pro ſolemnitate huius, & ſimilium Iubilæorum, Euchariſtiæque manifeſtatione tempore Interdicti adnotantur.

1 AD primam rationem propoſitam dubio præcedenti in oppoſitum R. comprehendi quidem ſub divinorum Officiorum appellatione, adminiſtrationem Euchariſtiæ ſolemniter factam, ut debet, fieri, & ſolet in hoc Iubilæo; ſicut etiam ſub hac appellatione comprehenduntur omnes actus Sacro Ordini deputati, precibuſque ſacris faciendi, qui videri poſſunt apud Valdenſem *§. 2. n. 225.* Emmanuelem, *t. 2. q. 19. art. 19.* Hyeron. Rodrig. *ref. 8. n. 12.* Tulench. *l. 1. in cruc. dub. 2. n. 1.* & alios, attamen campanas non prohiberi

2 Probatur ex ipſo capitè, *Alma mater*, ubi prohibitio his verbis extat. *Adjicimus præterea, quod ſingulis diebus in Eccleſijs, & Monaſterijs, Miſſæ celebrentur, & alia dicantur divina Officia, ſicut prius; ſubmiſſa tamen voce, ianuis clauſis, Excommunicatis, ac Interdictis excluſis, & cum panis etiam non pulſatis.* Vbi ſub appellatione divinorum Officiorum, ad quæ campanarum pulſatio prohibetur, intelligi ſolùm *Horas Canonicas*, & non alias preces, ſeu actiones, etiam ſi pro divino Officio aliàs reputentur, mihi probabile videtur ex ipſo capitis contextu; cum ibi ſolùm agatur de Officio divino, in cuius aſſiſtentia diſtributiones, quotidianas Canonici, & Clerici lucrantur. Vnde immediatè additur: *Et tam Canonici, quàm Clerici Eccleſiarum, in quibus diſtributiones quotidianæ illis, qui horis interſunt Canonicis, tribuuntur, ſi ad Officia non venerint ſupra dicta, diſtributiones eaſdem amittant, ſicut interdicto perderent non extante, ſi diuinis Officijs non adeſſent.* Canonici autem, & Clerici ſolùm pro Horis Canonicis Regulariter loquendo, diſtributiones hæ competunt, non verò pro alijs ſupra dictis, nec pro adminiſtratione Euchariſtiæ, ad quam nũquam vocantur campanæ ſonitu. Vnde hæc clauſula ſubſequens antecedentem declarat, ut moris eſſe in utroque iure, docet Tuſchus *to. 1. lit. C. verbo. clauſula. fol. 464.*

3 Confirmatur ex illo verbo, *Supra dicta*, ibi *ſi ad Officia non venerint ſupra dicta.* denotat enim hîc fieri ſermonem de ijs Officijs, pro quibus campanæ pulſatio prohibita fuit, nam hæc dictio, *ſtat repetitivè, ac relativè ad omnia, quæ ſupra dicta fuerunt*, ut docent Verall. *Roman. deciſ. 42. n. 2. p. 2.* Flaminius *de reſign. to. 2. lib. 11. q. 11. n. 23.* Menochius, *conſil. 160. n. 33.* Maſcardus *de probat. concluſ. 1265. n. 34.* & alij. Nec deſſunt Doctores, qui huic interpretationi ſuffragentur; nam Hyeronimus Rodriguez, *ref. 8. n. 13.* ait: *Proceſſionis pertinere ad Miſſas, & Horas Canonicas, quorum celebrationem Pontifex omnino remouet in dicto priuilegio* Expreſſius Covarruvias, *2. p. relect. cap. Alma mater c. 4. §. 3. Intelligenda*, inquit, *eſt hæc prohibitio cymbalorum, & campanarum, quæ hic fit, quoad Horas Canonicas dicendas, & quoad Miſſarum ſolemnia celebranda: non tamen quoad alia.* Ergo cum pulſatio, quæ meridie, & nocte antecedenti ad Iubilæum, & quæ ipſius die, pro matutino, meridiano, & veſpertino tempore fieri ſolet, præcipuè in

noſtra

noſtra Societate, nullo modo ſit, nec intelligi valeat, quod fiat ad convocandum populum ad Miſſam, nec ad Horas Canonicas audiendas, aut recitandas, quia hæ publicè non celebrantur in noſtra Eccleſia, nec tali pulſandi modo, vulgò *Con tal repique*; nec eo tempere ad Miſſam, & Horas Canonicas pulſari unquam ſoleat, minimè credendum eſt prohiberi.

4 Sit huius interpretationis confirmatio, ſecundæque obiectionis reſponſio Reginaldi ſententia, & explicatio, qui *lib.* 32. *tract.* 3. *c.* 28. *n.* 33. ait: *Quartum eſt: conceſſionem illam in illo cap. Alma mater.* §. *adiicimus, factam, ſic accipiendam eſſe, ut non extendatur ad Sacramentorum adminiſtrationem, quoniam de ea ſermo non eſt in illo paragrapho, cum in præcedentibus iam eſſet de ea diſpoſitum:* ergo licèt ex ſe ſit Officium divinum, & prohibita Euchariſtię adminiſtratio tempore Interdicti, adhuc ad illius receptionem in hoc Iubilæo faciendam convocari poterit populus; quia hæc convocatio campanarum ſonitu non prohibetur in eo. §. iuxta dicta, nec in alio invenitur ſimilis prohibitio.

5 Adde ex Enriquez, *lib.* 13. *cap.* 45. *n.* 2. verba illa: *Dum Priuilegiatus communicat poteſt populus intereſſe.* Cui conſonat Bonacina, *ſup.* §. 2. *n.* 2. dicens: *Addo cum Armilla, & alijs poſſe miniſtrari Euchariſtiam coram Interdicto: tunc enim Euchariſtia non miniſtratur perſonæ interdictæ, nec in loco interdicto, ſed in præſentia perſonæ interdictæ, quod non eſt prohibitum.* Et licèt videantur loqui hi Doctores de Communione infirmi, eadem eſt ratio de Communione ſani extra ſacrificium Miſſæ, vel illi nõ intereſſendo. Nec obſtat quod fiat in Eccleſia; æquè enim tunc prohibetur, Horis Canonicis, & Miſſæ adeſſe in Eccleſia, ac extra illã: ſumitur enim hæc prohibitio á ſubſtantia actionis huius, nõ à loco; & hic, etiam ſi ſit extra Eccleſiam, interdictus etiam eſt, ſicut & Eccleſia. Addit Enriquez (fides ſit apud ipſum) quod: *Quidam Regulares ex abundanti, priuilegium habent, ut tunc coram alijs poſſint recipere, & dare Sacramentum.* Igitur ſi Privilegiati poſſunt communicare, & Interdicti aſſiſtere Communioni extra Miſſam, ut fieri communiter ſolet in noſtro Iubilæo; populus, qui ex illis tantùm conſtat, convocari poterit campanarum ſonitu; ad hanc Communionem illi; & ad hanc aſſiſtentiam iſti; præſertim cum ex dictis; alij tituli extent ad hãc pulſationem.

6 Nec obſtat caput, *Licet de priuilegys.* Vbi non ſolùm Miſſæ, & Horæ Canonicæ prohibentur, ſed *Omnia diuina*; ſub quibus Sacramentorum adminiſtratio comprehenditur. I. Quia caput *Alma mater*, illa omnia ad Miſſam, & Horas limitavit, cum ſit iuxta Gloſſam, & Doctores, *Reſtrictivum iuris præcedentium.* II. Quia in dicto capite campanarum pulſatio non prohibetur, etiam ad illa divina: nam dicitur. *Licèt vobis cõceſſum exiſtat, ut Interdicti tempore ianuis clauſis, excommunicatis, & Interdictis excluſis, ſic voce ſubmiſſa diuina celebrare poſſitis, ad ea tamen aliquos & ſi alibunde venerint, niſi ſuper hoc priuilegiati exiſtãt, recipere nullatenus debetis.* Idem ſentiendum circa verba ea, *cap. ſententia. de ſent excom.* ibi: *Cum diuinorum auditio, & Sacramentorum perceptio populo, aut vniuerſis tunc competant.*

7 Ad tertiam obiectionem R. non adeo conſtantem eſſe cõſuetudinem: teſtis enim ocularis ſum in Vrſoanẽſi, & Baecenſi Vniverſitate ſenſiſſe viros doctos ad ſolemnitatem noſtri Iubilæi indicandam poſſe cãpanas pulſari; ſicut pulſatas ibi fuiſſe memini, & cum ſolemni campanarum ſono Euchariſtiam manifeſtatam, & recluſam fuiſſe. Et licèt conſuetudo hæc diu viguiſſet, ſi ex errore, aut ignorantia forſan iuris fuit orta, cur huic ſtandum erit? *Conſuetudinis enim, uſuſque longæui non leuis authoritas eſt: verum etiam non uſque eſt ſui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem ſcriptam,* inquit Imperator Conſtantinus. *tit. Quæ ſunt longa conſuetudine.* & affertur. *diſt.* 11. *ca.* 4. Sic in titulo, *de conſuetudine*, plura abrogãtur circa ritus Eccleſiaſticos; quæ lõga conſuetudine in aliquibus Eccleſijs ſtabilita erãt.

8 Præterea, quia nec conſuetudo, immo nec præſcriptio, quę fundantur in ignorantia, vel impediunt actum Religionis, qualis eſt cultus hic exterior pro Euchariſtia exhibendus, vim legis habent, ut docet Ioannes Sanchez, *diſp.* 26. *n.* 13. *d.* 54. *n.* 33. *d.* 51. *n.* 19. & ut ipſe probat, *d.* 50. *n.* 14. ex actu negativo, ſeu non uſu (campanarum videlicet ad hunc finem) non introducitur conſuetudo, cum ea ſit, *Communis actuum repetitio*, & Doctores, qui non ſunt auſſi hãc ſententiam ad praxim reducere, ſcriò eam nõ tractarunt, rationes ponderando, ad quas potiùs, quàm ad illos reſpicere opportet. Nam ut Dominicus de Sancto Germano, *diſt.* 9. cap. *ego ſolis*; dixit: *In oppinionibus approbandis non debet haberi reſpectus ad auctoritates Doctorum, ſed ad rationes urgentes, iuxta id; Non te moueat docentis auctoritas, ſed iuris ratio.* Præterquam quod, cum nullus ex Scriptoribus hãc excuſſerit quæſtionem, nullus negavit.

9 Ad ultimum Reſpondeo, non ſequi neceſſariò ex campanarum pulſatione Interdictos ingreſſuros Eccleſiam, cum miniſtratur Euchariſtia; cum enim ſciant tunc

Miſſas

Missas celebrari, cognoscun pariter aditum illis esse prohibitum; sicut & cognoscunt, ex eo quod ianuas clausas aspiciant. Præterea, quia, ut verbis Dianæ, 5. *p. tract.* 10. *resol.* 72. utar: *Ego puto probabiliter posse Interdictum ab ingressu Ecclesiæ, transire per Ecclesiam dum celebrantur diuina Officia, y hazer oracion de passo. Ita ex Navarro docet Avila, p.* 5 *d.* 4. *dub.* 5. *concluſ.* 6. Hæc ille; sed immeritò citat Avilam *ibi.*

DVBIVM XVIII.

Praxis pro celebrando hoc, & similibus Iubilæis tempore Interdicti, quo ad campanarum pulsationem, & alias solemnitates, & Eucharistiæ manifestationem, iuxta Societatis Iesu, & aliarum Religionum morem.

1 IN primis sabbato antecedenti ad duodecimam diei horam solemniter pulsantur, seu pulsari possunt campanæ, ut solent extra tempus interdicti, ac similiter nocte eadem post recitationem Salutationis Angelicæ; nec non in Dominica Iubilæi summo mane hora solita. Deinde dum Missæ celebrantur, & administratur Eucharistia lucraturis Iubilæum, clausæ sint omnes ianuæ Ecclesiæ, tam quæ ad publicas vias, quàm quæ ad domum, seu ad atrium respiciunt. Hæ autem claudentur, ut verbis utar Suarij. *d.* 34. *sect.* 1. *n.* 13. *Quando patet aditus ad ipsum claustrum, qui aditus tempore interdicti non solet esse impeditus quia ratione finis, & ratione verborum legis comprehenduntur.* Cãpanula nõ pulsetur ad *Sanctus*, nec ad elevationem Eucharistiæ in Missa, & licèt iuxta dicta posset pulsari pro oblatione Eucharistiæ, cum post sacrificium, vel extra illud hæc administratur; consultius tamen erit non pulsari, cum simul in eadem Ecclesia Missæ celebrentur; & ne turbatio, aut scandalum, licèt leve, oriatur; nec ita necessaria est hæc pulsatio ad cultum Eucharistiæ, ut omitti non possit.

2 Meridie pulsari etiam poterunt solemniter campanæ, ut moris est extra interdicti tempus pro indicanda populo Eucharistiæ manifestatione, & excitanda memoria eorum, qui mane communicaverunt, ne obliviscantur preces fundere in Ecclesia ad lucrandum Iubilæum necessarias, si forsan iam non fudere, & pro publicanda denique ultima illius diei solemnitate. Item cum ex Sacrario Eucharistia in solio suo collocatur, & populo ostenditur, si sine ullo Officio diuino fiat, etiam si antecedat confessio generalis, ut solet: & Sacerdos indutus cum pluviali, vel cum superpelliceo, & stola eam manifestet, pulsari possunt solemniter campanæ, & campanulæ ab Acolytis, cum tunc Missæ non celebrentur; pulsenturque item more, & tempore solito ad concionem vespertinam.

3 Tempore autem, dum Eucharistia in solio manifesta cum pompa, & solemnitate consueta adest, possunt cantari in choro, vel extra a Cantoribus quibuscũque Hymni, vel psalmi aliqui, aut carmina devota; tum vulgari lingua, quæ vulgo dicuntur, *Chanzonetas, y motetes a lo diuino*, vel latina, ut *Pange lingua, &c. Sacris solemnijs iuncta sint gaudia*, & similia, organis etiam, vel alijs musicis, Ecclesiasticisque instrumentis sonantibus: immo & Litaniæ sine oratione, & solemnitate dicta dici possunt eo modo, quo docet Emmanuel, *to.* 2. *q. to.* 9. *art.* 2. Et hæc omnia fient apertis ianuis, cum omnis populus, etiam Interdicti possint his interesse, & venerationi Eucharistiæ solemniter obtensæ adesse ut vidimus sup. *Non enim est prohibitum*, ut cum Armilla *n.* 45. loquar, *inspicere Hostiam extra pyxidem, & adorare tempore interdicti.* Illis etiam Hymnis, Psalmis, & carminibus adesse posse patet, cum eo modo cantata non sint Officium divinum. Vnde omnes Doctores conveniunt posse hæc cantari tempore interdicti, dum per vias publicas Eucharistia ad infirmos defertur.

4 Et præterea *Leo X. concesit Fratribus Minoribus, quod tempore interdicti ordinarij possint prædicti Fratres Minores facere processiones per claustra sua, dicendo Litanias, vel hymnos, aut alia deuota carmina; dum tamen aliquod diuinum Officium non dicant.* Ita habetur in Ordinis supplemento, *fol.* 62. & in compendio Mendic. *tit. interdict. l.* 5. 2. Circa quod privilegium consule utrumque Rodriguez, Emmanuelem, *to* 2. *q.* 109. *art.* 2. Hyeronimum *resol.* 80. *n.* 13. Et meo iudicio nihil ultra ius commune concedit, ut innuit Emmanuel, sed ad rem nostram in eo satis ostendit Pontifex hęc omnia Officium divinum non esse: ergo dum illa dicuntur, manifesta Eucharistia, poterunt etiam Interdicti adesse.

(:§:)

DVBIVM VLTIMVM.

Praxis pro Euchariſtia eo tempore, & Iubilæo, ſolemniter in Sacrario recludenda.

1 POST hæc, concio ſequitur, pro qua audienda tempore Interdicti vocari populum campanarum ſonitu ſemper in Eccleſia conſtitit. Poſt concionem etiam alij Hymni, Pſalmi, vel carmina Eccleſiaſtica coram Interdictis cantari poſſunt. Difficultas verò eſt, an illis liceat adeſſe functioni, qua Euchariſtia ſolemniter recluditur à Sacerdote veſtibus ſacris, vel ſaltèm cum ſuperpelliceo, & ſtola, preces ſacras, & orationem cum *Dominus vobiſcum*, dicantur, quæ omnia divinum Officium conſtituunt? Circa quod dicendum eſt, hoc licere iuxta ſententiam probabilem declaratam Dub. 17. quæ aſſerit, quod poſſit populus vocari campanarum ſonitu ad omnia divina Officia præter Miſſas, & Horas Canonicas: quod ſi vocari poteſt, etiam adeſſe; quia eadem ratio eſt de utroque; immo de omnibus illis conditionibus, de quibus fit mentio, *in cap. Alma mater*: videlicet: *Non pulſatis campanis, ſubmiſſa voce, ianuis clauſis, excommunicatis, ac interdictis excluſis*, cum æquè omnia hæc, ut limitatio antiqui iuris, & privilegium novi, ſtabilita ſint in dicto capite, *Alma mater*. §. *Adijcimus*. Vnde ſolùm pro celebratione Miſſarum, & recitatione Horarum; non verò pro alijs, quæ ſub divinorum Officiorum appellatione cõprehenduntur, ex iure iſto novo claudendæ ſunt portæ, vox demittenda, & Interdicti, ſeu non Privilegiati excludendi, ſi cauſam Interdicto non dederint.

2 Nihilominus, ſi aliquis ſit ſcrupuloſior, quàm par eſt, ianuæ claudantur, dum functio Euchariſtiam ſacram recludendi exercetur: moneanturque, ſi videbitur, à Concionatore è ſuggeſto Fideles, ne quis huic functioni adſit, niſi habeat Bullam Cruciatæ; & ſi monitionem hanc neceſſariam non exiſtimem, cum videamus apertis ianuis inter Solemnia concionari, & licét finitra contione Miſſa ſolemnis, & aliæ immediatè celebrentur, de hoc non admonetur populus, ne ſine privilegio interſit.

3 Et ut ſcrupulis locus non detur, animadvertendum eſt, hanc eandem functionem cum ſimili ſolemnitate, ea Hymni parte decantando: *Tantum ergo Sacramentum*, cum verſiculis: *Panem de cælo, &c. & Dominus vobiſcum*, nec non cum oratione, *Deus qui nobis, &c.* iuberi ab Eccleſia, fieri à Sacerdote, quando redit á miniſtranda Euchariſtia in firmo, & publicè, ſolemniterque fieri poſſe coram Interdictis, praxis, uſuſque receptus docent, ſentiuntque Doctores relati, *dub. 16. n. 5.* Nec ideò hæc fiunt, & licent, quia in iure conceditur adminiſtratio Euchariſtiæ pro infirmis, & conſequentia ſunt ad illam adminiſtrationem; ſed quia non ſunt prohibita, & par eſt, ut Euchariſtia cum omni decentia, cultu, & ſolemnitate eat, redeat, & recludatur. Cum igitur eadem ratio militet in noſtro caſu, etiam hæc in illo licebunt, cum extra Miſſam, & Horas Canonicas fiat hæc functio.

4 Ex dictis fit, campanas pulſari poſſe pro hac functione recludendi Euchariſtiam, ſeu ut vulgo dicitur, *Repicar al encierro del SS. Sacramento*; ad exhibendum maiorem cultúm Euchariſtiæ, ac ſolemnitatem Iubilæo. Similiter pulſari licent ab Acolytis cãpanulæ, dum oſtenditur populo Euchariſtia, antequam recludatur intra Sacrarium; cum hæc pulſatio extra Miſſam, & Horas Canonicas non prohibeatur à Doctoribus; ſicut non prohibetur pro oſtenſione Euchariſtiæ pro reditu ab infirmo; nec cum hæc per vias, ac plateas defertur. Et ſanè meo iudicio huiuſmodi pulſatio etiam in Miſſa potius ex conſuetudine, quam ex iure prohibita invenitur, ut ſentit Ludovicus de Torres, *l. 6. d. 149. dub. 1.* cum in illa ceſſet ratio prohibitionis; quia illud ſignum non datur ad convocandum populum, ſed ad excitandum mentes audientium, ut illi attentiùs adſtent, Corpuſque Domini devotiùs adorent. Et ad has functiones manifeſtandi, & recludendi Euchariſtiam per campanas licere cõvocare Clerum, vel Religioſorũ cętum ex dictis ſatis colligitur.

5 Non dubito placituram Sapientibus veritatem huius reſolutionis, ſed forſan aliquos ad illius executionem vel timor, vel novitas retrahet: *Ibique trepidabunt, vbi non eſt timor*. Sed ſi hoc exequi nolunt, quia nullus præcedit exequendo; cur non erunt Duces in re, quæ ex principijs a Doctoribus traditis ita probabilis à Sapientibus iudicari debet. Et ſi probalibis. *Praxim tamquam obiectũ reſpicit*, ut docent Thomas Sanchez, *d. 4. n. 5. lib. 2. de matrim.* & Ioannes Sanchez, *d. 44. n. 63. & d. 54. n. 1.* Exiſtimoque hac tenus in ſuis Iubilæis, & in materia præſentis caſus Prelatos Religionum ſe geſiſſe, ſicut Doctores in ſuis deciſionibus ſæpiſſime, de quibus ſapienter Decius, *conſil. 481. n. 12. Doctores imitantur aues, quia quando una volat, omnes aliæ Sequuntur, & pecudũ more unam ſequuntur.*

FINIS TRACTATVS I.

AD IVBILÆVM QVADRAGINTA HORARVM, APPENDICIS TRACTATVS SECVNDVS.

DVBIVM I.

Quænam huius Iubilæi formula?

1 MYSTERIIS ſcaturientem Quadragenarium Numerum ex ſacra pagina Sancti Patres, & Interpretes venerandum cognoſcunt; hæcque Myſteria videri poſſunt apud Sanctum Iſidorum, *de Eccleſ. offic. lib. 1. cap. 37.* & Petrum Bongum *lib de myſterijs Numeror. verbo, Quadraginta.* Chriſti igitur Vicarij hunc Numerum, ſeu divina illius myſteria, qua par eſt, veneratione colentes: ad ipſorum honorem, Chriſti Domini gloriam, & Chriſtiani populi utilitatem, quadraginta horarum Iubilæa inſtituerunt. Pro horum exemplaribus indultū Domui profeſſæ Hiſpalenſi Societatis noſtrę à SS. D. N. P. Vrbano VIII. conceſſum ſufficiat: omnia enim ſimilia ſunt, vel ſi in aliquo differunt, eorum explicatio ex huius interpretatione patebit; ac ſic ſe habet.

VRBANVS PAPA VIII.

VNIVERSIS CHRISTI Fidelibus, &c.

2 *AD augendum Fidelium religionem, & animarum ſalutem cæleſtibus Eccleſiæ theſauris, pia charitate intenti; omnibus utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui Orationi quadragintæ horarum de licentia Ordinarij, in Eccleſia Domus profeſſæ Presbyterorum Societatis Ieſu Hiſpalenſis, inſtituendæ, per aliquod temporis ſpatium deuotè interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint: plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus ad ſeptennium valituris. Volumus autem, ut ſi aliàs Chriſti Fidelibus in dicta Eccleſia præmiſſa peragenti aliquam aliam indulgentiam perpetuo, vel ad tempus nondum elapſum duraturam, conc eſſerimus: quodque ſi pro præſentatione, admiſſione, aut publicatione præſentium aliquid, vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, penitus nullæ ſint. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 4. Decembris 1634. Pontificatus noſtri anno 12.*

DVBIVM II.

Quid circa Locum, Tempus, & Orationem huius Iubilæi ſentiendum ſit?

1 CIRCA Confeſſionem, & Communionem ad obtinendum huiuſmodi Iubilæum neceſſaria, idem omnino tenendum, quod circa alia hanc clauſulam continentia: *Verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis:* ſtatuimus Tract. 1. Dub. 3. Circa *Locum*; non eſt dubium, quin Iubilæum hoc non obtineatur in alijs Eccleſijs Societatis noſtræ Hiſpali erectis; vel erigēdis; cum non in generali pro omnibus Societatis Eccleſijs, ut in Iubilæo Communionis generalis, ſed pro Eccleſia tantùm huius Domus profeſſæ, concedatu: immo nec in Oratorijs, aut Capellis domus huius, aut ipſius prædiorum obtinetur: cū in illis non inſtituatur hæc Oratio quadraginta horarum, ſecus de Capellis Eccleſiæ.

2 Maior difficultas eſt circa *Tempus, & Orationem*, Nullum tempus à Pontifice prefigi, à quo inchoanda ſit hæc oratio, ac pro inde huius Iubilæi lucratio, ſatis conſtat ex prædicta formula: ſecuſque eſt in alia, in qua idem SS. ſeptem annos a alios prorogavit illud, 31. Auguſti, anno 1641. his verbis: *Qui orationi quadraginta horarum continuatarum, non autem interpollatarum, de licentia Ordinarij in Eccleſia domus profeſſæ, Societatis Ieſu Hiſpalenſis, Dominica quinquageſimæ inſtituendæ, per aliquod temporis ſpatium deuotè interfuerint.* In qua clauſula docemur inchoandam, eſſe orationē, & Iubilæum a qualibet hora Dominicę Quinquageſimę. Aptiorem autē horā veſperarū, ſeu tertiam pomeridianam ego iudicarem, ut ita extenderetur ad ſeptimā matutinam Ferię tertię; ſicque Iubilęum

tres eos complecteretur dies, & ut eos complectatur neceſſe eſt; ſiquidem noctu, diuque continuandæ ſunt horæ.

3 Aliter verò exiſtimandum eſt in Iubilæo, quod explanamus: cum enim continuationem hanc horarum illud non exprimat, interruptionẽ pati poſſe videtur: ubi enim lex non diſtinguit, nec nos diſtinguemus. Vnde diurnas ſolùm horas aſſignare pro illo licebit: ut ſi incipiat Dominica Quinquageſimæ mane ab hora ſexta, uſque ad ſextam veſpertinam: & Feria ſecunda, & tertia ab hora quinta uſquè ad ſextam, ita quadraginta horæ conſtituuntur.

4 Dubitarunt aliqui, an neceſſe ſit orationem eſſe continuam per has quadraginta horas, ita ut in Eccleſia, ubi hoc Iubilæum obtinetur, ſemper aliqui, vel ſaltem aliquis orationi inſiſtat? Sic enim verum erit in hac Eccleſia, *Orationem quadraginta horarum*, haberi. Sed continuationem hanc orationis non expoſci a Pontifice ad obtinendum hoc Iubilæum manifeſtum eſt; tum ex verbis illis: *Qui orationi quadraginta horarum inſtituendæ interfuerint. Inſtituere* autem ibi, non continuare, aut perficere ſignificat, ſed *Incipere*, iuxta latinæ linguę vim. Sic Cicero *pro Cluen. Vt facere inſtituiſtis benignè, attentèque audiatis.* Hinc *Inſtitutor* dicitur alicuius artis, qui eam invenit, aut eam exercere cæpit. Confirmatur hæc declaratio ex formula ſimilis Iubilæi, quod pro univerſis Chriſti fidelibus edidit idem ſanctiſſimus die 22. Octobris anno 1624. ubi: *Piam quadraginta horarum orationem in Eccleſia Lateranenſi, &c. inchoandam, & ſemel pro qualibet Eccleſia peragendam indicimus, & inſtituimus.*

5 Præterea, ſi hęc continua oratio ſine ulla interruptione, tamquam conditio, aut diligentia requireretur, nullus ſciret, an diligentias neceſſarias præſtitiſſet ad lucrandum hoc Iubilæum; nec in ipſius eſſet poteſtate eas exequi: ſiquidem ignorat, an continuata ſit oratio, nec eam continuari facere poſſet; & quod unus lucraretur Iubilæum á plurimorum voluntate, & diligentia penderet; quod eſt abſurdum.

6 Igitur terminus, vel vox *Continuatio* quadraginta horarum orationis, non ſupra Orationem, ſed ſupra tempus appellat; ſenſus enim eſt, hoc Iubilæum concedi, aut durare per quadraginta horas continuatas, iuxta ultimam formulam, vel ſi, vellimus, diſcontinuatas, iuxta primam, in quibus omnibus, ſeu in quocumquè harum horarum intervallo, quicumque Fidelis, qui præmiſſa confeſſione, & Communione, vel poſtpoſita, per aliquod temporis ſpatium preces fuderit, pro fidei exaltatione, &c. indulgentiam plenariam conſequitur. Satis declaravit hoc idem Pontifex in Iubilæo proximè relato anni 1624. dum ait: *Monialibus ſimiliter verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, quæ tempore orationis prædictæ in ſuorum monaſteriorum Eccleſijs ſimiliter, ut ſupra orauerint, plenariam, &c.* Et certum eſt in prædictis Monialium Eccleſij continuam per quadraginta horas orationem non requiri, ſed tempus ſolùm quadraginta horarum, in quo, ſeu in cuius aliqua particula, unaqueque Monialium orare, & lucrari valeat Iubilæum, aſſignatur ſicut duæ hæbdomadæ, in illarum Iubilæo aſſignantur, & tempus intercedens â primi, veſperis uſque ad occaſum Solis, in omnium fere ſolemnitatum Iubilæis.

7 Temporis autem ſpatium, in quo orandum eſſe Pontifex lucranti Iubilæum ſtatuit, fixum non eſt, *Sed pro ut unicuique ſuggeret devotio*; ut ipſe Pontifex exprimit in Iubilæo relato anni 1624. *per aliquod temporis ſpatium preces fundat*, iuxta ea, quæ diximus Tract. 1. Dub. 14. Denique circa licentiam Ordinarij ad hoc Iubilæum requiſitam, conſule eiuſdem Tractatus 1. Dubium 10. Minimè etiam ad illud lucrandum manifeſtationem auguſtiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti exigi, ſut fieri ſolet in his tribus Bachanalium diebus à Dominica Quinquageſimæ ad feriam tertiam ſubſequentem] ex formula patet; ubi nec huiuſmodi manifeſtationis, nec orationis coram illius Tabernáculo faciendæ, nec Euchariſtiæ mentionem, aut verbum ullum invenies. Immo ſi in Eccleſia pro hoc Iubilęo aſſignata, Euchariſtia non ſervaretur, ad illius lucrationem non obſtaret: ſicut nec neceſſarium eſt, in ara maxima, in qua his diebus manifeſtatur, ſed in quocumque altari, vel Eccleſiæ loco ſufficiet.

8 Hæc tamen dicta ſint attento verborũm rigore; nam alicui forſan praxis, unde optima legum, & indultorũ interpretatio ſumitur, nos obſervare docuit, quod Romæ, & ubique terrarũ, ubi 40. horarum oratio inſtituitur, Euchariſtia manifeſta eſt illo toto tempore. Sed adhuc pro lucratione Iubilæi hanc manifeſtationem non requiri exiſtimo, ſicut non requiritur quæ ſemper, & ubique fieri ſolet tempore veſpertino in Iubilæo Communionis menſtruæ iam explicato. Hæc autem manifeſtatio introducta, & conſervata eſt in his Iubilæis pro celebriori illorũ promulgatione, cultu, & ſolemnitate, nec non maiori concurſu, devotioneque Fidelium.

DVBIVM III.

A quo tempore incipiat, & in quo terminetur conceſſio huius Iubilæi? Ad illam clauſulam: *Præſentibus ad ſeptennium valituris?*

1 SVPPONO, ut omnino certum, ante notitiam huius Iubilæi factam ijs, in quorum gratiam conceditur, ſeptennij tempus non incipere; nam *Ignoranti non currit tempus* ut ex *l. Quanduc. c. qui admitti ad bon. poſſeſſ.* docent Flaminius *de reſignationibus lib.* 11. *q.* 4. *n.* 38. Calder. Pereira *de renouat. emphit. q.* 7. *n.* 13 *cum ſequentibus*, Barboſa *de principi lil. Y. n.* 4. & ſicut epiſtolæ Pontificiæ non habent vim legis, niſi publicentur eo modo, quo publicari ſolent, ut, probat Bonacina, *diſp.* 1. *de leg. p.* 4. *n.* 12. ita horum Iubilæorum indulta, quæ magnopere Pontificijs epiſtolis aſſimulantur, ut pote miſſa ad univerſſos Chriſti Fideles, illis in litteris favores ſpirituales impertiendo; valorem non habebunt, antequam ipſis à quibus, executioni mandanda, & quibus conceſſa ſunt, conſtent.

2 Vnde ſi Pontifex Iubilæum conceſſit anno 1640. in gratiam alicuius Civitatis Eccleſiæ, vel perſonę ad quatuor tantùm annos valiturum, & ad Civitatis, vel Eccleſię Rectores uſque ad annum 44 indultum non pervenit; vel quia Romę, aut alibi retardatum eſt, & vel ob iniuriam temporum, aut oblivionē Curialis, aliam ve cauſam, de illo non conſtitit; per quatuor annos ſequentes, & uſque ad annum 48. valebit: deeſt enim huic indulto publicatio neceſſaria, quo uſque ad notitiā perveniat, ut illius tempus currere incipiat: eſt enim privilegium, in hoc inſtar legis: nullam autem legem, ſive Civilem, ſive Eccleſiaſticam, ſine publicatione, aut promulgatione obligationem inducere concors eſt Theologorum ſenſus cum S. Thoma 1. 2. *q.* 90. *art.* 4.

3 Maior autem difficultas eſt; an ſeptēnnium huius Iubilæi neceſſariò computandum ſit, ex quo ad notitiam pervenit eorum, inquorum gratiam eſt conceſſum; vel pro ipſorum arbitrio differri valeat poſt duos, aut tres annos, & poſt hos per ſeptem annos integros duret? In quo dubio non ſine probabilitate in hunc ſecundum modum hos annos computandi propendeo: Pontificis enim intentio eſſe videtur, ut Fideles por ſeptem annos huius Iubilæi gratia in hac Eccleſia fruantur, nec determinat hos potius, vel illos annos futuros, & mediate, vel immediatē ſequentes conceſſionem, vel publicationem: cum non dicat: *Præſentibus ad ſeptennium ſubſequens valituris*; ſed tantùm; *Præſentibus ad ſeptenium valituris*. Et ſenſus eſt, hoc Iubilæum ſeu huius Iubilæi conceſſionem per ſeptem annos duraturam eſſe, ac ſi dicat: Concedo, ut ſeptem annis hanc indulgentiam plenariam ſepties lucrentur Fideles in ſingulis annis Sicut ſi Rex abſoluté alicui concederet, ut per ſeptem annos vectigalium onere eximeretur, annos verò quoad illorū initium non determinaret, aut limitaret, poſſet Privilegiatus eligere ſeptē annos, quos vellet.

4 Si verò in Iubilæorum indultis exprimeretur, quod anni inciperent a die editionis litterarum Apoſtolicarum, vel a die publicationis ipſarum in ſingulis locis, ut exprimitur in Cruciata, non eſt dubium, quin ab eò die inciperent: intentio enim Pontificis indulgentias concedentis tūc pateret. Et licēt hæc ita ſe habeant, conſulerem, ut quàm primùm Iubilæi indultum ad eos, inquorum gratiam, ſive ad quorum inſtantiam conceditur, perveniat; publicari, & obtineri faciant, ita ut primus annus incipiat, ſi fieri poſſit, á primo anno, in quo Apoſtolicæ litteræ ſunt receptæ. Si verò Iubilæi conceſſio ſit prorogatio alterius, cuius ſeptenium: v.g. nondū ſit elapſum, donec elapſum ſit, non incipiet prorogationis tempus.

5 Animadvertenda verò ſunt tria. I. hos ſeptem annos non interpolatos, ſed continuatos debere eſſe, ſic enim receptum eſt in praxi, ex qua Pontificis intentio appareat; & aliter maxima confuſio, eſſet, tum in annorum computatione, tum in Iubilęi lucratione. Secundum nota, hos annos non ſolares, ſeu naturales, á conceſſione; vel publicatione Iubilæi computandos; ſed morales, aut Eccleſiaſticos, incipiendo à die, qua in primo anno obtinetur Iubilæum ad diem illi correſpondentē in ſeptimo anno, iuxta ea, quæ Villalobos, *tract.* 27. *clauſ.* 4. *n.* 8. Ludovicus á Cruce, *in Bul. diſ.* 1. Enriquez *lib.* 7. *ca.* 20. *n.* 2. *lit. O.* & Trulench. *in Bull. l.* 1. *§.* 1. *dub.* 2. *n.* 8. aſſerunt circa annum Eccleſiaſticum, quo Cruciata á publicatione in ſingulis locis durat, & iuxta ea, quæ nos docuimus, *Tract.* 1. *dub.* 2. Vnde poſſet contingere non intercedere ſeptem annos ſolares integros, & compleri Eccleſiaſticos, quoad durationem huius Iubilæi; cum ſemper obtinendum ſit iuxta formulam ſecundam, & iuxta conſuetudinem obtineri ſoleat á Dominica quinquageſimæ; quæ nec diem, nec menſem fixum habet.

6 Conceditur igitur hoc Iubilæum pro ſeptem Dominicis quinquageſimæ cum diebus ſequentibus per quadraginta horas, aut pro ſeptem diebus ſancti Ioſephi; ſive ſex, ſive ſeptem, ſive octo anni ſolares hos dies immediatè ſubſequentes complectantur. Tertium adverto: quod ſi ante ſeptennium præfixum Pontifex, ut poteſt, revocaret Iubilæum: non obſtante revocatione, ſi hæc non perveniat ad aures eorum, quibus conceſſum fuit, adhuc illud durat. Pontifex enim non præſumitur illud revocare, donec revocationis notitia habeatur: alioqui fieri poſſet, ut multi opera præſcripta ad Indulgentiam conſequendam exequentes, illa abſque ipſorum culpa defraudarentur. Sic Graphis, *cap.* 8. *n.* 18. Reginaldus *lib.* 7. *n.* 167. Sa *verbo Indulg. n.* 9. Bonacina *diſp.* 7. *q.* 1. *p.* 7. *n.* 8. Corduba *q.* 36. *propoſ.* 3. Suarez *diſp.* 57. *ſect.* 2. *n.* 8.

DVBIVM IV.

Vtrum valeat prædictum Iubilæum, ſi pro eodem tempore in eadem Eccleſia aliud extet iam conceſſum? Ad illam clauſulam:

Volumus autem, ut ſi alias Chriſti fidelibus in dicta Eccleſia, præmiſſa peragenti aliquam aliam Indulgentiam perpetuo, vel ad tempus nondum elapſum duraturam conceſſerimus, præſentes nullæ ſint.

1 FVNDATVR hæc clauſula in regula 57. Cancellariæ, ſtatuenti, ut notavit Suarius, *diſp.* 57. *de Indulg. ſect.* 2. *n.* 12. duas Indulgentias eſſe incompatibiles in eodem loco, ſi nulla facta fuit mentio prioris in impetratione poſterioris: tunc autē non excludit poſterior priorem, ſed potiùs poſterior eſt nulla; eo quod poſterior per ſubreptionem impetrata cenſeatur. Sed ad intelligendam præfatam regulam, ſubiectamque clauſulam explicandam, ſtatuendum eſt, tunc nullam eſſe indulgentiam, ſeu Iubilæum ultimò conceſſum, quando aliud omnino ſimile; hoc eſt, conceſſum pro eodem loco, tempore, feſtivitate, & perſonis, ac cum eiſdem diligentijs, & alijs requiſitis extat. Si enim quoad aliquas, vel aliquam circunſtantiam magni momenti diverſum eſt, ultimum valet.

2 Vnde ſi unum conceditur, v. g. viſitantibus ſingulare altare; aliud viſitantibus, vel aliud altare, vel Eccleſiam incommuni. Vnum conceditur à primis veſperis uſque ad Solis occaſum; aliud per viginti, aut quadraginta horas, vel per totam octavam. Vnum conceditur omnibus Chriſti fidelibus; aliud peculiaribus perſonis, vel communitatibus, Religionibus, vel Confraternitatibus: unum audientibus ſacrum, aut communicantibus, aliud recitantibus pſalterium, aut ſpecialem orationem dicentibus. Vnum conceditur pro Feſtivitate S. Ioannis Baptiſtæ, ſeu in ipſius honorem; aliud eiſdem circunſtantijs, ſed pro alia feſtivitate, v. g. in honorem B. Mariæ: unum viſitanti hoc altare, aliud recitanti coram imagine, quæ eſt in illo altari, & independenter ab illo. His igitur caſibus regula Cancellariæ non habet locum, atque adeò ſi in unica tantum ex his circunſtantijs unum Iubilæum ab alio differat, licèt in alijs conveniat, utrumque perſeverat, & pro diverſo habetur.

3 Ita accipiendam eſſe eiuſmodi clauſulam ex conſuetudine, optima legum, & privilegiorum interprete, conſtat. Quis enim negare audeat, in una, eademque die, ac Eccleſia plures, & diverſas concurrere, indulgentias, vel plenarias, vel non plenarias, ac poſſe lucrari, & ſolere, diverſis titulis, diligentijs, ac perſonis conceſſas: V. g. in die Conceptionis B. Mariæ Virginis in Eccleſia noſtræ domus profeſſæ concurrunt tria, vel quàtuor Iubilæa; aliud pro univerſis Chriſti fidelibus; aliud pro Congregationibus in ea domo erectis; aliud, vel potius alia pro viſitantibus quinque altaria ex virtute Cruciatæ; alia pro viſitantibus ſeptem ex virtute indulti, infra ponendi. Iubilæum etiam pro uno quoque menſe poterat concurrere cum alijs, & pro Regularibus alia, &c. Cōſule Petrum Martyrem *Tract. de mirabil. Romæ*, ac Bernabe Verges, libello, qui inſcribitur: *Norte Eſpiritual*; & invenies plurimas eſſe Romæ Indulgentias plenarias, & non plenarias pro eadem Eccleſia eodē die, ac perſonis eiſdē conceſſas.

4 Sed oppones vèrba illa: *Aliquam aliam indulgentiam*; in quibus omnes aliæ indulgentiæ ſimiles, vel diſimiles ab illa Eccleſia eo die videtur excludi, cum ſint nomina univerſalia omnes indulgentias complectentia. Reſpondetur, quod licèt pluribus in clauſulis nomina, *Aliquis & Alius*, ita accipiuntur, ut ex utriuſque iuris Doctoribus probat Barboſa, *dictione* 14. *&* 17. & in pluribus alijs dictio, *Aliquod*, vel *Aliquid* in modico verificatur, & ad quid minimum refertur; ut ex *l. ſi ſervus. §. Prætor ait. ff. de acquirenda hæreditate*, ex Tiraquello, Menochio, Surdo, Bertazol, Franciſco a Souſa, Zene-

Zenedo, Gratiano, Benedicto Ægidio, & alijs probat idem Barbosa, *supra dict.* 14. Similiter dictio *Alius*, similitudinem denotat, & est repetitiva similium, ut idem docet *dict.* 17. *ex l. quidam relegatus*, ex Bartholo, Tiraquello, Menochio, Azebedo, Manuele Roderico, Surdo, Flaminio, Tuscho, Iosepho de Sesse, Azorio, Zenedo, Valasco, & pluribus alijs. Vnde hæc, & similis clausula intelligenda est in presenti, ita ut, *Aliquam aliam indulgentiam*; idem sit, ac cum eisdem circunstantijs, seu omnino similibus, quoad locum, tempus, personas, diligentias, &c. Et satis hoc innuit Pontifex, dum dicit: *Vt si aliàs Christi fidelibus in dicta Ecclesia præmissa peragenti aliquam aliam, &c.* Præterea cum hæc gratia, favor sit Principis, late intelligenda est; & late explicandam esse Indulgentiarum concessionem affirmant Suarez, *d.* 52. *n.* 2. Enriquez *lib.* 7. *cap.* 30. Nugnius *q.* 27. *art.* 4. *dif.* 3. & Bonacina *disp.* 6. *p.* 1. *q.* 1. *n.* 4.

Dvbivm V.

Vtrum pro huiusmodi Iubilæorum expeditione aliquid dare, vel accipere liceat? Ad illam clausulã: *Volumus autem quod si pro præsentatione, admissione, vel publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, vel sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint re ipsa?*

1 Requenter in Iubilæis hæc clausula reperitur, ad cuius explicationem, dubijque huius resolutionem placet nũc præhibare unum, vel alterum decretum Pontificum hac de re. Pius igitur IV. Bulla Romę evulgata anno 1562. Novembris die septima, quæ affertur a Laertio Cherubino *to.* 1. *Bullarij*, est 382. ac incipit: *Decet Romanum Pontificem*; sic ait: *Motu proprio, & ex certa scientia S. R. Ecclesiæ vice Cancellarijs, Scriptoribus, Refrendario, Abreuiatoribus, solicitatoribus, &c. aliisque Romanæ Curiæ Officialibus, & personis cuiuscumque qualitatis, & conditionis existant, ac quocumque nomine appellentur, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub maioris excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendis pœnis præcipimus, & mandamus, quatenus Officiales litteras Apostolicas, tam sub plumbo, quàm sub forma Breuis super gratijs Indulgentiarum, & peccatorum remissionibus, etiam plenariarum, tam pro viuis, quam pro defunctis, tam ad tempus, quam perpetuo, pro quibuscumque particularibus personis, seu Ecclesijs, Monasterijs, Confraternitatibus, &c. facultatem eligendi, Confessorem cum votorum commutatione, in se continentibus, concessis, & concedendis, constuendis gratijs pro Deo, ubique per eorum officia absq; alia taxa Regalium, seu localium, aut cuiusuis alterius generis solutione, vel exactione, &c. expediant, & expeditas tradant, & consignent.*

2 Similem constitutionem edidit Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Et Dominici gregis*, data Romæ anno 1566. & est in Bullario Cherubini Laertij trigesima huius Pontificis, in qua grauissime prohibet: *Vigore indulgentiarum, aut pro earum expeditione, aut communicatione lucrum temporale quærere, ac Indulgentijs abutentes, quæstum ex illis particularem facere.*

3 Ergo iuxta decreta hæc exponendam esse clausulam prædictam, Iubilæis fere cũctis affixam, sentio. Prohibet igitur summus Pontifex, clausula hac quamcumque exactionem, solutionem, lucrum, quæstum, quæ quovis modo redoleant emptionem aut venditionem, in Iubilæorum, ac indulgentiarum concessione, aut expeditione; & ita hoc prohibet; ac prohibetur in iure, *cap.* 1. *de Simonia*, aliquid dari ab eo, qui ordinatur, & in *cap sicut Episcopum* 1. *q.* 2. quod Episcopus, ac ministri eius aliquid petant, & *n cap.* 1. §. *penult. de cersibus, in* 6. Prælato Diæcesim suam visitanti dicitur, *Caueat, ne ipse, aut quisque suorum aliquod munus, quod, cum quæsit, & qualitercumque offeratur, præsumat accipere.* In his enim, & similibus, non quælibet datio, vel acceptio, ut Simoniaca prohibetur, sed ea tantùm, quæ fiat intuitu religionis, & iustitię in tali materia; & quę aliquomodo spectat ad commutationes voluntarias sacrarum rerum, ut tales sunt, cum vilipendio, & iniuria earum.

4 Verba autem, quibus Pius IV. & V. usi sunt, genus quoddam pretij, emptionis, aut solutionis innuunt: nam *Exigere*, ut habetur in Vocabulario utriusque iuris, *proprie est ab inuito extorquere. ff. de legatis tertio. l. fidei commissa. §. si rem* vel *a soluente recipere, ut c. defunt. l. falsus.* Et *Solutio*, secundum Gotfredum, *est rei, quæ debetur redditio, vel ab obligatione liberatio. Inst. quibusmodis tollitur obligatio, in principio.* Lucrum etiam, & quęstus emptionem, & venditionem sonant. Sic Cicero. Tusch. 5. ait: *Alij emendi, aut vendendi quæstu, & lucro ducerentur.* Hinc si aliquid, aut pro præsentatione, admissione, vel publicatione Iubilęorum daretur, aut acciperetur, eo modo, vel intentione, ut pro spirituali indulgentiarum favore, sive indulto, dari aut accipi intelligeretur, Simonia committeretur, irritaque maneret Iubilęi concessio.

5 Hinc colliges, pluribus titulis posse aliquid dari, & accipi pro presentatione, admissione, aut publicatione horum Iubilęorum. L. titulo Gratitudinis, quia scilicet gratum

tum me exhibere volo Notario, Abrebiatori, Refrendario, vel cuivis alteri Officiali, quia ſine ulla mora, & alacriter præſentavit, expedivit, aut publicavit Pontificium indultum indulgentias continens. Nec cenſendum eſt, Pontificem volviſſe, mea vertere â gratitudinis actu, aut illius virtutis exercitio. II. titulo Laboris in ea impẽſi; nimis enim defatigatus eſt in Iubilęo prętentando, & publicando, ac ita dignus eſt mercede ſua. III. ratione Suſtentationis: ex officio enim præſentandi, aut publicandi has indulgentias alitur Officialis, & ſalarium aliunde ſignatum non habet. IV. titulo redimendę Vexationis; ſcio enim Notarium, aut Officialem hunc minimè litteras expediturum: immó eas indulgentias impediturum, ni ei donum, aut pecunias porrigam. Nec credendum eſt, Põtificem velle, ut ob Officialis avaritiam, aut iniuſtitiam, favore ego priver indulgentiarum: neque, quod ipſe Officialis præmio, ſcientiæ, ac corporali ipſius labori, debito, & ad victum neceſſario, privetur. Horum probatio colligitur ex ijs, quæ *ſupra Tract. 6. Singulari* 15. diximus.

5 Neque obſtant verba illa: *Vel ſponte oblatum:* eadem enim apponuntur in Tridentino, *ſeſſ.* 12. *de Reform. c.* 1. ubi dicitur: *Quoniam ab Eccleſiaſtico ordine omnis auaritiæ ſuſpicio abeſſe debet, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis Tonſuræ, nec pro litteris dimiſſorijs, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, neque alia quacumque de cauſâ, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi, & alij Ordinum collatores, aut eorum miniſtri, quovis prætextu accipiant.* Et tamen aliquo ex titulis aſſignatis aliquid dare, vel accipere poſſe pro Ordinum collatione, aut examine, probatum eſt Singulari 15. Tract. 6. & Reginaldus hanc Tridentini prohibitionem explicans dicit: *Poſt ipſam collationem Ordinis liberaliter, ac ſponte, non incompenſationem oblatorum, recipi poteſt aliquid ab Epiſcopo, dummodo abſit ſcandalum, ex cap. ſicut Epiſcopum, 1. q. 2. & ex cap. dilectus. 2. §. finali, de Simonia.* Similiter Ordinarij, & alij Officiales, quibus á Sede Apoſtolica committuntur diſpenſationes matrimoniales, & aliæ, prohibentur, ne quid, etiam ſponte oblatum, recipere; & non ſolùm recipere, ſed exigere hos poſſe pro labore, receptione, & examinatione teſtium docent Thomas Sanchez, *lib. 8. de matri. d.* 15. *n.* 11. & Salas *de leg. d.* 20. *ſect.* 10. quod quidem introductum eſt conſuetudine: nam ut ex horum DD. mente Caſtro Palao, *to.* 3. *tract. de Simonia. d.* 3. *punc.* 12. *n.* 12. (licèt oppoſitum ſentiat) ait: *Et ſi in reſcripto harum diſpenſationum habeatur, ut omnis ſpes cuiuſcumque muneris, & præmij, etiam ſponte oblati deponatur, non ob inde fit, non poſſe laboris impenſi ſtipendium recipi, nam ſtipendium non habet propriè rationem muneris, neque præmij.*

6 Tandem nullus Sapiens ſibi perſuadebit, Pontificis mentem, & intentionem eſſe, quod res ita magni momenti, ac eſt indulgentiarum, & Iubilęorum lucratio pendeat, tum ex re ita exigua, ut eſt largitio, vel acceptio munuſculi liberaliter dati, & iuſtè ex iuſto labore accepti: tum ex improba Officialis voluntate, nolentis indulgentiarum indultum præſentare, vel publicare, niſi ipſius labore ſatisfiat, aut ex ignorantia munus, aut ſolutionem impendentis; vel ex ipſius liberalitate, & gratitudine. Præſertim cum omnibus palam ſit, nihil expediri niſi, vel munera, vel pecuniæ intercedãt. Dubiumque ſanè maximum de omnium Iubilæorum hanc clauſulã continentiũ valore, extaret, ſi omnis omnino, & quovis titulo acceptio prohibita eſſet per illam.

FINIS TRACTATVS II.

AD IVBILÆA PRO CRISTI D. B. VIRGINIS, ET Sanctorum Festivitatibus concessa; APPENDICIS TRACTATVS TERTIVS.

DVBIVM I.
Quænam horum Iubilæorum formula?

1 QVM nihil in nobis Deo gratius, nihil Virgini iucundius, nihil Beatis suavius sit, quam animus noster puritate candens, vita immaculata, conscientia pura; hoc potius cultu, quam alijs, sive corporis nostri, sive exteriorum operum honoribus, eorum solemnitates nos venerari par est. Nam ut inquit Rabanus Maurus, *de instit. Cleric. lib. 2. cap. 43. Honorandi sunt Sancti propter imitationem, honorandi sunt charitate.* Hanc ergo ob causam Christi Vicarij pro his Festivitatibus plurima Iubilæa, & indulgentias Fidelibus cōcesserunt, quarum præmio ipsi allecti, sanctissimis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentis, sanctificantem gratiam acquirere, acquisitam augere, peccatorumque reatus, seu pœnam debitam, indulgentijs abolere curent; frequentantesque huiusmodi Patronorum templa, honorem ipsis impenderent, divinumque a Domino, eorum intercessione, auxilium pro Ecclesiæ exaltatione, fidei propagatione, ac Principum pace implorarent. Satis hæc omnia in editis pro harum solemnitatum Iubilæis Pontifices summi indicarunt. Horum formulam unam, vel alteram proponam, quorum instar exponendę sunt reliquę, quas omnino, vel ferè omnino similes esse invenimus. Primum igitur locum habeat formula Iubilæi pro immaculatæ Conceptionis B. Virginis Festivitate, in domo nostra professa Hispalensi lucrandi, quæ sic se habet:

VRBANVS PAPA VIII. VNIVERSIS CHRISTI Fidelibus, &c.

AD augendam fidelium religionem, & animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesaurus pia haritate intenti, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui Ecclesiam domus professæ Societatis Iesu Hispalensis, die festo Conceptionis B. Mariæ Virginis à primis vesperis usque ad occasum Solis festi huius, singulis annis devotè visitauerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. His verò, qui in festo S. Ioſephi dictam Ecclesiam ut supra, visitauerint, septem annos, & totidem quadragenas de iunctis eis, siue aliquo modo debitis pœnitentijs in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, &c. Datum Romæ 12. die Decembris, 1634. Pontificatus nostri anno duodecimo.

3 Plurimas hîc congerere poteram indulgentias plenarias, & non plenarias pro hoc Conceptionis festo. Consule Emmanuelem Rodericum, *tom. 1. q. 57. & tomo 2. q. 87. art. 4.* qui inter alia indultum affert in Bullario, *fol. 146.* in quo Sixtus IV. concedit omnibus dicentibus Officium Conceptionis noviter ordinatum, & qui interfuerint Officio eiusdem festi Indulgentias quæ in festo Corporis Christi.

4 Iubilæa concessa pro alijs Christi D. ac B. Virginis festivitatibus similia sunt Iubilæo posito; vel si dissimilia in aliquo, discrimen facilè ex eorum Bullis patebit. Iubilæorum verò pro sancto um Apostolorum, Martyrum, Confessorum, aut Virginum festivitatibus, exemplar sit Iubilæum con-

conceſſum pro diebus feſtis SS. Ignatij de Loyola, & Franciſci Xaverij, quod ſic ſe habet:

GREGORIVS PAPA XV. AD PERPETVAM REI memoriam.

PLENDOR paternæ gloriæ, qui ſuum mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota Fidelium, de clementiſſima eius pietate ſperantium, tunc præcipuè benigno fauore proſequitur, cum devota ipſorum humilitas Sanctorum precibus, & meritis adiuvatur. Volentes igitur omnes, & ſingulas Eccleſias Presbyterorum Societatis Ieſu, vel earum aliquam ubique exiſtentem aliquo ſpirituali munere illuſtrare; de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beati Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi; omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui eaſdem Eccleſias, vel earum aliquam in Sancti Ignatij, ultima Iulij, ac Sancti Franciſci Xauerij ſecunda Decembris menſium celebrari ſolitis, feſtis diebus, à primis veſperis, uſque ad occaſum Solis, feſtis huiuſmodi ſingulis annis deuotè viſitauerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium ſuorum peccatorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Preſentibus, perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod præſentium traſſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris, die 8. Iunij 1622. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

DVBIVM II.

Quibus in Eccleſijs lucrari poſſint Fideles prædicta Iubilæa, vel ſimilia?

1 IVBILAEVM pro immaculatæ Virginis Conceptionis feſto ſupra poſitum non niſi in Eccleſia domus noſtræ profeſſæ Hiſpalenſis lucrari poſſe patet ex ipſius formula. Secuſque foret, ſi pro univerſis, vel Societatis, vel alterius cuiuſlibet Religionis Eccleſijs concederetur, ut conceſſum fuit à Sixto V. *Pro omnibus Eccleſijs Monaſteriorum Conceptionis B. Virginis Mariæ, quorum Moniales ſub regula Ordinis Minorum, ac gubernio, & adminiſtratione ſuperiorum illius degunt, & omnibus Chriſti Fidelibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, qui in feſto Conceptionis à primis veſperis, uſque ad occaſum Solis, eiuſdem feſti annis ſingulis deuotè (eas ſcilicet) viſitaue-rint, & ibi pro pace inter Principes Chriſtianos cõſeruanda, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione hæreſumque extirpatione pias ad Deum preces fuderint, ſi eo die Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, indulgentiam plenariam perpetuò concedimus, & elargimur.* Ita Sixtus V. in Bulla, quæ incipit: *Expoſitum nobis*, edita Romæ 18. Octobris anno 1586. & affertur a D. Laertio Cherubino, *tom. 1. Bullarij*. Vnde ad hoc Iubilæum lucrandum viſitanda eſt Eccleſia Monialium ſancti Franciſci B. Virginis Conceptioni ſacrata.

2 Sed latiùs patet, quoad Eccleſias indulgentia hæc in Concilio Baſilienſi, celebrato anno 1439. pro hoc feſto, conceſſa; ibi: *Statuimus, & ordinamus, eandem celebritatem* [ſcilicet Conceptionis] *prefata die in omnibus Eccleſijs, Monaſterijs, & conuentibus Chriſtianæ religionis ſub nomine Conceptionis feſtiuis laudibus colendam eſſe, cunctiſque Fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis ea die Miſſarum ſolemnes centum; primis autem, vel ſecundis veſperis totidem, ſermoni verò verbi diuini de ea feſtiuitate intereſſentibus, centum quadraginta dies, conceſſione perpetuis temporibus duratura, de iniunctis ſibi pœnitentijs hæc ſancta Synodus elargitur.* Affertur ab Emmanuele in Bullario. *fol.* 104.

3 Iubilæum ſupra poſitum, pro die ſanctorum Ignatij, de Loyola, & Franciſci Xaverij lucrantur Fideles in quibuſlibet Societatis Ieſu Eccleſijs iuxta dicta Tract. 1. 2 Dub. 4. ad 7. Ex quibus colliges lucrari in Eccleſijs Reſidentiarum, & Seminariorum noſtrorum, in noſtrarum domorũ, & prædiorum capellis, & oratorijs: hæc enim ſub nomine Eccleſiæ, præſertim in favorabilibus comprehẽdi ibi probavimus. Animadvertas tamen aliqua. 1. non eſſe neceſſarium Eccleſiam S. Ignatio, aut S. Franciſco Xaverio dicatam eſſe; immo etiam ſi ijs Sanctis, vel eorum cuilibet ſit dicata Eccleſia ſæcularis, vel Regularis alterius Ordinis extra Societate Ieſu; in illa nõ habebit locum Iubilæum hoc: nõ enim titulo Dedicationis Eccleſiæ, ſed Religionis ipſius ratio habita fuit in conceſſione huius Iubilæi. 11. hoc Iubilæum æquè lucrari in Eccleſijs iam erectis ante conceſſionem, ac poſt illã perpetuò erigendis; cum de his æquè, & ſemper verificari valeat, quod ſint Eccleſiæ Societatis Ieſu. Sic exprimitur in Iubilæo a Sixto V. pro feſtivitatibus Sanctorum Franciſci, Antonij de Padua, Bonaventuræ, Ludo-

Ludovici Epiſcopi ac Bernardini, Ordinis Minorum, conceſſo viſitantibus illius Ordinis Eccleſias, *tam erectas*, inquit, *quam erigendas, vel earum aliquam.*

4 III. nota; quod ſi plures Eccleſiæ ſint in eadem urbe, ut ſunt Hiſpali, Societatis Ieſu, in omnibus, ſeu in earum qualibet æque conceditur lucratio, ut conſtat ex Tract. 1. Dub. 4. IV. Quod ſi in aliqua urbe, vel oppido, Societatis Ieſu Religioſi commorentur, fundationis, vel alterius rei cauſa, ibique habeant Eccleſiam, vel capellam aliquam propriam, non alienam, pro ſuis miniſterijs obeundis accommodatã, licét in ea ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum non dum poſitum ſit, nec Collegium fundatum, adhuc in illa Iubilæum hoc locum habebit; cum verificari queat, eam eſſe Societatis Ieſu Eccleſiam; non enim exprimit Pontifex, huiuſmodi Eccleſiam debere eſſe domorum, aut Collegiorum ſed tantúm Societatis. V. Adverto, eandem doctrinam quoad Eccleſias obſervandam, in Iubilæis conceſſis viſitantibus Eccleſias cuiuſvis Ordinis quocumque die, vel quacumque ex cauſa, dummodó clauſula ſit in eandem formam concepta.

DVBIVM III.

Aqua hora incipiat lucratio horum Iubilæorum; ad illam clauſulam: *A primis veſperis uſque ad occaſum Solis?*

1  REQVENTISSIMA eſt hæc clauſula in omnibus ferè Iubilæis pro Chriſti D. Beatiſſimę Virginis, ac Sanctorum feſtivitatibus conceſſis. Enim verò *Veſperarum* nomen in præſenti, non ut apud Poetas, & apud Antiquos, ac Latinos accipitur: nam apud hos ſæpiſſime pro ultima diei parte uſurpatur, qua ſtella hæc *Veſper*, vel *Veſperus* cognominata, incipit apparere, ut notat S. Iſidorus *infra*, & Statius, *lib.* 10. accinit.

Sed v ſper opacus.
Lunares iam ducit equos.

Et Virgilius 3. *Geor.*

Solis ad o caſum.
Cum frigidus aera Veſper temperat.

Hinc olim veſperæ decantabantur ad Solis occaſum, & Lucernaris hora dicebatur, ut conſtat ex Caſiano, *lib.* 3. *de can. cap.* 3. eo quod *Dum lucernæ accenderẽtur, preces veſpertinæ perſolui ſolebant*, ait Azor *lib.* 10. *cap.* 20. *q.* 10. Vnde Iſidorus *de Eccleſ. offic. cap.* 12. *Veſpertinum*, ait, *diurni Officij finis, & alternæ lucis occaſus eſt.* Conſule Maldonatum noſtrum *in ca.* 28. *Math. n.* 1.

2 At modó cum veſpertinæ preces incipiant paulo poſt meridiem, & longé ante Solis occaſum: hoc tempus ſignificat Veſperum: ac comprehendi ſub vocabulo *Veſperis*, vel *Veſperarum*, hoc ipſum tempus ex *Matthæi.* 14. probat Ianſenius *concordia cap.* 57. & alij Interpretes ibi. Ad rem ergo veniendo, Iubilæa prædicta incipiunt á primis veſperis, hoc eſt, ab illo tempore, in quo celebrantur, aut in choro cantantur, vel cantari ſolent preces veſpertinę: quia ab hoc incipit feſtum celebrari, in cuius honorem Iubilæum conceditur. Hinc Navarrus, Medina, Suarius, Enriquez, Rodriguez, Coninch, & Reginaldus, quos citat, & ſequitur Bonacina, *d* 5. *de interd. p.* 4 *n.* 15. aſſerunt, feſtivitates á iure exemptas, quantùm ad ſuſpenſionem interdicti, incipere á primis veſperis, quæ cantantur in earum vigilijs.

3 Sed ad praxim notanda ſunt aliqua. I. Quod Veſperarum hora non eſt menſuranda ex hora, qua in hac, vel in illa Eccleſia Veſperæ recitantur, ſed ex hora, qua in Eccleſia Matrice (ſive Metropolitana ſit, ſive Cathedralis, aut Parrochialis) in aliqua civitate, aut oppido, recitari ſolent communiter iuxta univerſalem Eccleſiæ, vel rectum Provinciæ, Civitatis, vel oppidi illius uſum. II. Quod hæc hora incipit non ſolùm a tempore, in quo Veſperæ in choro inchoantur, ſed ab eo etiam, quo ad Veſperas campanæ pulſantur, aut pulſari ſolent, v.g. Hiſpali in hyeme à ſecunda hora poſt meridiem, & in vere à tertia: tunc enim verificatur iam Veſperarum tempus adeſſe, ſeu acceſſiſſe.

4 III. Quod cum in quadrageſima; á ſecunda, nempe feria hæbdomadæ primæ quadrageſimæ, veſperæ tam feriales, quám feſtivitatum dicantur ante meridiem, poſt Miſſam, ſcilicet, conventualem, aut ſolemnem pro ſolemnitate tunc occurrente ſi concedatur Iubilæum incipiens á primis veſperis: puta pro feſtivitate Dominicæ Incarnationis, SS. Ioſephi, aut Ioachimi, illud incipiet à tempore, quo feriales, vel ſolemnitatum veſperæ dicuntur, ſeu inchoantur, aut inchoari, vel dici ſolent. Si verò pro feſtivitate occurrente feria ſecunda quadrageſimæ Iubilæum concedatur, cum die Dominica præcedente non dicantur niſi á ſecunda hora poſt meridiem Iubilæum ab iſta hora incipiet. Probatur hoc ex Doctoribus, quos citat & ſequitur Avila *infra*, docentibus, quod in Paſchate Reſurrectionis incipit á Miſſa vigiliæ ſuſpenſio Interdicti pro hoc feſto conceſſa.

IV. Quod ſi contingat veſpertinas Horas non cantari, vel publicè dici in Eccleſia, in qua Iubilæum obtinetur; vel quia eſt Eccleſia oppidi exigui, vel Religionis chorum non proficentis, vel quia Oratorium, eſt, aut Capella: tunc ab ea hora, inqua communiter publicè dicuntur veſperæ, vel dici ſolent in illo, vel ſimili oppido; vel generaliter in Eccleſia, aut in ea Diæceſi, Iubilæum incipiet, vel ab hora, in qua ſimiliter ad veſperas pulſatur.

DVBIVM IV.

Qua hora terminentur prædicta Iubilæa conceſſa uſque ad occaſum Solis?

1 SOLIS occaſum terminum eſſe pro huiuſmodi Iubilæis lucrandis, à Pontifice aſſignatum, conſtat ex ipſorum indultis. *Occaſus* autem *Solis*, ut cum Aſtronomis loquar, *veſpertina eſt Solis abſconſio: cum ſcilicet ab Oriente in Occidentem vergit, ac Occidens noctem inducit*, ut loquitur Iſidorus, *lib. 3. Ethymolog. cap. 51.* & ut Poeta cecinit:

Maioreſque cadunt altis de montibus umbræ.

Sed non pro totius anni curriculo eadem eſt Solis occaſus hora; hanc enim pro diverſitate Regionum, & menſium diverſam eſſe ex Aſtronomia, ipſaque experientia manifeſtum eſt; & ut pleniùs, & certiùs tam in noſtro Hiſpaniæ regno, quam in alijs hæc hora conſtet, quæ pro ultimo termino huiuſmodi Iubilæorum aſſigitur; cõſulantur Aſtronomicæ tabulæ, quæ invenientur apud Chriſtophorum Clavium, *in cap. 3. Sphæræ Ioan. de Sacroboſco*, Martinum Everartum *initio libri Ephemeridum*, Ioannem Baptiſtam Carellum, *1. p. Iſagoge*, Andræam Bavellar *de ſphæra cap. 13.* Ioannem Antonium Maginum; Andream Argoli, Petrum Pitatum, & alios.

2 Quoad diiudicandum autem Solis occaſum pro his Iubilæis, notanda ſunt aliqua. Primũ, quod terminus Iubilæis his aſſignatus, is eſſe videtur, quem Eccleſia antiquitus, & modò etiam, in aliquibus præſertim conventibus Regularium, pro recitando in choro Completorio obſervavit: nam hoc ad Solis occaſum, ſeu extremam diei partem cantari ſolere video in pluribus monaſterijs. Probãt hoc Durantus, *l 3. de Rit. c. 12.* Azor *l. 10. c. 12. q. 11.* & Suarius *l. 4. de horis c. 9 n. 9.* ac colligitur ex S. Cipriano, *lib. 1. de orat.* ubi ait: *Recedente Sole, ac diſcedente neceſſariò rurſus eſt orandum.* ubi in primo verbo: *Recedente, Veſperas*, in altero: *diſcedente*: notat Suarius *Completorium.* Hoc ita vocari ait Archidiaconus, *in cap. ſolent. de conſecrat. diſt. 1.* quia dies completur ea Hora; & ut probat Francolinus, *1. p. cap. 18.* hora duodecima recitandum eſt; cum Chriſtus ſcilicet ſepulturæ fuit traditus in fine diei Paraſceves.

3 Igitur qui Eccleſiam pro lucrando Iubilæo aſſignatam viſitaverint ante finitum Completorium; cum hoc ultima dici hora, ſeu ſub Solis occaſum dicitur, aut dici ſolet, illud lucrabuntur: durat enim uſque ad Completorium: cum hoc ſit complementum Officij divini illius diei; illo enim, ut loquitur Gemma, *lib. 2. cap. 64. Completur dies ſeruitutis noſtræ:* ſeu *in eo ſumma eſt perfectio divinorum Officiorum*, ut loquitur Amalarius, *de ordine Anteph. cap. 7.* Complementum ergo erit per conſequens illius feſtivitatis, pro qua Iubilæum conceſſum eſt. Feſtivitas enim Eccleſiaſtica à primis veſperis inchoatur, & uſque ad Completorium perſeverat. Completorium etiam pars eſt Officij præcedentis, quod ex ipſo, & alijs Horis recitatis coaleſcit, & per illud totum Officium divinum completur, ut ait Beda, *lib. medit paſſ. Chri. c. 1.*

4 Ex his colliges. I. quod ſi Iubilæi formula exprimat. *A primis veſperis feſti, &c. uſque ad ſecundas eiuſdem feſti veſperas*, eodem modo intelligendum eſt, ac ſi diceret: *Vſque ad Solis occaſum*, iuxta illud Iſidori *l. ætymolog. Veſpertinum officium eſt in noctis initio, vocatum ab ſtella Veſpero, quæ ſurgit oriente nocte.* Et Auguſtinus in Pſal. 29. *Quid eſt veſpere demorabitur fletus? Veſpera fit, quando Sol occidit.* Conſule Amalarium *lib. 4. de Eccl. offi. c. 7.* Ratio verò huius intelligentiæ eſt, quia dictio, *Ad*, includit tempus omne, quo durant veſperæ iuxta doctrinam Barboſæ ibi; & hę multoties cum Completorio connectuntur.

5 Colliges II. idem ſentiendum eſſe in Jubilæis, quæ à Pontifice concedi, vel obtinenda eſſe dicuntur in feſtivitate aliqua, ſeu in diebus feſtis aliquorum Sanctorum, non expreſſa hac clauſula: *A primis veſperis uſque ad occaſum Solis.* Huiuſce modi Iubilæorum, aut indulgentiarum extant exemplaria nonnulla. Sic enim Nicolaus Papa in Bulla, quæ incipit: *Vitæ perennis gloria, &c.* data anno tertio ſui Pontificatus, ait: *Cupientes, itaque, ut Eccleſia dictorum filiorum Guardiani, & Fratrum Ordinis Minorum Zamorenſis cõgruis honoribus frequentetur, de Omnipotẽtis Dei miſericordia, & Beatorum Apoſtolorũ eius, auctoritate confiſi, omnibus verè pœnitẽtibus, & confeſſis, qui eandem Eccleſiam viſitauerint annuatim, in Anum-*

Annuntiationis, Natiuitatis, Purificationis, & Assumptionis B. Mariæ Virginis, ac Beatorũ Francisci, & Antonij Confessorum festiuitatibus, & per octo dies festiuitates ipsas immediatè sequentes, unum annum, & quadraginta dies de iniunctis sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Affertur hæc ab Emmanuele Rodriguez in Bullario *fol.*48. ubi addit, quod: *Habetur originaliter in conuentu sancti Francisci Salmantino, & ea per communicationem gaudent omnes Conuentus Ordinis Minorum; nec non omnes Conuentus Ordinum Mendicantium, quoad festiuitates Virginis.*

6 Quod verò sub nomine *Festiuitatis*, seu *Dierum festorum*, quoad harum indulgentiarum tempus, & lucrationem intelligatur festivitas, & dies festus à primis vesperis, usque ad occasum Solis, ipsimet Pontifices satis explanarunt. Sic enim Sixtus V. in Bulla, quæ incipit; *Cum à primæua, &c.* data Romæ die 28. Septembris 1585. ait: *Concedere indulgentiam plenariam, pro diebus festis Sancti Francisci, Sancti Antonij de Padua, &c. & in die festiuitatis sanctæ Claræ ijs, qui visitauerint prædictas Ecclesias à primis vesperis usque ad occasum Solis eorundem dierum.*

7 Idem dicendum est, si indulgentia non sit plenaria, & pro aliqua festivitate, seu festivitatis die concedatur. Sic Clemens IV. in Bulla, quæ incipit: *Loca Sanctorum*, & est in Bullario *fol.*134. & 14. huius Pontificis: *Concedit omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesias fratrum Ordinis Minorum in Dedicationibus ipsarum, ac annuersario Dedicationum earum die usque ad octo sequentes, nec non B. Mariæ Virginis SS. Francisci, Antonij & Claræ, etiam aliorum sanctorum, in quorum honore altaria maiora in Ecclesijs ipsis constructa sunt; festiuitatis causa visitauerint, centum dies de iniunctis sibi pœnitentijs, annis singulis.* Igitur non naturales dies 24. horarum, á duodecima nẽpe hora antecedentis noctis ad duodecimam subsequentis intelligendi sunt, quoad durationem, in his Iubilæis pro festivitatibus, aut festivis diebus concessis, sed tempus á primis vesperis usque occasum subsequentis diei, nisi aliud in ipsorum indultis exprimatur.

8 Consonant his, quæ Medina *de interd.* & Vivaldus n.246. docent, quod in solemnitatibus, in quibus Interdictum suspenditur, intelligitur suspendi usque ad Completorium inclusivé; ita tamen, quod si in Matrice hoc dici soleat hora tertia post meridiem, & in Monasterio aliquo hora quinta; licét in Matrice imponatur Interdictum finito Completorio; poterit hoc dici in Monastario illo hora quinta consueta, & postea servari Interdictum.

DVBIVM V.

An, si Festivitatis celebritas á proprio die ex trahatur, & in alium transferatur, in illum transferri valeat Iubilæum pro ipsa Festivitate concessum?

1 NEGATIVAM partem omnino tenendam esse mihi non est dubium, etiam si Missa, & Officium divinum transferantur, eo quod proprius dies sit impeditus. Sic tenent Azor, *to.2. inst. moral. l.1.c.28.* & Fagundez *1. præcep. Eccl. lib.1.c.2.n.10.* Animadvertit vero rectè uterque, hoc ita esse, nisi aliter exprimatur in indulto talis Iubilæi. Ratio est, quia hoc conceditur lucrandum in die prafixo pro gloriosissimo horum Sanctorum tranſitu, & ita huic affixum est Iubilæum; & in alium transferri nequit. Vnde frequenter ipsum diem, in quo ad æternam patriam evolarunt, exprimit Pontifex, indulto concessionis Iubilæi. Et si nõ exprimat, sed solùm dicat, illud concedere, in *Festiuitatibus*, vel in *Diebus festis*, vel in *Festo* horum, vel illorum Sanctorum, sub horum nominibus minimè alius dies, à die proprio festivitatis, seu tranſitus illorum intelligendus est: hic enim ipsorum Festum, & Festivitas iuxta Ecclesiæ ritus proprie, & simpliciter dicitur. Sic Rabanus Maurus, *de instit. Cleric. lib.2. cap.43.* ait: *Dicuntur quidem Sanctorum Festiuitates Natalitia, & meritò. Quomodo enim nasci dicitur, cum quis de utero matris procedens in lucem egreditur: ita rectissimè potest natus dici, qui à vinculis carnis solutus ad lucem sublimatur æternam. Et inde mos obtinuit Ecclesiasticus, ut dies Beatorum Martyrum, siue Confessorum Christi qui de sæculo transierunt, Natales vocitemus, eorumque Solemnia, non Funebria, sed Natalitia dicantur.*

2 Igitur cum hic dies sit Festivitas, Festum, Solemnitasque propria Sanctorum, dictus á sacris, quæ in ipsorum tranſitus die, ac in eorum honorem peraguntur, & mutari non debent, iuxta Isidorum, *lib.6. Etymolog. cap.* 18. Iubilæum pro horum festis, aut festivitatibus concessum, pro hoc tranſitus die tantùm concessum erit, & immutari nequibit: aliter pro libito suo quilibet Superior Ecclesiæ, vel Religionis posset Iubilæorum dies immutare, cum interdum possit celebrationem festi transferre, quod absurdum est: & soli Pontifici tempus indulgentiarum assignare, sicut & ipsas indulgentias concedere, competit.

Nec idèo Fidelium numerus, qui ad Ecclesiam pro Iubilæo obtinendo conuenire solent, minuetur: cum omnibus notum sit hoc solùm esse concessum pro ipso transitus die, non pro alio ad quē celebritas cum solemnitate facienda differatur. Nec Pontifex id concedit, ut ad hanc plures concurrant; sed ut Ecclesia magis frequentetur, Sancti honorentur, & Fideles his indulgentiarum thesauris fruantur, quæ ab hac solemniori celebritate non dependent. Sic ostendit Sixtus V. in Iubilæo pro festo Conceptionis, concesso visitantibus Ecclesias Monialium Ordinis Minorum huic mysterio dicatas: *Vt Ecclesiæ* inquit, *monasteriorum Monialium* (prædictarum scilicet) *congruis frequententur honoribus, & à Christi Fidelibus ingiter venerentur, ipsique Christi Fideles eo libentius deuotionis causa confluant, quo ex inde dono cœlestis gratiæ conspexerint se uberius refectos, omnibus, & singulis, &c.*

3 Sed adhuc dubitari potest; an si festum, pro quo concessum est Iubilæum, non celebratur proprio die [assignato videlicet in Martyrologio pro obitu alicuius Sancti] vel quia iuxta antiquam Ecclesiæ universalis, aut particularis Diœcesis cōsuetudinem alio die celebrari solet, ut in aliquibus festis Ecclesiæ Hispalensis contingit; vel quia iuxta Breviarij Rubricas transferendum est ob concursum cum alio festo digniori: Iubilæū etiam ad hunc diem transferatur?

4 Respondeo, si primo modo contingat mutatio, & Iubilæum concessum sit absolutè pro Festo talis Sancti, non expressio, die illius obitus, tunc videri lucrandum eo die, quo celebratur; cum alius non detur, in quo propriè Ecclesiasticum festum illius sit, & hic proprius dies festivitatis illius, vel ob assignationem factam ab Ecclesia, vel ob antiquam consuetudinem reputatur, præcipuè quoad cultum eius in ea Ecclesia, ad quem cultum Iubilei lucratio maximè spectat. Quod in translatione supra posita non accidit, cum supponamus alium diem proprium, sibique competentem proprio iure festivitatem habere. Si verò secundo modo accidat; semelque, vel iterum ex vera translatione celebritas extra propriū diē fiat, etiam si tota Ecclesia transferat festum, Iubilæum non est transferendum. At si semper sit transferendi occasio, consulatur Pontifex, ut dubium hoc dissolvat, suamque exprimat mentem: quam si coniectare licet, existimarem fore Iubilæum ab ipso concedi pro die, in quo celebratur Missa, & peragitur Officium illius Sancti translati: cum iuxta Ecclesiæ ritus, & leges in Rubricis ab ipso Pontificē præscriptas, quoad cultum, & celebritatem, in propria, vel Religionis suæ Ecclesia, & quoad fidelium ad eam concursum; quibus Iubilæi lucratio annectitur, ille dies, in quē omnino, & semper Sancti illius celebritas transfertur, proprius illius festivitatis sit.

5 Animadvertas tamen oportet pro Iubilæo in festo Sancti Francisci Xaverij lucrando ex auctoritate Pontificia transferri ad aliquem diem octavæ, ad quem celebratio festi transferatur: cum illud in Dominicam primam Adventus incidit; ut aliquando incidere solet. Placet indultum hîc proponere; quod ita se habet:

VRBANVS PAPA VIII. AD FVTVRAM REI memoriam.



ALIAS felicis recordationis Gregorius Papa XV. prædecessor noster, omnibus, & singulis Presbyteris, & Clericis Societatis Iesu, ac alijs utriusque sexus Fidelibus, vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesijs dictæ Societatis ubique existentibus, in festo S. Francisci Xaverij deuotè visitassent, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in domino perpetuò concessit; prout in litteris desuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem sicut Præpositus Generalis dictæ Societatis nuper Nobis exponi fecit, festum S. Francisci Xaverij prædicti quandocumque in Dominicam primam Aduentus incidat, cupiatque propterea illud in alias nobis bene visam diem, ut infra, transferri. Nos ad augendam eorum Presbyterorum, aliorumque utriusque sexus Christi Fidelium deuotionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, quotiescumque de cetero festum huiusmodi in dictam primam Dominicam Aduentus inciderit, celebrationem festi huiusmodi in unam ex diebus infra octauam festi prædicti S. Francisci Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò transferimus, ijsdemque Presbyteris, ac alijs Christi Fidelibus prædictis aliquam ex dictis Ecclesijs Societatis huiusmodi visitantibus, & præmissa peragentibus die, in qua celebrationem festi huiusmodi transferri contigerit, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem quod præsentium transumptis, etiam impressis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsenti-

sentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ: Datum Romæ apud S. Petrũ sub annulo Piscatoris die 22. Decemb. 1638. Pontificatus nostri anno 16.

DVBIVM VI.

Quæ Notariorum requiratur Subscriptio, ut huius Iubilæi; & aliorum Bullis fides adhibeatur. Ad illa verba: *Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ indignitate Ecclesiastica munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ.*

1 NOTARIVS *publicus est, qui confecit notas, a notisque nomen deductum est, qui & Tabularius nuncupatur,* inquit Rebufus *in l. 9. de verb. signif.* probatque ex *l. generali c. de tabula li.* 1. Hic etiam vocatur Servus publicus, *in l. non enim. ff. de adopt.* creatur verò à Papa, vel Imperatore, seu à supremo Principe, ut ex Oldrado, Felino, Alexandro, & alijs probat Tuscus, *tom. 5. lit. N. concluf. 7.* addens ex Oldrado, Hostiensi, Ioanne de Immola, & alijs à Regibus creari posse Notarios: nec non ab Episcopis, seu Ordinarijs in sua Diœcesi; Rectoribus Provinciarum, ac Vniversitatum, quin & universim ab omnibus Iudicibus, ab omnibusque Superioribus iurisdictionem habentibus, ac ab illis, quibus statutum, aut consuetudo hoc concessit.

2 Igitur dubitari meritó in presenti poterit, an Notarij Regij, vel pro sæculari foro deputati subscriptio sufficiat ad hoc, ut omnes transumptis horum Iubilæorum, seu Bullarum præfatam clausulam continentium, fidem adhibeant: insufficiens enim videtur; cum ad longé diversam iurisdictionem, & Tribunal iste Notarius spectet, & in Ecclesiasticis causis sæcularis fori Iudices, Ministri, vel Officiales minimè se ingerere valeant.

3 Respondeo; huius Notarij subscriptionem sufficere in præsenti; cum enim in generali loquatur Pontifex, statuens cuiuslibet Notarij manu subscriptum transumptum, & non exprimat, quod Notarius sit Ecclesiastici fori, aut sæcularis, generaliter statutum accipiendum est: nam *Lex generaliter loquens; generaliter est intelligenda:* ut ex *l. pretio. ff. de public. in rem act. l. in fraudem. §. ult. de testamento militari. l.* 1. *§ generaliter. ff. de leg. præst.* ex Angelo, Surdo, Valasco, Riccio, Ioanne Narbona, & alijs docet Simon Barbosa, *princip. iuris lit. L. n.* 29. & hanc generalitatem ostendit etiam dictio: *Alicuius*, quæ singillatim comprehendit omnes personas absque ullâ distinctione, secundum Glossam. *in Clement. 1. verbo, aut eorum parte. de foro compet.* Augustinum Barbosam *de dict. dict.* 14. & Cald. Pereiram *de potest. eligendi. cap. 1. n.* 1. & non solùm personas diversi muneris, aut status complectitur, sed etiam diversi sexus, masculos scilicet, & feminas, ut docent Aviles, *dicto. ca. 1. Prætorum, in glossa, de nonnulla persona n.* 8. Surdus *de alimentis tit. 1. q.* 31 *n.* 18. Gratianus *discept. forens. cap.* 58. *a n.* 19. Tiraquellus, Cavallinus, Antonius Gabriel, & Matientius, quos citat, & sequitur Zenedus, *pract. & Canonic. qq. Singul. 5. n.* 10. ergo à fortiori complectitur personas eiusdem officij, licet diversi fori, cũ æquè omnibus conveniat nomen, & officium Notarij, & Notarius absolutè sit, etiam fori sæcularis.

4 Confirmatur ex sententia Baldi, *in margarita decret. lit. N. verbo Notarius:* ibi: *Quæro, an Notarius Imperiali auctoritate possit exercere officium in terris Eccl siæ, vel in causis spiritualibus; vel Notarius Papæ in terris Imperij in temporalibus? Et crederem quia sic, quoad hoc est officium, non iurisdictio:* ergo licèt aliquis Notarius sit fori sæcularis, in Ecclesiasticis, & spiritualibus, qualia sunt hæc indulgentiarum indulta; fuum munus exercere valebit. Præterquam quod non est merè Ecclesiastica, ac spiritualis actio, circa quam hic Notarius officium exercet, hæc indulta subscribendo: cum solùm sit testificatio quædam ad fidem humanam inducendam de veritate litterarum Apostolicarum: nam, ut ait Rebufus *infra: Subscriptio apponitur in signum auctoritatis. cap. cum Redemptor in fine. 12. q. 2. Nempe Notarius subsignat instrumentum, ut auctoritatẽ illi det. l. hac consultissima, c. de testam.* Hæc autem testificatio Ecclesiasticam personam non exigit necessariò, sed testem qualificatum facit ratione muneris, & insuper quilibet Sæcularis, etiam femina, in causis Ecclesiasticis: v. g. in matrimonialibus, & in illis, quæ ad reditus Ecclesiasticos, dispensationes, Ordines sacros, Capellaniarum fundationes, & similia, quam plurima spectant, testis esse potest, ut ex praxi constat. His non obstantibus semper consulerem, ut hæc Iubilæorum, & Apostolicarum litterarum indulta, Ecclesiasticorum, & Apostolicorum Notariorum manibus subscriberentur.

5 Dubitabis 2. An Notarius, sive sæcularis, sive Ecclesiasticus huius Regni, v. g. Hispaniæ, vel Provinciæ, aut Diœcesis, v. g. Hispalensis, possit subscribere Bullis Apostolicis,

licis, hanc clauſulam continentibus, ita ut illius ſubſcriptio fidem faciat, ſeu auctoritatem habeat in alio Regno, Prouincia, aut Diœceſi. Reſpondeo affirmatiuè: Pontifex enim indefinitè loquitur; nec limitat hanc auctoritatem ad Notarium Prouinciæ, in qua fides adhibenda eſt Pontificio indulto: & ubi legiſlator non limitat, nec nos limitare valemus. Præterquam quod, communis eſt Doctorum ſenſus: Notarium à Papa mediatè, aut immediatè creatum, ſeu Notarium Apoſtolicum, per univerſum terrarum orbem poſſe conficere inſtrumenta, & exercere officium Notariatus, ut docent Felinus, Purpuratus, Bertrandus, Surdus, Lucas de Penna, & plures alij, quos citat, & ſequitur Tuſcus, *tom. 5. lit. N. conc. 72.* Quivis autem Notarius ad hunc effectum conſtituitur a Papa, ex eo quod ſtatuat, quod hęc ſua Iubilæorum, & ſimilium indulta ſubſcribi poſſint à quocumque Notario, ut fidem faciant: ergo eam facient in univerſo Orbe. Sic omnes Tabelliones Regij cuiuſcumque Civitatis ſint, fidem faciunt in omnibus locis Regali ditioni ſubiectis.

6 Advertas verò; quod non ſolùm Notarius, ſed Secretarius etiam, vel dignitatis Epiſcopalis, vel alicuius Religionis, hæc, & ſimilia indulta poteſt ſubſcribere, eiuſque ſubſcriptio fidem faciet; tunc enim Notarij munus exercet, illiuſque vicem ſupplet, ſeu pro illo ſubrogatur. Vnde eius auctoritatem, & qualitatem habet, iuxta id principium: *Subrogatum ſapit naturam eius, in cuius locum ſubrogatur*, ut ex Baldo, Bartulo, Everardo, Petro Andrea, Franciſco Leone, Tuſco, & alijs docet Simon Barboſa, *de princip. lit. 5. n. 16.* Niſi malis dicere, utrumque officium non pro diverſo, ſed pro eodem in pluribus Religionibus, & cauſis reputari. Nam nonnulla Iubilæa, & Pontificia diplomata prædictam clauſulam continentia, vidi à Secretarijs, vel curiæ Romanæ, vel Cardinalium, vel Religionum aliquarum ſubſcripta, & in Diœceſibus Iubilæa, quæ ex Pontificis iuſſu publicantur, & decreta plurima, quæ ab Ordinarijs eduntur ab Archiepiſcopatus, vel Epiſcopatus Secretario ſubſcribuntur. Sed in his conſuetudini ſtandum.

7 Et ſi roges, quid ſit *Subſcribere*? Reſpondeo, eſſe *Subnotare*, & *ſubſignare* proprio Notarij nomine ſubiecto; hoc eſt: *Firmar con el proprio nombre, y ſobrenombre lo eſcrito.* Sic Cicero ad Athic: lib. 8. *Litteras tibi a L. Domitio ad XIIII. Kale. Marty allatas eſſe, earumq; exemplum ſubſcripſeras.* Hinc Subſcriptio dicitur; *La firma del nombre proprio.* Idem Cicero pro Cluen. *Quare quidquid de ſubſcriptionibus eorum mihi dicendum erit, eo dicam animo.* Vnde non ſufficiet: quod Notarius ſignum illud, ſeu notulas, quas adijcere ſolet ad ſubſcriptionem ſuam, quod vulgo dicitur, *El ſigno, o Rubrica del Notario, o Eſcriuano*, Iubilæi indulto apponat, ſed ſubſcribere nomen ſuũ proprium cum cognomine neceſſe eſt, nam ſubſcriptione nominis Teſtis, vel Notarius robur dant inſtrumento, ut docet Rebufus ad legem illam 39. *de verb. Signif.* ita: *Subſignatum dicitur, quod ab aliquo ſubſcriptum eſt: nam veteres ſubſignationis verbo, pro ſubſcriptione uti ſolebant.* Quomodo probetur aliquem eſſe Notarium agit Innocentius in cap. veniens, de verb. ſignif.

DVBIVM VII.

Quiſnam dicatur in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutus, cuius ſigillo Iubilæorum indulta munienda ſunt?

1 DVPLICITER ſumitur Dignitas Eccleſiaſtica, latè, & ſtrictè: latè ſumitur pro quolibet honore Eccleſiaſtico. Sic *cap. Denique, diſt. 4.* dicitur: *Sacerdotes, & Diaconi, & reliqui omnes, quos dignitas Eccleſiaſtici gradus exornat.* ubi Gloſſa: *Hic habet, quod quilibet ordo Eccleſiaſticus dicetur dignitas, vel honor*, & Eccleſiaſt. 41. *Vt ſit illi Sacerdotij dignitas in æternum.* Hoc modo Doctores, Capellani, Beneficiarij, & ſimiles, in Dignitate Eccleſiaſtica dicentur conſtituti. *Dignitas* verò *Eccleſiaſtica* ſtrictè ſumpta, *eſt quædam prerogatiua ſeu præminentia in Eccleſia.* Sic definitur à Gloſſa *in cap. quia nonnulli, de Clericis non reſid.* à Federico de Sen. *Conſil. 25. n. 4.* Tuſcho *to. 2. lit. D. concl. 419.* ac alijs. Et ita accipi *in cap. Statutum, de Reſcriptis, lib. 6. & in cap. cum dignitates*, aſſerit Zerola, *prax. verbo dignitas.* Ita ſimiliter accipitur, *in Trid. ſeſ. 24. cap. 12. de Reformat.* ubi dicitur: *Cum Dignitates in Eccleſijs, præſertim Cathedralibus, & c. Signa verò cognoſcendi dignitatem*, inquit Tuſchus *ſup. n. 2. ſunt tria: primum, quando is, qui habet officium præeſt adminiſtrationi cum iuriſdictione. Secundum, quando nomen officij ſonat dignitatem prout Archidiaconus, Archipresbyter, & Primicerius. Tertium, quando ex conſuetudine, vel conſtitutione pro dignitate habetur.* Conſonat his Innocentius, *in lib. 3. decret. cap. de multa, n. 6. & 7.*

2 Iuxta hanc doctrinam, cum plures ſint in Eccleſia Dignitates, plures dicentur perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ; vide-

videlicet ſummi Pontifices, Patriarchę, Primates, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Archipresbiteri, Decani, Archidiaconi, Primicerij, Theſaurarij, Præcantores, ſeu Scholarum Magiſtri, Cancellarij, Geminiſiarchæ, Præpoſiti, Priores, Abbates, & omnes illi, qui ut inquit Tuſchus, *ſup. n.* 18. *Habent Dignitatem, quando vel in Cathedrali habent præeminentiam cum iuriſdictione, ſive ſint Præpoſituræ, ſive Decanatus, ſive Cantoriæ; vel quocumque alio nomine: idem quando caput Coll gij conſtituunt.* Et addit Innocentius, *ſup. n.* 6. Perſonam, eſſe in Dignitate *ſi vocetur aliquo nomine Dignitatis, ſi etiam perſona in Dignitate conſtituta reputetur, licèt nullum miniſterium Dignitatis faciat, puto etiam in hac conſtitutione contineri.*

3 Sed hæc non habere locum in Eccleſijs Collegiatis innuunt Federicus de Sen. *Conſ.* 112. Tuſchus *n.* 7. Zerola *prax. verb. beneficium. §.* 1. Emmanuel. *qq. regul. q.* 1. *art.* 2. Verum oppoſitum tenendum eſt iuxta Nicolaum Garcia, *de Benef. p.* 17. *cap* 4. *n.* 59. *& 62. cum ſeq.* Sic Sacra Cardinalium Congregatio, ut refert Barboſa, *in remiſſ. ad Trid. ſupra*, cenſuit Dignitates, de quibus ſupra loquitur Tridentinum, etiam in Eccleſijs Collegiatis inveniri, & ſatis indicat Tridentinum, dicens: *Præterea in eiſdem Eccleſijs Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Prębendas, aut Portiones, &c.*

4 Hinc etiam colliges, Canonicatum non eſſe Dignitatem, ideoque ab ea illum diſtinguit Tridentinum, & cum illa compatibilis eſt in eadem perſona. Si verò Canonicatus eſſet Dignitas, incompatibilis eſſet cum Dignitate illa, iuxta caput, *Quia nonnulli, de Clericis non reſidentibus.* Vnde Canonicum etiam Eccleſiæ Cathedralis, non eſſe in Dignitate conſtitutum, ex omnium ſententia, *in cap. ſtatutum de reſcript. lib.* 6. aſſerit Zerola *verbo dignitas*; licet Felinus *in cap. Paſtoralis n.* 12. largè loquendo Dignitatem dici opinetur. Capitulum etiam ſive Cathedralis, ſive Collegiatæ Eccleſiæ Dignitatem habet, ut docent Baldus, *conſil.* 1. *in fine lib.* 1. Federicus de Sen *conſ.* 8. *n.* 2. Tuſchus *ſu. n.* 4. Priores item omnes aut Rectores Ordinum Militarium, non eſt dubium quin in Dignitate conſtituti ſint: nō verò ſunt in ea conſtituti Qualificatores, vel Conſultores ſanctiſſimæ Inquiſitionis, ut aliqui volunt.

5 Prętereа omnes Prelati Religionum, qui verè Prælati ſunt, & habent iuriſdictionem, vel ordinariam, vel delegatam, & toti Religioni, vel Provinciæ, vel domui præſunt, perſonę ſunt in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ: illorum enim officijs propriſſimè conveniunt omnes conditiones ſupra poſitæ ad Dignitatem Eccleſiaſticam conſtituendam; cum habeant præeminentiam, & officium cum iuriſdictione ſupra alios, Dignitatemque ſonent illorum offitia; prælertim cum *Dignitas ſit*, ut ait Rebufus, *in l.* 125. *de verb ſignif. de iure Canonico præeminentia quædam cum iuriſdictione, ex cap. de multa, de præbendis*, & ut ex Federico de Sen. *Conſil.* 4. Tuſchus *n.* 7. ait: *Vbi eſt conuentus, ibi ſit Dignitas.* Hinc omnium Religionum Generales, Vicarij, Commiſſarij, Viſitatores, Provinciales, Præpoſiti, Abates, Commendatores, Priores, Guardiani, Rectores, & omnes alij Prælati quocumque nomine appellentur, qui auctoritate, & iuriſdictione prelunt religioſę Communitati, Provinciæ, vel domui, perſonæ ſunt in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ.

6 De Vicecommiſarijs, Viceprovincialibus, Vicerectoribus, & omnibus alijs, qui Superioris proprij vices gerentes Religionis, Provinciæ, vel domus prę eminentiam, & iuriſdictionem, vel ordinariam, vel delegatam exercent; idem ſentiendum eſt propter dicta. Secus de alijs, qui poſt Prelatum in religioſis domibus locum tenent, v.g. Sub priores in ordine S. Auguſtini. S. Dominici, & Priores in ordine S. Benedicti, Miniſtri in Societate Ieſu, ac ſimiles. Quæ omnia intelligenda ſunt de omnibus Religionibus à Sede Apoſtolica approbatis, ſive ſint Monachales, ſive Eremiticæ, ſive Mendicantes, ſive non Mendicantes, aut Militares etiam ſi eorum Prelati Sacerdotes non ſint; ut in Religione S. Ioannis de Deo, omnium enim Religionum Superiores præeminentiam, & iuriſdictionem Eccleſiaſticam habent. Quare immeritò Zerola, *verbo dignitas p.* 2. cum *Prioratum Mendicantium*, docet Dignitatem eſſe; prælationem non Mendicantium à ratione Dignitatis videtur excludere.

7 Hinc colliges: Quis ſit in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutus, ut iuxta Bullam Gregorij XIII. anno 1572. Societati conceſſam, ipſa in ſuos Iudices Conſervatores eligere poſſit, *Omnes & ſingulos Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ac Abbates, nec non alias perſonas in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutas, ac Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Canonicos, ac eorundem Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Vicarios in ſpiritualibus: & Officiales generales ubilibet conſtitutos.* Colliges item: Quid nomine Dignitatis & Prelationis intelligatur in voto ſimplici a Profeſſis Societatis iuxta formulam Congregationis III. *ex* 10. *par. conſt.* ita emiſſo: *Promitto numquam acturum, vel prætenſurum, ne indirectè quidem, ut in aliquam*

aliquam Prælationem, vel Dignitatem in Societate eligar, vel promouear. Promitto præterea numquam me curaturaturum, prætenſurumue extra Societatem Prælationem aliquam, vel Dignitatem.

8 Vbi nota, quod in Societate Ieſu, idem eſt, *Prælatio*, ac *Dignitas*: nulla enim Dignitas in ea eſt, quæ non ſit Prælatio; nec é contra. Vnde dictio, *Vel*, ibi ſumitur declarativè, pro eodem ac *ſeu, ſiue, id eſt*: ita enim ſæpe hanc dictionem, *Vel*, accipi docent Menochius, *conſil.* 347. *n.* 19. Portel *de conſort. cap.* 1. Barboſa *de dict.* 360. & deciſum eſt in Rota Romana apud Farinacium *deciſ.* 300. *n.* 26. *tom.* 1. *p.* 19. Et hinc rectè ex mente Sixti V. aſſerit Suarius, *tomo* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 6. *cap.* 8. *n.* 14. miniſteria legendi, vel docendi, & etiam gradus Magiſtri, aut Doctoratus in Religionibus, non eſſe Dignitates; neque in Societate officia Aſſiſtentium, Conſultorum, etiam Provinciæ, Magiſtri Novitiorum, & Miniſtri, cum prælatione careant; & ita horum ſigilla, ad prædicta Iubilæorum indulta nihil auctoritatis habebunt.

9 Extra Societatem verò, cum detur Dignitas Eccleſiaſtica ſine prælatione, & iuriſdictione; v. g. Cardinalatus, & Archidiaconatus, &c. non ſolùm prælationes, ſed etiam his Dignitates, quę ſine illa dantur, prętendere prohibentur Profeſſi Societatis. Vnde ubi agitur de non ambiendis his Dignitatibus, particula, *Vel* ſumitur *copulatiuè*, æquivaletque particulæ *Et*: ſic enim illam interdum accipi teſtantur Menochius *Conſ.* 178. Barboſa *ſupra*. Gonçalèz *ad reg.* 8. *Cancelleriæ. Gloſſa* 3. *n.* 15. Aloyſius Riccius *in deciſ. curiæ Archiepiſc. Neapol. deciſ.* 72. *n.* 6. Zenedus *pract. & Canonic. quæſt. Sing.* 29. *n.* 2. Conſule, quæ circa hoc votum Suarius tradit *dicto cap.* 8.

Dvbivm Vltimvm.

Quo ſigillo, & quo modo munienda ſunt Indulta prædicta Iubilæorum?

1 Sigilli ſignificationes, variæ ſunt, & interdum pro Deorum, atque hominum ſimulachris uſurpatur, & pro paruis ſtatuis, *ut in l. cetera. §. penult. in fine. ff. de leg.* 1. *l. quæſitum. §. Papinianus. de fundo inſtructo*; vel pro cera inſcripta inſtrumentis, *ut in l.* 1. *§. ſi pecunia in* 2. *ff. de poſiti.* Sed has, & alias acceptiones omitto, quæ videri poſſunt apud Rebufum *in l.* 39. *de verb. ſignif.* In præſenti autem *Sigillum* ſumitur pro ſigno, quod vel in cera, vel in alia re imprimimus alicui chirographo, inſtrumento, chartæ, indulto, vel ſcripturæ, aut ſcripto proprio, vel alieno, iuxta *l. videamus. §. qui vinum.* ibi: *Signatum tuo, vel alterius ſigillo*, ut illi auctoritatem conferamus, *iuxta* 12. *q.* 2. *cap. cum Redemptor*, & in ſignum teſtimonij, iuxta, *l. cuius. ff. de pignor. act.*

2 Sed pro ſigillandis huiuſmodi indultis notanda ſunt nonnulla. I. non expoſci à Pontifice, ut ſimul cum ſigillo ſubſcriptio apponatur perſonę in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ; nec ut ipſa teſtetur ſigillum ſuum appoſuiſſe: licet enim ex l. *hac conſultiſſima. l. in teſtamentis l. iubemus*, ac ex alijs doceat Innocentius, *in cap. ſcripta. de fide inſtrum. n.* 2. non ſufficere ſigillum apponere chartæ, niſi ille, qui appoſuit dicat ſe illud appoſuiſſe: hoc in præſenti ſufficienter ſuppletur: tum ex eo, quod Pontifex dicat ſigillãdum eſſe indultum â tali perſona; tum ex eo, quod in ipſius ſigillo appareat cuiuſnam ſit, nam communiter in omnium Prælatorum ſigillis ſculptum invenitur aliquid indicans perſonam, aut Dignitatem, cuiuſmodi ſunt verba: v. g. *Sigillum Præpoſiti Generalis Societatis Ieſu. Sigillum Rectoris Collegij Hiſpalenſis Societatis Ieſu*, & ſic de cæteris, & in his litteris rectè ſalvatur id, quod in huiuſmodi ſigillatione deſiderat Innocentius *ſup. n.* 3. *Quod ſcilicet ſemper in littera debet exprimi ad quid ſigillum apponatur, & cuius ſit, & a quo apponatur. Ita cap. fin.* 29. *diſt.* Quare rectè addit: *Sed ſi in litteris non dicitur qualitercumque, dummodo hoc ſciri poſſit, videtur ſufficere.* Quod verificatur illa inſcriptione ſigillo inſculpta.

3 Sed ſi roges, quid faciendum, quando qui ſigillaturus eſt indultum, non habet ſigillum proprium ſui officij, vel Dignitatis, cum quo, & non cum proprio perſonæ, ſeu ſuæ nobilitatis, ſeu ſtemmatum, nec cum alio alicuius Dignitatis ſigillandum eſt? Reſpondeo verbis Innocentij, *ſup. n.* 2. dicentis: *Si autem nullum ſigillum unquam haberet, vel ſaltem tunc, cum ſigillare oportet, non haberet ſigillum, poterit alieno ſigillo ſigillare, ſed tunc etiã neceſſe eſt, hoc ipſum dicere, ſcilicet, cuius ſigillo ſignet. Et eſt ratio in l. quia turbatum eſſet ſigillum. ff. de teſt. ad teſtium.* Hæc ille. Vnde Viceprovinciales, & Vicerectores, ſi proprium horum officiorum non habeant ſigillum, ſigillo Provincialis, & Rectoris ſigillabunt; & perſonæ conſtitutæ in Dignitate Eccleſiaſtica: v. g. Archidiaconus, Cardinalis, &c. ſi ſuorum ſtemmatum ſigillum habeant, & non Dignitatis, poterunt cum illo ſigillare. Animadvertendũ tamen verbis aliquibus, Dignitatis, vel nobilitatis ſuæ ſigillum eſſe.

FINIS TRACTATVS III.

AD IVBILÆA, AC INDVLGENTIAS REGVLARIBUS, eorumque Ecclesijs concessas; APPENDICIS TRACTATVS QVARTVS.

DVBIVM I.

Quæ Iubilæa, ac Indulgentiæ Regularibus sint á Pontificibus, & præsertim à Paulo V. concessæ?

1 PLVRIMAS, ne dicam innumeras, indulgentias plenarias, & non plenarias Religiosis omnibus, eorumque Ecclesijs, Festis, Benefactoribus, Famulis, ac Cognatis concessas fuisse á Pontificibus, satis manifestant Mendicantium Compendium, *verbo indulgentia á fol. 273. ad 311.* & Hyeronimus Rodriguez *qq. reg. resol. 77.* Sed cum ad magnũ numerum eæ accreuissent, ac de illarum omnium testimonijs non ita clarè constaret, SS. D. N. Paulus V. anno 1606. per suam Bullam in forma Brevis reuocavit omnes, & singulas indulgentias per Antecessores suos concessas omnibus Regularibus cuiuscumque instituti, & sexus, illasque annullavit, & loco earum alias de novo concessit, priores non mediocriter limitando. Tenor autem huius reformationis, aut reuocationis, & novæ cõcessionis, sic habetur in constitutionibus Prædicatorum. c. 30 *f.* 379.

2 *Pro spirituali solatio omnium Religiosorum quorumuis Ordinum intra claustra, aut extra cum licentia suorum Superiorum legitima de causa illis concessa degentium, concedit eis S. D. N. Paulus Papa V. infra scriptas indulgentias, & gratias.*

3 *Ceterum omnes, & singulas indulgentias quibuscumque Ordinibus, Institutis Regularibus, etiam Mendicantibus, & quibuslibet personis Regularibus, tam vigore priuilegiorum, & litterarum Apostolicarum, quam viuæ vocis oraculo, aut alias quouismodo per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores suos, ac per ipsummet, & Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, & innouatas, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò reuocauit, cassauit, annullauit, & abrogauit, & ad præsentium (suarum litterarum præscriptum modum reduxit, & moderatus est. Quæ indulgentia vult Sanctitas sua, ut omnes etiam concessæ sint omnibus Religiosis, Monialibus, Regularibus cuiuscunq; Regulæ approbatæ, & intra claustra cum tribus votis solemnibus viuentibus, & perpetuam clausuram seruantibus, tam Ordinarijs locorum, quam Regularibus cuiuscumque Ordinis, regulæ, & instituti subiectis, suffragari. Præsentibus perpetuis temporibus duraturis. Non obstantibus, &c.*

4 *I. Omnibus Christi fidelibus, qui canonicè, & iuxta ordines cuiuslibet Religionis, & constit. Apostolicam, habitum regularem á legitimis Superioribus causa profitendi in illo susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam Religionem; si verè pœnitentes, & confessi, sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum susceperint, plenariam concedit.*

5 *II. Cuilibet Nouitio qui pœnitens, & confessus, a sacra Communione refectus fuerit, post completam probationis annum professionem emiserit, etiam plenariam.*

6 *III. Cuilibet Religioso intra claustrum Monasterij viuenti; qui in festo principali sui Ordinis confessus, ac sacra Communione refectus fuerit, aut Missam celebrauerit, & pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac S. M. Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderit, etiam plenariam.*

7 *IV. In cuiuslibet mortis articulo, si pariter verè pœnitens, & confessus, ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiuerit, saltem contritus nomen Iesu, ore si poterit, sin autem corde, deuotè inuocauerit, etiam plenariam.*

8 *V. Qui vero ad Presbyteratus ordinem canonicè promotus, & cõfessus primam Missam celebraverit, nec non etiam ijs Religiosis, qui pariter cõfessi, ac Communione refecti, eidem Missæ interfuerint, aut ipso die Missam celebrabunt, etiam plenariam.*

9 *VI. Ij vero Religiosi, qui de suorum Superiorum licentia á negotijs per decem dies alieni in cella cõmorabuntur, aut ab aliorum conuersatione separati in piorum librorum lectione, & aliarum rerum spiritualium consideratione operam dediderint, addendo sæpe cõsiderationes, & meditationes Mysteriorum fidei Catholicæ, &c.* plenariam, &c. iuxta dicẽda Dub. ult. n. ult. ubique hîc desunt.

10 *VII. Ijdem Religiosi intra claustra viuentes, qui suam Ecclesiam deuotè visitauerint, & ut præfertur, orauerint consequentur easdem indulgen-*

tias, quas visitando Ecclesias Vrbis, & extra eam, dictis Stationum consequentur, in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Vrbis Ecclesias visitassent.

11 *VIII. Omnibus Religiosis intra claustra, ut supra, viuentibus, qui quinquies orationem Dominicam & toties Salutationem Angelicam ante altare eorum Ecclesiæ dixerint in quolibet die quinque annos, & totidem de indulgentia concedit.*

12 *IX. Ijs, qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes, tamquam Prædicatores, & Lectores, quinquies eandem orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam ante quodlibet altare similiter dixerint, etiam quinq; annos, & totidem quadragenas.*

13 *X. Eisdem Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confessi, & sacra Communione, ultima Dominica mensis huiusmodi refecti fuerint, sexaginta annos, & totidem quadragenas.*

14 *XI. Qui contrito corde, & pœnitentes, eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accusabunt, & spiritualiter Communicabunt, & exercitium virtutum sentes, tres annos, & totidem quadragenas.*

15 *XII. Ijs quotiescumque de licentia summi Pontificis, & suorum Superiorum in ditiones, & terras Infidelium, aut Hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel Infideles, & Hæreticos ipsos ad fidem conuertendum, & Ecclesiæ gremio reducendum missi fuerint, si pœnitentes, & confessi, ac sanctiss. Communione refecti fuerint, vel Missam celebrauerint, ut melius ad huiusmodi opus se parare valeant pro duobus vicibus, videlicet, quando itineri se accinxerint, & quando in Prouinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erũt, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem elargitur.*

16 *XIII. Cum Superior in visitationibus generalibus, orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerit, vt Religiosi, qui dictis Orationibus, saltem spatio duarum horarum in diuerso tempore interfuerint, & ibi pro Principum Christianorum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, & S. M. Ecclesiæ exaltatione, nec non disciplinæ, & observantiæ regularis augmento pias ad Deum, ut supra dictum est, preces effuderint si confessi, & sacra Communione refecti fuerint, aut Missam celebraverint, plenariam similiter omnium peccatorum indulgentiam, & remissionem, ut præfertur, conceditur.*

DVBIVM II.

Practicæ obseruationes circa reuocationem, seu reformationem prædictam: Vbi plurima Iubilæa modo Religiosis concessa notantur?

1 PRIMA obseruatio, quam ut probabilem, tuetur Hyeronimus Rodriguez, *qq. reg. resol. 77. n. 45.* est, quod adhuc post hanc Bullam Pauli V. in suo vigore manent omnes indulgentiæ à Prædecessoribus suis; quia post illam ipse Paulus aliam Bullam edidit, in qua ait; *Se confirmare priuilegia, gratias, & indulta spiritualia* (sub quorum nomine veniunt indulgentiæ) *ac de nouo concedere priuilegia confirmata à Clemente VIII. cum omnibus suis clausulis, & decretis.* Clemens verò VIII. expressè concedit indulgentias in sua Bulla confirmatoria, & decretum innouans intelligendum est iuxta tenorem decreti innouati. *l. in testam. ff. de condit, & demonst. Authent. constitutio innouans. §. Vnde, versi. in illis. col. 3.* Confirmatque Rodriguez, quia Paulus V. ait, *Hæc se confirmare, & innouare ex certa scientia*, quod habet vim novæ concessionis, redditque de non valido validum, iuxta Glossam, *in cap. quia diuersitatem, de conces. præbend. cap. 1. de transact.* Tum quia addit Paulus V. clausulas: *Ac si de verbo ad verbum nil penitus omissum, inserèrentur, &c.* Et *Non obstantibus*, in quibus comprehenditur eius reuocatio. Oppositum docet Portel, *in dub. regul. verb. indulg. n. 12.* & innuit Emman. Rodrig. *addit ad sum. t. 3 c. 10. n. 1. & c. 1. n. uni* Et licét hoc certius existimẽ, probabilitate illud non caret.

2 Secunda obseruatio: In hac reformatione Pauli V. nullo modo reuocantur indulgentiæ, quæ competunt Religiosis, ut sunt Fideles, vel habitatores talis loci, sed quæ ratione suæ Religionis illis concessæ erant; aliter deterioris conditionis essent, quàm Sæculares, etiam quoad spiritualia. Item non reuocantur, quæ conceduntur eorum Ecclesijs, Monasterijs, Capellis, &c. v.g. Iubilæa, & indulgentiæ concessæ Visitantibus Ecclesias cuiusvis Ordinis in festis suorum Sanctorum, aut in alijs festiuitatibus. Quas plurimas esse plenarias, & non plenarias inuenies in Compendio, *supra. verb. indulgentia quoad sæculares 1. & 2. a fol. 291. ad 299.* Et apud Hyeronimum Rodriguez, *sup. a n. 48.* qui inter alios refert *n. 72.* ex indulto Innocentij VI. & Iulij II. concessum esse omnibus recitantibus Psalmum Miserere, cum oratione, *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes, &c.* vel si litteras nesciant, quinquies Pater noster cum Ave Maria in Ecclesijs principalibus Minorum, seu illis annexis, quod cõsequantur indulgentias Vrbis, & Orbis. Nec reuocãtur concessæ exhibentibus aliqua charitatis opera fratribus Minoribus, Carmelitis, & alijs Religiosis,

quæ

quæ videri poſſunt, ibi *à fol. 299. ad 302.*

3 Tertia obſervatio: Non revocantur item conceſſę Patribus, Fatribus. Cognatis, Benefactoribus, Servitoribus Religioſorum, ac alijs huiuſmodi perſonis ad eos ſpectantibus; cum enim hæ non ſint Religioſis conceſſæ, ſed intuitu tantúm illorum; revocatæ non ſunt á Paulo V. qui indulgentias Fratribus immediatè, & directè conceſſas ſolûm revocavit. Sic notat Hyeronimus Rodriguez *n.* 57. circa indulgentiam Eugenij IV. qui conceſſit, ut Procuratores Fatrum, eorumque Subſtituti, Liberi, Parentes, Fratres, & Sorores poſſint promereri indulgentias Stationum, & alias Fratribus cõceſſas, dicendo in eorum Eccleſijs quinque Pater Noſter, & totidem Ave Maria pro fælici ſtatu Romanę Eccleſię; & addit: *Nec hoc fuit revocatum per Paulum V. quia non fuit conceſſum Fratribus, ſed intuitu Fratrum.*

4 Ob eandem rationem ipſe *n.* 45. Et Emmanuel *to. 3. ſum. c. 11. n. un.* docent, non eſſe revocatam indulgentiam plenariam conceſſam à Clemente VIII. Parentibus Fratrum Minorum in mortis articulo. Et *n.* 55. ait Hyeronimus, non eſſe revocatam plenariam indulgentiam conceſſam Animabus Parentum, Benefactorũ & Fratrum, ac hoſpitantium eoſdem Religioſos, dicendo pro eis unam Miſſam defunctorum in conventu, in quo moratur talis filius Religioſus, aut in oppido Benefactoris, aut hoſpitantis.

5 Quarta obſervatio: Revocatæ non ſunt indulgentiæ conceſſæ Religioſis pro Animabus purgatorij: v. g. ut tali Miſſa, vel oratione, vel in tali die liberent unam Animã á purgatorio. Huiuſmodi indulgentias plures invenies apud Hyeronimum Rodriguez, *reſol. 77. à n. 62.* Et animadverte, quod etiam ſi Anima purgatorij ſit Religioſi cuiuſvis, & Pontifex concedat, quod quicumque ſive Sæcularis, ſive Regularis hoc, vel illud opus pro illa effecerit in Eccleſijs Regularium, aut in eorum altaribus privilegiatis, liberet eam; nõ eſt cenſenda hæc indulgentia ei applicanda, quia vivi opera hæc exequantur, & indultum hoc non eſt conceſſum Religioſis, quatenus Religioſi ſunt, ſed ratione Eccleſiæ, vel altaris; & Paulus V. non revocavit indulgentias Regularium Eccleſijs, vel altaribus conceſſas, ſed tantúm conceſſas immediatè, & directè ipſis Regularibus vivis, qui propterea de eius foro erant. Immo, & ſi nominatim Pontifex exigeret, ut Miſſa pro Anima Regularis defuncti á Regulari celebretur, ut defunctus à purgatorio liberaretur, adhuc hæc indulgentia meo iudicio non eſſet revocata a Paulo V qui, ut tetigi, ſolûm indulgentias vivis, & pro vivis cõceſſas, illiſque tantum applicandas, revocaſſe exiſtimandus eſt.

6 Idem á fortiori dicendum eſt de indulgentijs conceſſis pro Animabus Regularium abſque ulla aliorum Regularium, vel Sęcularium diligẽtia. Huiuſmodi eſt ea, quã conceſſit Ordini B. Mariæ de Monte Carmelo Ioannes XII. & confirmarunt Alexander V. Clemens VIII. & Gregorius XIII. ut teſtãtur uterque Rodriguez, Hyeronimus *ſup. n.* 71. & Emmanuel *apud ipſum*, ut ſcilicẽt Sabbato ſequenti poſt obitum Fratrum, Monialium, & Confratrum ipſius Ordinis, meritis, & interceſſione B. Virginis ipſorum Animæ à pœnis purgatorij liberentur per modum ſuffragij, ſeu impetrationis à Deo. Conſule ipſum Hyeronimum, qui rectè cum Emmanuele, & Navarro notat; quod ad liberandam Animam á purgatorio in altari privilegiato, ſufficit cuiuſlibet Miſſę celebratio, ſive ſit de Sancto, ſivè de Feria, aut defunctorum niſi in Bulla expreſsè caveatur, quod dicenda ſit de Requiem.

7 Quinta obſervatio: Indulgentiæ omnes conceſſæ, vel confirmatæ tum á Paulo V. poſt prædictam Bullam, tum ab alijs Pontificibus eius Suceſſoribus, non ſunt revocatæ: Talis eſt plenaria, quam Paulus V. conceſſit Minoribus recitantibus coronam B. Mariæ, ut referũt Hyeronimus Rodriguez *n.* 47. & Portel *n.* 1. & celebris illa indulgentia Stationis ſanctiſſimi Sacramenti conceſſa Minoribus recitantibus ante illud ſex Pater Noſter, & Ave Maria, cum Gloria Patri ad finem cuiuſlibet, & Ave; & his recitatis ita, lucratur quilibet Religioſus omnes indulgentias Stationum Romæ, Ieruſalem, S. Iacobi in Compoſtella, & Portiunculæ. Quod conceſſum fuiſſe á Paulo V. ac cõfirmatum, de novoque conceſſum a SS. D. N. Vrbano VIII. dummodó Statio fiat ante altare principale Eccleſiæ, ex authoritate gravium virorum teſtatur ipſe Rodriguez *n.* 47.

8 Sexta obſervatio: Nec revocatæ ſunt indulgentiæ, quas poſſunt Regulares concedere tam Regularibus, quam Sæcularibus pro aliquo opere: ſolùm enim pro ſe ipſis conceſſæ revocantur hîc. Huiuſmodi eſt illa, quam Fratres Minores, & Predicatores, ac ſimiliter communicantes in eorum privilegijs, prædicantes in ſuis domibus quocumque anni tempore, poſſunt concedere ſuis Auditoribus, nimirum decem, &

octo annos, ac trecentos, & viginti duos dies Indulgentiarum; extra verò ſuas Eccleſias ultra dictos 18. annos 222. dies tantùm. At tempore Quadrageſimæ in ſuis domibus Prædicantes in feria ſecunda, quarta, & ſexta centum quinquaginta ſex annos, & quingentos viginti quatuor dies Indulgentiæ, authoritate Apoſtolica valent concedere ex indulto Gregorij IX. & aliorum Põtificum; de quibus in Compendio Minorum, *tit. Indulgent. quoad ſæculares.* §. 5. & Emmanueli *to* 2. *q* 95. *art.* 1. ac, ut ipſe *q.* 99. *art.* 5. teſtatur, ex indulto Pauli III. & aliorum Põtificum in partibus Indiarũ poſſunt Religioſi alias Indulgentias cõcedere.

9 Septima obſervatio: Iubilæa, & Indulgentiæ conceſſæ vivæ vocis oraculo Regularibus, & eorum Eccleſijs in ordine ad Sęculares, & ipſis Regularibus immediatè, aliundeque non revocatę per hanc Pauli V. Bullam; etiam non ſunt revocatę Bullis Gregorij XV. & Vrbani VIII. omnia vivę vocis oracula annullantium, ut vidimus Sing. 3. Tract. 9 quia in illis non exprimuntur indulgentiæ, ſeu de illis quoad revocationem non fit ſpecifica mentio, qualis requiritur ad revocationem, ut pote privilegij privationem. Et licèt in eis dicantur revocari indulta ſpiritualia, ſub horum nominibus in odioſis non ſunt intelligendæ Indulgentiæ; licèt in favorabilibus intelligantur; nec hæ revocari exiſtimantur à Sapientibus, niſi expreſsè nominentur. Sic doctiſſ. P. Ferdinandus, & Mendoça.

Dvbivm III.

V. Novitij, ac Religioſi Societatis Ieſu poſt vota biennij fruantur Iubilæis, & Indulgentijs ac privilegijs pro ipſorum Religione conceſſis?

1  ERMONEM inſtituimus de Indulgentijs conceſſis Religioſis vel in univerſum, vel in particulari Religioſis talis Religionis, in qua Novitius exiſtit. (de alijs enim, quæ generaliter omnibus Chriſti fidelibus conceduntur, tam Novitij, quam Profeſſi eodem modo fruuntur, ac Sæculares.) Et his Novitij omnes frui, niſi expreſsè notetur, Profeſſis concedi, non dubito: I. Quia hæ conceduntur Religioſis, ut patet in Bulla Pauli V. Dub. 1. allata; ſed in communi loquendi modo; immo, & iuxta ſtylum Cancellariæ Apoſtolicæ, Novitij dicuntur Religioſi, & cenſentur tales in favorabilibus, ut notat Rebuſus, *l.* 1. *de praxi benefic. tit. de diſpenſat. cum regul. pag.* 422. & probant Ludovicus à Cruce *lib.* 1. *in cruc. diſp.* 1. *c.* 9. *dub.* 5. *n.* 2. & Trulench. *l.* 1. §. 9. *dub.* 3. *n.* 4. ac alij: ergo eis conceduntur, ſicut iuxta prædictos Trulench, & Cruz, Emmanuelem Rodriguez § 1. *n.* 6. & Villalobos *tr.* 27. *clauſ.* 12. *n.* 12. Novitij ſine Bulla Cruciata poſſunt frui privilegijs, gratijs, Indulgentijs, & facultatibus conceſſis Mendicantibus; quia in ordine ad ipſos non ſuſpenduntur per Bullam ijs verbis, *Exceptis tamen*, ſcilicet quoad ſuſpenſionem, *gratijs, & Indulgentijs, quæ conceſſæ ſunt Ordinum Mendicantium Superioribus quoad eorum Fratres*; ubi nomine *Fratrum*, ſeu Religioſorum Novitios venire in favorabilibus ex communi Doctorum tenendum afferunt Trulench, & Cruz *ſup. n.* 4. Conſule Thomam Sanchez, *tom.* 2. *ſum. l.* 6. *c.* 10. ubi latè probat Novitios gaudere privilegio fori, immunes eſſe à gabellarum ſolutione, initiari poſſe ad Epiſcopo, in cuius Diœceſi ſunt in probatione; à Iudice Eccleſiaſtico non poſſe puniri, & inſtar Religioſorum conveniri debere, ac alijs favoribus frui, qui Religioſis competunt.

2 Si verò Indulgentiæ dicantur concedi Profeſſis in Religione, Novitijs non competunt; competunt verò omnibus, qui in Societate noſtra vota biennij emiſerunt, namut loquitur Gregorius XIII. Bulla edita anno 1583. quæ incipit, *Quanto fructuoſius, &c. Ij omnes, qui poſt biennium noviciatus dicta tria vota ſimplicia emiſerint, ac in corpus Societatis coaptati, illuſque meritorum, & privilegiorum non ſecus atque ipſi Profeſſi, participes effecti, &c. verè, & propriè Religioſi exiſtunt.* Vnde ſub nomine Profeſſorum in his, & omnibus alijs favorabilibus noſtri Sacerdotes, ac Scholaſtici, qui trium, vel quatuor votorum ſolemnem profeſſionem in his, & omnibus alijs non fecerunt, ſine dubio comprehenduntur: Quia, ut rectè noſter Suarius, *tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *c.* 1 *n.* 1. ait: *In communi uſu Eccleſiæ accommodata eſt hæc vox Profeſſio ut ſignificet actum illum, quo is, qui vult Religioſus fieri, ſtatum illum publicè, ſolemniter, ac firmiter aſſumit, quo ſenſu, & frequentiſſimè in iure Canonico, & decretis, & abſtrahit à profeſſione facta per vota ſolemnia, vel ſimplicia, &c.*

3 Nec huic, & antecedenti concluſioni obſtant verba illa poſita in Bulla relata Pauli V. in qua Indulgentias concedens, ait: *Quæ vult Sanctitas ſua, ut omnes etiam conceſſæ ſint omnibus Religioſis, Monialibus, Regularibus cuiuſuis regulæ approbatæ, & intra clauſtra cum tribus votis ſolemnibus viuentibus, & perpetuam clauſuram ſeruantibus, &c.* Nam vel in illis

illis verbis *Cum tribus votis solemnibus*, sermo est de Monialibus tantùm, ut indicant ea verba: *Perpetuam clausuram, &c.* & suppletur dictio *Et*; dicereque vult Pontifex, quod hæ Indulgentiæ conceduntur non solùm viris Religiosis, sed etiam feminis Monialibus solemniter profitentibus. Vel solemnitas, de qua ibi est sermo, non est alia, quam est quæ á Suario, *to. 3. de Relig. l. 2. c. 5.* ex S. Thoma *q. 88. art. 7. ad 3.* vocatur accidentalis, consistitque in externo apparatu, multitudine Testium, seu publica votorum emissione, vel ceremonia, aut traditione publica, qua quis iuxta suę Religionis constitutiones Deo, & Religioni se tradit; convenitque hæc traditio illi, quæ fit in Societate Iesu per biennij vota. Et in hoc sensu solemnia hæc vocari possunt. Sic *in cap. Per tuas, de voto*, de quodam, qui vovit dato Chirographo dicitur: *Solemniter fecisse votum in quadam Ecclesia, & in præsentia Prælati*; cum tamen illud votum, ut notat Suarius, *c. 5. n. 9.* solùm simplex esse potuerit. Sed forsan aptiùs dicemus, has Indulgentias concedi Religionibus approbatis, in quibus tria vota solemnia emittuntur; licèt non ab omnibus, sed ab aliquibus saltim emittantur, ut contingit in Societate.

DVBIVM IV.

V. Regulares itinerantes, vel extra clausura degentes fruantur Indulgentijs concessis Regularibus, & eorum Ecclesijs: Vbi an etiam alijs privilegijs gaudeant?

1 AD huius dubij decisionem distinguendum est duplex genus Indulgentiarum: aliæ sane sunt Religiosis concessiæ independenter á loco; cuiusmodi est, plenaria Indulgentia concessa ab Innocentio VIII. Minoribus celebrantibus diebus Dominicis, & in solemnitatibus Christi D.N. Mariæ, & Sanctorum sui Ordinis, ac Fratribus laicis tunc communicantibus, ut habetur *in comp. Indulg. quoad. fratres n. 5.* & sunt similes quæ conceduntur recitantibus Coronam, Psalmos, vel orationes aliquas, aut in articulo mortis invocantibus nomen Iesu, quas ibi videre licet. Has igitur lucrari posse Religiosos omnes extra clausura ex obedientia viventes, ubicumque diligentias exequantur, non est dubium; cum ipsis eas exequentibus ratione sui status concedantur independenter à quacumque alia conditione, vel loco.

2 Aliæ Indulgentiæ sunt Religiosis concessæ dependenter á loco; V.g. cum exigitur ad eas lucrandum, quod preces fundant in suis Ecclesijs. Huiusmodi est concessio Sixti IV. facta Minoribus, ut habetur *in eor. supplem. fol. 97. pag. 2. concess. 351.* & nostrę Societati communicata, ut est in comp. nostro. *§. 11. verb. Indulg.* Quod omnes Indulgentias plenarias, & non plenarias, quæ sunt Romæ in singulis Ecclesijs quocumque tempore, & die, eodem tempore possint lucrari Regulares, quibus communicantur in suis Ecclesijs. & similiter aliæ, pro quarum lucratione ab eis exigitur visitatio Ecclesiarum suarum, vel quod vivant intra clausura.

3 Verùm has omnes posse lucrari Regulares iter agentes, aut extra clausura ex obedientia viventes, constat ex privilegijs eorum. Nam Iulius II. Indulgentias omnium Stationum Vrbis, quas Religiosi possunt lucrari visitando in suis Ecclesijs quinque altaria, vel in uno recitando quinque Psalmos; aut qui nesciunt legere alias orationes dicendò, concessit Minimis, ut lucrarentur visitando aliquam Ecclesiam in loco, ubi pro tempore ex obedientia esse contigerit, si inibi ante illius altare maius, quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam dixerint. Ita habetur in compendiò Minor. *verb. Indulgentia station. quoad fratr. n. 10.*

4 Idem concessit Minoribus, & Prædicatoribus Innocentius VIII. & quod omnes alias Indulgentias, quas in suis Ecclesijs consequerentur, consequantur qui extra conventus, aut domos per obedientiam reperiuntur, dicendo quinquies Pater Noster, & Ave Maria in quacumque Ecclesia, & loco dixerint pro intentione illius Indulgentiæ. Similiter quod has Indulgentias lucrentur Infirmi eadem recitandó in valetudinarijs, & cellis, ac etiam lectulis, quando commodè aliter dicere non possunt. Habetur in Monumento *fol. 69. concess. 160. & in supp. fol. 100. concess. 390.* & communicantur hæc omnia Religiosis Societatis Iesu, ut patet in suo Compendio, *verb. Indulg. §. 2.* ubi post hæc additur. *Et generaliter quando aliqua necessitate, vel infirmitate essent præpediti, vel in itinere constituti, ita quod ad Ecclesias pro consequendis Indulgentijs, & alijs gratijs Societati concessis, adire non possunt, illas consequantur, dicendo dumtaxat illud, quod in Ecclesia dicturi erãt. Habetur in Summario priuilegiorum S. Iustinæ in priuilegijs impressis fol. 121. pag. 2.*

5 Notandum est tandem. I. Id intelligendum esse, sive per paucos, sive per plures dies,

dies, aut menſes moram extra conventus traxerint; nam conceſſio tempus non limitat. II. Etiam ſuſpicor, id intelligendum non ſolùm de indulgentijs, quæ conceſſæ ſunt directé, & immediatè Regularibus, & nullomodo Sæcularibus viſitantibus ſuas Eccleſias, ſed etiam de ijs, quæ conceſſæ ſunt Sæcularibus viſitantibus Regularium Eccleſias, v.g. In die Portiunculæ, in die S. Franciſci, S. Dominici, S. Ignatij, & aliorum Ordinis cuiuſvis Patriarcharum, ac Sanctorum, niſi præter viſitationem Eccleſiæ, aliam in ea Eccleſia diligentiam neceſſariò faciendam exigat Iubilæum, v. g. Communionem, ut exigunt Iubilæa Doctrinæ chriſtianæ, & generalis Communionis. III Adverte, quod hæc privilegia non ſunt annullata in revocatione indulgentiarum facta à Paulo V. in ea enim ſolùm Indulgentiæ revocantur, non verò indulta ad eas conducentia, quod ſcilicet vice huius Eccleſiæ, in alia ad earum lucrationem orare ſit ſatis. Vnde hæc privilegia intelliguntur verſari circa Indulgentias non revocatas.

DVBIVM V.

V. Religioſi facti Epiſcopi fruantur Indulgentijs, ac privilegijs ſuæ Religionis?

1 ALIQVIS forſan probabiliter exiſtimabit, Religioſos factos Epiſcopos frui indulgentijs, ac proinde privilegijs aliorum Regularium, ſaltem ijs, quæ Religioſis ut ſic, abſtrahendo ab hoc, quod in clauſtris, vel extra clauſtra vivant, conceduntur; cum ipſi non ſolùm veri Religioſi ſint, ad triaque vota ſubſtantialia, quatenus Epiſcopali dignitati non obſtant, teneantur, eo modo, quo latè probat Thomas Sanchez, *to.2. ſum.l.6. c.6.* ſed etiam ad obſervantias regulares, ad mortale, vel veniale obligantes, quæ Pontificio muneri non opponuntur; licèt pœnis pro earum tranſgreſſione impoſitis nõ ſubiaceant, ut ex S. Thoma, S. Antonino, Angelo, Sylveſtro, Tabiena, Turrecremata, Emmanuele, Fulvio, & alijs tradit Sanchez, *ſup. n.* 18. Qui ergo hæc ſuæ Religionis onera portare coguntur, commoda illius, ſcilicet privilegia, & indulgentias æquum eſt ut ſentiant.

2 Ita ego generaliter tenendum exiſtimarem, niſi obſtaret Motus proprius Sixti IV. qui affertur ab Emmanuele, *to.2.qq.regul.q.*80. *art* 3. in hunc modum. *Sixtus IV. ſtatuit, ut ſi aliqui Fratres Minores, aut Prædicatores obtinuerint habilitationem ad habenda beneficia Eccleſiaſtica, & quod interim, vel poſtquam eam habuerint valeant reſidere in domibus dicti Ordinis, & ibidem camaras, ac vocem activam, & paſſivam in Capitulis generalibus habere, & privilegijs dictorum Fratrum, & Ordinum gaudere; quod iſti tales poſtquam aliquod beneficium pacificè adepti fuerint, aut pro Capellanis in aliquibus Eccleſijs deſervire caperint, conceſſionibus prædictis nequeant gaudere, aut alijs conſimilibus Ordinem concernentibus, niſi de Prælatorum conſenſu.* Et addit Emmanuel: *Idem ſtatuit de promotis ad Cathedrales, ac alias Dignitates Eccleſiaſticas. Ita habetur in Monumentis ordin. c. 1. fol.66.conceſ.*365. Hinc ipſe ibi, Mendoſius *de privileg. ad inſtar.gloſa.* 3. *n.*11. & Sanchez *ſup. n.* 33. aſſerunt, Epiſcopum Religioſum non gaudere privilegijs ſuæ Religionis, ſicut non ſubiacet regulæ obſervantijs, iugoque monaſticæ diſciplinæ.

3 Sed non ita generaliter hoc aſſerendum eſſe ſentio. I. Quia ſi ſolùm prohibetur in prædicto Sixti IV. decreto, quod Minores, & Prædicatores ad Dignitates Eccleſiaſticas promoti Regularium privilegijs fruantur, extendi non debet ad Regulares aliorum Ordinum, quia pœna, ſeu lex pœnalis, qualis hæc prohibitio eſt, extendi non debet ad alios caſus, vel perſonas præter aſſignatas, etiam ſi inter has, & alias ſimilitudo rationis inveniatur, ut probant Ioannes Andreas, *in reg. odia. de reg. iuris l.6.* Imola *in l. ſi vero. §. de verò col.8. ff. ſolut. mat.* D. Antonius de Quintanadueñas, *regul.* 287. *Eccleſiaſtic.* Gironda *de priuileg. explicat. n.*540. & alij. Nec hìc locum habet privilegiorum communicatio, cum hæc prohibitio, potius ſit eorum privatio, quam conceſſio. Et ut rectè notat Hyeronimus Rodriguez, *qq. reg. reſol. 116. n.* 50. cum alijs: Religiones non communicant cum alijs in pœnis, & reſtrictionibus, ſed in favoribus, ac privilegijs. Vnde deducit; quod alij Regulares poſſunt uti privilegijs Societatis per communicationem abſque beneplacito ſui Generalis, niſi illis expreſsé hoc prohibeatur. Conſule Suarium, *de leg. l.* 8. *c.*17. *à n.*5.

4 Deinde addo, quod etiam Minoribus, & Prædicatoribus factis Epiſcopis concedere poſſunt Prælati ſuæ Religionis, ut gaudeant prædictis privilegijs, ut infra videbimus, & innuit Sixtus IV. dum ait: *Gaudere non poſſe privilegijs, niſi de Prælatorum conſenſu.* Igitur indulgentias omnes Regularibus in generali conceſſas, ſi hæ non petant lucrantes viventes intra clauſtra, huiuſmodi Epiſcopos, etiam Minorum, & Prædicatorum Ordinum (de alijs enim non dubito) frui exiſtimo;

timo; quia non est credibile eos privare illis velle Superiores Religionum, sed tacite saltem concedunt. Nec æquum est, ut qui Pontifici obediendo perfectiorem statum assumit, tot spiritualibus divitijs ab ipso Pontifice privetur.

DVBIVM VI.

V. A Religione Expulsi fruantur Iubilæis, & Indulgentijs pro Religione concessis; ubi an etiam alijs privilegijs fruantur?

1 IN I. Conclusio: Expulsi legitimè è Societate Iesu post vota biennij emissa, nec indulgentijs, nec alijs privilegijs fruuntur: quia nullo modo Religiosi manent, sed ad sæculum redeunt liberi à votorum obligatione, non per dispensationem, irritationem, aut commutationem; sed quia vota simplicia in Societate ab initio iuxta Societatis Constitutiones, & Bullas imbibitam habent hanc conditionem; ipsa valitura, seu duratura quandiu emittentes Societas retinuerit, ut docet Sanchez *to.* 1. *sum. l.* 4. *c.*24. *n.*11. Ergo cum neque Religiosus, neque Novitius ut, non possit indulgentijs, & privilegijs concessis Religiosis frui.

2 Secunda conclusio: Quicumque Professus Regularis cuiuslibet Ordinis, & instituti sit, qui iniustè fuit dimissus, aut expulsus à sua Religione, eius privilegijs, ac indulgentijs gaudet. Ratio est, quia sicut dimissio fuit contra iustitiam, ita ut teneatur monasterium eum repetere, ut ex plurib. probat Sanchez *to.* 2. *l.* 6. *c.* 9. *n.* 7. & 8. contra iusticiam etiam est, illum spoliare privilegijs, & favoribus, quibus fruuntur ceteri Religiosi in monasterio viventes; & ita ad illa, & usum eorum expeditum ius habet. Præterea, quia hæc privatio, aut spoliatio pœna quædam est non levis: ergo cum *Pœna præsuponat culpam*, ut docent Theologi cum S. Thoma, 2.2 *q.* 108. *art.* 4. hæcque iolos Auctores, & delinquentes comprehendat, ut statuitur *l. sancimus c. de pœnis l. Absentem. ff. eod.* ubi, ut in hoc casu culpa absit, nec adsit Auctor illius punibilis, pœna subsequi non debet. Aliter iudicarem, si indulgentia expressè requireret, qui id actualiter intra claustra, vel in habitu, & vita Regulari degat, qui eam lucraturus est, vel privilegium eius conditionis sit, ut extra claustra frui nemo queat.

3 Tertia conclusio: Qui iustas ob causas à Religione sua in perpetuum expulsus fuit, eius indulgentijs, & privilegijs non gaudet. Probatur quia cum ratione Religionis, quam profitetur, & cuius disciplinæ iugo subiacet, hęc Religioso competant, qui professionem, & iugum deservit, spoliari debet eius commodo, & honore. Hinc rectè Suarius, *to.* 3. *de Relig. l.* 6. *c.*15. *n.*6. ait: quod *Exiectus à Religione, & habitu Religionis privatus, privilegium exemptionis amittit, ideoque redit ad ius antiquum, & Episcopo subiectus manet.* Deinde cum per expulsionem cessaverit reciproca obligatio inter Religionem, & Religiosum, hunc illa privat suis privilegijs, siquidem ille à suo onere est exoneratus. Et licèt verus Religiosus maneat solemniter professus, expulsus á Religione, etiam à Societate; adhuc illius indulgentijs, & privilegijs non gaudet; cum hæc concedantur, non ob tria vota precisè, quatenus constituunt verum Religiosum, sed quatenus vitam in communi, regulamque complectuntur. Licèt autem Religiosi regulas nõ observent, aut irreligiose vivant, si in Religione perseverent, cuius meritis indulgentiæ, & privilegia conceduntur, sintque membra unita corpori, & si ægra, illis in utroque foro fruuntur, ut notarunt Miranda, *to.* 2. *q.* 43. *art.* 3. & Hyeronimus Rodrig. *resol.* 116. *n.* 34.

4 Quarta conclusio: Qui ad tempus habitu Regulari dimisso ex obedientia extra claustra iustas ob causas degit, probabile est lucrari omnes indulgentias Religiosis in communi concessas; non verò eas, quæ expressè conceduntur intra claustra viventibus, v. g. Qui ut Parentibus in gravissima necessitate constitutis subveniat, vel ut periculosissimæ infirmitati medeatur, cum Superiorum facultate in sæculo vivit; non est cur, cum verus Religiosus sit, & invitus sine culpa sua, immo ut humanæ, divinæque obligationi satisfaciat, extra claustra vivere cogitur, vitamque illam cum Superiorum facultate ducit, privetur his indulgentijs; nam hæc privatio Religioso, ut pote pœna ob culpam obvenire debet, & *Vbi culpa non est, nec pœna esse potest, l. si putatur. ff. ad l. Aquil. cap. sine culpa de reg. iur. in* 6. Thomas de Thomassetis *reg.* 283. Ioseph Alderete *de relig. disciplinanda l.* 2. *cap.* 10. *n.* 8.

5 De alijs privilegijs piè, & probabiliter idẽ crederem, dummodó sint eiusmodi, quibus uti quis possit, ac practicare extra claustra, suoque statui, dum in sæculo vivit, non repugnent; ut quę pro concionibus, pro recitatione Horarum, pro Missarum celebratione, & similibus, concessa sunt: quia hic adhuc dici potest membrum Religionis, cum,

cum, & ab illa abſolutè dimiſſus non ſit, ſiquidem cum licentia in ſæculo degit, & ad Religionem redire tenetur cum cauſa egreſſus ceſſaverit. Nec refert, utrum ſit habitu dimiſſo, vel retento; quia: *Habitus non facit Monachum, ſed Monachus facit habitum, & ſola profeſſio regularis*, ut dicitur. §. *ſi quando, verſic. tondi eam, auth. ut nulli mod. collat. 9. cap. conſulunt qui cler. c. vel vouen. cap. ut clerici, & cap. porrectum* 13. *de regular. ubi gloſ. verſ. habitus.* Sed huiuſmodi in ſæculo degentes ab uſu privilegiorum, quæ iuriſdictionem habent annexam, v. g. circa adminiſtrationem Sacramentorum, diſpenſationem in votis, in petitione debiti, & ſimilibus omnino abſtinere debent; cum hæc ut potè maioris momenti nec Pontifices, nec Religionis Superiores dimiſſis etiam ad tempus concedere præſumi poteſt, ſed tantùm ijs, qui actu vitæ Religioſæ iugo ſubiacent; alia verò leviora concedi probabiliter ob dicta creduntur, v.g. Quod tali hora celebrare; quod Sabbatis de Conceptione, & quintis ferijs de Euchariſtia recitare valeant, & ſimilia. Quod obſervandum eſt pro Regularibus factis Epiſcopis. Conſule Sanchez *l. 6. ſum. c. 8. n. 35.*

Dvbivm VII.

V. Apoſtatæ, & Fugitivi á Religione, lucrentur eius Jubilæa, & Indulgentias, ac privilegijs gaudeant?

1 IE Apoſtatis non dubito, quod eo ipſo quod Religionem, quam profeſſi ſunt, deſerant, cum animo ad eam non revertendi, nec tranſeundi ad aliam; priventur, indulgentijs, ac privilegijs ſuæ Religioni conceſſis; cum velut ſeparatũ ab ea membrum exiſtimentur á ſuis Prælatis, & à Pontificibus, eos excommunicantibus, ut excomunicarunt Innocentius IV. Clemens IV. Sixtus IV. ac Societatis Apoſtatas, qui poſt biennij vota ita eam deſſerverunt, eorumque Receptores, Fautores, & Conſultores Pius V. & Gregorius XIII. Et congruum eſt, ut qui ob Apoſtaſiam a Religione ſeparati, eius communione privantur; gratijs etiam, & privilegijs, Religionis, quam ita graviter peccantes, & quantùm ex ſe maxima ignominia afficientes, deſerverũt, privẽtur.

2 Ob hanc rationem Horatius Mandoſius *ſup. n. 3.* recte aſſerit, non eſſe dubium, quod Apoſtata non gaudeat Religionis privilegijs. Conſonant Sanchez, *ſup. n. 34.* & Hyeronimus Rodriguez *qq. reg. reſ. 11. n. 29.* Crederem tamen quod Apoſtata ab eo tempore, quo reſipuerit, & intentionem habuerit ad Religionem redeundi, poteſt, ſi in gratia ſit, ſaltèm per contritionis actum, lucrari omnes indulgentias Religioſis vivis conceſſas, & etiam ſi in peccato mortali ſit, dum hunc animum redeundi habeat, lucrari omnes, quas pro Animabus purgatorij poſſunt ſuæ Religionis Alumni, iuxta dicta Dubio 2. & 3. Et idem tunc de privilegijs ſaltem quoad forum conſcientiæ opinari poterimus.

3 De Fugitivis verò, ijs ſcilicet, qui e monaſterio recedunt abſque Superiorum licentia, ut extra ipſius poteſtatem, & obedientiam ſint, iuxta *l. quis ſit fugitivus. ff. de ædilitio edicto*, licet non ita ſtrictè quoad aliqua ſentiendum, ſit ac de Apoſtatis; cum hi recedant animo excutiendi obedientiæ iugum in perpetuum, deferendique religioſum inſtitutum; illi verò ad tempus tantùm recedant, ut ex Angelo, Sylveſtro, Bañez, Navarro, Valentia, Azore, & alijs docet Thomas Sanchez, *ſup. cap. 8. n. 2.* tamen quoad præſens inſtitutum attinet eodem modo iudicandum exiſtimo de utriſque, cum Fugitivi, ipſorumque Receptores, & Retentores non ſecus, ac Apoſtatæ, & eorum Receptores, & Auxiliatores ex communicati ſint ab Innocentio, Clemente, & Sixto IV. ut videre licet apud Mirandam *to. 1. q. 51. art. 2.* Portel *verb. Apoſtata*, Navarrum *c. 27. n. 55 & l. 3. conſ. 69. n. 1. de Regul.* ac Hyeronimum Rodriguez *ſup. n. 7.* ac ita hos velut ſeparatos á Religione; eius privilegijs, & indulgentijs à Pontifice, ac Prælatis Regularibus privari credendum eſt.

4 Niſi forſan quis probabiliter opinaretur in defunctorum gratiam, hos, & etiam Apoſtatas frui indulgentijs conceſſis pro Animabus purgatorij, ac pro Parentibus, & Cognatis ipſorum Apoſtatarum, ac Fugitivorum; cum hæ potius illis, quam iſtis concedantur; aut iſtis cõceduntur per illorum diligentias, ſeu dependenter ab his, ut dicebamus Tract. 1. Dub. 15. Nec congruum eſt, ut hi puniantur hac pœna, ſcilicet indulgentiarum, ſeu ſuffragiorum carentia, ex illorum delicto contra illud *Ezech. 18. Anima, quæ peccaverit ipſa morietur.* Quod refertur *in cap. iam. itaque 1. q. 4.*

5 Sed oppones: Apoſtatæ, & Fugitivi tenentur recitare ex obligatione ſui ſtatus, ac ex illo recitare etiam de Sanctis, & feſtivitatibus ſui Ordinis: ergo & poſſunt frui privilegijs, & indulgentijs circa recitationem, ut privilegio ad recitandum de Euchariſtia in quintis ferijs, & in Sabbatis de

de Conceptione, ac indulgentias omnes illorum recitationi, & alijs operibus annexas lucrari; R. concesso antecedenti, quia recitare etiam de suis solemnitatibus onus est; negando consequentiam; quia recitare in Sabbato de Conceptione, & indulgẽtias prædictas lucrari commodum est, & Apostata, ac Fugitivus tenentur ad omnia onera suæ Religionis, quæ possunt tunc subire, & privari debẽt omnibus commodis, & favoribus propter gravissima peccata Apostasiæ, vel fugæ, ut videre licet apud Thomam Sanchez, *to.2.sum.l.6.cap.8.*

Dvbivm VIII.

Quomodo detur communicatio in Jubilæis, & Indulgentijs inter Regulares, eorumque Ecclesias, sive eiusdem, sive diversi Ordinis?

Dari hanc communicationem, sicut datur in privilegijs inter omnes Religiones, privilegiorum communicationem habentes, non est dubium, constatque ex pluribus Bullis, & indultis Sixti IV. Innocentij VIII. Alexandri VI. Iulij II. Leonis X. Clementis VII. Eugenij IV. Gregorij IX. Pij II. & V. quæ videri possunt in Compedio Mendic. *verbo communicatio*, apud Emmanuelem *to.1. q.55* Mirandam *to.2. q 46.* Leo X. anno 1519. sic communicationem omnibus Mendicantibus concessit.

Nos ad singulos Ordines prædictos, singulasque ipsorum Ordinum domos, ubi religiose viuitur, indifferenter absque acceptione personarum, deuotionis affectum æqua lance gerentes; omnes, & singulas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum, remissiones, prærogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, facultates, priuilegia, indulta, tam spiritualia, quam temporalia, qualiacumque illa essent, quæ Prædicatorum, Minorum, Eremitarum, S. Augustini, Carmelitarum, Seruorum B. Mariæ ac Minorum Fratrum in domibus, & illorum Ecclesijs, Oratorijs, ac Ecclesias ipsas, & Oratoria eo tempore Visitantibus, cuiuscumque (latus, aut sexus existerent, seu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, nec non domibus, Fratribusque, & Sororibus, nec non Monialibus, & conuersis, oblatis, ac utriusque sexus personis de pœnitentia, seu Tertij habitus nuncupatis à dictis Prædecessoribus, aut ab aliis, ipsisq; Successoribus, aut alias auctoritatem habentibus concinctim, vel diuisim in genere, vel in specie concessa fuerint, aut in posterum concedentur; illa, & omnia singula, &c. illis Ordinibus, Ecclesijs, Oratorijs, & Ecclesias ac Oratoria visitantibus cuiuscumque status, &c. pari formiter communia esse volumus.

Hactenus communicatio facta à Leone X. & similes sunt omnes ab alijs Pontificibus concessæ. In cuius explicatione non levis difficultas est; an indulgentias, vel Iubilæa omnia, quæ á Pontifice conceduntur Fidelibus visitantibus Ecclesiam alicuius Religionis in aliquo die, lucrentur visitantes eodem die, vel diverso cuiuslibet diversæ Religionis Ecclesiam.

Affirmativa pars quoad concessionem, seu lucrationem, horum Iubilæorum, saltèm in diversis diebus in omnibus Religionibus, probari videtur ex Iulio II. in Bulla, quæ affertur ab Emmanuele *to.1. qq 55. art.20.* ubi postquam declaravit, & concessit reciprocam communicationem privilegiorum inter Prelatos Ordinis Prædicatorum, & Prælatos Ordinis Minorum, addit: *Et quod de Prælatis ad Prælatos dictum est, ita de Congregationibus unius Ordinis ad Congregationes alterius Ordinis, & de Fratribus priuatis, idest sine prælatura, ad Fratres priuatos, & de Festiuitatibus ad Festiuitates in his casibus, in quibus Congregationibus, vel Fratribus priuatis, ac Festiuitatibus alterius Ordinis, aliquid concessum est nunc, ut pro tempore respectiuè concessa intelligantur. Ita quod ea, quæ in honorem Sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, Catherinæ de Senis Fratribus, vel locis Prædicatorum sunt concessa: omnia illa Fratribus Minoribus prafatis, eorumq; locis, ac Festiuitatibus Sanctorum Francisci, Antonij, Ludouici, Bernardini, Bonauenturæ, quinque Martyrum dicti Ordinis, qui apud Marrochium coronam adepti sunt, & S. Claræ, ac in alijs festiuitatibus dicti Ordinis Minorum, licèt sint in maiori numero quàm festa ipsorum Fratrum Prædicatorum sint concessa.*

Ad præsentem difficultatem Emmanuel supra ita respondet ex concessione præiecta: *Ex qua concessione colligo primò, quod cum in Festiuitatibus D. Francisci, Antonij, Ludouici, Bernardini, Bonauenturæ, Didaci, & S. Claræ aliquam Ecclesiam Ordinis Minorum visitantibus contritis, & confessis, ac sancta Corporis Domini communione refectis indulgentia plenaria conceditur, etiam eadem met indulgentiæ censentur concessæ Visitantibus contritis, & confessis, ac Communione refectis Ecclesias Prædicatorum in festiuitatibus sanctorum Dominici Petri Martyris, Thomę de Aquino, Catherinę de Senis, ac Hyacinti.* Et Hyeronimus Rodriguez, *qq.reg. resol.116.n.52.* Emmanuelem sequens ait: *Vnde indulgentia plenaria concessa à Sixto V. visitantibus Ecclesias Fratrum Minorum in festis suorum Sanctorum, eadem censetur concessa pro Ecclesijs Prædicatorum in festis suorum Sanctorum, & è contra.* Iuxta hanc ergo explicationem dictæ Bullæ eædem indulgentiæ con-

cedentur Societatis in feſtis S. P. N. Ignatij, S. Franciſci Xaverij, S. Franciſci de Borgia, S. Ludovici Gonzagę, & trium Martyrum noſtrorum Ioannis, Pauli, & Didaci qui in Iaponio Regno pro fide cruci ſunt affixi; quæ conceſſa ſunt Religionibus Minorum, & Prædicatorum in ſuis feſtis. Et idem poteſt dici eodem tenore in alijs Religionibus privilegiorum communicatione fruentibus: ita quod Iubilæa concedantur de Patriarcha unius Religionis ad aliarum Patriarchas; de SS. Confeſſoribus ad Confeſſores; de Martyribus ad Martyres, de Beatificatis ad Beatificatos.

6 Sed hæc explicatio a praxi omnino abhorret, & eam deteſtatur conſuetudo; ſecundum quam privilegia eſſe interpretenda communis eſt Doctorum ſententia, ut docet Miranda, *tom. 2. q. 44. art. 4.* ſiquidem ea declarat, quando lex obligat, vel non obligat, ut cum S. Thoma, *22 q. 97. art. 3 & q. 186. art. 9.* docent Theologi, & conſuetudo iuxta hos, & Iuriſperitos vim legis habet: & ſi ſit rationabilis, & præſcripta iudicandum eſt ſecundum ipſam in iudicio, & foro contentioſo; etiam ſi interdum ſit contraria Iuri ſcripto, ut ex Gloſſa, *ſup. cap. conſuetudo d. 1.* probat Sylveſter *verb. conſuetudo q. 19. 20. & 21.*

7 Quis igitur unquam cogitavit, quod virtute Iubilæi conceſſi in die S. Bonaventurę, lucrẽtur Fideles illud in die S. Hyacinti in Ordine Prædicatorum; S. Franciſci Xaverij in Societate noſtra, S. Nicolai de Tolentino in Ordine S. Auguſtini; & ſic in alijs? Quomodo prętera aptanda eſt iſta communicatio: ſi pro ſanctis Confeſſoribus conceſſa ſint uni Ordini quinque Iubilęa, & ſeptem ſancti Confeſſores tantùm celebrentur in alio? Cur duo ex his privandi ſunt illis; & cur potiùs hic, quam ille Iubilęo carebit? Erit ne tunc in arbitrij noſtri poteſtate hos sãctos, ac hos dies potius, quàm illos pro Iubilęorum lucratione eligere, quod ſanè omnino ad Pontificem expectat? Quis denique dixit, quod Portiunculæ Iubilęum lucrari poſſunt Fideles vel hoc, vel alio die in Eccleſijs Societatis Ieſu, aut quod Iubilęum Doctrinę Chriſtianę, & Communionis ſingulis menſibus faciendę lucrentur in Eccleſijs S. Franciſci, S. Dominici, B. Marię de la Merced, & aliorum Ordinum? Vel quod Iubilęum Miſſionum, ſine interventu, & ſollicitudine Societatis noſtrę alicubi lucrari poſſit? Prętera, cum hęc omnia Iubilęa ad tempus concedantur, debent eo ipſo, quod tempus Iubilęi pro S. Franciſco conceſſum, finiatur, ſimul finiri omnium Patriarchatũ Iubilęa, ni aliunde ea conceſſa habeantur. Hęc & plura abſurda, quæ praxi, ac communi omnium ſenſui omnino repugnant ex hac communicatione ſequentur: ergo non eſt concedenda.

DVBIVM IX.

Communicatio Iubilæorum, & Indulgentiarum inter Regulares, ac eorum Eccleſias viſitantes ſtatuitur, & expenditur?

1 IRRVS concluſionibus ſequentibus hęc communicatio aptè exponetur. Sit igitur prima: Omnia Iubilęa, & indulgentię conceſſę immediate, & directe Religioſis, vel eorum Oblatis, Parentibus, Cognatis, Procuratoribus, Benefactoribus, Servitoribus, & ſimilibus perſonis ad Ordinem aliquẽ ſpectantibus, inter ipſos ita communicantur, ut Regularibus Prælatis, privatis Religioſis, eorum Parentibus, Cognatis, Procuratoribus, Benefactoribus & ſimilibus perſonis cuiuſvis alterius Ordinis communicatione gaudentis intelligantur conceſſę. Ita Iulius II. ac ex ipſo uterque Rodriguez *ſup.* Et hę perſonę ita viſitantes Eccleſiam ſui Ordinis, lucrabuntur omnia Iubilęa cõceſſa Viſitantibus eodem die Eccleſias omnium aliorum Ordinum iuxta dicenda infra Dubio 10. Hinc que verificabitur communicatio à Leone X. Iulio IV. & alijs Pontificibus facta.

2 Sit II. concluſio: Omnes indulgentiæ, & Iubilęa conceſſa immediatè, & directè Sęcularibus quibuſlibet, ſeu omnibus Chriſti fidelibus viſitantibus Eccleſiam aliquam alicuius Ordinis, conceduntur, ſeu communicantur viſitantibus quamlibet Eccleſiam eiuſdem Ordinis, niſi oppoſitum in Iubilæi indulto exprimatur: in Eccleſijs verò aliorum Ordinum poſſunt illud Regulares lucrari, non Sęculares iuxta dicenda Dubio 14. Et ita etiam verificabitur communicatio Iubilæorum, vel indulgentiarum inter Regulares à Pontificibus cõceſſa, cum largiuntur, quod omnia privilegia, & indulgentiæ Religioni, ac eius Eccleſijs, lociſque conceſſæ, omnibus Religionibus, ac earum Eccleſijs, lociſque conceſſę intelligantur, quoad Regulares tantùm, qui in ſuis Eccleſijs omnes indulgentias Eccleſijs aliorum Ordinum conceſſas lucrari poſſunt. Quoad Sæculares autem indulgentiæ conceſſæ Eccleſiæ ſingulari alicuius Ordinis extendantur, ac communicentur Eccleſijs omnibus illius Ordinis,

iuxta

iuxta conceſſionem Pij V. factam Ordini S. Hyeronimi in Hiſpania, quod *Omnia privilegia, gratias, &c. ſingulis, & cuiuis Monaſterio conceſſas, ad omnia, & ſingula Monaſteria Ordinis tam virorum, quàm mulierum in omnibus, & ſingulis extendit.*

3 Sit III. concluſio: Omnes indulgentiæ, & Iubilæa conceſſa generaliter Viſitantibus Eccleſiam aliquam Regularem, nullo modo lucrantur Sæculares, ſi aliam ab aſſignata in Iubilæo viſitent: non enim reſpectu Sęcularium datur inter Eccleſias diverſorum Ordinum communicatio Iubilæorum, vel indulgentiarum. V. g. Iubilęum conceſſum Ordini Minorum pro die S. Franciſci, aut S. Bonaventuræ non communicatur Eccleſiæ Societatis pro die S. Ignatij, aut S. Franciſci Xaverij. Quod ex præiactis, ac ex praxi omnino patet. Ratioque præcipua eſt, quod hæc Iubilæa non Regularibus, ſed Sæcularibus, ſeu omnibus Fidelibus directè, immediatè, & precipuè conceſſa ſunt; ad hos enim litteræ Apoſtolicæ diriguntur, ſicque earum inſcriptio eſt: *Vniverſis Chriſti Fidelibus præſentes literas inſpecturis, &c.* Et quamvis favor Religionis ſit ſolemnizatio ſuæ feſtivitatis, lucrum, quod eſt potiſſimus favor, Fidelium eſt, ut Fideles ſunt, intuituque Regularium, ac dependenter ab eorum Eccleſiarum viſitatione eſt conceſſum.

4 Exempli inſtar, ut hoc manifeſtius appareat, formulam Iubilæorum pro Sanctis Ordinis Minorum libuit proponere, quæ ſic habet: *Sixtus Papa V. Vniverſis Chriſti Fidelibus, &c. Nos, ut ipſorum Fidelium deuotio non modo conſeruetur, ſed in dies magis augeatur, animarumque ſaluti uberiùs conſulatur, precibus dilecti filij Clementis, Bontadoſij, Ordinis Fratrum Minorum Magiſtri Generalis, ſuper hoc nobis humiliter porrectis inclinati, tam omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Minorum Conuentualium, Capuccinorum, & de Obſeruantia nuncupatorum Fratribus, & Monialibus, quàm ceteris utriuſque ſexus Chriſti fidelibus qui verè pœnitentes, & confeſſi, ac ſanctiſſima Communione refecti, diebus feſtis S. Franciſci, Antonij de Padua, Bonauenturæ, Ludouici Epiſcopi, & Confeſſoris, ac Bernardini, prędictorũ eorundem Fratrum Minorum Conuentualium, Capuccinorum, & de Obſeruantia; nec nõ die Feſtiuitatis S. Clarę, Monialium dicti Ordinis Monaſteriorum ubilibet conſtitutorum Eccleſias tam erectas, quam erigendas viſitauerint, vel eorum aliquam à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis eorundem dierum ſingulis annis deuotè viſitauerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, & S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Non obſtantibus, &c. Datum Romæ die 27. Septembr. 1585.* Affertur hæc à Cherubino, *to. 2. Bullarij fol. 39.* & ab Emmanuele explicatur, *tom. 2. q. 69. art. 1. & q. 87. art. 5.*

Dvbivm X.

Prædicta Jubilæorum Communicatio ſtabilitur.

1 NE gratis propoſitæ concluſiones aſſertæ videantur, illarum veritatem ſtatui a Leone X. ſine dubio exiſtimo; quia poſtquam Bulla relata dub. 8. n. 2. conceſſit, communicationem privilegiorum, & indulgentiarum inter Regulares, eorum Eccleſias, ac eas viſitantes, addit immediatè ad dicta:

2 *Et deinde ſicut accepimus, nonnulli Fratres dictorum Ordinum volentes ſapere plaſquàm oportet, atquè ad ipſorum nutum verba interpretantes, diverſis tam Sæcularibus, quam etiam aliis perſonis publicè, & priuatè ſuggeſerint, quod ipſi ſæculares viſitando unam dictorum Ordinum domum, omnes, & ſingulas indulgentias & remiſſiones peccatorum per dictos Prædeceſſores noſtros, quam per Nos domui B. Mariæ de Populo de urbe conceſſas conſequi poterant, perinde ac ſi prædictam domum S. Mariæ de Populo viſitarent, quod præter ipſorũ Prædeceſſorum, & noſtram mentem fuiſſe, & eſſe dignoſcitur. Attendentes igitur, quod indulgentia intuitu Religionis conceſſa ad Sæculares extendi nõ debet, volentes mentem Prædeceſſorum, & noſtram declarare, & omnem ambiguitatem, & occaſionem tollere; Motu propio, & ex certa noſtra ſcientia volumus, & Authoritate Apoſtolica declaramus, quod uniuerſi, & ſingulí dictorum Ordinum Fratres, & Moniales, Tertiariique omnes utriuſque ſexus, & Familiares, tantùm dumtaxat; omnibus, & ſingulis indulgentijs, gratijs, per eoſdem Prædeceſſores, & Nos B. Mariæ de Populo, de urbe, ut præfertur conceſſis, & concedendis, uti antur, potiantur, & gaudeant, uti, potiri, & gaudere poſſint, quomodolibet in futurum, perinde ac ſi dictam domum B. Mariæ de Populo his diebus, & feſtiuitatibus, quibus indulgentiæ huiuſmodi conceſſæ fore dignoſcuntur, perſonaliter viſitarent; quodque vigore prædictarum litterarum Sæculares gratijs, & indulgentijs huiuſmodi, uti, & gaudere non poſſunt. Inhibentes nihilominus in virtute S. Obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo per contra facientes incurrenda, omnibus, & ſingulis Fratribus cuiuſcumque Ordinis exiſtentibus, & quibuſlibet alijs perſonis, ne deinceps indulgentias, & gratias huiuſmodi S. Mariæ de Populo de Vrbe ad Sæculares extendi prædicent, aut publicè, vel priuatè nuntient.*

3 En Pontifex ſtatuit indulgentias intuitu Religionis unius conceſſas ad aliam non extẽndi quoad ſęculares. Conceſſa autem eſſe his, & non Regularibus primariò omnia Iubilæa, Regularium Eccleſias viſitantibus, aut in eis communicantibus, ipſorum tenor ſatis manifeſtat. Ecce præterea Iubilæa, quæ ſæculares lucrantur in Eccleſia S. Mariæ de Populo, quæ eſt Auguſtinienſium, non lucrari in alijs Eccleſijs alterius Ordinis; lucrari verò poſſe in alijs eiuſdem. En revocat quidquid in oppoſitum ſit conceſſum addens: *Non obſtantibus præmiſſis, aut quibuſuis alijs Apoſtolicis conſtitutionibus, priuilegijs quoque, & indultis dictis Ordinibus conceſſis, quæ quoad præmiſſa reuocamus, caſſamus, & annullamus, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque*.

4 Sed forſan Iulius II. non intendit communicare alijs Religionibus indulgentias unius, quoad ſæculares; ſed alia privilegia, & ideo illarum mentionem non facit ibi; quia, ut inquit Emmanuel ex ipſius Bulla: *Declarauit, & conceſſit in prædicta priuilegiorum, gratiarum, & indultorum præfatorum communicatione, &c.* Ea autem privilegia communicat, quæ magis propriè, immediatè, & directè conceduntur ipſis Regularibus, ac eorum Eccleſijs, non verò Sæcularibus, ut prædictà Iubilæa. Hocque communicationis genere gaudere exiſtimo, & inde privilegia aliqua conceſſa pro feſtivitatibus, ſeu diebus, aliquorum Sanctorum, communicari aſſerit. V. g Quod quædam conceſſa pro Feſtivitate S. Dominici communicentur, ſeu extendantur ad Feſtivitatem S. Franciſci, S. Ignatij, ac aliorum Patriarcharum; & quædam conceſſa pro die S. Hyacinti, S. Thomæ, & aliorum SS. Confeſſorum, vel Martyrum ad dies S. Bonaventuræ, S. Didaci in ordine Minorum, & in noſtro ad dies SS. Franciſci Xaverij, ac Borgiæ; & aliorum Confeſſorum, ac Martyrũ cuiuſque Ordinis, proportione ſervata. Quę autem ſint hęc privilegia comunicata, uno vel altero exemplo prodam.

5 Conceſſum eſt Minoribus á Clemente VIII. ut in Feſtivitate S. Didaci poſſint ipſi. & Moniales, S. Claræ ſuſpendere Interdictum in ſuis Eccleſijs, ut teſtatur Emmanuel, *ſu. & to. 2. ubi de interdict.* hoc ergo communicabitur Prædicatoribus pro Feſtivitate S. Hyacinti, ut ipſe aſſerit, & Societati Ieſu, pro Feſtivitate S. Franciſci Xaverij. Præterea Sixtus IV. conceſſit Minoribus, ut in Feſtivitatibus Sanctorum ſui Ordinis, & S. Clarę poſſint dicere *Credo*; & quod ſuos quinque Martyres Marochij paſſos ſub Officio duplici celebrent, & Alexander VII. conceſſit, quod feſtum omnium Sanctorum ſuis Ordinis ſub una ſolemnitate poſſint dicti Fratres celebrare, Miſſam de eis dicere, ac recitare, ut habetur in compendio Minor. *verb. Feſtiuitas n. 9. 8. & 13.* & ſimilia videnda: hæc ergo privilegia poſſunt extendi ad ſolemnitates Sanctorum aliarum Religionum, niſi nova nõ adſit prohibitio Sedis Apoſtolicæ; qualis adeſt contra privilegium Alexandri IV. Minoribus conceſſum, quod in ſolemnitatibus Sanctorum proprias eorum hiſtorias, & ſi in Breviario non ſint, dicere, & recitare valeant.

6 Nec obſtat, quod concluſſione 1. aſſeruimus, dari indulgentiarum communicationẽ inter Oblatos, Servos, Famulos, Procuratores, & Parentes Regularium, ſimilem illi, quæ datur inter ipſos Regulares. Diſcrimẽ enim eſt, quod hi Oblati, Servi, &c pertinent aliquomodo ad corpus Religionis, ac ita indulgentiæ iſtæ abſolutè Religioni, & Regularibus dicuntur conceſſæ, ac inter conceſſas his ennumerantur à Põtificibus. Sæculares verô, vel ij, in quibus hic, aut ſimilis titulus ſpecialis unionis cũ Regularibus non adeſt: ad Religionem non ſpectant; ac ideo prædicta communicatio non eſt eis permiſſa de indulgentijs pro Regularium Parentibus, Procuratoribus, &c. Conſule Hyeron. Rodrig. *reſ. 77.* Hac communicatione gaudere Moniales Ordinario ſubiectas Tract. ſeq. probabimus.

DVBIVM XI.

Quæ Iubilæa, & Indulgentias poſſint lucrari omnes Regulares ſine Bulla Cruciatæ: Vbi quas etiam poſſint ſine illa lucrari Sæculares?

1 AD huius dubij ſolutionem neceſſarium eſt præmitere Bullæ Cruciatæ clauſulam, hac de re loquentem. Hæc igitur, ut in ipſius extat Summario á Pio V. anno 1571. edito, ſic habet: *Item ut ſuſpendere poſſit* [ſcilicet Commiſſarius] *dicto biennio durante omnes ſimiles, aut diſimiles indulgentias, aut facultates ab eodem Sanctiſſimo D. N. & Sede Apoſtolica, vel eius authoritate quibuſuis Eccleſijs, Monaſterijs, & in fauorem Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, Vniuerſitatibus, Hoſpitalibus, pijs locis, Confraternitatibus, & ſingularibus perſonis in dictis Regnis conceſſas; etiam ſi clauſulas contra ſuſpenſionem continerent,*

ita

ita ut interim nulli ſuffragari, nec publicari poſſint; exceptis tamen conceſſis Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum Fratres. Gratias verò, & indulta quæcumque vigore cuiuſlibet Bullæ Cruciatæ nuncupatæ in dictis Regnis conceſſas, idē Sanctiſſimus Dominus noſter expreſsè revocavit.

2 Deinde certa priùs ſupponamus, ut ex his ad incerta, aut dubia fiat progreſſus. In primis certum eſt omnes utriuſque ſexus Regulares, immo & Fideles, extra hęc Hiſpaniarum Regna degentes poſſe ſine Bulla Cruciatæ lucrari omnia Iubilæa, & indulgentias, (non loquor de conceſſis ex ipſius Bullæ vigore) Hæ enim ſolùm ſuſpenduntur ut ſæpius in Summario repetitur, in Regnis Hiſpanię, pro quibus Bulla promulgatur, ac conceditur; quęque videri poſſunt apud Trulench *l.* 1. §. 1. *dub.* 1.

3 II. Certum eſt, indulgentias conceſſas ab Epiſcopis, & Archiepiſcopis, etiam in his Regnis, nō ſuſpendi & ita has lucrari poſſe Regulares, & Sæculares abſque Cruciata; quia ſolùm in Cruciata ſuſpenduntur, quæ à Pontificibus, vel ab alijs ex delegata Sedis Apoſtolicæ facultate ſunt conceſſæ. Sic Ludovicus de la Cruz, *in Cruci. d.* 1. *c.* 9. *n.* 1. Epiſcopi autem non ex delegatione, ſed authoritate ordinaria, & iure ſuo poſſunt indulgentias concedere, ut docent Theologi cum S. Thoma. 4. *diſt.* 20. dependent tamen a Pontifice in harum cōceſſione; quia earum poteſtas limitata eſt in iure, *cap. Noſtro, & cap. cum ex eo, de panit.* Cōcedūt hi in Eccleſiæ Dedicatione integrum annum. Capitulum verò in Sede vacante, Vicarius Epiſcopi, Religionum, Prælati, etiam Abbates, ex poteſtate ordinaria nullas indulgentias poſſunt concedere, ut docet Granado, *tr.* 4. *de indul cap.* 3. *n.* 2.

4 III. Certum eſt, quod tranſacto tempore, ad quod Bulla Cruciata conceditur. v. g. in Bulla Pij V. biennio; omnes Regulares, & Sæculares in Hiſpaniæ Regnis poſſunt lucrari ſine illa omnia Iubilæa, & indulgentias, quia ultra aſſignatum tempus non valet Commiſſarius illas ſuſpendere, ut patet ex ipſa Bulla, & ex illo Doctorum, & iuris principio; *Conceſſa ad tempus ultra tempus cenſentur prohibita*, ac ex Summario Hiſpano hoc apertè conſtat.

5 Certum eſt IV. indulgentias conceſſas ipſis Regularibus, ſeu ipſorum Religionibus intuitu ipſarum, & illis directè, ac principaliter, poſſe ſine Cruciata obtineri ab ipſis. Patet ex verbis relatis Pij V. *Exceptis tamē conceſſis Ordinum Mendicātium Superioribus quoad eorum Fratres*, i. Prælatis Mendicantium pro ſibi Subditis, vel Religioſis huiuſmodi pro ſe ipſis. Ita communiter Doctores, Rodriguez, § 12. *n.* 4 Nugnus 3. *p. to.* 2. *tr. de Bul.* §. 14. Ludovicus a Cruce *ſup. n.* 6. Ioannes a Cruce *epit. l.* 2. *c.* 7. *dub.* 3. *concl.* 2. Trulench *l.* 1. *in Cruciat.* §. 9. *dub.* 3. *n.* 1. Sed negat abſque fundamento Acoſta, *in Bul. expoſit q.* 108.

6 Idem de privilegijs hoc modo Religionibus, & Religioſis conceſſis tenent prædicti Doctores, & declaravit, ac conceſſit Leo X. cui per Superiores Ordinum Minorum de obſervantia hoc ità propoſitum fuit: *Dignetur S. V. concedere, & declarare, quod virtute Bullarum Cruciatæ contra infideles, vel aliarum generalium quaſcumque revocationes aut ſuſpenſiones priuilegiorum Ordinum etiam Mendicantium, continentium, numquam intelligantur revocata neque ſuſpenſa indulta priuilegia, & gratiæ conceſſæ quoad perſonas fratrum Minorum de obſeruantia, & quo ad ſuſpendendum intra dictum in feſtiuitatibus Sanctorum ſui Ordinis, niſi de his ſpecificè, & nominatim facerent mentionem* Reſpondit Pontifex: *Fiat.* Hoc indultum habetur in ſuplemento Ordinis, 1. *par. fol* 60. *conceſſione* 177 & illo gaudent omnes Regulares communicationem privilegiorum habentes, ut notat Ludovicus à Cruce *ſup. n* 8.

7 Hæ autem indulgentiæ ſunt omnes, quæ in Compendio Mendicantium, *verbo indulgentia quoad fratres*, & in compendio cuiuſlibet Ordinis quoad Regulares conceſſæ reperiuntur, niſi revocatæ ſint. Item quæ habentur ex Bulla Pauli V. edita anno 1606. in qua Pontifex novas indulgentias pro omnibus Religioſis conceſſit; & an antea conceſſas annullaverit vide Dubio 2. Item ad has reducuntur aliæ indulgentiæ, ſeu Iubilæa, quæ licèt pro Sæcularibus conceſſa directe, & principaliter ſint, non minus directè, & principaliter pro Regularibus conceduntur. V. g. Iubilæa pleniſſima conceſſa à Paulo V. & Vrbano VIII. omnibus Chriſti fidelibus, ad quos Societatis Ieſu Religioſi pro fructificando in vinea Domini, mittuntur, & ipſis Religioſis mittendis, item conceſſa á Gregorio XIII. ijs, qui Doctrinæ Chriſtianæ explicandæ ad eſſe conſueverint, & ipſis Religioſis, qui iam docuerint, & his ſimilia, quæ Regularibus pro labore in his rebus impendendo conceduntur.

[§.]

DVBIVM XII.

V. Regulares valeant ſine Cruciata Indulgentias, & Jubilæa pro ſuis Eccleſijs, ac Monaſterijs, nec non univerſis Chriſti Fidelibus in generali conceſſas lucrari?

1 LIA Iubilęa, & indulgentię ſunt, quæ conceduntur pro Monaſterijs, & Eccleſijs Regularium, ſeu quas in illis lucrantur omnes Fideles, v. g. Viſitantes horum Eccleſias in die ſuorum Fũdatorum, aut Titularium, in Feſtivitatibus Chriſti D. B. Mariæ, & aliorum Sanctorum. Et has etiam lucrari, poſſe ſine Cruciata omnes Religioſos, etiã in Regnis Hiſpaniæ ſentit Ludovicus à Cruce *in Cruc. diſp. 1. c. 9 dub. 1 n. 9.* Qui cum dixiſſet ex Navarro, *de iub. notab. 33.* nomine facultatum indulgentias comprehendi, ibi addit: *Hinc multi Salmaticenſes doctiſſimi per Ioannem à Cruce epit. l. 1. c. 6. dub. 12. conc. 5. relati; aſſeruere, quod quando Bulla poſt ſuſpenſionem omnium indulgentiarum gratiarum, & facultatum excipit, conceſſa Superioribus Mendicantium quoad ſuos Religioſos, exceptio iſta intelligitur reſpectu indulgentiarum dumtaxat; & videtur deduci ex contextu, dum dicitur, quoad ſibi ſubditos: Id enim de indulgentijs potius verificari debet, nempe de indulgentia plenaria conceſſa viſitantibus Eccleſias noſtri Ordinis in præcipuis eiuſdem feſtivitatibus, quæ quoad Sæculares ſuſpenditur, non verò quoad Religioſos.* Conſonat Ludovicus Miranda, *manual. q. 45. art. 7.* ubi: *Neque etiam per Cruciatam ſuſpenduntur conceſſiones Religionum factæ pro ipſis Religioſis; nam quamuis ibi dicatur de Monaſterijs intelligendum eſt de indulgentijs conceſſis Sæcularibus viſitantibus Monaſteria.*

2 Ad ſecundum aliqui cenſent, poſſe Religioſos ſine Cruciata lucrari omnia Iubilæa, & indulgentias conceſſas omnibus Fidelibus, v. g. in granis, imaginibus, & quæ conceduntur recitantibus Pſalterium, circulum Virgineum, Horas Canonicas, Officium B. Mariæ, & alias preces; Communicantibus, Celebrantibus, Ieiunantibus, vel alia pia opera exercentibus, certis diebus, & his ſimilia. Ita Ludovicus à Cruce *diſp. 1. c. 9. dub. 1. n. 13.* rationem hanc aſſignans: *Quia huiuſmodi indulgentiæ non conceduntur ſingularibus perſonis, ſed toti populo Chriſtiano, nec Monaſterijs, Eccleſijs, Hoſpitalibus, Confraternitatibus, aut alijs pijs locis quibuſcumque ſed cunctis Fidelibus Chriſtianis, & conſequenter non ſunt de numero gratiarum, quæ in Bulla ſuſpenduntur.* Item, quia cum hæc Bulla loquatur cum Fidelibus in Hiſpaniarum Regno exiſtentibus, prout in illis exiſtentibus, non prout Fideles ſunt; nam aliter omnes aliorum Regnorum Incolas comprehenderet; nequit ſuſpenderè indulgentias, quæ illis, ut Fidelibus ut ſic, competunt.

3 Præterea, quia ut ex cap. *Primum 22. q. 2. & ex l. Nec auus C. de emancipationibus, & l. 2. §. Meritò. ff. Nequid in loco publico*, & ex utriuſq; iuris Doctoribus patet: *Non eſt de mẽte Principis tribuere beneficia in alterius iniuriam*, id eſt, ut in eodem *§. Meritò*, ait Gloſſa; Tribuendũ eſt beneficium ſine iniuria, *i. ſine damno*, & addit; *Beneficium Principis ſine cuiuſquam iniuria interpretari oportet:* ſed ſi Religioſi in Hiſpaniarum Regnis exiſtentes [idem de pauperibus ſæcularibus nonnulli ſapientes Theologi tenendum aſſerũt,] non poſſent ſine Bulla lucrari indulgentias cunctis Fidelibus extra Hiſpaniam ſine illa conceſſas, Beneficium Pontificis, tributum cenſeretur non ſine iniuria, & damno; ſeu beneficiorum congeries, hoc eſt Bullæ conceſſio eſſet in iniuriam, ſeu damnum Fidelium, ſiquidem damnum quod indulgentiarum lucratione evitatur, remiſſione pœnæ in purgatorio ſolvendæ, ipſi paterentur, aut quia non vitarent ſine Bulla, amitterent vitandi maius commodum; in quo iniuria eſt, & damnum, iuxta id legis. 2. *§. Damnum: Damnum autem pati videtur, qui commodum amittit, quod ex publico conſequebatur, quale, quale ſit:*

4 Item ex l. *ſi Iudex infin. ff. de minor. Beneficium propter aliquem conceſſum, in eundem minimè retorquendum eſt*, ſed Bulla eſt Beneficium conceſſum vaſſallis Regis Hiſpaniæ, ſeu Hiſpaniarum Incolis, ut docent Enriquez *l. 7. de indulg. c. 20. n. 6.* Manuel *§. 1. n. 8.* & alij, ac patet ex ipſa Bulla, nam Pius V. in Bull; relata ſic ait: *Ipſi Philippo Regi, huicoperi incumbenti, præterea omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus in Hiſpaniarum Regnis, &c.* & Paulus V. in Bulla anni 1619. ſic: *Ppilippo Regi Hiſpaniarum Catholico, Genitori tuo, & ſingulis Chriſti fidelibus in Regnis, & dominijs Hiſpaniarum*, ſic etiam in Bullis Gregorij XIII. Sixti V. Gregorij XIV. Clementis VIII. & Vrbani VIII. ergo hoc beneficium non eſt retorquendum in Hiſpaniæ incolas, ſeu Vaſſallos: ergo & in Hiſpanorum Regularium, quibus conceditur, iniuriam retorqueretur, quia deterioris eſſent conditionis, quam alij extra Hiſpaniam habitantes, quibus non conceditur, ſiquidem cum onere Bullæ ipſis Iubilæa concederentur.

5 Confirmatur: nam conceſſum univerſis non ſuſpenditur ſuſpenſione particularium; ſed ſuſpenſio, quæ fit a Comiſſario,

eſt

eſt concēſſionum particularium, ut patet ijs verbis: *Suſpendemos qualeſquiera gracias è indulgencias concedidas à todas, y qualeſquier Igleſias, y Monaſterios, y Hoſpitales, Cofradias, y lugares pios, y perſonas particulares*; ergo non ſuſpenduntur indulgentiæ conceſſæ univerſis Fidelibus in generali; ut ſunt indulgentiæ granorum, imaginum, &c.

6 Placet in horum comprobationem verba Ludovici de la Cruz, *ſup. n.* 13. & 14. referre: *Veroſimile*, inquit, *eſt, Pontificem dum dictas indulgentias concedit toti populo Chriſtiano, nolle cum maiori onere, ſeu minus liberaliter eas cōcedere in Regnis, ſeu Prouincijs ubi Bulla Cruciatæ publicatur, quam alibi. Igitur ſicut carentes Bulla extra dicta Regna lucrari poſſunt memoratas indulgentias, ita & ibi. Et quidem valde dicendum videtur, quod Religioſi omnes, etiam Mendicantes, & tot Pauperes ſæculares in ijs Regnis priuentur indulgentijs toti populo Chriſtiano conceſſis, niſi pro ſe, & ſingulis ſuæ familiæ filijs, aut ſeruis ſingulis ſingulis annis Bullas accipiant. Facit autem pro hac ſententia reſponſum, quod grauiſſimi Recentiores referunt miſiſſe ex Curia Romana Cardinalem Pachecum Archiepiſcopum Burgenſem, dicendo non eſſe de mente Summi Pontificis reuocare, vel ſuſpendere per Bullam dictas indulgentias. Addo id ut minimum, videri probabilius reſpectu Mendicantium, nam ſicut Pontifex in Bulla ait, non velle reuocare, vel ſuſpendere indulgētias, ſeu imaginibus, coroniſue affixas, ſaltem reſpectu illorum, ſed Sæcularium dumtaxat, etiam ſi tales indulgentiæ non ſolùm ipſis, ſed toti populo Chriſtiano fuerint conceſſæ.* Hæc ille.

7 Sed ſi opponas, ex his ſequi, nullam indulgentiam ſuſpendi per Bullam quoad Regulares, omneſque ſine illa poſſe lucrari, perinde ac ſi Bullam accepiſſent, & ut lucrantur omnes, qui eam accipiunt. Reſpondeo, negando, quod poſſint lucrari omnes indulgentias. Nam I. ſi aliquibus Religioſis, ut particularibus perſonis in Hiſpania exiſtentibus cōcedantur aliquę à Pontifice; illis ſine Bulla non fruentur, qui eam non habuerint, ut notat Trulench. *ſup. n.* 3. II. Iubilæa, & indulgentias conceſſas Sęcularibus & ſæcularium Hoſpitalibus, Eccleſijs, Confraternitatibus, altaribus, & pijs locis Hiſpaniæ, etiam non poſſunt lucrari ſine Cruciata Regulares. III. Iubilęa conceſſa pro ſolemnitatibus Eccleſiarum ſæcularium. Nec indulgentias ſingulares conceſſas aſſumentibus ipſam Bullam.

8 His addo, omnes etiam has indulgentias conceſſas aſſumentibus Cruciatam, ſine ea lucrari poſſe omnes Regulares communicatione privilegiorum gaudentes ex conceſſione Pauli III. qui *viua voce oraculo conceſſit Fratri Antonio de Ortiz Prouinciali Prouinciæ S. Gabrielis, & eius ſocio Ioanni de Aguila facultatem, ut omnes Fratres Ordinis* (ſcilicet Minorum) *poſſent comedere ouа, & lacticinia in diebus ieiunij, & lucrari omnia alia, quæ conceduntur in Bulla Cruciatæ* [*excepto quod non poſſint abſolui à caſibus reſeruatis*] *modo Fratres Sacerdotes duas miſſas celebrēt, & Choriſtæ ſuos Pſalmos pœnitentiales cum ſuis litanijs, & Conuerſi ducentos Pater noſter cum totidem Auemaria. Et quando ſuſpenduntur Bullæ omnia prædicta reiterando.* Extare fertur hęc cōceſſio ab Emmanuele *to.* 1. *q.* 21. *art.* 10. aſſeritque ſe vidiſſe in ſuo Conventu del Abrojo ſubſcriptam per Patrem Garciam de Caſtillo, virum magnæ authoritatis, & ſanctitatis. Et licēt quoad privilegium lacticiniorum, & ſimilium revocata ſit hæc conceſſio, ut pōte vivæ vocis oraculum per Bullas SS. D. Gregorij XV. & Vrbani VIII. relatas Singul. 3. Tract. 9. at quoad indulgentiarum lucrationem, ac conceſſionem non eſt revocata, ut diximus Dub. 2. & mihi modò ita teſtatus eſt doctiſſimus Magiſter meus, P. Ferdinandus de Mendoça, qui de his Oraculis opus tanti viri, & noſtræ Societatis ſané dignum typis mandandum ſcripſit; & apud ſe nullum dubij veſtigium de hoc manere dixit.

9 Notandum, præterea eſt, poſſe Novitios Religionis cuiuſlibet frui ſine Bulla omnibus indulgentijs (ſicut indultis, privilegijs, &c.) quibus fruuntur alij Religioſi profeſſi; poſſe etiam Moniales ordinum Mendicantium, ut probant Ludovicus de la Cruz *in Cruciat. d.* 1 *c.* 9 *dub* 5. *n.* 2. *&* *du.* 4. Trulench *l.* 1 *§.* 9. *du.* 3. *n* 4. & Diana *p.* 2. *tr.* 11. *reſol.* 88. citans Nugnum. Secus dicendum eſt, de Servis, & Famulis Regularium, ſicut etiam de Oblatis, vulgo *Donados*; hi enim non cōprehenduntur, ut Novitij ſub Religioſorum nomine. Sic Cruz *dub.* 5. *n.* 5. nam ſæculares ſunt. Sic etiam ſine Bulla non poſſunt indulgentias lucrari Sæculares, qui corda S. Franciſci, vel corrigia S. Auguſtini cincti, ſeu habitu cuiuſcumque Religionis induti pro ſua devotione incędunt, ut docent Cruz *dub.* 2. *n.* 12. Rodriguez *in addit. §.* 12. *n.* 6. Villalobos *ead. clauſ. n.* 7. & alij. Nec etiam Tertiarij, vel Tertiariæ coniugatæ in ſuis domibus, & familijs viventes. Hi enim ſubijciuntur iuriſdictioni ſæculari, & in omnibus Sæculares iudicantur; ut docent Rodriguez *ſup.* Cruz *dub.* 4. *n* 9. Trulench. *n.* 6. *& in decalogo l.* 7. *ſect.* 3. *c.* 8. *dub. ult. n.* 26. Ioannes de la Cruz *l.* 2. *c.* 3. *dub.* 5. *concluſ.* 1. *verſ.* 12. & alij.

10 Sed ſi roges ultimò: Quænam Religiones

nes ſint Mendicantes? Reſpondeo iuxta textum *in.c. finali de Religioſis domibus, & c.1. lib.6. eod. tit.* eſſe quatuor, nimirum Divorum Auguſtini, Franciſci, & Dominici; ac Carmelitarum; iam verò ſeptem ſunt, quia illis additę ſunt tres, quarúm una eſt Ordo noſter Clericorum Regularium Societatis Ieſu, ut conſtat ex Bullis Pontificijs, quas refert Rodriguez in ſuo Bullario. Sed animadvertas, quod omnes, aut omnes fere Religiones Monachales ac Regulares Clericorum, privilegijs, & indulgẽtijs omnibus Mendicantium fruuntur. His etiam omnibus frui Fratres S. Ioannis de Deo conceſſit SS.D. N. Vrbanus VIII. Bulla, quæ incipit: *Sacroſanctum Apoſtolatus officium*, edita anno 1624.

Dvbivm XIII.

V. Omnes utriuſque ſexus Regulares poſſint in ſuis Eccleſijs lucrari omnia Jubilæa, & indulgentias conceſſas pro omnibus totius Chriſtiani orbis Eccleſijs, locis, ac ſtationibus? Vbi de revocatione indulgentiarum facta a Paulo V.

1 HAc in re Sixtus IV. conceſſit, *Fratribus Minoribus obſeruantiæ, & Monialibus S. Clarę, atque Tertiarijs utriuſque ſexus, & ſeruitoribus Fratrum, & ſeruitribus Monialium in Eccleſia exteriori, vel ubi quæſtando extiterint, indulgentiam ſanctæ Mariç de Angelis, atque quaſcumque alias indulgentias generales, tam plenarias, quàm non plenarias almç Vrbis, dicendo quinque Pater noſter cum totidem Aue Maria in ſuis Eccleſijs, ac ſi viſitarent loca perſonaliter, ubi ſunt iſtæ indulgentiæ diebus ſuis.* Ita habetur in compendio Minorum, *ver. indulg quoad fratres*, & in Monumentis Ordinis, 1. *impres. fol.*64. & 68. *conceſ.*136. *fol.*67. & *conceſ.*123. & 114. & affertur ab Emmanuele Rodrig. *to.*1. *q.*58. *art.*3. qui ibi, & *to* 2. *q* 87. *ar.*7. ſimilia alia indulta affert Leonis X. quoad indulgentias ſtationum Vrbis, Hyeroſolimæ, & S. Iacobi: conceſſamque eſſe â SS. D. N. Vrbano VIII. huiuſmodi indulgentiarum lucrationem teſtatur Hyeronimus Rodrig. *reſol.*77. *n.*47.

2 Et ſi tamen hæc omnia indulta deeſſent, ſufficeret conceſſio facta Societati Ieſu á Gregorio XIII. in Bulla, quæ incipit: *Cum ſicut accepimus*, & edita anno 1579. ubi: *Univerſis*, inquit, *& ſingulis dictæ Societatis perſonis, nunc, & pro tempore in qualibet mundi parte exiſtentibus ut ante altare ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti in ipſius Societatis Eccleſijs orationes ad Deum pro ſanctæ Romanæ Eccleſiæ exaltatione, hæreſum extirpatione, & inter Principes Chriſtianos fouenda pace, aut alias pro cuiuſque peculiari deuotione fundendo, omnes & ſingulas indulgentia etiam plenarias, & peccatorum remiſſionem conſequantur, quam ſcilicet conſequerentur, ſi indulgentiarum ipſarum diebus Eccleſias, & loca pia his decorata in locis, in quibus eoſdem Religioſos moram habere contigerit, viſitarent, de omnipotentis Dei miſericordia, ac B. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, tenore præſentium, concedimus, & largimur; contrarijs non obſtantibus quibuſcumque*.

3 Sed ſi his opponas, quod Paulus V. per ſuam Bullam anni 1606. revocavit omnes, & ſingulas indulgentias per Anteceſſores ſuos conceſſas quibuſlibet Regularibus, ac Monialibus cuiuſvis Ordinis; ergo iam non poſſunt hi lucrari omnes prędictas cõceſſas pro alijs locis, & Eccleſijs viſitando propriam Eccleſiam. Reſpondeo in præfatis indultis non concedi Regularibus indulgentias, ſed facultatem ad lucrandum iam conceſſas Sæcularibus, ſeu omnibus Chriſtiani orbis Fidelibus; ne ſcilicet Regularibus neceſſarium ſit ad Eccleſias, & pia loca accedere, ac ea viſitare, quibus ſunt conceſſæ; ſed ſatis ſit, ut loco harum Eccleſiarum, propriam viſitent: in Bulla autem prædicta ſolùm indulgentias Religioſis directè, & principaliter conceſſas revocat Paulus V. non verò indulgentias Sæcularibus conceſſas, nec privilegia, & indulta Religioſis conceſſa, ſive circa indulgentias, ſive circa alia.

Dvbivm Vltimvm.

Quæ obſervanda ſint in lucratione Iubilæorum omnium, dum ea Regulares in ſuis Eccleſijs lucrantur.

1 NOnnvlla obſervanda ſunt ad rectum prefati privilegijuſum I. Quod ſi ad lucrandum indulgentias, aut Iubilæa in Eccleſijs, in quibus conceduntur, requiratur Communio, (ut in Iubilæo Communionis menſtruæ) aut alia ſingularis diligentia, præter orationem, ad hoc ut in ſuis Eccleſijs lucrentur illas Regulares, neceſſum eſt, ut eam Communionem, aut ſingularem diligentiam in Eccleſia aſſignata exequantur, privilegium enim iſtud ſolùm in eo conſiſtit, quod pro Viſitatione aliarum totius orbis Eccleſiarum, propriæ Eccle-

Ecclèſiæ viſitatio Regularibus ſufficiat. Obſervandum eſt. II. Quod quilibet Religioſus in quacumque Eccleſia ſui Ordinis, etiam ſi in Monaſterio illo non ſit Conventualis, immo nec ex ea Provincia; has indulgentias lucrabitur.

2 Obſervandum eſt. III. Quod hoc privilegium non comprehendit Iubilæum duarum hebdomadarum, ut in eius Tractatu, *c.7.n.6.* dixi; nec alia ſimilia; v.g. Anni ſancti; hæc enim velut ſingularia, & rarà ſub hac, vel ſub generali lege, aut privilegio non comprehenduntur. IV. Quod fruuntur iſto privilegio Famuli, Oblati, Conuerſi, Tertiarijque omnium Ordinum utriuſque ſexus, qui illorum privilegijs gaudent, immo, & chordam S. Franciſci, & corrigeam S. Auguſtini portãtes, ut patet ex his, quæ retulimus Singulari 21. & 22. Tract. 8. Adverte V. ad ſingula Iubilæa, ſeu indulgentias lucrandas, ſingulas requiri viſitationes ſuæ Eccleſiæ, & eo tempore faciendas, v.g. á primis veſperis uſque ad ſecundas, vel intra diem naturalem, vel toties quoties, iuxta Iubilæi formulam, & modũ, quo in proprijs Eccleſijs cõceſſum eſt.

3 Obſervandum VI. quod etiam ſi Religioſi extra clauſtra degant, vel itinerentur, vel in locis, ubi ſui Ordinis monaſteria non ſunt, commorenter, poſſunt omnia hęc Iubilæa, & indulgentias lucrari. Nam Innocentius VIII. *conceſſit, quod Fratres Minorum, Prædicatorum, & alij, qui per obedientiam reperiuntur extra conuentus, & loca poſſint promereri indulgentias Stationum, & alias eiſdem Fratribus conceſſas in ſuis Eccleſijs, dicendo quinquies Pater Noſter, & Aue Maria in quacumque Eccleſia, & loca ea dixerint, pro intentione, & propoſito illius indulgentiæ; prout illi, qui in prædictis ſuis locis dicunt: Ac etiam infirmi in ſuis infirmarijs, & cellis, & etiam in lectulis, quando commodè aliter dicere non poſſunt.* Sic habetur in Monumentis Ordinis, *fol.69. conc.160. & fol.100. conc. 39.* & in Compendio Minorum *verb. indulg. quoad fratres nu 9.* Idem conceſſit Sixtus IV. & extendit ad Servitrices Monialium pro quæſtu, hoc eſt eleemoſyna conquirenda, euntes. Sic in eodem Compendio *n.5.* dicitur: *Quod Moniales eodem modo ac Fratres ſui Ordinis fruantur indulgentijs omnibus*, & conſtat ex conceſſionibus Pij II. Sixti IV. Leonis X. & aliorum Pontificum, quæ videri poſſunt in Monumentis, & compendijs allegatis *verbo indulgent, & communicat. priuileg.* Vide Dubium 4.

4 Huic adnectam VII. conceſſionem Leonis X. qui *Omnibus Fratribus Minoribus regularis obſeruantiæ, ac Monialibus S. Clarę, & Tertij Ordinis, conceſſit quod dicendo quinquies Pater Noſter cum Aue Maria, & in fine cuiuſlibet Gloria Patri, & pro Sanctitate ſua unũ Pater Noſter cum Aue Maria, ſimiliter cum Gloria Patri, lucrentur Stationes, Indulgentias, & remiſſiones tam Vrbis, quam etiam Portiunculæ ſiue Hyeruſalem, ac S. Iacobi in Compoſtella & quod quacumque hora diei, vel noctis, & quocumque loco dicant, ſcilicet choro, Eccleſia, Clauſtro, Oratorio, ac cella lucrentur illas.* Ita habetur in Supplemento *fol.5. conſ.* 18. & refertur ab Emmanuele *to.2. q. 87. art. 7.* & Hyeronimo Rodrig. *reſol. 77. n 47.* qui addit, etiam conceſſas à SS. D. N. Vrbano VIII. Corduba *addit. ad comp. tit. indulg.* ait: impetratum eſſe à Paulo III. quod has gratias conſequeretur quivis Regularis in quocumque loco hæc recitaret. De indulgentijs Stationum vide Tract. 7.

5 Tandem pro Iubilæo conceſſo Regularibus ſpiritualia Exercitia facientibus, de quo Dubio 1. n. 9. adde, quæ ibi immediatè ſequuntur in conceſſione Pauli V. ſcilicet adiri debere, *Conſiderationes diuinorum beneficiorum, quatuor Nouiſſimorum, Paſſionis D. N. Ieſu Chriſti, ac aliorum exercitiorum orationem orationum iaculatoriarum, aut vocalium, ſaltem per duas horas in diem, & noctem orationibus mentalibus ſe ſe exercendo, faciendo eodem tempore confeſſionem generalem, aut annualem, aut ordinariam, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, aut Miſſam celebrauerint, toties pro quolibet prædictorum exercitiorum, plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem conſequantur.* Hæc Exercitia fieri poſſunt in domibus, ac prędijs tam Regularium, quam ſæcularium. Hocque Iubilæum conſequuntur omnes Regulares cuiuſque Ordinis, qui per decẽ dies Exercitia faciunt ſpiritualia, prout traduntur in Societate Ieſu, ac continentur in libello planè aureo Exercitiorum à SS. P. N. Ignatio cõpoſito; *Cui hæc Exercitia Deum reuelaſſe: immo per Gabrielem Archangelum nouo nomini fuiſſe à Deipara ſignificatum, ſe Patronam eorum, fundatricem, atque adiutricem fuiſſe, docuiſſeque Ignatium, ut ea ſic conciperet, quo nomine ſe huic operi dediſſe initium,* refert Ludovicus de Põte vir omni exceptione maior, in vita P. Balthaſaris Alvarez *c.43.* fidaque traditione inde uſque à P. Iacobo Lainio altero Societatis Ieſu Præpoſito Generali hoc acceptũ haberi. Ita enim refert Philipus Alegambe *in Societatis Bibliot. fol.1.* qui meritò appellat hunc libellum: *Magnitudine exiguum, fructu verò maximum, qui aduerſus graues multorum oppugnationes inuictus ſemper ſtetit, ſemper ſtabit, Auctoritate S. Sedis Apoſtolicæ munitus.*

FINIS TRACTATVS IV.

AD IVBILÆVM S. MARIÆ DE ANGELIS, NVNcupatum de Portiuncula; APPENDICIS TRACTATVS QVINTVS.

DVBIVM I.

Quis celebre Portiunculæ Iubilæum conceſſit: Quas diligentias requirat: Quibus in Eccleſijs Fratrum, & Sororum S. Franciſci illud lucrentur Fideles?

1 CONCESSVM eſſe hoc Iubilęum B. Franciſco à Chriſto Domino in Eccleſia Ordinis Fratrum Minorum, ſita in monte Alverniæ, Avertinæ Diæceſis, non ſolùm traditione conſtat, ſed declaratione Summorum Pontificum, Benedicti XI. & XII. Bonifacij VIII. Sixti IV. Gregorij XV. ac aliorum, qui illud cõfirmarunt, & in perpetuũm valiturum ſtatuerunt, ad omniaque Ordinis Minorum monaſteria extenderunt; ut conſtat ex ipſius Monumentis, *fol.* 261. *conſeſ.* 668. & Supplemento *fol.* 190. *conſeſ.* 455. viderique poteſt apud Portel *addit. ad verb. indulg. n.* 1. ac utrumque Rodriguez, Emmanuelem *to.* 1. *q* 87 *art.* 6. Hyeronimum *reſol.* 77. *n.* 50.

2 Neutri ta men aſſentior aſſerenti, hanc pleniſſimam indulgentiam non eſſe Iubilæum, quia in ea non conceditur facultas ad abſolvendum à reſervatis; nam hoc non requiritur ad eſſentiam Iubilæi; hoc enim nil aliud eſt, quàm Remiſſio, ut in Proemio huius Appendicis docuimus.

3 Diligentiæ verò adhibendæ ad lucrandum hoc Iubilæum, eæ ſunt: confeſſio, viſitatio cuiuſlibet Eccleſiæ Fratrum Minorum, etiam Monialium: item precum effuſio in ijs Eccleſijs, quæ fieri poteſt, ac debet à primis veſperis primæ diei menſis Auguſti, uſque ad ſecundas veſperas ſubſequentis diei, pro devotione, & voluntate cuiuſcumque, iuxta dicta Tract. 2. Dub. 3. & 4. & Tract. 1. Dub. 6. Et has diligentias præſtantibus indulgentiam, & remiſſionẽ omnium ſuorum peccatorum conceſſiſſe Benedictum VIII. & teſtatur, & de novo conceſſit Sixtus IV. in Bulla incipienti: *Paſtores æterni, &c.* anno 1473. & in alia: *Ex iniuncto Nobis, &c.* 1475. ubi: *Idem Bonifacius omnibus Chriſti Fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui dictam Eccleſiam, 17. die menſis ſeptembris, in qua annis ſingulis, huiuſmodi Stigmatum ſolemnitas celebratur, devotè viſitauerint, annuatim illam indulgentiam, & peccatorum remiſſionem conceſſit, quæ viſitantibus Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Portiuncula, Aſſiſinatæ Diœceſis, à primis veſperis primæ diei menſis Auguſti, uſque ad ſecundas veſperas ſequentis diei, annuatim erat conceſſa, &c. Nos indulgentiam huiuſmodi pleniùs approbamus.* Animadverte autem Communionem à Sixto IV. non expoſci, nec etiam expoſcitur ab alijs Prædeceſſoribus Pontificibus. An verò modò expoſcatur à Succeſſoribus ignoro; faciendam verò conſulo.

4 In omnibus Fratrum Minorum, & Monialium, etiam Tertij Ordinis, Eccleſijs eiuſdem obedientiæ, hoc Iubilæum lucrari, conſtat. I ex extenſione, quam ut ſupra retulimus, fecerunt Pontifices, ut teſtatur uterque Rodriguez. II. Ex communicatione privilegiorum, & indulgentiarum, quã plurimi Pontifices conceſſerunt omnibus Monialibus S. Franciſci, etiam de Pœnitentia, ſeu Tertij Ordinis ſub Regularium cura degentibus, & earum Eccleſijs, Monaſterijs; *In omnibus, & per omnia prorſus, ac ſine ullæ differentia, ac ſi eiſdem Monaſterijs, locis, & perſonis, Syndicis, Procuratoribus, &c. expreſsè concederentur*, ut loquitur Sixtus IV. in Bulla Aurea, quæ affertur ab Emman. in Bullario.

5 Fratres verò Ordinis Minorum, & Moniales ægrotantes poſſe in ſuis valetudinarijs conſequi hoc Iubilæum conſtat ex Bulla Leonis X. quæ incipit: *Cum ſicut Nobis, &c.* data 1515. ubi ſic ait: *Præterea cum aſſeratur piæ memoriæ Innocentium VIII. &c. infirmi in grauatis ſuis dicendo quinquies Pater Noſter cum Aue Maria, habeant eandemmet indulgentiam quæ eſt 2. Auguſti in S. M. de Angelis, &c.*

6 Ad Eccleſiaſerigẽdas extẽditur, iuxta cõceſſionem

ſionem Clementis VII. factam Minimis S. Franciſci de Paula [quæ communicatur alijs Religionibus, quæ participationē fruuntur priviligiorum] in Bulla incipienti: *Deuotionis augmentum*, edita anno 1532. & ſic ſe habet: *Omnia, & ſingula priuilegia, immunitates, indulgentias, exemptiones, & indulta, tam, aut pluribus domibus Ordinis huiuſmodi ſpecialiter cōceſſa, ad omnes, & ſingulas ipſius Ordinis domos de nouo ſuſceptas, & ſuſcipiendas, eadem authoritate Apoſtolica per præſentes de nouo extendimus & ampliamus, ipſaſque domos ſuſceptas, & ſuſcipiendas eiſdem priuilegijs, immunitatibus, gratijs & indulgentijs, alijs domibus ſpecialiter conceſſis pariformiter, & æquè principaliter potiri, & gaudere, ac ſi de ſingulis domibus ſuſceptis, ac ſuſcipiendis, & Chriſti Fidelibus illorum Eccleſias viſitantibus ſpecialiter conceſſæ fuiſſent.* Affertur à Confectio *fōlio* 141.

DVBIVM II.

V. Tertiarij ſæculares S. Franciſci; S. Auguſtini, & aliorum Ordinum, vel qui eorum chordam, corrigiam, aut parvum ſcapularium, vulgo [Abitillo,] portant, poſſint Portiunculæ Iubilæum in Eccleſijs aliorum Ordinum lucrari: Et quoties hoc Jubilæum eadem die lucrari valeat, ac defunctis applicati?

1 DVPLICI conceſſione ſuppoſita, quarum primam produximus Tract. 3. huius Appendicis dubio 14. & concedit, quod omnes Regulares lucrentur in ſuis Eccleſias omnes indulgentias, ac Iubilęa, quę in alijs totius Orbis ſunt: ſecundam protulimus Tract. 8. Singulari 17. & 18. & continet, Tertiarios ſæculares frui privilegijs, & indulgentijs illius Ordinis, cuius Tertiam profitentur regulam, indulgentijs verò tantummodò frui portantes chordam, corrigeam, & ſcapularium, ſequitur, & probata manet affirmativa huius dubij reſólutio. Si enim prædicti Tertiarij, & Cōfratres gaudēt omnibus indulgētijs, quibus prędicti Regulares; etiam lucrabūtur in ſuis Eccleſijs Iubilæum Portiunculæ, ſicut & omnia alia conceſſa viſitātibus omnes alias Eccleſias.

2 Sed Emmanuel. *to. 1. q. 58. art. 7.* & Hyeronimus Rodriguez. *qq. reg. reſ. 21. n. 4.* ſpecialiter docent, Corrigiatos S. Auguſtini lucrari hoc Portiunculæ Iubilæum viſitantes altare à Prælatis Auguſtinienſibus aſſignatum, ex privilegio Sixti IV. concedentis, *Hanc, atque quaſcumque alias indulgentias plenarias almæ Vrbis Fratribus Minoribus Obſeruantiæ, & Monialibus S. Clarę, atq; Tertiarijs utriuſque ſexus, ſeruitoribus Fratrum, & ſeruarijs, Monialibus, & ſororibus, dicendo quinque Pater noſter cum totidem Aue maria in ſuis Eccleſijs, a ſi viſitauerint loca perſonaliter, ubi ſunt iſtæ indulgentiæ.* Additque Emmanuel. quod hi lucrabuntur ita indulgentias; *Cum ſecundū Bullas ſuperiori articulo allegatas ingreſſi iſtam Confraternitatem omnes indulgentias conſequantur, quas conſequuntur ipſi Auguſtinienſes*, & idem dicendum de alijs Contraternitatibus habentibus prædictam communicationem indulgentiarum.

3 Ad ſecundum dico, quod licèt Iubileum annuatim conceſſum pro feſtis, & ſolemnitatibus ſingularibus, ſemel tantūm in aſſignato die lucrentur Fideles; de hoc tamen Collector privilegiorum Minorum, & Mēdicantium *verbo indulgentia, notab. 6. fol. mihi* 324. ſic ait: *Indulgentias, quæ ſunt temporales, ut ſtationes, quæ habent in anno ſuos dies determinatos, nequit quiſquam lucrari, niſi ſemel quolibet die; licet non deſint aliqui Doctores, ut refert Anglès in ſumma, qui dicunt, quod etiam indulgentias temporales poteſt quis lucrari toties, quotiès ſic die ſuo, faciendo opus, pro quo conceduntur, & ita practicatur in S. Maria de Portiuncula, ſeu Angelorum apud Aſſiſium, ubi quoties in die ſuæ Dedicationis a primis veſperis uſque ad ſecundas ingrediuntur illam Eccleſiam; toties credunt firmiter, quod lucrantur indulgentiam; poſſet tamen dici, quod ibi forte habetur ad hoc ſpecialis conceſſio, quia etiam ibi faciunt aliud inſuetum alibi, ſcilicet applicare indulgentiam viuis, & defunctis.*

4 Notandum eſt, quod ſi toties quotiès ingrediuntur, & orant in hac Aſſiſij Eccleſia lucrantur Fideles Iubilæum ſingulare, ſeu diſtinctum (de alijs Iubilæis conceſſis pro feſtivitatibus, vel diebus alijs minimè hoc ſentiendum) & hoc applicari poteſt Animabus purgatorij; eodem modo etiam lucrari poterunt, & applicare in omnibus Eccleſijs Minorum, tam Fratrum, quam Sororum; ſiquidem eo modo, quo uni domui, & Eccleſiæ conceſſum eſt privilegiū, conceditur etiam per communicationem alteri domui, aut Eccleſiæ ipſius Ordinis, ut inter alios Pontifices conceſſit Leo Papa Bulla anni 1519. quæ incipit: *Dudum per Nos, &c. Illaque omnia & ſingula priuilegia inter dictorum Ordinum perſonis pariformiter communia fuiſſe, & eſſe volumus.*

5 Ad ultimum, pro Animabus purgatorij applicari non poſſe hoc Iubilæum ſemper iudicavi, & iudicabo, donec mihi oſtendatur Pontificium indultum, in quo hæc applicatio concedatur, iuxta dicta Tr. 1. du. 15.

Dvbivm III.

V: Jubilæum hoc poſſint omnes Fideles lucrari in Eccleſijs Monialium, etiam Tertij Ordinis, S. Franciſci regulam profitentium; ſub Ordinariorum verò, non Regularium obedientia, ac regimine viventium: Vbi an hæ, & aliæ Moniales gaudeant privilegijs Regularium?

1 NEGATIVAM partem ſecuturi neceſſariò ſunt Hyeronimus Rodriguez, *qq.reg q* 137.*n.*10. Ludovicus de Miranda *in regul. Tertiariorum c.*11.& alij aſſerentes, Moniales Tertiarias S. Franciſci, (idem eſt de alijs Ordinibus) non frui privilegijs conceſſis Fratribus Minoribus, niſi ſub obedientia, & regimine illorum vivant. Probant hoc acriter pluribus S.M. Pontificum indultis, qui expreſsé aſſerunt, ſe concedere, & communicare facultates, indulgentias, & alia privilegia Fratrũ Alumnorum, & aliorum Ordinum Monialibus Tertiarijs, ſeu Tertij Ordinis, nuncupatis de Pœnitentia, quæ ſub eorundem Fratrum obedientia, & regimine vivunt.

2 Sic Sixtus IV. in Bulla Aurea anni 477. & in alia anni 1478. Bonifacius VIII. ut refertur in Monumentis Ordinis *fol.* 32. Gregorius XIII. in ea, quæ incipit: *Ex benigna*, anno 1575.& Leo X. in Bulla, *Cum ſicut à Nobis*, anno 1515.qui non ſolùm omnia privilegia Fratrum; ſed hanc in particulari indulgentiam, de Portiuncula lucrãdam concedit Monialibus Tertij Ordinis, quæ ſub Fratrum regimine vivunt: ergo, ſi non ſub hoc, ſed Sub Ordinariorum obedientia vivant, non fruentur hoc privilegio, neque alijs: cum exceptio firmet regulam in contrarium.

3 Probatur II. ex conſuetudine optima privilegiorum interprete. Nuſquam enim, & nunquam vidimus hoc Iubilæum lucrari Fideles in prædictis Eccleſijs, ſeu Monaſterijs. Probatur III. quia hoc eſt contra expreſſam voluntatem Fratrum Minorum, quibus primariò hoc Iubilæum conceſſum eſt: ergo.

4 Adhuc dicendum exiſtimo; Fideles poſſe lucrari prædictum Iubilæum in Eccleſijs Monialium, quæ regulam S. Franciſci profitentur, licèt non ſint ſub Fratrum, ſed ſub Ordinariorum obedientia. Probatur I. quia, ut teſtantur Emmanuel, *tom.*1. *qq.reg. q.*58.*art.*3. Hyeronimus Rodriguez, *qq.reg. reſol.*77.*n.*50.& Miranda *tom.*2. *q.*46.*art.* 7. ac habetur in Monumentis Ordinum 1.*impr.fol.*68.*conceſ.*136 & *fol.*67 *conceſ* 123. & *fol.* 96. *conceſ.* 333. Sixtus IV. ad omnes Eccleſias Ordinis S. Franciſci ſine ulla exceptione, extèndit hoc Iubilæum: ergo & extendit ad Eccleſias harum Monialium; cum hæ, & earum Monaſteria abſolutè nominentur, & ſint S. Franciſci; illum enim in Eccleſiaſticis ritibus, & diſciplina religioſa, ut Patronum, & Patriarcham cognoſcunt; & id circo Franciſcanę Moniales appellantur; ſicut Auguſtinianę, & Benedictinæ, quæ regulam S. Auguſtini, & Bènedicti ſequuntur; licét non degãt ſub Eremitarum, & Monachorum huius inſtituti obedientia. Conſule Tract. 8. Sing. 16.

5 Probatur II. quia ex conceſſione Iulij II. Pij II. Leonis X. & aliorum Pontificum, ut videre licet in Compendio Mendicantium, *verb. communicatio priu leg.* in Emmanuele *q.* 58.*art.*18. Miranda *q.*46.*art.*7. Hyeronimo Rodriguez *reſ.* 116. *n.* 51 & alijs; privilegium, facultas, & indulgentia, ſeu quodlibet indultum, tam ſpirituale, quam temporale, conceſſum cuidam particulari Monaſterio, omnibus, & ſingulis eiuſdem Ordinis Monaſterijs utriuſque ſexus fit commune; quamvis ipſis in ſpecie conceſſum non ſit: ergo cum Monaſteria hæc ſint Ordinis S. Franciſci; eo quod illius Ordinis ſint, ſub cuius inſtituto Ordo ille à Pontifice approbatus eſt, & cum alicuius debeãt eſſe, & non alterius, niſi S. Franciſci; in illis lucrantur Fideles hãc indulgentiam. Hinc indiſcriminatim Hyeronimus Rodriguez, *reſ.*116. *n.*15. ait: *Vnde illud magnum indultum conceſſum conuentui B. Mariæ de Portiunculæ apud Aſſiſium, omnibus utriuſque ſexus Monaſterys Ordinis Minorum ſit commune.*

6 Placet etiam concluſionem ex hoc principio ab Emmanuele Rodriguez illatam ſupra *q.*58.§.4.*art.*8. referre ad noſtram reſolutionem, & maiorem huius Iubilæi dilucidationem Hæc ſunt eius verba: *Ex quo infertur, quod Iubilæum Portiunculæ conceſſum B. Patri noſtro Franciſco per interceſſionem B. Virginis Mariæ; cum ipſa cum eius Filio D.N. Ieſu Chriſto in Eremita V. Mariæ Angelorum ciuitatis Aſiſij aſſiſteret, prout refert D. Antoninus Florentinus* 3.*p.tit.*24. *c.*7.§.4. *& refertur etiam in Chronicis noſtræ Religionis, ut quicumque viſitauerit Eccleſiam dicti Monaſterij cõtritus, & confeſſus, in die ſecundo menſis Auguſti, in quo authoritate Apoſtolica Feſtum Portiunculæ i. Dedicationis dictæ Eccleſiæ celebratur, indulgentiam plenariam conſequatur: infertur, inquam, quod dictum priuilegium omnibus utriuſque ſexus Monaſterijs*

Ordinis

Ordinis ſit commune. Et ſic contriti, & confeſſi viſitantes Eccleſiam Monaſteriorum Ordinis P. N. Franciſci, tam virorum, quam mulierum, hanc eandemmet indulgentiam conſequantur ſine eo quod Confraternitati chordæ P. N. Franciſci ſint conſcripti. Nam per communicationem omnia indulta conceſſa uni Monaſterio dicti Ordinis, omnibus alijs dicti Ordinis Monaſterijs tam virorum, quàm mulierum fiunt communia. Hæc ille; & ſimilia refert Miranda *ſup.*

Dvbivm Vltimvm.

Oppoſitis Fundamentis ſatis fit.

1 AD fundamentum potiſſimum oppoſitæ ſententiæ reſpondeo, verum eſſe Pontifices in relatis Bullis conceſſiſſe privilegia, facultates, & indulgentias Fratrum Minorum, Prædicatorum, & aliorum Ordinum Monialibus ſub obedientia eorum degentibus; ſed ijdem Pontifices, & alij in Bullis alijs ſine hac limitatione, aut conditione abſolutè conceſſerunt hanc communicationem omnibus Monaſterijs eiuſdem regulæ; quidquid ſit num degant, vel non ſub Fratrum regimine.

2 Clemens VII. in Bulla incipiente: *Dum fructus uberes*, anno 1525. ſic ait: *Ipſoſque Fratres, & Moniales* [*Ordinis Minorum, S. Claræ, ac Tertij de Pœnitentia nuncupato*] *ſorores, perſonas, Monaſteria, domos, Eccleſias, & alia loca huiuſmodi, omnibus, & ſingulis privilegijs, immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus, indultis, indulgentiis, peccatorum remiſſionibus & gratiis, quibuſvis Congregationibus dictorum Ordinum, aliorumque Ordinum Mendicantium quomodolibet conceſſis, & concedendis, nec non etiam quibuſcumque facultatibus, & gratiis ſuæ profeſſion. non contrarijs regulari obſeruantiæ, alijs Ordinibus quibuſcumque nõ Mendicantibus quomodolibet conceſſis, & concedendis uti, frui, atque gaudere debere in omnibus, & per omnia ac ſi eis generaliter conceſſa fuiſſent.* Affertur ab Emmanuele *fol.* 317. ſicut & *fol.* 50. alia affertur Bonifacij VIII. quæ incipit: *In ſinu ſedis*, ac eadem privilegiorum, & indulgentiarum communicatio indiſcriminatim facta conceditur á Leone X. in Bulla allata Tract. 8. Singulari 16. num 6.

3 Cum ergo hæc, & ſimilia indulta extent, & à nullo Pontificum ſint in ſpeciali revocata; revocata cenſeri non debent in generali illius clauſulæ verbis: *Non obſtantibus quibuſcumque privilegijs*, & quia neceſſaria erat ſpecifica privilegiorum horum revocatio de verbo ad verbum, ut ex Doctoribus docet Bonacina, *de privileg. d.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. §. 3. & ut Leo conceſſit Minoribus; nullæ revocationes, & præcipuè circa indulgentias intelliguntur factæ privilegiorum Ordinum, niſi de his ſpecificè, & nominatim fieret mentio. Sic habetur in ſupplemento Ordinis 1. *impreſſ. fol.* 60. *conceſſ.* 177. & docet Ludovicus à Cruce *in Cruciat. d.* 1. *c.* 9. *dub.* 1. *n.* 8. ac ut docent Mendoſius *regula can. ell.* 13. *q.* 8. *n.* 6. Suar. *l.* 8. *de leg. c.* 38. *n.* 2. Hyeronim. Rodriguez *q.* 116. *n.* 30. & alij in revocatione generali privilegiorum, non cenſentur revocata Regularium; quia ſunt conceſſa ob merita. Præterquam quod, indulta concedentia communicationem privilegiorum Monialibus degentibus ſub cura Fratrum Minorum, non denegant eam non viventibus ſub illa, & cum ex alijs Bullis id abſolutè omnibus Monialibus huius Ordinis concedatur, illis hoc competit.

4 Ad ſecundum fundamentum R. quod licèt hę Moniales in ſuis Eccleſijs uſæ non ſint hoc privilegio, tempore ſufficienti ad præſcriptionem, & amiſſionem, ſcilicet 40. annorum, ut docent Doctores, *in cap. accedentibus de priuilegijs*, non ideo per hunc non uſum illud amiſerunt J. quia privilegium quod non vergit in gravamen alterius, ſed conceditur abſque aliorum detrimento, regulariter loquendo nullo tempore, quãtumvis longiſſimo, in foro conſcientiæ, vel externo amittitur per non uſum, ut probat Bonacina, *de priuilegijs diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 5. § 5. *n.* 3. Nullum verò detrimẽtum patitur Ordo Minorum in eo quod in Monialium Eccleſijs ſibi non ſubditis lucrentur fideles hoc Iubilæum: immo hoc cedit in magnum eorum honorem, quod aliæ Eccleſiæ, quaſi de micis ſuarum gratiarũ, hac fruantur. II. Quia, ut Corduba *adnotat. ad priuileg. verb. abſolutio quoad ſæcul. ad §.* 9. docet *ex c. ſi de terra, verſ. de trahere voluiſtis, &c.* neceſſarium eſt, ut per non uſum perdatur privilegium, quod ille, cui conceſſum eſt, habeat ſcientiam illius, & voluntatem non utendi ac utrumque deficit in prædictis Monialibus, ut cuiucumque manifeſtum erit.

Ad tertium, R. quod etiam ſi Fratres Minorum huius privilegij uſui repugnent, [quod minimè credo] illiſque obeſſe prætendant, & re vera eis noceat, adhuc uti illo poſſunt dictę Moniales cũ iuxta ſententiam 5 Cordubæ *ſup. verb. communicatio, fine*, Mirandæ *manuali to.* 2. *q.* 46. *art.* 9. Emmanuelis *to.* 1. *q.* 55 *art.* 21. Suarij *l.* 8. *de leg. c.* 23. *n.* 4. Hyeronimi Rodriguez *reſol.* 116. *n.* 53. & aliorum, factum ſit proprium independenter ab alijs, ac ſi illis in ſpeciali fuiſſet conceſſum.

FINIS TRACTATVS V.

AD IVBILÆA CONCESSA VISITANTIBVS septem, vel quinque Altaria, aut Ecclesias; APPENDICIS TRACTATVS SEXTVS.

DVBIVM I.

Quænam sit horum Iubilæorum formula?

1 REQVENTISSIMA sunt huiusmodi Iubilæa in pluribus Ecclesijs tam sæcularibus, quam regularibus; pro quarum Altarium, vel quinque, vel septem, visitatione plurimæ indulgentiæ plenariæ, seu Iubilæa concessa sunt. Horum exemplar sit, quod SS. D.N. Papa Innocentius X. concessit visitantibus septē Altaria in Ecclesia Domus professæ Societatis Iesu Hispalensis, simileque est ijs indultis, quæ pro visitatione quinque, vel septem Altarium in alijs Ecclesijs communiter conceduntur, ac sic se habet.

INNOCENTIVS PAPA X. VNIVERSIS CHRISTI Fidelibus, &c.

2 *AD augendam Fidelium Religionem, & Animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, Omnibus utriusque sexus Christi Fidelibus, qui septem Altaria, quatenus sita sint in Ecclesia, Domus professæ Presbyterorum Societatis Iesu Hispalensis, per Ordinarium loci semel tantùm designata, deuotè visitauerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deus preces effuderint, ut quoties id egerint, eas omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, consequantur, quas consequerentur, si septem Altaria in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe designata personaliter deuotè visitarent, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Regula nostra de non concedendis indulgentijs adinstar, ceteriſque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus ad septennium tantùm valituris. Volumus autem quòd si pro impetratione, præsentatione, admissione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte obiatum recipiatur, præsentes nullæ sint eo ipso. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 10. Octobris 1644. Pontificatus nostri anno primo.*

3 Plures etiam indulgentiæ plenariæ, seu Iubilæa conceduntur ijs, qui habentes Bullam Cruciatam quinque Altaria, aut Ecclesias visitaverint, ut patet in eius textu, qui, ut extat in Bulla latina Pij V. edita anno 1571. sic se habet: *Et si ultra voluntaria ieiunia, vel pia opera prædicta, & preces prædictas, etiam deuotè visitauerint in loco, ubi eos morari cōtigerit, singulis quadrageſimalibus, & alijs anni temporibus, & diebus Stationum almæ Vrbis, & extra illius muros, quinque Ecclesias, siue Altaria, seu si ibi tot Ecclesiæ, seu Altaria non fuerint; quinquies unum, vel unam, Altare, seu Ecclesiam, precesque ad Deum similiter pro unione, & victoria prædictis, deuotè fuderint; omnes, & singulas indulgentias, tam per se, quam per modum ſuffragij pro personis, quæ in Christi charitate decesserunt, pro quibus visitauerint, consequantur; quas consequi possent si ijsdem temporibus, & diebus singulas Ecclesias dictæ Vrbis, & extra illius muros huiusmodi pro eisdem Stationibus, & indulgentijs consequendis deputatis personaliter visitarent.*

4 Circa hæc Iubilæa dubia non levia proponenda sunt, quæ maximè deservient ad alia Iubilæa intelligenda.

DVBIVM II.

Quid sub nomine Ecclesiæ, quæ, vel cuius Altaria ad lucrandum hæc Jubilæa visitanda sunt, comprehendatur; ubi an Oratoria?

1 PRIMA Conclusio: Nomine Ecclesiæ comprehenduntur in præsenti non solùm Ecclesiæ Catedrales, Collegiatæ, Parochiales, & Regulares, sive consecratę, sive benedictæ dumtaxat sint, adquas populus pro

pro concionum, & Miſſarum auditione concurrit, ſed etiam quæcumque Templa, Capellæ, Eremitoria, Hoſpitalia, ac Monaſteria, tam virorum, quam feminarum; ſi hæc omnia ſint ab Epiſcopo approbata in communem uſum ad Miſſarum celebrationem. Hæc enim omnia in favorabilibus comprehendi ſub nomine Eccleſiæ pro immunitate Eccleſiaſtica, aut Miſſarum celebratione Doctores probant in cap. *Alma Mater* Bonacina *to* 1. *d.* 3 *de immunit. q* 7. *§.* 2. *&* 5. *p.* 4. *prop.* 1. Suarius *de interdicto d.* 34. *ſect.* 1. *n.* 9. Trulench. *lib.* 1 *in Bull.* §. 3. *dub.* 2. *n.* 7. *&* 9. & alij complurimi. Quod intelligendum eſt, etiam ſi Eccleſiæ, Capellę, Eremitoria ſita ſint in carceribus, in ſuburbijs, prędijs, agris, hortis; dummodò ſint ab Epiſcopo approbata in communem fidelium uſum, quia hæc etiam in ordine ad immunitatem ſub nomine Eccleſię comprehendi docent Alexander. *Conſilio* 145. *n.* 13. Cardinalis Tuſchus *verb. Eccleſ. concl.* 8. *n.* 5. ergo etiam in ordine ad lucrationem indulgentiarũ comprehendentur; cũ non minus hęc favorabilis materia ſit, quàm immunitas.

2 Secunda concluſio: Probabile eſt, quod privata Oratoria, quæ in privatis domibus approbata ſunt ab Epiſcopo pro Miſſarum celebratione, & ſi non in communem uſum, iuxta formam Tridentini, *ſeſſ.* 22. *decret. de obſer. feſt.* comprehenduntur etiã in præſenti ſub nomine Eccleſiæ, poſſint q; in illis hæc Iubilæa lucrari. Fundamentum eſt. I. Quia comprehenduntur hęc in ordine ad immunitatem, & modum celebrationis tempore interdicti, ut docent Suarius, & Trulench citati, Bonacina *apud hunc.* Sylveſter *verb. immunitas* 1. *n.* 2. & alij contra Iulium Clarium *prax. crim.* §. *fin. q.* 30. *mit col.* 2. Sanctium *lib.* 7. *de matr. d.* 8. *n.* 13. Rodriguez *addit. ad Bulla.* §. 1. *n.* 1. oppoſitum aſſerentes: ergo debent comprehendi in ordine ad indulgentias lucrandas. II. Nam indulgentiæ hæ conceſſæ ſunt Eccleſiæ, vel Altari: quia ſunt domus Dei, & orationi ad hunc finem ab Epiſcopo dicatæ; ſed Oratorium eſt locus privatus deſtinatus de licentia Epiſcopi ad orandum. & celebrandum, ut docent Tuſchus, *verb. Orator. conc.* 175. *n.* 1. Lapa *alleg.* 42. *n.* 2. ergo ei concedũtur indulgentiæ.

3 Nec obſtat, quod in his Oratorijs ſacra Euchariſtia non ſervetur; quia hoc non requiritur ad conſtituendam eſſentiam Eccleſiæ, neque in Bulla, aut indultis hoc exigitur ad has indulgentias lucrandas, neque dicitur, quod in Eccleſijs, ubi ſervatur Euchariſtia diligentię fiant. Propter eandem rationẽ, non etiã obſtat, quod hæc Oratoria in perpetuum non ſint divino cultui ſacrata: frequenterque in profanos uſus convertatur eorum locus, ut cũ is, qui oratorio gaudet, habitationem mutat: quia quælibet Eccleſia ſæcularis, vel regularis poteſt converti in uſus ſæculares, & aliquando re ipſa convertitur. Confirmatur ex ipſis Suario, Sylveſtro, Bonacina, & Trulench citatis, aſſerentibus, quod omnia privilegia conceſſa Eccleſijs, extenduntur ad Hoſpitalia autoritate Epiſcopi fundata, ac etiam extendi ad huiuſmodi Oratoria ex Covarrubia, Innocentio, Sayro, & alijs innuit Bonacina *de immunit. prop.* 2. § 2. *n.* 7. ergo extenduntur quoque indulgentiæ, ac Iubilæa. Conſule Tractatum 1. Dub. 6. & 7.

4 Tertia concluſio: in Eccleſia auctoritate Epiſcopi fundata, licét nondum benedicta ſit, nec in ea divina officia ſint celebrata poſſunt lucrari indulgentiæ, aut Iubilæa conceſſa viſitantibus Eccleſiam, ſeu quinquies Eccleſiæ Altaria, ut conceditur in Cruciata. Ratio eſt, quia abſolutè hæc Eccleſia eſt, gaudet q; privilegijs cõceſſis abſolutè Eccleſiæ, ut immunitate, alijſque ſimilibus, ut tenent Iulius Clarius, *diſp.* 3. *fin. q* 30. *n.* 4. Tuſchus *verbo Eccleſ. concl.* 9. *n.* 8. dicens eſſe communem, Sylveſter *Immunit.* 1. *n.* 3. citans Paludanum, & Hoſtienſem, Bonacina *ſect.* §. 2. *n.* 2. & alij, ex *l. omnia priuil. legia c. de Epiſc. & Cleric.* Idem dicendum eſt, ſi Eccleſia ſit interdicta, violata, aut polluta iuxta Tuſchum, Bonacinam, & Sylveſtrum *ſup.* Angelum *verbo Eccleſ.* Suarium *to.* 1. *de Relig. tract.* 2. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 2. *&* 6. in huiuſmodi enim Eccleſijs omnia Iubilæa, & indulgẽtiæ pro harum viſitatione conceſſæ lucrari poſſunt; quia Eccleſiæ in generali denominationẽ, eſſentiam, & privilegia ad hunc effectum non amittunt.

5 Quarta concluſio: Non omnia loca, quę gaudent privilegio immunitatis ſub nomine Eccleſiæ comprehenduntur in ordine ad lucrandum indulgentias Eccleſijs, vel Altaribus conceſſas. Probatur quia plura ſunt huiuſmodi quę nec ſacra loca, nec Altaria, nec Eccleſiæ pro Miſſarum celebratione cenſentur, ut ſunt, Palatia ab Eccleſia 40. paſſus non diſtantia; Scholæ, Principum Statuæ, Ambitus Eccleſiæ, Cæmeterium, Campanile, & Domus Eccleſijs contiguæ per 30. paſſus, nec non domus Parochorum, Canonicorum, aliorumque Eccleſiaſticorum. Sic docent plures Doctores apud Bonacinam *ſup. n.* 8. Tuſchum *n.* 12. *&* 13 Iulium Clarium *n.* 25. & Lapam *allegat.* 12. *n.* 4. licèt ex his nonulla non ſint in uſu.

Igitur

6 Igitur loca, quæ ſub Eccleſiæ nomine comprehenduntur ad effectum lucrandi indulgentias, ſic ennumerat Trulench *lib. 1. §. 6. dub. 2. Quares. 1. quid hic nomine Eccleſiæ intelligatur? Reſpondeo, intelligi Templa ad diuinum cultum dedicata, Monaſteria, Hoſpitalia, Oratoria priuata, tum etiam Eremitoria. Vnde poteſt quis indulgentias Stationum, viſitando Oratorium priuatum, lucrari; quia, ut docet Enriquez l. 7. de indulg. c. 10. n. 1. lit. B. in iure, preſertim in fauorabilibus, cenſetur Eccleſia. Vnde vir nobilis viſitando quinquies Oratorium ſuum ab Epiſcopo deſignatum, & approbatum, lucrabitur hanc indulgentiam.* Hæc ille; eadem fere Emmanuel *addit. ad Cruz. §. 8. n. 1.* & hoc intelligendum eſt, etiam ſi poſſit quis viſitare Eccleſiam, vel in ea quinque Altaria, ut notat Trulench. *u. 2.* utitur ênim iure ſuo. Similiter etiã lucrabitur ſi viſitet Oratoriũ approbatum alterius domus, ſive proximę, ſive longè diſtantis. Sed conſulo, ut Eccleſiã viſitet

Dvbivm III.

Quid nomine Altaris, quod viſitandum eſt ad lucrandas has indulgentias, intelligatur?

1 SI huius nominis Etymologiam indagemus: *Altare*, inquit S. Iſidorus *l. 15. orig. c. 4. ab altitudine conſtat eſſe nominatum, quaſi alta Ara*; ſeu, ut habetur *de conſecra. diſt. 1.* & Archidiaconus ibi docet: *Altare dicitur, quaſi alta res, vel alta Ara in qua Sacerdos incenſum adolebat, vel quia in eo ſacrificia ardebant, & fiebant.* Sed in præſenti Altaria viſitãda ad indulgentias Cruciatæ, vel ſimiles lucrandas ſunt omnia, quę ſunt in Eccleſijs Catedralibus, Collegiatis, Parochialibus, Regularibus, Eremitorijs, Hoſpitalibus, Monaſterijs, privatis domibus, & in alijs locis, quæ in dubio antecedenti recenſuimus: & ſub nomine Eccleſiæ comprehendimus; dummodô hæc ſint ab Epiſcopo approbata ad Miſſæ celebrationem. His enim omnibus competit nomen, & eſſentia Altaris; & nominatim cõpetere Altari cuiuſcumque Oratorij approbati expreſſere Ludovicus à Cruce *diſp. 1. c. 8. dub. 13. n. 2.* Trulench *l. 1. § 2. dub. 2. n. 2.* Enriquez *l. 7. de indulg. c. 10. lit. B.* & Manuel *addit. ad §. 8. n. 1.* ſic: *Por nombre de Altar para ganar eſta indulgentia, ſe entiende tambien el Oratorio viſitado de el Obiſpo, ſeñalado para que en el ſe pueda dezir Miſſa.* Idem dicendum de Altaribus in navi, prædijs, carceribus, & ſimilibus locis, in quibus cum Epiſcopi, vel Pontificis licentia celebratur.

2 Sed non ſolùm Altaria auctoritate Epiſcopi conſecrata, aut erecta: ſed etiam erecta pro Miſſarum celebratione ab ijs, qui facultatem habent, vel cõſecrandi, vel erigendi Altaria; ſunt apta, ut ea viſitantes lucrentur Iubilæa conceſſa viſitantibus abſolutè Altaria. Ratio eſt, quia hæc erecta dicuntur auctoritate Pontificis, cum ex eius, vel privilegio, vel delegatione erigantur. Hac facultate erigendi altaria fruuntur Abbates, & Coabbates Ordinis Ciſtercienſis in locis ſui Ordinis conceſſa ab Innocentio VIII. anno 1489. & à Gregorio XIV. anno 1591. ut teſtatur Rodriguez *to 1. q. 28. art. 1.* & noſtræ Societatis Presbiteris conceſſit Paulus III. in Bulla edita anno 1549. *Vt in locis remotiſſimis Infidelium, ubi Epiſcoporum copia non habetur, poſſint Altaria conſecrare.* Idem dicendum de Altari portatili, hac auctoritate erecti, iuxta dicenda Tractatu de Iubilæo Miſſionum.

3 Sed advertas etiam vellim, adhunc effectum lucrandi viſitatione indulgentias non eſſe neceſſarium, quod habeat Altare aram *Satis eſt*, inquit, *ſup.* Enriquez, *viſitare oratorium deſignatum pro celebratione Miſſæ, licèt aram non habeat, quia in iure cenſetur Eccleſia.* Idem Trulench §. 6. *n.* 3. Nec neceſſarium eſt, quod actu celebretur, vel celebratum ſit aliquando in eo Altari: ſufficit enim quod approbatum ſit ad celebrãdum; huic enim præfata Altaris eſſentia convenit. At ſi contingat perſeverare in privata domo aliquod Altare, ſeu Oratorium, in quo antea celebrabatur, ſeu celebrari poterat; ſed iam non poteſt, quia habens privilegium celebrandi, vel celebrare faciendi ad aliam domum divertit; tunc crederem, quod viſitans illud, harum Stationum indulgentias non lucraretur; quia non eſt pro tunc, ſeu ſub illis circũſtantijs approbatum ab Epiſcopo pro Miſſarum celebratione; cum ſine nova licentia, viſitatione, & approbatione, Miſſa in eo dici nequeat: quod requiritur in Altaribus, quæ in Eccleſijs, domibus, & alijs locis viſitanda ſunt pro his indulgentijs conſequendis, quod ſcilicet, & ſi non celebretur in illo, tamen licentia ſit, & approbatio ad celebrandum, ſeu quod ſine nova licentia celebrari poſſit.

4 Inſuper, ſi contingat, quod deſtruatur omnino Altare in Eccleſia, aliove loco erectum, qui locum, ubi erat, viſitaret, non lucraretur indulgentias conceſſas viſitantibus Altare, quia iam tale non eſt; lucraretur verò conceſſas viſitantibus Eccleſias, ſi locus, ubi Altare fuit, eſt Eccleſia; ſi autem Altare, vel Templum, quod paulatim

tim deſtruitur, & paulatim reædificatur ali quis viſitet, lucrabitur indulgentias, quia idem Altare, & Templum perſeverare cen ſentur, ut docèt Corduba, Nugnius, Suari⁹, & Pinellus, quos citat, ac ſequitur Bonazina *de indulg. d. 6. q. 1. p. 8. num.* 4. addens cum alijs, etiam perſeverare indulgentias, ſi Eccleſia deſtruatur [non auctoritate Superioris, ſed aliqua alia ex cauſa] & in eodem loco alia ædificetur; vel ſi ad alium locum transferatur, dummodó ipſi templo, ratione ſui, conceſſa ſit indulgentia.

DVBIVM IV.

Quæ, quot, & quomodo Altaria viſitanda ſunt ad lucrandas has indulgentias?

1 AD lucrandum Iubilęa, ſeu indulgentias a Bulla Cruciatæ conceſſas, ſeu virtute illius, quaſcumq; Eccleſias Sæculares, vel Regulares, aut quęcumque Altaria poteſt quis viſitare; optio enim datur inter Eccleſias, vel Altaria: licèt ęquè facile utrumque fieri poſſit, ut notant Rodriguez § 8. *num.* 9. & Trulench *l.* 1. § 6. *dub.* 2 *num.* 3. Cruz *d.* 1. *cap.* 8. *dub.* 13. *num.* 1. & Diana 1. *p.* 1. *tra.* 11. *reſ.* Poſſunt etiam viſitari vel omnia quinque Altaria in una Eccleſia, vel tria, aut quatuor, in una, & duo, aut unum in alia: ſive ſummum ſit Altare, ſive inferiora, aut collateralia: ſolùm enim expoſcitur, quod viſitentur quinque Altaria, nec diſtinctio, aut limitatio ulla apponitur in ceteris.

2 Secus eſt in viſitatione ſeptem Altariũ domus noſtræ profeſſæ, vel alterius Eccleſiæ ſimilis indulti: nam hæc aſſignari ſemel debent pro indulgentijs conſequendis, ut conſtat ex Bullæ tenore, ubi dicitur: *Qui ſeptem Altaria in Eccleſia Domus profeſſæ Presbyterorum Societatis Ieſu Civitatis Hiſpalenſis per Ordinarium loci, ſemel tantum deſignata.* Circa quam aſſignationem conſule, quæ diximus Tract. 1. dub. 9 & 10. ac animadverte, quod ſi cum primùm hoc indultum, & Iubilæi admittuntur, aſſignantur hæc ſeptem Altaria ab Archiepiſcopo Hiſpalenſi, vel eius Vicario, aut à Capitulo in Sede-vacante: etiam ſi novus Archiepiſcopus, ſeu Ordinarius adveniat, illo, qui aſſignavit amoto, vel mortuo, non eſt neceſſaria nova aſſignatio: hoc enim denotatur ab illa particula *Semel.*

3 Septem Altaria ex vi indulti relati, & quinque ex vi Cruciatæ viſitanda ſunt, cui ita ſit præſcriptum à Pontifice, & ſi unum omittatur, indulgentia non valebit: uniuſcuiuſque enim viſitatio, eſt quædam ſingularis diligentia, ac quacumque diligentia omiſſa non fiunt diligentiæ neceſſariæ ad lucrandum Iubilæum. Ad lucrationem verò indulgentiæ quinque Eccleſiarum, vel Altarium, ſi non eſt niſi unica Eccleſia, vel unũ Altare, ſat eſt hoc, aut illam quinquies viſitare: nam ſic expreſsè habetur in Cruciata: *Y ſino vbiere cinco Igleſias, y cinco Altares, v ſiendo cinco vezes una Igleſia, o un Altar.* Si verò in Eccleſia ſint tantũ tria Altaria, toties hæc tria viſitare, & loco aliarum, quæ deficiunt, viſitationes repetere in eiſdem Altaribus, vel ſupplere in alijs alterius Eccleſię, donec quinque viſitationum numerus impleatur; ſicque faciendum docet Trulench *ſup.* Probabile tamen reputat Diana ſufficere, ſi tunc unum Altare quinquies viſitetur & idem docent Nugnius 3. *p. to.* 2. *tr. de Bul.* § 10. & Cruz *dub.* 13. *num.* 3. Idem probabiliter exiſtimo in viſitatione ex vi indulti indulgentiarum pro viſitantibus ſeptem Alteria.

DVBIVM V.

V. Requiratur corporeus motus in Eccleſiæ viſitatione: vel hæc fieri valeat ab Eccleſiæ ianua: vel interrumpi per aliquod tempus?

1 NON eſt neceſſarius ad lucrandas indulgentias Cruciatæ, vel alteri⁹ privilegij præfato ſimilis, corporeus motus de uno Altari in aliud: ſed ſufficit, ut quis uno loco fixus preces fundat verſus quinque Altaria, ſolo cordis motu, & intentione quinque, aut ſeptẽ viſitationes faciens. Ita Enriquez *l.* 7. *de indulg. c.* 10. *n.* 1. & Bonazina *de ſacr. d.* 6. *q.* 1. *pun.* 5. *n.* 25. & apud hunc Grafis & Azor, Sa *verbo. indulg. n.* 6. Villalobos *to.* 1. *tr.* 27. *dif.* 8 *n* 6. Cruz. *d.* 1. *c.* 8 *dub.* 13. *n.* 4 Vega *to.* 2 *c.* 7. *caſ.* 6. Diana *ſup.* & alij. Et licèt Trulench *ſup.* id probabile reputet, aliquem motum corporalem, & ſi modicũ conſulit: ſic, & ego.

2 Intelligendum autem eſt, non requiri motum hunc, etiam ſi commodé fieri poſſit, quia nihil eũ impedit. Ita Lugo *d.* 27. *de panit. ſect.* 6. *n.* 98. ubi ſic ait, non requiri motum corporis: *Si in eo loco, & ſitu ſis, in quo moraliter cenſeri poteris orare ad quodlibet ex illis altaribus, & ſi ſis in loco apto, ut in medio Eccleſiæ; vellem tamen aliquo geſtu, vel conuerſione capitis, vel corporis ſignificari conuerſion in animi ad ſingula altaria.* Hoc & ego vellem.

3 Hinc notandum eſt. 1. non requiri, ut cum quinquies viſitat quis idem altare in

eadem Ecclesia, vel oratorium in cubiculo quod quinquies introeat, vel exeat ab Ecclesia, vel a cubiculo, sed sufficit, quod quinque visitationes, cordis intentione, ac orationum distinctione efficiat. Sic Rodriguez *addit ad §. 9. n.* 1. Cruz *n.* 4. & Trulench *n.* 2. Notandum I I. quod si præ personarum multitudine Ecclesiam quis ingredi nequeat, & ab ostio, vel cæmeterio quinque Altaria videat, ab hoc loco ea visitare sine dubio cum fructu indulgentiarum possit: sicut sufficiet, si visitatio Aræ maximæ pro Iubilæo obtinendo expoſcatur, & ea ab ostio pateat.

4 Si verò Altaria omnia non videantur ab ostio, sed unum, vel alterum, aut nullum; quia hominum multitudo hoc impedit, ad huc existimo sufficere ab ostio orare, & pro his indulgentijs quinque Altarium, ea ab ostio visitare; dummodó visitans adesse censeatur moraliter his Altaribus; ad quam moralem præsentiam non est necesse Altaria videre: sed sat est in loco, ubi Altaria esse dicuntur, precari intentione directa ad visitandum ea singillatim; qui locus Ecclesia est ab ostio ad extremum parietem. Ita quis adesse præsens moraliter dicitur Missæ, quæ celebratur in Ecclesiæ Altari, licèt illud, nec Sacerdotem ob distantiam videat, nec eam audiat, sicut præsens adest qui Cæcus, & Surdus est.

5 Porro unusquisque ab ostio potest non solùm corde, & intentione, sed etiam corporis, vel capitis inclinatione, ac motu versus quinque Altaria converti, cum sciat ubi sit unum quodque eorum. Scio oppositum sentire Nugnum, Trulench, & Lugum *sup.* sed nostræ sententiæ favent Ludovicus a Cruce, *l.* 1. *c.* 18. *dub.* 13. *n.* 5. Corduba *l.* 5. *de indulg. q.* 21. Villalobos *tr.* 25. *dif.* 24. *n.* 27. Sá *n.* 12. & Bonacina *d.* 6. *q.* 1. *p.* 5. *n.* 25. citans Suatium, Grasim, & alios. Immo ipsemet Lugo *n.* 97. & Trulench in simili innunt, cum asserant extra portam visitari posse Ecclesiam pro lucrando Iubilæo illam visitantibus concesso.

6 Denique non est necesse, ut continuatæ sint Altarium visitationes, possunt enim interrumpi quocumque temporis spatio, etiam per totum diem, ut si visitentur mane duo, vel tria, et vespere eiusdem diei alia; & in eadem, vel in diversa Ecclesia. Sed si diversis diebus quis visitaret Altaria, lucraretur solùm indulgentias omnes uni diei, non omnibus alligatas. Ratio horum est, quod solùm expoſcitur, quod quinque, vel septem Altaria visitentur, non verò exprimitur, quod simul, ac in eadē Ecclesia.

Dvbivm VI.

Quo tempore, quibus, & quo precum numero visitanda sunt Altaria ad lucrandum hæc Stationum Iubilæa, & quoties quisque ea lucrari valeat?

1 Quoad Tempus attinet, non est dubium, quovis tempore, sive die, sive noctu visitari posse hæc Altaria ad lucrandas indulgentias has; nam indeterminatè seu indistinctè dicitur in indulto, quod qui quicūque septem Altaria visitaverint, indulgentias has, vel illas lucrabuntur At si in indulto exprimatur, quod lucretur quis indulgentias, in aliquo die, quas lucraturus esset, si eo die visitaret Ecclesias singulas Romæ, vel Ecclesiam S. Petri, visitando in illo die in Ecclesia aliqua quinque aut septem Altaria; tunc dies non intelligitur Ecclesiasticus à primis vesperis usque ad occasum Solis, sed naturalis, seu communis, viginti quatuor horarum, quæ incipiunt post primam mediam noctem, ad mediam noctem sequentem exclusivé. Sic Cruz *in Cruz. d.* 1. *c.* 9. *dub.* 13. *n.* 2. Rodriguez *addit ad §.* 8. *n.* 1. & Mandosius *tit. de indulg. fol.* 69. Ac ita noctu, diuque visitari possunt Altaria pro lucratione indulgentiarum, quæ illi diei annexæ, seu concessæ sunt; non verò pro lucratione aliarum, quæ determinatè alijs diebus sunt concessæ. Consule Tractatum 1. Dub. 3.

2 Quoad Preces spectat, singulares, & distinctas in uno quoque Altari, seu pro unaquaque visitatione fundendendas esse non est dubium, cum distinctio visitationum in ordine ad distinctionem precum attendatur, ut patet cum idem Altare quinquies, etiam sine situs mutatione, vel corporis motu visitatur. Deinde vocales potius, quā mentales preces consulo fundendas: illas enim extra dubium sufficere constat; in his verò aliqui dubitant. Vtrum unica oratio Dominica, vel salutatio Angelica pro unoquoque Altari, seu visitatione sufficiat, satis probabile est, & asserit Trulench *l.* 1. *§. 6. n.* 6. Sed tres, aut quatuor recitentur.

3 Cum intentione, saltèm virtuali, lucrandi has indulgentias (similiter de alijs dicendum) visitationes, & orationes faciendæ sunt pro unione, & concordia inter Principes fideles, victoriaque contra infideles, &c. Quod si quis ignoret pro qua re offerendæ sint preces, ut Rusticis, & simplicibus contingit, dicatur eis, ut orent pro inten

intentionè Pontificis, seu Iubilæi in huiusmodi concessione. Hęc & similia notãt Rodriguez. §. 9. & Trulench *sup. dub.* 2. Denique Communio, & confessio pro his indulgentijs non requiruntur; requiritur verò gratiæ status in lucrante, saltém cum perficit ultimam diligentiam; v. g. cum visitat ultimum Altare; licèt in alijs quatuor in peccato mortali extiterit. At etiamsi in eo sit, indulgentias pro defunctis lucrabitur iuxta dicta Tract. 1. dub. 15. num. 4.

4 Quoties autem hæ indulgentiæ lucrari possint; ex virtute indulti concessi visitantibus septem Altaria Ecclesiæ alicuius, colligendum est. Atque in Ecclesia domus professæ non est dubium, quin quoties in quacumque die, vel hora ea visitaverint, toties Iubilæa lucrentur; nam in concessione dicitur: *Quoties id egerint, eas omnes indulgentias consequantur, quas consequerentur si septem altaria in Basilica Principis Apostolorum de urbe visitauerint.* Hancque vim habet dictio, *Quoties*, quæ est repetitiva, & numerum respicit. ut ex *l. sicut. ff quem admodùm seruit. amit. l. 3. ff. quibus modis seruit. amit.* notant Vulpellus *de præp. dict. quoties. pag.* 100. & Barbosa *dict.* 288.

5 Indulgentiæ verò Cruciatæ, & aliorum indultorum, plenariæ, vel non plenariæ, si conceduntur, ut lucrentur tempore determinato. v. g. tali die, vel tali hora, semel tantùm possunt in illa die, vel hora lucrari. Ita Ludovicus á Cruce *sup. n.* 10. & Lugo *de Pœnit. d.* 28 *sect.* 6. *n.* 69. Ac in hoc sensu, ait Cruz intelligendos esse S. Thomam, S. Antoninum, Paludanum, Sylvestrum, Cordubam, Felinum, & alios apud ipsum, negantes lucrari huiusmodi indulgentias toties, quoties in eodem die quis visitaverit Altaria. Si verò indulgentiæ concedantur indeterminatè, & quasi perpetuò sub hac forma; *Quicumque visitauerit talem Ecclesiam, vel Altare*, tunc potest quis eas lucrari toties, quoties visitaverit. Sic etiam Cruz, & Lugo *supra*, Suarez *d.* 57. *de pœnit. sect.* 1. *n.* 7. ac Bonazina *d.* 6. *de Sacram. q.* 1. *p.* 5. *n.* 32. qui alios referunt, ac pro hac sententia adduci possunt Angelus, Navarrus, Rodriguez, Villalobos, & Diana, quos citat, & sequitur Trulench. *sup. dub.* 3. *n.* 2. asserentes, posse pluries in die huiusmodi indulgentias lucrari.

6 Sed valde notandum est circa indulgentias concessas visitantibus septem Altaria, quod illæ, quæ Romæ in Basilica S. Petri semel tantùm in die lucrari possunt, semel tantùm lucrabuntur in Ecclesia, in qua septem Altaria visitantur; nam adinstar illarum conceduntur, & ut lucrentur visitando talem Ecclesiam, ac si, Romæ visitaretur Basilica D. Petri, ut constat ex ijs verbis: *Qui septem Altaria visitauerint, indulgentias consequantur, quas consequerentur si septem Altaria in Basilica Principis Apostolorum personaliter visitauerint.* Idem dicendum est de indulgentijs, quæ ex virtute Bullæ, aliorumve similium indultorum conceduntur; nam in ea etiam dicitur: *Qui visitauerint, indulgentias consequantur, quas consequi possent si ijsdem temporibus & diebus singulas Ecclesias dictæ urbis personaliter visitauerint.*

Dvbivm VI.

Quæ Jubilæa, & indulgentias lucrentur qui visitaverint septem Altaria in Ecclesia, cui concessum est præfatum indultum, & an eas pro animabus Purgatorij applicare valeant?

1 EX concessionis clausula hæc constant. Ijs, qui septem hæc Altaria visitaverint, inquit Pontifex, *eas omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes consequentur, quas consequerentur si septem Altaria in Basilica Principis Apostolorum de urbe personaliter, & deuotè visitarent, misericorditer in Domino concedimus.* Quę autem Iubilæa & indulgentiæ Basilicę prefatę Altaria, vel Ecclesiam visitantibus cõcedantur, inveniuntur collectæ, & ex ipsius Ecclesiæ Archivo, gravibusque Scriptoribus decerptæ per Franciscum Mariam Torrigium, ac Romę impressę per Antoniũ Facciotum anno 1637. & sunt quę sequũtur:

2 Hæc septem Altaria visitantes fruuntur in primis omnibus, & singulis indulgentijs, & peccatorum remissionibus, quibus fruuntur visitantes septem Ecclesias intra, & extra muros Romæ, quę quidem festivis diebus duplo sunt maiores. Sic invenitur in antiqua tabula instructionis Peregrinorũ, & refertur a Camilo Benne, & ut testatur Archangelus Ballosinus pro his Ecclesijs plurimæ indulgentiæ tam plenariæ, quàm non plenariæ omnibus diebus, horis, & momentis sunt concessæ. Iacomus, seu Iacobus Maria in libro Romæ, & postea Mediolani excuso anno 1616. qui inscribitur; *Indulgentiæ, dona, & gratiæ, &c.* ait, quod quoties, seu quocumque die, & hora, & temporis puncto quamcumque ex his Ecclesijs quis contritus, vel confessus ingreditur, & orat in ea, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem lucratur.

3 Hęc eadem conceſſio refertur in libello quodam Fanni Impreſſo 1602. & ut teſtatur Archangelus Balloſinus; in eadem S. Petri Eccleſia (quæ una eſt ex ſeptem numeratis) quotidie eſt plenaria indulgentia, & omnium peccatorum remiſſio. Eandem conceſſam fuiſſe hanc Baſilicam viſitantibus â pluribus Pontificibus affirmat Nicolaus IV. in Bulla, quam pro D. Petri Baſilicæ indulgentijs edidit, quam Bullam confirmatam fuiſſe â Bonifacio VIII. Vrbano VI. & Nicolao V. narrat Onuphrius Panvinus, *Tract. de ſeptem Eccleſ.* & addit Paulum IV. dixiſſe, omnes, & ſingulas indulgentias, quibus gaudent Eccleſiæ Romanæ, in una Eccleſia Vaticana S. Petri unitas reperiri.

4 Indulgentias etiam conceſſas in diebus Stationum in hac Baſilica lucratur ille, qui ſeptem Altaria Eccleſiæ hoc privilegio fruentis viſitaverit. Stationum autem celebriores dies in hac S. Petri Eccleſia ſunt Dominica 3. Adventus, Sabbata quatuor temporum, Nativitas Domini, Epiphania, Dominica in Quinquageſima, omnes ſextæ feriæ menſis Martij, Dominica in Paſſione, ſecunda dies Reſurrectionis, Dominica 2. póſt Paſcha, dies S. Marci, Vigilia, & dies Aſcenſionis, dies Pentecoſtes, Catredæ S. Petri, ipſius vigilia, & dies, ac S. Pauli, S. Andreæ; Dedicationis huius Eccleſiæ, quæ 18. Novembris celebratur, & dies octavarum horum Apoſtolorum: Item dies SS. Simonis, & Iudæ, S. Gregorij Papæ, & Corporis Chriſti, S. Marci, & in 2. Iulij Dominica; in his omnibus diebus Iubilæa pleniſſima ibi proponuntur: nec non indulgentia plenaria omnibus diebus, in Capella Sixti IV. intra Eccleſiam hanc fabricata, & innumeræ aliæ, quæ videri poſſunt apud Petrum Martirem, *Tract. de reb. Rom.* cum de hac Eccleſia agit *fol.* 10. Quas anno 1605. Paulus V. confirmavit, ac item de novo conceſſit omnes alias â ſuis Prædeceſſoribus conceſſas.

5 Hæc ſeptem Altaria in memoriam ſeptem Stationum, quas Chriſtus Dominus in ſua paſſione peregit, erecta fuiſſe, & venerari traditio eſt, teſtaturque S. Carolus Borromæus libro edito Romæ anno 1584. qui inſcribitur, *Monita illuſtriſſimi Cardinalis Caroli Borromæi.* Hæ autem Stationes, aut peregrinationes ſunt. I. ad Hortum Gethſemani. II. ad Domum Pontificis Annæ. III. ad Caipham. IV. ad Pilatum. V. ad Herodem. VI. ad Pilatum iterum. VII. ad Calvariæ montem; & ibi dicitur quod in viſitatione horum Altarium tot indulgentiæ conceduntur, quot vix explicari valent. Omnes igitur conceduntur viſitantibus ſeptem Altaria Eccleſiæ noſtræ Domus profeſſæ Hiſpalenſis, vel cuiuſlibet, cui ſimile privilegium conceſſum eſt.

6 Denique ex his omnes illæ indulgentiæ poſſunt Animabus purgatorij applicari a viſitante has Eccleſias privilegiatas, quæ poſſunt applicari a viſitantibus Altaria, vel Eccleſiam dictam S. Petri Romæ, & ſine dubio aliquæ eiuſmodi erunt; immo & multæ; quia viſitantibus hæc ſeptem Altaria conceduntur omnes indulgentiæ conceſſæ viſitantibus ſeptem Eccleſias celebriores Romæ, vel quamlibet earum, & in harum viſitatione plúrimas indulgentias eſſe pro defuntis inveniemus, ſi recolveri, mus earum catalogum, atqué Pontificum conceſſiones: ſiquidem Eccleſiæ hæ ſunt quæ maiori veneratione dignæ, copioſioribuſque Reliquiarum theſauris coluntur.

7 Hæ autem ſeptem Eccleſiæ ſunt. I. Eccleſia S. Ioannis Lateranenſis. II. S. Petri in Vaticano. III. S. Pauli extra muros. IV. S. Mariæ Maioris. V. S. Laurentij extra muros. VI. S. Sebaſtiani extra muros. VII. S. Crucis in Hieruſalem. De harum antiquitate, veneratione, Reliquijs, ac indulgentijs conſule Petrum Martirem, *Tract. relato*, & antequam ſeptem Altaria in Eccleſia privilegiata viſitaveris, generalem intentionem habe lucrandi omnia Iubilæa, & indulgentias, quas in ea viſitatione lucrari potes, ſeu conceſſerunt Pontifices tam pro vivis, quam pro defunctis. Ac ſimiliter eam intentionem lucrandi omnia Iubilæa, & indulgentias, quæ eo die lucrantur in alijs Eccleſijs, habeant Regulares, dum preces in propria fundunt.

Dvbivm Vltimvm.

Quæ Iubilæa, & indulgentias lucrentur, qui ex Bullæ cruciatæ privilegio quinque Altaria viſitaverint, & an eas defunctis applicare poſſint?

1 STationvm Romanæ Vrbis indulgentias ſic concedit Pontifex: *Ij, qui deuotè viſitauerint ſingulis diebus Stationum almę Vrbis quinque Eccleſias, vel Altaria, &c. omnes, & ſingulas indulgentias Stationum Vrbis, tam pro ſe, quàm per modum ſuffragij pro defunctis, pro quibus viſitauerint, conſequantur.* Stationum dies erant olim illi, in quibus Chriſtiani ad Baſilicas, ſeu ſepulchra Martyrum,

tyrum, vel Apostolorum orabant, sumptaque vox fuit ex appellatione Militum Stationariorum, dicebanturque Milites Stationarij qui stantes excubias in præsidium faciebant. Modô autem Stationes in his, ac in Ecclesiasticis Ritibus sunt processiones, quę ad aliquam Ecclesiam eunt, vel in gratiarum actionem beneficij â Deo accepti, vel in venerationis signum Sancti, ad cuius Ecclesiam Stationem facimus. Consule de his Onuphrium Panuinum *li. de stat. Romæ*, Durandum *Ration. l. 7. c. 1.* Enriquez *c. 7. de indulg. c. 9. lit. O. & P.* Harum Stationum primus institutor Gregorius Papa I. fuisse refertur à S. Bonaventura *q. 25. art. 2.* Caietano de indulg. *c. 1.* Turrecremata in *c. mensuram. de pœnit. dist. 1.* ac Suario *d. 49 sect. 2. n. 2.*

2 Ast inter innumeras indulgentias, quas Fideles lucrantur in Stationum diebus, celebriores sunt in Ecclesia S. Ioannis Lateranensis, de quibus Bonifacius VIII. ut testatur Sorbus. *verb. indulg. station. n. 6.* dixit: *Indulgentiæ Ecclesiæ Lateranensis numerari non possunt, nisi à solo Deo & ego omnes illas confirmo.* Ad hanc ergo Basilicam plures fiunt Stationes: & per annum integrum sunt in Basilica D. Petri singulis diebus, & in eis cõceditur indulgentia plenaria, ut refert Trulench *l. 1. in Cruc. § 6. dub. 1. n. 7.* Et Sorbus de Stationum indulgentijs loquens ait: *Quod Romæ est quotidie ad minus in tribus locis remissio plenaria omnium peccatorum.* Ipsum consule, & utrumque Rodriguez, Emmanuelẽ, *to. 2. qq. q. 8 art. 1.* & Hyeronimũ *resol. 77.* in quibus plurimas pro Stationibus indulgentias invenies.

3 Harum Stationum dies, & numerum in Summario hispano Bullæ invenies. Sed adhuc esse plures multô existimo, & Alphõsus Perez de Lara, *l. 3. trium grat. à pag. 20.* usque ad centum circiter Stationes enumerat. Panuinus solùm 87. dies Stationum. Ecclesias, ad quas fit Statio, 44. Franciscus Cabrera Morales. libello, quem Romæ anno 1600. edidit, & inscripsit: *De las Iglesias de Roma, con todas las Reliquias y Estaciones.* & 193. Stationes ennumerat, sed Petrus Martyr, qui solerter, & curiosè de Rebus Romæ scripsit, plusquam 220 Stationes ennumerat: & singillatim suum unicuique assignat diem in adventu, quadragesima, ac mensibus singulis.

4 Sed observandum est. I. solùm concedi in hac Bulla indulgentias concessas pro Stationibus, seu ipsarũ intuitu, aut illi Stationis operi annexas, non verò quot quot Romæ lucrantur in Stationum diebus, sivè in Ecclesia illa, ubi Statio fit, sivè in alijs, nam solùm ait concedere Stationum indulgentias, non indulgentias dierum Stationum. Et à fortiori, nec indulgentiæ, quæ alijs diebus, & festivitatibus Romæ sunt, conceduntur.

5 II. Observandum est contra Cordubam *q. 4. de indulg.* Enriquez *l. 7. c. 10 n. 2.* Navarrum *§. in Leuitico not. ab. 9. n. 15.* Sorbum *verb. indulg. station. fol. 289.* Ludovicum à Cruce *in Bull. disp. 1. c. 8. dub. 2.* & apud ipsum *n. 9.* Suarium *to. 4. in 3. p. disp 52. sect. 8. n. 12.* & Alphõsum de Leone *tract. de Iub. p. 1. q. 6. n. 229* ac nostrum Patrem Ildephonsum Rodriguez in manuscript. *tract. de indulg. dub. ult. concl. 4.* non solùm concedi in Bulla Cruciatæ indulgentias non plenarias, sed etiam plenarias: de quo minimè ambigendum esse ostendunt, verba illa Pontificis: *Omnes & singulas Stationes Vrbis*, nam qui omnes dicit, nullas excludit, & dispositio generalis generaliter est intelligenda, ut probat Tuschus *lit. D. conc. 488.* atquè rectè docent Glossa *in ca. ut circa. post med. vers. omn. & sing.* Marius Alter. *decens. to. 1. dis. 15. l. 5 c. 1. lit. C.* Barbosa *de Claus. claus. 51. n. 2* Hęc ergo clausula omnia, & singula, includit prorsus omnia absque, ulla limitatione. Præterea cõstat hoc manifestè ex Sũmario hispano.

6 Nec ratio, nec curiæ stylus huic sententiæ adversantur: eamque tuentur Rodriguez §. 8. *n. 8.* Villalobos *tract. 27 claus. 8. n. 3.* & Trulench *supra n. 5.* dicens, ita communiter sentire Recentiores. Quod observandum etiam est pro antecedentis dubij resolutione. Denique posse has indulgentias defunctis applicari non est dubium, cum expressè concedatur, quod Fideles tam pro se quam per modum suffragij pro defunctis, pro quibus Ecclesias, vel Altaria visitaverint, consequantur. Indulgentia autem per modum suffragij est dispensatio thesauri Ecclesiæ facta existenti extra forum Ecclesiæ, qui se ipsum iuvare non potest, sed indiget potius ab alijs aliquo opere iuvari, seu quod aliquis illi suffragetur opus efficiendo, quod ipse efficere non potest. Sic explicant Emmanuel *in Bull. defunct. §. unico. n. 1.* & Cruz *disp 2. dub. 4 n. 13.* Consule, quæ diximus Tract. dub. 14. Addeque hîc non solùm applicari posse pro defunctis indulgentias quę in Stationibus Romę defunctis applicari concesserunt Pontifices ut dub. antecedent. num. ultim. dicebamus, sed omnes etiam pro vivis concessas, omnes enim concedit Bulla pro defunctis per modum suffragij, quod in indulgentijs septem Altarium non exprimit.

FINIS TRACTATVS VI.

AD IVBILÆVM MISSIONVM SOCIETATIS IESV, APPENDICIS TRACTATVS SEPTIMVS.

DVBIVM I.

Quænam Missionum Societatis Iesu Origo, Vsus, Dignitas, Ministeria, & Fructus?

1 PLVRA sunt spiritualia Ministeria, quibus Societas Iesu in Proximorum salutem impensè incumbit: eorum præcipua summatim proponit instituti nostri formula, quæ in Iulij III. Pontificis Maximi Bulla I. anni 1550. inserta, ab eodemque confirmata, & probata, sic se habet: *Quicumque in Societate nostra, quam Iesu nomine insigniri cupimus, vult sub Crucis vexillo Deo militare, & soli Domino, ac Ecclesiæ ipsius Sponsæ sub Romano Pontifice, Christi interris Vicario seruire, post solemnem perpe[tuæ] Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ votum, proponat sibi in animo, se partem esse Societatis ad hoc potissimùm institutæ, ut ad fidei defensionem, & propagationem, & profectum animarum in vita, & doctrina Christiana per publicas prædicationes, lectiones, & aliud quodcumque verbi Dei ministerium, ac spiritualia exercitia, puerorum ac rudicum in Christianismo institutionem, Christi Fidelium in confessionibus audiendis, ac ceteris Sacramentis administrandis spiritualem consolationem præcipuè intendat: & nihilominus ad dissidentium reconciliationem, & eorum, qui in carceribus, vel in hospitalibus inueniuntur, piam subuentionem, & ministerium, ac reliqua Charitatis opera, prout ad Dei gloriam, & commune bonum expedire visum erit, exequenda gratis omnino, & nullo prorsus in prædictis omnibus stipendio accepto, se utilem exhibeat, &c.* Horum ministeriorum excellentiam, & explicationem sapienter proponunt nostri Petrus de Ribadeneyra libro de Societatis instituto, Iulius Nigronius *in Regul. Societ. tit. par. 3. à num. 12.* Suarius *tom. 4. de Relig. l. 1. de inst. Societ. cap. 3. a n. 2. & per totum caput 9.* & Ioannes Eusebius Nieremberg. *in vita S. Ignatij, ubi de eius zelo a fol. 160.*

2 Horum omnium exercitia, Missionum ministerium amplectitur, nobilissimum locum inter omnia Societatis nostræ munia obtinens, maximèque in illa, ut ex VI. & VII. Congregatione constat, commendatum; ut pote ex præcipuis illius functionibus iuxta Canonem 14. Congregationis V. tãtique ab initio nascentis Societatis apud illam, summosque Pontifices habitum, ut Professi illius, nobilior Societatis pars, seu ut iura nostra *exam. c. 1. §. 8.* loquuntur, *Primæ classis viri*, votum singulare, & solemne emittant obedientiæ summo Pontifici circa Missiones sive ad Fidèles, sive ad Infideles absque ulla tergiversatione, & absque ullo viatico obeundas, admissum, probatum, & confirmatum à Paulo III. Bulla anni 1549. à Iulio III. Bulla anni 1550. De hoc voto consule Ribadeneirã *sup. ca. 20.* Suariũ *l. 6. c. 4.* & Sãchez *to. 2 sum. l. 6. c. 18.* & novissimè Pasqualigium *decis. 274.* qui immeritò asserit contra Suarium, hoc votum cessare in Episcopo é Societate Iesu assumpto.

3 Enim verò si harum Missionum, & omnium aliarum Societatis originem indagemus, ortæ videntur à Christi Domini, & Apostolorum doctrina, vita, & exercitijs; dum per civitates, villas, & vicos discurrebant, evangelizantes Regnum Dei. Hanc vitam, & exercitia professuram Societatem Iesu prædixit plures ante annos suę fundationis Ioachimus Abbas Monasterij Florensis, qui vivebat anno 1195. spiritu prophetico insignitus, ut probat Blasius Viegas, *Apoc. 3. comm. 2. sect. 3.* qui postquam aliqua de Societate protulit, [ut Rutilius Benzonius Episcopus Laurẽtanus, *l. 1. de Iub. c. 8.* arbitratur] *l. 5. concordiæ*, & in *Apoc. p. 1. c. 3. fol. 83.* in *p. 4. c. 14. sect. 7 fol. 175.* addit: *Hic Ordo futurus perfectorum virorum seruantium vitam Christi, & Apostolorum, &c.* dixerat antea: *fol. 83. Hic est ipse Ordo, quem designat Iesus, qui videlicet Ordo infra limitem quidem secundi status initiandus est, hoc est, in tempore sexto.* Et prædictum votum Professorum sic *in cap. 1. Hieremiæ*, adumbrat: *Reuelandi sunt in Ecclesia Doctores, Prædicatoresque fideles, qui terrena, ac carnalia corda omni plaga percutiant; atque erectis, ac tumidis magisteriys silentium stu-*

diys

dijs ſuis imponant. Et bene Filius Melchiæ Heremias deſcribitur, quia ille Ordo futurus ad obedientiam Summi Pontificis dirigitur. Hi ſunt Profeſſi noſtri: *Viri prudentes in Chriſto, & in Chriſtiana vitæ puritate, ac litteris cõſpicui*, ut eos appellat Iulius III. in Bulla relata.

4 Ab initio naſcentis Societatis exordium ſumpſere Miſſiones noſtræ, eárumque exercitium, & miniſteria ingenti proximorum utilitate SS. Patriarcham noſtrum, eiuſque Socios feciſſe Romæ, Parmæ, Senis, in Gallia, Italia, Germania, ac Hiſpania, nec non in alijs Orbis plagis conſtat ex Orlandino *l. 2. hiſt. Societ.* ad annum 1539. 1548. 1550. & 1552. Legantur Ribadeneyra *l. 3. cap. 16. & l. 4. cap. vitæ S. Ignat.* ac liber noviſſimè editus, *Imago primi Sæculi Societatis* inſcriptus *l. 6.*

5 Novi orbis Miſſionum Auctor fuit SS. Vir Franciſcus Xaverius. *Novus Indiarum Apoſtolus, aliorum Dux divina providentia conſtitutus, qui ob ſigna Apoſtolatus novarũ gentiũ Apoſtolus unánimi totius Chriſtiani Orbis cõſenſu meruit appellari.* Verba SS. D. N. Vrbani VIII. in Bulla ſuę Canonizationis. Innumeros, quos his in plagis Chriſto, ac Eccleſię per Evangelium filios Xaverius genuit, liceat, mihi proferre verbis Thomæ Bozij Eugubini *lib. 6. de Sign. Eccl. c. 3. fol. 221, Vniverſi* inquit, *Hæretici ab Eccleſia Chriſtiana conſtitutione per tot Sæcula, per annos mille quingentos, & amplius, haud traduxere ad hæreſes ſuas tot Gentes, aut Idolatras, aut aliunde a cultu Chriſti alienas, quot unus Xaverius ad cultum Chriſti annis undecim; tot enim fuit in Indys vir iſte admirandus.* De alijs noſtræ Societatis viris huic miniſterio ſacratis Pius V. in Bulla editâ anno 1571. quæ incipit: *Dũ indefeſſæ* ait: *Quod non contenti terrarum finibus uſque ad Orientales, & Occidentales plagas penetraverint, ac eorum aliquos ita Domini amor perſtrinxerit, ut etiam proprij ſanguinis prodigi, ut Verbum Dei inibi efficacius plantarent, martyrio voluntario ſe ſuppoſuerint.* Hæc veſtigia reliquos Societatis filios ſequtos omnes utriuſque orbis Regiones, Provincias, Civitates, & loca uſque in præſentem diem peragraſſe, noſtræ, & externæ Hiſtoriæ proclamant. *Decet enim, ut quod cumque*, ſic Lirinenſis *comm. in c.* 30. loquitur, *in hac Eccleſia Dei agricultura fide Patrum ſatum eſt, hoc idem Filiorum induſtria excolatur, & obſervetur: hoc idẽ floreat, & matureſcat, hoc idem proficiat & perficiatur.*

6 Miſſionum Dignitas ex dignitate finis, & mediorum, quibus ad illum conſequendum utitur Societas Ieſu, cognoſcenda eſt iuxta S. Thomæ doctrinam 22. *q.* 188. *ar.* 6. Finis Miſſionum eſt, ut ſtatuitur in cõſtitutionibus noſtris *p. 7. c. 1. Maior Dei gloria, & animarum auxilium*: Et ut R. P. N. Generalis Claudius *in inſtruc. num.* 2. explicuit: *Finis Miſſionum eſt auxilium animarum quæ ex ignoratione rerum ad ſalutem ſuam neceſſariarũ cum æternæ damnationis periculo verſantur.* De huius finis ſublimitate egregia cumulant SS. Bernardus *ſerm. ad Fratr.* Baſilius *conſt. c.* 2. & 5. Nazianzenus *orat.* 20. & 23. Auguſtinus *l.* 2. *contra Fauſ. cap.* 54. & alij, inter quos Areopagita *de Hyerar.* ait, *Omnibus divinius eſſe Dei cooperatores fieri.* S. Gregorius Magnus *in Ezech. hom.* 12. docet: *Nullum ſacrificium eſſe Deo magis acceptum, quam ſit zelus animarum.* Chriſoſtomus *hom.* 34. *ad pop.* ait: *Qui propter proximi utilitatem occaſionem martyrij uel differt, vel etiam omittit, magis probari apud Deum.*

7 Quam egregiè hunc finem conſequatur Societas noſtra in Miſſionibus palam faciunt aptiſſima media, ſeu miniſteria, quibus in illis utitur. Quæ & ſi omnia ea ſint, quæ excercet in locis, ubi domos, vel collegia habet, quæque ex Bulla Iulij III. num. 1. retulimus: ardentiori ſanè ſpiritu & frequentiori uſu hęc vigent in Miſſionibus, in quibus â ſummo mane, & ſepe ſæpius ante Auroram uſque ad meridiem ſine intermiſſione, confeſſionibus audiendis Operarij miſſi in templis incumbunt, ſimiliterque poſt meridiem uſque ad noctem, noctuque plures horæ conſumuntur in excipiendis virorum, pręcipue Ruſticorum, confeſſionibus. Conciones quotidié veſpere fiunt: in quib⁹ Doctrina Chriſtiana, Myſteria fidei, ac præcepta legis divinæ, Eccleſiæq; explanãtur. Feſtivis diebus inter ſolẽnia concio fit, & hora pro meridiana competenti, ut poſt veſperas cantatas proceſſio publica, in qua per plateas, & vias oppidi, omnes cuiuſcumque gradus, & dignitatis tam ſæculares; quan Eccleſiaſtici viri [nam feminæ prorſus excluduntur] doctrinam Chriſtianam cantantes procedunt. Hęc omnia fiũt, in noſtris Miſſionibus, ac fieri ſtatuunt earum Regulæ 11. & 12. ac Inſtructio num. 5. & 7.

8 Quot autẽ, & quales ſemper extiterint, & modo extent Miſſionum Fructus lõgiſſimum eſſet recenſere. Conſulantur noſtræ, & externæ Hiſtorię, Orlandinus, Trigacius, Maphęus, Acoſta, Luzena, uterque Guzman, Ribadeneyra, & noviſſimè Liber inſcriptus *Imago primi ſæculi Societatis Ieſu*, pręcipuè *lib. 6.* Euſebius Noriember *libris de vir. illuſt.* & *in ſuis Epedit.* P. Mich. Roman. Immo & Bullę Summorum Pontificum Pij V. Gregorij XIII. Pauli III. ac aliorũ pro noſtra Societate editę. Omitto uberrimos

mos fructus, quos in Miſſionibus Infidelium, eorumque, ac Hæreticorum converſione percepit Societas.

9 Sed liceat mihi hac in re inclyti Imperis Ferdinandi II. ſenſum proferre verbis, quibus iam iam moribundus in ſuo Teſtamẽto ipſe Succeſſoribꝰ ſic allocutꝰ: *Præ omnibus* inquit, *ſeriò, & ſummopere cum fervore, & zelo commendamus noſtris Succeſſoribus plurimùm venerandam Societatem Ieſu, eiuſque Patres, conſiderando quantum Eccleſiæ Catholicæ, nõ ſolùm in his noſtris Auſtriacis ſed in omnibus ceteris totius Chriſtianitatis Regnis, & Provincijs proſint, quantumque ſtudio, fervore, & fidelitate pro conſervanda, & plantanda ubique terrarum Religione Catholica præ ceteris omnibus laborent, & quod è contra huic perſerverſo, & ingrato mundo magis ſint odioſi, majoreſque perſecutiones patiantur, quàm quivis alij, & hinc etiam majori præſidio, & protectione indigent & merentur. Quod certè à noſtris Heredibus, & Succeſſoribus factum iri confidimus. Et hæc eſt noſtra inviolabilis voluntas, in cuius fidem ſimiliter hunc codicillum propria manu ſubſcripſimus, & noſtro ſigillo muniuimus, & per quoſdam noſtros Conſiliarios ſubſcribi curavimus, in noſtra Vrbe Viennenſi, 10. Maij 1621.*

10 Quot fructus in Europæ, aliarumque Fidelium Regionũ plagis percipiunt Noſtri excurſionibus his, experientia docet, ac experti teſtãtur, nullum miniſteriũ, ſeu miniſteriorũ congeriẽ aptiorẽ; & utiliorẽ his eſſe ſaluti animarum procurandę. Hinc Eccleſiæ Prælati ſuę gregis amore ardentes, ut ſuam exonerẽt conſcientiã, perpetuò Miſſiones pro ſuis Diœceſibꝰ à Superioribꝰ Societatis petunt, magnũ in eis ſolamen, fatiſfactionemque eſſe prædicantes: illud meritò ex Pauli III. ore uſurpantes: *Quantũ in vinea Domini fructuoſa opera Societatis Ieſu quotidie verbo, & exemplo in populo Chriſtiano attulerit, continuoſque labores, quos pro divini Nominis gloria, & exaltatione fidei catholicæ Preſbyteri prædictæ Societatis ſupportant, cordi noſtro provenit ſatisfactio.* Sic in Bulla anni 1549. quæ incipit; *Licet debitum*. De his omnibus ſcilicet Miſſionum Origine, Vſu, Dignitate, Miniſterijs, & Fructu latè egit P. Michael de San-Roman in libro nunc edito, ac inſcripto: *Expeditiones Miſſionum Societatis Ieſu.*

DVBIVM II.

Quænam ſit Iubilæi Miſſionum formula, & qualis eius promulgatio?

1 VBERRIMOS fructus, & egregia Miſſionum miniſteria Chriſti Vicarij agnoſcentes, tum Religioſis qui ad eas mittuntur, tũ Chriſti Fidelibus, ad quos mittuntur pleniſſimum Iubilęum conceſſerũt, à tempore ſaltẽm, Reverendiſſimi Patris N. Generalis Claudij Aquavivę, qui ab anno 1581. ad 1615. ſapientiſſimè Societatem rexit. Ad ipſius inſtantiam Paulus V. anno 1608. Ianuarij die 8. hoc Iubilæum ad quadriennium valiturum cõceſſit, (forſan antea aliud conceſsũ fuit) Ad idem tempus hoc etiam expedivit anno 1615. Auguſti 18. idem Pontifex ad inſtantiam R. P. N. Ferdinandi Alberi, Vicarij Generalis. Poſtea R. P. N. G. Mutius Vitelleſcus ab eodem Pontifice prorogationem huius Iubilæi anno 1619. Iunij. 1. obtinuit, ad ſeptenium, ſimiliterque á SS. D. N. Vrbano VIII. anno 1625. Decembris 20. Ac tandem idem Pontifex anno 1639. Iubilæum hoc ita conceſſit, ac prorogavit.

VRBANVS PAPA VIII.

VNIVERSIS CHRISTI Fidelibus &c.

11 *COELESTIVM MVNErum theſauros, quorum Diſpenſatores eſſe Nos voluit Deus, libenter ijs impartimur, quos pro ſua in Dñ, et Proximos charitate, & Chriſtianę Religionis zelo, animarum ſalutem omni ſtudio procurare intelligimꝰ. Quo in genere cum Societatis Ieſu Religioſos habeamus, eoſque in primis, quos dilectus Filius Mutius Vitelleſcus eiuſdem Societatis Ieſu Prepoſitus Generalis ad hanc cauſam hoc ipſo, & conſequentibus annis in diverſas Chriſtianæ Reipublicæ Provincias mittere conſtituit. Nos ſanè eorundem Religioſorum pietatem, ac operam, eorumque, ad quos illi mittendi erunt, religionem, & devotionem ſpiritualibus gratijs, prout alias per noſtras in ſimili forma Brevis expeditas litteras ad tempus iam elapſum fecimus, confovere, atque augere cupientes: eiuſdem Mutij Præpoſiti Generalis precibus humiliter Nobis ſuper hoc porrectis, inclinati, piamque illius, deliberationem, quantum cum Domino poſſumus promovere cupientes, de omnipotentis Dei miſericordia, ac B. Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis dictæ Religioſis mittẽdis, & alijs utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus, ad quos ipſi mittẽdi acceſſerint, noſtram, & Apoſtolicam benedictionem per præſentes impartimur: nec non eiſdem verè pœnitentibus, & cõfeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui pro S. Romanæ Eccleſiæ exaltatione, Principum Chriſtianorum unione, Infidelium converſione, hæreſum extirpatione, prout unicuique ſuggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, pro una vice dumtaxat, cõcedimus, & elargimur. Hortan-*

tes

tes venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & alios Eccleſiarum Dei Prælatos, & Rectores, ac Verbi Dei Predicatores, ut in ſuis quiſque Eccleſijs, cum populus frequentior 5 *fuerit præſentes litteras, ac omnia in eis contenta publicent, & publicari faciant, ac omnem eiſdem Religioſis favorem & auxilium in præmiſſis præſtent. Volumus autem quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici, ſeu dictæ Societatis Secretarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica cõſtitutæ, ſeu Præpoſiti Generalis dictæ Societatis obſignatis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtẽſæ Præſentibus ad ſeptẽnium tantùm valituris. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die XIII. Iulij M. DC. XXXIX. Pontificatus noſtri anno 16.*

3 Huius Iubilei tenor, idem eſt, ac aliorum quæ antea ſunt â Paulo V. conceſſa; itaque clauſulas alijs Iubilęis communes iam explicui in *hac Appendice*; ſingulares verò in ſequẽtibus Dubijs explanabo. Circa ipſi⁹ autem tranſumpti authoritatem, & fidem vide, quæ diximus Dub 6. 7. & 8. Trac. 3. Solùmque addam litteras has, ut fidem plenam faciant, non ſolùm ſubſcribendas fore â Notario, vel Secretario Societatis, aut Generalis, Provinciæ cuiuslibet, ſeu Provincialis Socij Societatis, ſeu qui in Societate Secretarius eſt; ſed etiam obſignandas ſimul (particula enim *Et*, utpote copulativa; 6 utrũq; expoſcit) ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica cõſtitutę iuxta Tr. 3. Du. 7. & 8. Quibus adde, quod Superioris Residentiæ in Societate ſufficeret ſigillum, ut arbitror, cùm ſit verè Prælatus, ut dicebamus Sing. 19. Tract. 4. num. 3. ac in Dignitate conſtitutus, iuxta doctrinam Tract. 3. d. 7. á num. 5. ac proinde eius munus ambire eſſet contra votum Profeſſorum de nõ ambienda dignitate, vel Prælatia.

4 Circa promulgationem huius Iubilæi nil ſpeciale proponendum occurrit, præter modum, quem in eo ſpecialiter promulgãdo obſervari iubent Cruciatæ Cõmiſſarij, ex quorũ licentia Iubilæorum promulgatio in locis, ubi Bulla conceditur, pendet, ſicque iſtam huius Iubilæi faciendam iubent. *Y damos licencia, y facultad para que puedan publicar y ganar las dichas indulgencias, con tanto que la publicacion ſe haga ſin ſolemnidad alguna de trompetas, atavales, ni pregon, mas que ſe pueda dezir en los pulpitos de las Igleſias y ponerſe para ello cedulas de mano, y no impreſſas, en las quales al principio ſe ponga, diga y declare, que las perſonas que ubieren de ganar las dichas indulgentias an de tomar, y tomen la Bulla de la ſanta Cruzada de la predicacion del año, los que aſſi las hubieren de ganar: porque de otra manera no las ganan, ni conſiguen.*

Circa praxim verò ob Operarijs noſtris ſeruandam in hac promulgatione, & Miſſionum introductione, regula generalis nequit aſſignari omnibus in locis, diverſus enim eſt promulgationis modus. In Villulis namque, pagis, ſeu parvis oppidis, ſimul atq; acceſſerint, ſive mane, ſive veſpere [oportunius autem erit veſpertinum tempus, ut ſe noctu Oppidani ad confeſſionem prępararent:] conſulto Parocho convocabunt populum campanæ pulſu, & utile erit per ſe, vel per alios oſtiatim monere Oppidanos, ut ad Eccleſiam mane, aut veſpere tali hora confluant, [aptãque aſſignent ut Ruſtici ex agro poſſint venire] ibique deſignata hora brevem, vel è ſella, vel é pulpito, aut ſtantes habeant concionem, in qua cauſam ſui adventus, Iubilęique maximam indulgentiam proponant, eoſque ad lucrandum illud, veramque confeſſionem faciendam, in qua omnia detegant peccata, quantumvis gravia turpia, & inveterata, immo, & in pluribus annis, & confeſſioibus occultata, ſuauibus, & efficacibus verbis, ac exemplis divinæ iuſtitiæ vindictam, & miſericordiæ veniam proponentibus, excitent, horam confeſſionum, & concionum ſequentes in dies aſſignando.

Si verò civitas, vel oppidum ſit copioſũ, & frequens, duobus diebus, aut ſaltim uno ante Dominicam, vel feſtivam diem accedere curent, ut in illis Ordinarios loci, ubi ſunt, aut Vicarios, aut Parochos, aut quos vis alios, tam Eccleſiaſticos, quam Sæculares, quorum authoritate, & favore opus habeant ad uberiorem Miſſionis fructum, vi ſitent, benevoloſque ſibi facere ſtudeant, ut Regula 7. Miſsionum pręcipit, & Religionum Prælatos: ſi qui inibi exiſtant, adeant.

7 Die autem feſto, convocato à nocte præcedẽti campanę ſigno, populo, inter ſolemnia concionetur unus ex Sacerdotibus miſſis, & ante concionẽm adventus ſui cauſã, et, voce tenus, Pontificias Iubilæi litteras declarabunt, vel quod ad rem magis erit, maximamque erga populum venerationẽ, & devotionem conciliabit, vulgari lingua tranſumptum Iubilæi legent, & in alijs Eccleſijs, ſi eo die aliquis cõcionetur ſchedula tradatur Concionatori, ut Miſſionem, Iubilęumque promulget; & in Eccleſiarum valuis, in plateis, aliiſque publicis locis Iubilæi notitia in papyro grandiuſculis caracteribus ſcripta affigatur. Conſonant hæc ijs, quæ in Miſſionum inſtructione

P.N.G. Claudius Operarijs miſſis. Sic *num.* 5. præſcribit.

8 *Quo die ad locum pervenerint, in quo ſubſiſtere debent procuretur quam primùm commoditas populi convocandi: convocetur autem mane, ac veſpere fiat q; exhortatio una, in qua primũ diſſeratur de neceſsitate Doctrinæ Chriſtianæ, & de malis, quæ peccato mortali adiuncta ſunt: ut ex eo intelligatur neceſsitas confeſsionis. Deinde exponatur cauſa, & finis adventus ipſorum, bona cum venia, & facultate Ordinarij, promulgeturque Iubilæum à ſua Sanctitate conceſſum, poteſtas abſolvendi, &c. atque hæc omnia Societatem noſtram ex inſtituto ſuo facere; cui convenit hoc munus doctrinę Chriſtianæ, confeſsionum &c. Significetur etiam nullum hinc lucrum quæri, nec pecunias, immo ferri ad ipſos munuſcula quædam rerum piarum. Nulli proinde ſe graves futuros, cum à Superioribus ſuppeditata eis ſint neceſſaria. Significent præterea horis matutinis audituros confeſsiones eorum, qui conſcientias ſuas ſublevare deſiderant: A prandio doctrinam chriſtianam tradituros feminis, & pueris, ac puellis; veſperi autem viris poſt ſalutationem Angelicam explicaturos. Hortentur itaque ut veniant, & domeſticos, ac familiares mittant, &c.* Hæc de prævijs ad Miſſionum Iubilęi dubia animadvertere duxi pro huius miniſterij gloria, & Operariorum inſtructione; ad alia iam procedamus.

DVBIVM III.

Quibus Religioſis ex Societate Ieſu concedatur Iubilæum Miſſionum: ubi an Fratres Scholaſtici, ac Temporales Coadiutores ad illas mitti poſſint: ac earum Iubilæum lucrari?

1 HAc in re dicendum eſt, non omnibus Religioſis Societatis hoc Iubilęum generaliter, aut ſpecialiter concedi; ſed ſolùm *Mittendis*, ex illis verbis, *Omnibus & ſingulis dictæ Religionis mittendis*, hoc eſt qui miſſi fuerint, dum Miſſionibus incumbunt; non enim ſufficit ad has aſsignatos vel etiam iter arripuiſſe, vel ad oppida perveniſſe; nam illorum in Miſſionum fũctionibus operam, & ibidem in Iubilęo lucrando diligentias Confeſſionis, Communionis, & Orationis requiri, ſatis declarant illa Iubilæi verba; *Nos ſanè eorundè Religioſorũ pietatẽ, ac operã, &c. ſpiritualibus fovere, atq; augere cupientes &c. Nec non eiſdem verè pœnitentibus, & confeſsis* &c. Et Miſsionis actus non dicitur perfectus, quando eſt ſolùm partim factus, ut iter, aut acceſsio; non autem incepta ſunt Miſsionis miniſteria, & diligentię; iuxta legẽ 2. *ff. de orig. iur.* Gonzalez *ad reg. Cancel. Gloſ. 63. num.* 31.

2 Secundò dicendum eſt, hoc Iubilæum concedi omnibus Societatis Sacerdotibus, non ſolùm ſolemniter profeſſis trium, vel quatuor votorum, ſed etiam ſpiritualibus Coadiutoribus, qui gradum certum, & ſpecialem in Societate obtinent, & ad ſpiritualia in Proximorum ſalutem exercitia dèſtinantur, iuxtà Bullam Pauli III. quæ incipit: *Exponi Nobis*, Iulij III. quæ incipit: *Expoſcit debitum*, & Gregorij XIII. *Aſcedente Domino*. Immo conceditur etiam omnibus alijs, qui poſt biẽnium tria vota Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ emiſerunt, cum hi iuxta Apoſtolica indulta veri Religioſi ſint oppoſitumq; aſſerere, temerarium, ac erroneum iudicetur à Suario tom. 4. de Relig. l. 3. cap. 3.

3 Tertiò dicendum eſt, hoc Iubilæum concedi Sacerdotibus Novitijs Societatis, (etiã ſi tria vota, quæ devotionis gratia ad primum probationis annum emittere ſolent; nõ emiſerint) ſi mittãtur, ut mitti poſſunt: apti enim ſunt ad omnia Miſſionum miniſteria exercendum. Ratio eſt, quia in favorabilibus Novitij ſub Religioſorum nomine veniunt *cap. Religio §. quamvis*, illiſque conceduntur omnes indulgentię, ac Iubilæa alijs Religioſis profeſſis conceſſa, ut probavi Tract. 4. dub. 3 & pro noſtris Novitijs exprimitur *in Comp. privileg. verb. indul. §* ult. ac probat Suarez *ſup. l. 10. ca. 6. num. 9.*

4 Quartò dicendum eſt, Scholaſticos, & Coadiutores ad Miſſiones mitti poſſe, eárumque Iubilæum pro mittendis conceſsũ lucrari. Probatur 1. quia Pontifex Societatis Ieſu Religioſos mittendos eſſe, illiſque Iubilęum concedi decernit; ait enim: *Omnibus & Singulis dictæ Religionis Religioſis mittendis*: non ſpecificando Sacerdotes, aut ſacris, aut minoribus initiatos. Nec Conſtitutiones noſtræ illos á Miſſionibus excludũt: *Nã Prepoſiti Societatis*, inquit Pars 7. *c.* 2 *§.* 1. *iuxta facultatem eis à Summo Pontifice conceſſam mittere quoſvis e Societate poterunt.* Et licet ibi in Declarationibus dicatur; *Mitti viros magis delectos, quibuſque magis confidatur, oportet.* Item: *Ad populum, ut plurimùm aptiores erunt, qui talento prædicationis, & audiendarum confeſſionum pollent*. Quia hoc ſolùm denotat, quod communiter fieri expedit, non verò quod ſi alij mittantur, Iubilæum non lucrabuntur. Præterquam quod Scholaſtici, & Coadiutores poſſunt alijs Sacerdotibus ex Societate adſociari, quibus Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ adminiſtratio

ac prædicationis munus incumbat. Sed hęc etiam fieri possent in Missionibus per alios Sacerdotes etiã Sæculares, unde ipsi Scholastici & Coadiutores sine Sacerdote Societatis mitti possent, licèt nec fieri soleat, nec expediat.

5 Probatur. 2. conclusio: Quia predicti, etiamsi nec prima tonsurâ initiati, exercere possunt plura ministeria Missionum propria, qualia sunt, quę in Regula 11. & 12. Missionum assignantur; *Exercitiorum spiritualium traditio, dissidentium reconciliatio, Christianę doctrinæ ad pueros, ac alios rudes publica declaratio. Corporalibus etiam pietatis operibus quantum spiritualia permittent: & vires patientur, incumbere poterunt, ut infirmos præcipuè in xenodochijs, iuvando, & pauperes, ac in custodijs detentos sublevando*: ergo hi mitti poterunt. Præterea, quia Gregorius XIII. in Bulla anni 1584. concessit, ut Scholastici Nostri: *Prima tonsura tãtùm insigniti, valeant Dei Verbum Populo ubique prædicare.* Quod concedi etiam Novitijs nostris probat Suarius *to. 4. de Relig. l. 9. cap. 1. n.* 18. & *num. 6.* & quod ex Bulla Pauli III. anni 1545. possunt etiam in Ecclesijs solemniter, seu inter solemnia prędicare, dum Episcop⁹, & Parochus annuant, seu non cõtradicant. Coadiutores verò licèt non ita; privatim tamen, seu non solemniter, quia ut ait Suarius *num. 19. Ad cathaceſim. & instructionem doctrinæ Christianæ, aut aliquid huiusmodi concio non est prohibita laycis, neque est per se indecens, præsertim Religiosis.* Hinc Regula 24. ex communibus hos monet, ut *Pro ratione sui gradus pijs colloquijs proximos ad bona opera promovere, præsertim ad confessionem excitare, studeant.* Sic in plurimis Occidentalium, & Orientalium Regionũ Missionibus Coadiutores nostri temporales simul cum Sacerdotibus versati sunt, & modò versantur: immo inter Infideles pro verbi divini prędicatione, quà plurimos ad fidem adduxerunt, sanguinem fuderunt suum.

Dvbivm IV.

Qui Religiosi Societatis mitti dicantur, ut Jubilæum lucrari possint?

1 DIcendvm est I. omnes illos ad hunc effectum mitti, qui iussu, vel facultate Præpositi Generalis Missiones obeunt. Sic constat ex Iubilæi Bulla, ubi: *Quos dilectus Filius Mutius Vitelleſcus Præpositus Generalis &c. mittere constituit.* Idem de Successore iuxta *p. 9. const. ca. 3.* & Bullas Pauli, & Iulij III. ac de Vicario, & Commissario Generali, ac Visitatore, de quorum potestate consule Suarium *sup. l. 2. cap. 2. num. 6.* Dicendum est, II. Superiores Societatis ex commissione nõ solùm Pontificis, sed etiam Generalis posse mittere, ut constat *ex p. 7. const. cap. 1.* ibi; *Sive à Summo Pontifice, sive à Superioribus Societatis per diversa loca mittantur.* Et in declarationibus *cap. 2. lit. B.* dicitur: *Ut potest Præpositus Generalis reliqua munera per se ipsum, & per inferiores, ita & hoc mittendi suos.* Consonat Ius commune *l. edicti ali. §. si verò plus. C. de secund. nupt. Paria sunt aliquid facere vel per se, vel per interpositam personam.*

2 Dicendum est III. Pontificis Legati, seu Nuntij Apostolici hanc etiam potestatem mittendi habent; cum in omnes Religiosos, etiam exemptos, iurisdictionem exerceãt intra suam Provinciam, *ex c. nimis. de excess.* & eis ut Papę obediendum dicatur *cap. si Abbatem, de elect. in 6.* De Vicario Põtificis, seu Vrbis idem dicendum, cum ille unicum cum Papa tribunal constituat plenaque potestate etiam in Regulares polleat, ex Bulla 21. Clementis VIII. quæ incipit: *Dilecto.* & 28. *Licet Ecclesiæ, ac* ac ex alijs Pauli III. vide Zechium *de Præl. cap. 2.* Qui verò ex nostris a Cardinalib⁹, Patriarchis, Episcopis, & alijs Prælatis Sæcularibus, vel Regularibus alterius Religionis mitterentur, Iubilæum non consequerentur, nisi à Pontifice, vel Societatis Superiore id eis commiteretur, vel ex præsumpta horum commissione illi mitterentur.

3 Dicendum est IV. Congregatio Generalis, cum magnam habeat potestatem in Societatem, ut ex Bullis, & constitutionib⁹ probat Suarius *l. 10. cap. 4. num. 3.* eligere, & mittere quoslibet ad Missiones poterit. Secus de Congregatione Provinciali, cum nulla propriè iurisdictio illi competat, ut ipse Suarius *n. 2.* docet. Præpositus verò Provincialis hanc potitur, ficque in suis Regulis c. 13. reg. 106. 112. ac 109. ubi; *Optimi quique & maturiores, ad proximos iuvandos quam cõmode fieri mittantur.* Eandẽ habet Vice Provincialis. Præpositi verò domus professæ. Rectores, & Superiores Residentiarum nõ adeò absolutam, & amplam habent, sed eã, quæ conceditur à R.P.N. Claudio in instructione pro varijs occupationib⁹ à Societate approbata ubi *§. 3. Possũt fieri Missiones ad loca vicina per duos, aut tres dies hebdomadæ.*

4 Vice-Præpositi, & Vice-Rectores constituti ob mortem, depositionem, renunciationem, aut longam, aut considerabilem absentiam Præpositi, aut Rectoris, eandem habent potestatem, sicut & iurisdictionem tum ex iure communi *l. 2. de offic. eius qui ge-*

rit vices: tum in alijs fere omnibus Religionibus, ut probant Collector *titulo vicarius §. 5.* Emmanuel *t. 3. q. 76. art. 1.* & Suarius *l. 2. cap. 2.* ac in Societate ſtatuitur, in formula Congregationis Provincialis in IV. Generali approbata: ibi §. 5. *Nomine autem Provincialis, Præpoſitorum localium, & Rectorum intelligantur etiam Vice Provinciales, Vice Præpoſiti, & Vice-Rectores, qui toto principalium Superiorum officio funguntur.* & §. 8. quod Ij plenè vices eorum gerunt. Miniſtri autem Societatis non habent iuriſdictionem mittendi ullo modo, cum Superiores abſolutè non ſint, ut docet Suarius *l. 2. cap. 2. num. 8.* Si verò hi, aut alij ad breviſſimum tempus triú, aut quatuor dierum ob modicam Rectoris, aut Præpoſiti abſentiam extra Vrbem, curam domus habeant, licèt abſolutè Noſtros mittere nequeant, poterunt tamen, ſi neceſsitas mittendi urgeat, ex præſúmpta ſui Superioris, vel Provincialis voluntate.

5 Sed ſi roges, an ſi qui à nullo Superiore mittantur, uti poſſint privilegijs, & Iubileo Miſſionum, cum hæc ijs concedãtur, qui à Superioribus aſſignati mittuntur? R. poſſe, cum ex præſumpta Provincialis, aut alteri⁹ Superioris licentia obire poſſint Miſſiones in pluribus caſibus, ut cum quis in aliquo oppido, ubi Societatis domus non eſt, ad tẽpus, vel longum, vel breve, negotiorum, aut ægritudinis, alia vé cauſa exiſtat. Tunc autem Miſſio abſque Superioris licentia fieri non dicetur, iuxta doctrinam Navarræ, Vivaldi, Sa, Armillæ, Valẽtiæ, Medinæ, Angeli, & aliorum, quos citat Sanchez *l. 7. ſum. cap. 19. num. 4.* Quod intelligendum, etiam ſi Superior adiri, facultaſque expoſci valeat abſque periculo in mora, ut cum DD. nõtat Sanchéz *num. 5.* Et huiuſmodi Miſſiones concedi Noſtris videntur in declarationibus *conſtitut. 7. cap. 2. §. 1.* ubi: *Particularibus autem ſecurius eſt, ſi cum Superiorum ſuorum obedientia, quam ſi pro arbitratu ſuo, (etiam ſi id poſſunt) & non ab ijs miſſi, proficiſcerentur.*

6 Idem dicendum, ſi á Superioribus miſſi alia ab aſſignatis loca pẽragrent ob rationabilẽ cauſam, v. g. quia in oppido aſſignato comperiũt paulo ante miſſionem factã fuiſſe, aut illius Incolas ita negotijs, litibus, ſeditionibus, aut occupationibus, &c. diſtractos, ſeu Parochos ita contradicẽntes, ut nullus, vel exiguus fructus ex noſtris miniſterijs ſperetur, tunc non eſt dubium, quin Miſſionum Iubilæum in alijs locis præter aſſignata promulgari, & lucrari valeat, ex præſumpta Superiorum & Pontificis voluntate. Hinc in regula 12. Miſſionũ dicitur; *Si in locis deſignatis diutiùs reſidendum erit, excurſiones aliquas facere, ſi eas cum fructu fore indicabunt, non erit inconveniens.* Idem exiſtimo, etiam ſi hæc oppidorum electio ab Operarijs facta, ſit omnino damnanda, & veræ obedientiæ, noſtroque inſtituto oppoſita. Ratio eſt, tum quia hi abſolutè á Superioribus miſſi ſunt, materialiſque videtur locorum aſſignatio, & *Religioſis Societatis mittendis* conceditur Iubileum, nec limitatur ad mittendos ad loca á Superioribus aſſignata; tum quia illis hoc conceditur laboris & miniſteriorum cauſa, quæ in præfatis Miſſionibus exercent: ergo cum hæc in illis non deſint, nec aliæ diligentię, illud lucrabuntur: ſicut etiam Fideles, qui illius diligentias exequantur; non enim credibile eſt, tunc velle Pontificẽ hos nullius culpæ reos indulgentijs iſtis privari: quę ab ipſo ſine limitatione ulla concedũtur *Omnibus Chriſti Fidelibus, ad quos ipſi acceſſerint.*

DVBIVM V.

An Religioſi omnes, Advenæ, Peregrini, ac commorantes in ſuburbijs, villis, & alijs locis oppido, in quo Miſſio fit, adiacẽtibus, illius Iubilæum lucrentur?

1 SIT concluſio; Omnes Religioſi Societatis, ac cuiuſcuius alterius Ordinis, etiam Novitij, ſi aliquam ob cauſam inveniantur, ſive ad longum ſive ad breve tẽpus, in locis, ubi fit Miſſio, vel ad illũ accedãt ex oppido, vel prædio vicino, aut diſtanti ad lucrandum Iubilæum, illud lucrabuntur, ſicut & reliqui Sęculares, qui ibi exiſtunt, aut inveniuntur: Omnibus enim Fidelibus conceditur, qui in loco Miſſionis diligentias huius Iubilæi exequantur: nec ſunt Religioſi deterioris conditionis, quàm Sæculares. Idem propter eandem rationem tenendum omnino eſt de omnibus Monialibus, etiam Ordinario loci ſubiectis.

2 Nec obſtat, quod aliqui Religioſi ſint infirmi, vel impediti, & quod Moniales ſint clauſæ, ita ut Religioſos noſtros Miſſionẽ obeuntes, nec Eccleſiam, ubi obeunt, adire valeant; quia non eſt neceſſarium, ut inſita ſtatuemus, Operariorum cõciones audire, cum illis confiteri, determinatam aliquam Eccleſiam viſitare: omneſque diligentias huius Iubilæi in ſuis domibus, aut monaſterijs exequi valent. Præterquam quod Regulares utriuſque ſexus poſſunt in ſuis Eccleſijs, domibus, vel valitudinarijs conſequi

qui Iubilæa, quę lucrantur in Eccleſijs alijs loci, ubi adeſſe contigerit, iuxta dicta Trac. 4. dub. 4. & 13. An Cruciata indigeant Regulares ad hoc Iubilæum lucrandum conſule Tract. 4. dub. 12. ex dub. 11. num. 5. conſtat, Operarios miſſos, ſeu Miſſioni incumbentes ea non indigere, docentque Emmanuel *addit. Bul. §. 12. num. 4.* & Laurentius à S. Franciſco *Theſau. notab. 9. num. 6.*

Advenas, Peregrinos, Vagos, Hoſpites, 3 & alios iter agentes per oppidum, in quo fit Miſſio, illius Iubilæum lucrari non eſt dubium; cum non minus ad hos accedant Religioſi miſſi, quàm ad incolas, cives, aut oppidanos: nec Pontifex hos ſolùm admittit, & illos excludit: ſicque lucrari ſimiliter poſſunt Iubilæa omnia oppidorum, in quibus ut Advenæ inveniuntur; immo ad hoc ſolùm ex diverſis locis ad locum Miſſionum confluere valent & ſæpe ſolent.

4 Degentes in ſuburbijs, prædijs, hortis, pagis, hoſpitijs, ſtabulis, caſtris, caſtellis, villis ac alijs locis vicinis, adiacentibuſque Vrbi, vel Oppido, in quo fit Miſſio, etiam ſi ad illud non accedant, probabile eſt Iubilęum hoc lucrari. Ratio eſt, quia omnes præfati, Cives, aut Oppidani civitatis, ſeu oppidi Miſſionis dicuntur, & revera ſunt, & nominatim ad aliquam illius populi Parochiã ſpectant: ergo omnibus eis conceditur Iubilæum, quod Civibus & Oppidanis cõceſſum eſt. Antecedens conſtat ex utroque iure. Ex civili Lex 47. de verb. ſig. ait; *Qui naſcitur in Caſtro. Vico, vel Municipio ſubdito civitati, cenſetur eiuſdem civitatis.* Et Lex 147. *eod. tit. Qui in continentibus Vrbis nati ſunt, Romæ nati ſunt.* Item Lex *qui ex vico, ff. ad municipal.* ubi Gloſſa: *Dicitur naſci in civitate qui in territorio naſcitur.* Item Lex 166. Lex 190. Lex *Alphenus l. Ædificia. de verb. ſignif.* & aliæ leges idem ſtatuunt. ac Franciſcus Marcus *de ceſſion. q.* 365. Tuſchus *verb. civitas*, pluresque alij rectè probãt, omnia prædicta loca ſub civitatis apppellatione venire, & illius veluti capitis membra partes eſſe. Idem ex Canonico Iure *cap. ſtatutum de reſcript. in 6.* & *cap. ſi civitas, de ſent. excom.* docent Canoniſtæ: Ergo, ſi omnes ſunt partes civitatis, privilegia, gratiæ, ſeu Iubilæa illi conceſſa, ipſis etiam eodem modo concedentur: *Cum omnia hæc tanquam acceſſoria, debent ſequi magis principale, ac illius privilegia*, ut loquitur Baldus, *apud Marcum ſup. num.* 3.

5 Secus in odioſis, ut tenent Baldus *in l. ſi in aliqua ff. de offic. Proconſ.* & Franciſus Marcus *ſup. num.* 25. tunc enim nomine *Civitatis* ſolùm *Vrbs* muris circumdata intelligitur, ſeu quę in murorum ambitu finitur, ut ſæpius ſic accipi teſtantur Oldradus *conſ.* 121. Menochius *conſ.* 498 *num.* 34. Tuſchus *ſup. conc.* 180. ac Rebuffus *in l.* 5 *de verb. ſign.* Et in utroque iure ſic aliquando ſumitur, ut *cap. ſi civitas. de ſent. excom. l. ſingularum. C. de ædific. priv. l.* 2. *ff. de verb. ſign. l. Papillus §. urbs. eod. tit.*

6 Neceſſarium autem non eſſe, ut prędicti accedant ad oppidum, in quo fit Miſſio, ut eius Iubilęum lucrentur, probatur, ex eo quod ad eius lucrationem neceſſum non ſit, Operariorum ſermones audire, illos alloqui, vel videre, aut cum illis confiteri, vel ab eis Euchariſtiã accipere, preces vel eſſundere pro Iubilæi fine in Eccleſia oppidi in quo fit Miſſio: has enim diligẽtias præſtare valent in ſuis vicis & territorijs, ac in eorum capellis, aut oratorijs, pœnitentiam, & Euchariſtiam ab alijs Sacerdotibus, etiã ſæcularibus, recipiendo, ut infra probabo. Præterea, quia Religioſi Societatis miſſi ad eos, eorumque territoria, aut habitationem accedere dicuntur moraliter, ſeu communi, ac humano loquendi modo, quatenus phyſicè acceduntad locum, ad quem reducuntur: nec neceſſum eſt quod ad omnes partes, vicos, domiciliaque loci, ubi fit Miſſio, accedãt, neque ad eius habitatores, cũ neceſſum non ſit quod hi: neque civitatis, ubi fit Miſſio, incolæ Noſtros videant, immo nec domum, ubi habitant, aut Eccleſiam, cui aſſiſtunt, etiam â longè adſpiciant ut Iubilæum lucrentur. Acceſſio ergo hæc moralis eſt iuxta eam Pſalmi 33. *Accedite ad eum, & illuminamini*; Acceſſione, ſcilicet, morali, greſſibus animæ, ac deſideriorum, & operum motu.

7 Eadem doctrina proportione ſervata tenenda eſt in Inſulis, Fluvijs, Mari, & Portibus Civitatis, ſeu Oppidi, in quo fit Miſſio; nam *Vrbis appellatione*, inquit Rebuffus *l.* 3. *de verb. ſignif. vel civitatis ſeu oppidi non venit mare, vel portus adiacens civitati in odioſis: diverſum eſt in favorabilibus per Gloſſ. ſing. in cap. ubi periculum §. Porro. de elect. in 6. & ibi Dominicus dicit, quod relegatus à Civitate nõ erit relegatus à portu Civitatis, quem Barba ſequitur in cap. Rodulphus nu.* 37. *de reſcrip. quia portus ſunt de iure Gentiũ publici §. Flumina. de rerum diviſ.* Hæc ille. Quid autem ſignificent, & contineant Suburbia, Hortus, Fundi, Caſtrum, Vicus, Pagus, Prædia, Villæ, Caſtella, Territoria, Portus, & alia loca Civitati, aut oppido principali ſubiacentia, conſule S. Iſidorum *l.* 2. *Ætymol.* & Rebuffum *in l.* 147. 198. 185. & *alias de verb. ſignif.*

DVBIVM. VI

V. Miſſiones fieri poſſint intra Civitates, & Oppida, in quibus domos, aut Collegia habet Societas IESV: in ijſque vim habeat Iubilæum hoc?

QVM his annis Miſsiones factæ ſint in hui⁹ Beticæ Provinciæ Vrbibus, & Oppidis, ubi Societas noſtra domos habet, Hiſpali præcipuè, Cordubæ, Granatæ, Giēni, & Aſtigi non ſine ingenti Epiſcoporum laude, ac omnium plauſu, frequentia, & fructu, nonnullos vidi hæſitantes, an hæ ſint propriè illæ Miſsiones, pro quibus hoc Iubilæum conceditur. Rationem dubitandi præbuit. 1. *Miſſionis* nomen: nam *Mitto* in unum locum eſt ex uno in alium proficiſci. Hinc caput 3. *p.* 7. *conſt.* in quo de Miſſionibus agitur, inſcribitur; *De libera ad hanc, vel illā partem profectione.* Et *cap.* 2. §. 1. dicitur: *Præpoſitus Generalis in huiuſmodi Miſsionibus curet, in ſuis ad hanc potius, quàm ad illam partem mittendis* &c. Et in declaratione ibi: *Mittere quocumque eis videbitur inter Fideles, etiam in Indos, & inter Infideles.* Confirmatur ex Miſſionibus Apoſtolorum, Mathæ, 10. ibi: *Cum perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam.* Lucæ. 10. *Ecce ego mitto vos, nolite portare ſaculum, neque peram, & nemini per viam ſalutaveritis* &c. *Miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem civitatem; & locum, quo ipſe erat venturus*: ergo Miſſiones fieri debent in loco diverſo, ab eo, in quo Miſſi hābitant, vel a quo mittuntur.

2 II. Quia Pontifex ait concedere Iubilęū ijs, ad quos Societatis Religioſi acceſſerint: *Accedere* autem ad alium, eſt ex aliquo loco diſtanti ad illum pervenire. III. Quia Miſſionum miniſteria non ſunt neceſſaria in locis, ubi habet domos Societas, cum ſine Miſſionibus ea in eis a Noſtris exerceantur, & utiliùs fient in alijs locis; ergo pro illis non eſt conceſſum Iubilęum iuxta Iuris axioma: *Actus diſpoſitio interpretari debet, ut videatur proviſum cauſæ magis neceſſariæ, & utili Ex l. 1. cum ex pluribus ff. de ſolut.* Bartol. *in l. tritic. ff. de verb. oblig. & in l, utile. C. de alim. pupil.* Menochius *conſ.* 195. *num.* 5. & alij.

3 Nihilominus affirmativa pars omnino tenenda eſt, probaturque ijs rationib⁹, quibus impugnatur, I. Nā ut verbum *Miſſio*, & *Mittere* verificetur, ſufficit, quod aliquid, vel aliquis mittatur de domo in domum, aut de perſona in perſonam. Sic David 2. *Reg.* 11. *num.* 4. cum de ſolario domus regiæ Bertſabem lavantem ſe ex adverſo vidiſſet: *Miſsis nuntijs ad eam, tulit eam.* Et infra; *Ipſa mittens nuntiavit ad David.* Et Math. 22. intra eandem civitatem: *Rex miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias.* Immo intra eandē domum datur Miſſio; ut Math. 27. *Miſit ad eum uxor eius*, Scilicet, Pilati; ergo etiam ſi Operarij Societatis ſint intra eandem civitatem convenienter in preſenti mitti dicū tur de domo Societatis ad Parochiam, & de una ad aliam.

4 Et licèt primariò, & per ſe Societatis Miſſiones iuxta ipſius inſtitutum, ſint ad loca, ubi Societas non reſidet; non tamen inſtituto repugnat, ut fiant in locis ubi reſidet. Hinc in declarationib⁹ conſtituti onū, quę eandem authoritatem, & vim habent, ac ipſæ, ut conſtat ex parte 6. *c.* 1. S. P. N. Ignatius *p.* 7. *cap.* 2 de Miſsionibus agens, ait: *Vbi magis debemus, ut in locis, in quibus domus, vel Collegia Societatis ſunt, vel aliqui ex ea, qui ſtudent, & beneficentia popul, iuvantur* [*ſi paria eſſent cetera quæ ad ſpirituale m perfectum attinent*] *magis conveniret aliquos noſtros Operarios verſari* [ſcilicet in Miſsionibus] *& huiuſmodi loca tandem ob cauſam iuxta ordinem perfectæ charitatis alijs præferri.* Vnde R. P. N. Generalis Mutius Vitelleſcus; qui noſtrum inſtitutū apprimè caluit, harum Miſsiouum, in noſtra Betica factarum conſcius, magnopere eas laudavit, ad earumque proſecutionem ſuis epiſtolis ardenter noſtros excitavit.

5 Ad Confirmationem R. Chriſtum Dominum Miſsiones: ſeu earum exercitia in locis, ubi morabatur, preſtitiſſe, ut in Capharnau *Math. & Lucę.* 4. & dum in Nazareth permanenter habitaret, ut notavit Chriſoſtomus *hom.* 3. *in cap.* 9. *Mat.* miſſum ſe eſſe dixit ad Nazareos, incepitque prędicationem illo *Iſaiæ* 61. ut teſtatur S. Lucas *c.* 3. *Spiritus Domini ſuper me propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem prædicare annum acceptum, & diem remiſsionis.* Aptiſsimum ſanè Thema ad promulgandam Miſsionem, illiuſque Iubilęum. Similiter de Apoſtolis, & Diſcipulis ſentiēdum, quī Hieroſolymis, Romæ, Antiochiæ, Achaiæ, & alijs in urbibus, ubi reſidebant, Regnum Dei evangelizabant, ut conſtat ex Actibus Apoſtolorum.

6 Ad 2. ſimiliter dicendum eſt, *Accedere*, non neceſſariò importare diſtantiam oppidorum eius, qui accedit, & illius ad quem fit acceſſus, ſed intra eandem urbem, & domum unus dicitur ad alium accedere: nam

significat *Appropinquare*. Sic intra eandem civitatem *Math.* 28. *Accessit ad Iesum Centurio rogans*, Et 27. Ioseph ab Arimathia *Accessit ad Pilatum*. Intra eandem domum Mat. 28. *Accessit* ad Petrum *alia ancilla*. *Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi*. Intra idem cubile, *Gen.* 27. Isac dixit Iacobo: *Accede huc, ut tangam te, fili mi* &c, *Accessit ille ad Patrem*.

7 Ad 3. Experientia manifestè ostendit ingentem, ac singularem fructum in ijs Missionibus percipi cum ea ministeria, quæ in illis exercentur, & ferventiora sint, quàm ea quæ communiter fiunt in nostris Ecclesijs: & quid peculiarius præ se ferant, quotidie docendo Doctrinam Christianam, ac frequentando crebras conciones, & conciunculas, in quibus & validis rationibus, & exemplis divinæ Misericordiæ, ac Iustitiæ peccatores alliciuntur ad pœnitentiã, ardentemque peccatorum contritionem, ad hæc penitus eradicanda; ad validè ac fructuosè cõfessiones, quę ob occultata diu peccata sacrilegę fuerant, eorum propalatione faciendas, aliaque similia, ad quæ non adeò frequenter, aut impensè hortari, attẽdereq; solent Concionatores extra Missionem.

DVBIVM VIII.

Quæ diligentiæ, & quo loco faciendæ sint ad lucrandum hoc Iubilæum Missionum?

1 IVBILÆI huius diligentię tantummodò sunt Confessio, Cõmunio, ac Oratio; alię verò Ieiunij, Eleemosynæ, auditio Verbi Dei, aut concionum, quas nostri Operarij pro Iubilæo promulgando, Doctrina Christiana edocenda, aut pro confessionibus benè conficiendis facere tunc solent, minimè requiruntur, ut aperte cõstat ex ipsi⁹ indulto dub. 2. allato. Circa Confessionem nil speciale occurrit addendũ ijs, quæ Tr. 1. dub. 12. tradimus. Notetur tamen, quod nullus ad lucrandum hoc Iubilæum tenetur confiteri cum aliquo ex Nostris, vel ex alijs, qui Missionem peragunt, sed sufficit confiteri cum quocumque Confessore Sæculari, vel Regulari, & cuiuscumque Diœcesis sit, qui habeat facultatem ad illum absolvendum: nec tenetur confiteri in ipso Missionis loco, sed sat est in quocumque maluerit, etiam alienæ Diœcesis.

2 Circa Communionem idem dicendum quod Tr. 1. dub. 12. statuimus, addendumq; est, non esse necessarium, quod hæc fiat in Ecclesia, in qua Nostri Missionis ministeria exercẽt, sed sufficere, ut sit in quacumque Regulari, vel Sęculari, immo & in Oratorio privato, aut in oppido vicino, etiam si sit diversæ Diœcesis: dummodò Oratio fiat in Missionis loco: solùm enim exigitur in Bulla, ut ij, ad quos Religiosi nostri accesserint, *Confessi, & sacra Communione refecti* preces fundant. Et â fortiori necessum nõ est, ut â Nostris Eucharistiam, lucraturi Iubilæum accipiant.

3 De qualitate precum, quæ fundendę sũt, consule quæ diximus Tr. 1. dub. 14. Solũm hîc superst animadvertendum, non esse necessarium, ut hæc Oratio fiat in Ecclesia, in qua Nostri Missionis ministeria exequuntur, vel in alia quacumque illius loci, dummodò fiat in oppido Missionis, sive domi, sive in templo, sive in quacumque alia parte sacra, aut prophana: non enim, sicut in alijs Iubilæis, exigitur in hoc, ut Ecclesia visitetur, ibique preces fundantur: sed solùm, ut oretur, sine determinatione, aut assignatione loci precum. Oratio ergo fieri poterit, & debet intra terminos loci Missionis, in parte, in qua verificetur Missionem ibi a Nostris fieri; Iubilæum enim hoc partim locale est, quia pendet â loco, ac in alio quam in loco Missionis lucrari non valet; & simul est personale, quia ad personas quomodocũque existentes in illo loco, & undecumque ad illum accedentes spectat. Vnde Moniales, ægroti, incarcerati, & omnes alij impediti, si in locis, ubi sunt, orent, absque dubio Iubilæum lucrabuntur. Attamen consulant Operarij, ut non impediti in Ecclesia, in qua Missionis ministeria ipsi exercent, Orationem, & Cõmunionem faciant.

4 Notandum verò est, eodem modo, quo exequi debent has diligentias Cõfessionis Communionis, & Orationis, omnes Sæculares, ac Regulares cuiusque Ordinis, debere etiam exequi eas Religiosos Societatis, qui in Missionibus versantur; ab omnibus enim Pontifex exigit easdem diligentias, ut illa ostendunt verba: *Omnibus, & singulis Religiosis mittendis, & alijs utriusque sexus fidelibus benedictionem impartimur; nec non eisdẽ verè pœnitentibus, & confessis* &c. Nam dictio *Nec non* resolvitur in copulativam, ut notãt Flaminius *de resig. l. 5. q. 6. num.* 22. & Gonzalez *ad Regul* 8. *Cancel. Glos. 3. num. 3. & Glos. 5. § 7. num.* 78. Vbi etiam dicũt, quod dictio hęc repetit omnes qualitates præcedentes. Idemque ostendit dictio *Eisdem*, cum sit relativa, & repetat Personas & qualitates in-

præ-

præcedenti diſpoſitione expreſſas. iuxta legem *A filio. §. teſtator. ff. de his, qui ſunt ſui, vel alieni iuris* & notant Vulpellus *de præpoſit. & adverbio ſig. dict. 1 p. 41. col. 2.* Tiraquellus *de retract. lig. § 1. gl. 5. num. 24.* ac ut loquitur Tuſchus *pract. concl. tom. 2. lit. D. conc. 288. nu. 1. Importat omnino eandem, etiam in diverſis caſibus, cenſuram, aut deciſionem.*

DVBIVM VIII.

Quando incipiat, & finiatur hoc Iubilæũ, & quoties lucrari valeat in eodem, vel in diverſis locis.

1 CIrca tempus, obſervare oportet Iubilæum hoc incipere in quolibet loco ab illa die, vel hora, in qua ad illũ Miſſionis cauſa accedũt Societatis Religioſi. Vnde ſi quis ante Miſſionis, & Iubilæi promulgationẽ publicã, ſeu ſolemnẽ, ut dub. 2. propoſumus, diligentiam aliquam ex faciendis, vel omnes exequeretur, dummodò ei conſtaret, iam Patres ad Miſſionem illuc acceſſiſſe; lucraretur Iubilæum; quia eo ipſo, quod iam ad locum illum pervenerint, eius habitatoribꝰ conceditur Iubilæum, ſi illius diligentias exéquantur, ut ex illis verbis cõſtat: *Et alijs utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus, ad quos ipſi mutandi acceſſerint.* Nec mentio illa ibi fit de promulgatione, vel ordine aliquo ſervando in diligentijs, antea, vel poſt faciendis, ſed de ſola acceſſione, ſeu pervẽtione: & ſepè, præcipuè in exiguis oppidis, nulla alia publicatio quàm acceſsio fit, cuiꝰ, & cauſę notitia habeatur. Conſulendum verò eſt ut diligentiæ ante publicam, quæ fieri ſolet, promulgationem, non fiant.

2 Sicut autem per acceſſum ad Miſſionis locum incipit Iubilæum, per receſſum ab eo finitur, ſi miſſi recedant animo non redeundi ad continuandam Miſſionem, nam ſi ob aliquas cauſas occurrentes interrumperetur Miſſio, vel potius eorum miniſteria, ut interrumpi poſſunt, etiam per multos dies, iuxta regulam 12. Miſſionis, perſeveraret in illis Iubilæum, dummodò unus ſaltém ex Operarijs ibi maneret, qui aliquo modò Miſſionem continuare, ſeu illi incũbere diceretur, licèt eius exercitia confeſſionum, concionum, & ſimilium non frequentarentur.

3 Quod verò ad aliud punctum attinet, reſpõdeo, in quolibet loco toties obtineri Iubilæum hoc, quoties diſtincta in eo Miſſio fit; quia pro qualibet Miſſione, ſeu diverſo, ad illam acceſſu Religioſorum noſtrorum, conceditur Iubilæum, & cum à Põtifice, non coarctetur, quod ſemel tantùm in oppido fiat Miſſio ſingulis annis, ſed bis, & ter fieri poteſt, ita nec quod ſemel tantùm obtineatur, ſed bis, aut ter poteſt obtineri, ſi duæ, aut tres Miſſiones, numero omnino diſtinctæ fiant.

4 Sed æquum eſt, ut in eodem oppido, vel civitate unica tantùm ſingulis annis fiat Miſſio, niſi ob illius magnitudinem diverſas fieri in eodem anno oporteat in diverſis Parochijs valdé diſitis; ut Hiſpali contingit. Et tunc ijdẽ, qui in una Parochia lucrati ſunt Iubilæum hoc, poſſunt in alia accedentes ad eam, iterum lucrari: etiam ſi immediatè ſequerentur lucrationes hę, & Miſſiones fierent ab ijs Religioſis una poſt aliam, immo ſi ſimul in duabus, vel tribus Parochijs intra eandem civitatem duæ, aut tres Miſſiones fierent, poſſet quilibet, ſive ex quacũque ex his, ſive ex alijs Parochijs, aut oppidis illud Iubilæum ter lucrari, ſi in eodem etiam die tres illas Parochias viſitet, aut in eorum termino ter oret; & ad lucrandum hæc tria Iubilæa unica Communio ſufficiet; verificatur enim tunc, quod in qualibet viſitatione, ſeu oratione ex tribus ſacra Communione refectus preces fuderit. A fortiori, qui modò in uno loco, ubi Miſſio fiebat, lucratus eſt, illud poteſt immediatè, ſi in alio proximiori loco illa fit, iterum Iubilæum lucrari & ſic plures in eodem anno, vel menſe, ſi in pluribus diverſis oppidis inveniatur, in quibꝰ Miſſio fiat.

5 Idem dicendum de noſtris Religioſis; qui toties Iubilæum hoc lucrantur, quoties in diverſis Miſſionibus inveniuntur. Religioſi etiam aliorum Ordinum, & Sacerdotes Sæculares, etiam ſi Miſſionum curæ, & miniſterijs cum Noſtris incumbant, toties etiam lucrabuntur Iubilæũ, quoties in eius diverſis Miſſionibus reperiantur: ſed non lucrantur, quatenus ſunt Miſſionum Operarij, ut Noſtri miſſi, ſed quatenus exiſtunt, ſicut ceteri Seculares & Regulares in Miſſionum locis, Iubilæique diligentias exequuntur.

6 Moniales verò, incarcerati, morbo oppreſſi, & alij qui, ut Eccleſiam vel Miſſionis locum adeant, ſunt impediti, toties lucrabuntur Iubilæum hoc, quoties in oppido, vel in Parochia, in qua habitant, fit Miſſio. Nec dictis obſtat, quod Põtifex in hoc Iubilæo dicat illud concedere, *Pro una vice dumtaxat*; nam ibi ſenſus eſt, quod unica tãtùm vice in unica tantùm Miſſione obtineri valet, hoc eſt, non bis, aut ter in eadem Miſſione, etiam ſi bis, aut ter fiant illius diligen-

diligentię. Præter hoc Iubilæũ, duo alia, 5. Cõmunionis generalis, & Doctrinę Christianæ in Missionibus aliquotũ dierum indici possunt.

DVBIVM IX.

Quibus facultatibus, & privilegijs præveniri, ac uti debent pro Missionibus, earumque Iubilæo Operarij nostri?

IN duplici differentia hæ facultates, ac privilegia sunt; alia ab Ordinarijs loci; à Superioribꝰ Societatis nostrę obtinendâ alia. De illis in sequenti dubio, circa hæc primum privilegium est absoluendi quoscumque Sæculares ab omnibus peccatis, & cęteris Episcopo, ac Pontifici reservatis, iuxta ea, quæ tradidimus Tract. 3. Sing. 16. Cũ autem ex vi huius privilegij non possint nostri Confessarij absoluere Excommunicatos generaliter ab homine, nisi á suis Superioribus specialem ad hoc licentiam obtineant, ut exprimitur in ipsis priuilegijs, curent ut ab ipsis concedatur, seu cõmunicetur; quia in Missionibus, præsertim ubi Bulla Cruciata nõ promulgatur, necessarium esse solet: sicut etiã privilegium omnibus nostris Confessarijs, independenter à Superioris communicatione in privilegijs nostris concessum ex Bulla Pauli III. edita anno 1545. *Commutandi omnia vota, exceptis ultra maximis, S. Petri, & Pauli de Vrbe, S. Iacobi in Compostella, Castitatis, & Religionis, etiam si iurata sint*, iuxta extensionem Gregorij XIII. in Bulla edita anno 1575. *dum non fiant in præiudicium Tertij.* Quę autem peccata, ac censuræ absolui, & quæ vota commutari valeant; & quæ non valeant ex vi huius privilegij, ac Cruciatæ, cõsule Libellum nostrum de Iubilæo duarũ hebdomadarũ, qui pro Missionibus obeundis valde utilis erit.

2 Qui extra Hispaniam Missionem facturi, communicari sibi á Provincialibus curent privilegium absoluendi extra illam ab hęresi in foro conscientiæ iuxta concessionem Iulij III. in Bulla anni 1552.

3 Curent præterea Operarij nostri, ut sibi communicetur à suis Superioribus privilegium à Gregorio XIII. concessum in Bulla anni 1582. quod. *Etiamsi Magisterij, vel Doctoratus, aut alijs gradibus insigniti non sint, possint aperire litteras sacræ Pœnitentiariæ destinatas Magistris in Theologia, vel in iure Canonico Doctoribus, & auditis confessionibus recurrentium ad ipsos, imposita illis pœnitentia in litteris expressa, vel de iure infligenda, eos absoluere, ac in foro conscientię, quascumque sibi verbo, vel scripto commissas absolutiones, dispensationes, & pœnitentiarum iniunctiones excipere, & exequi.* Ita habetur in nostris privilegijs *verb. Confessar.* §. 3. Huius privilegij usus aliquando mihi in Missionibꝰ occurrit. Frequentius verò usus privilegij ad dispensandum ad petendum debitum cum ijs, qui consanguineam suæ uxoris, vel consanguineum viri sui carnalitér cognoverunt; vel cum ijs qui post votum simplex castitatis matrimonium contraxerunt; de quibus privilegijs, ac eorum praxi plura diximus Tract. 9. à Sing. 2. ad 12. illisque uti non posse Nostros nisi á Provincialibus cõmunicentur constat ex Compendio *verb. Dispensatio* §. 8. & 9.

4 Privilegium illud, quod quatuor Bullis authenticis, quæ videri possunt in Compẽdio Mendic. *verb. Absolutio quoad Sæcul.* §. 16. 17. 18. & 19. innititur, conceditque *Facultatem ad dispensandum in omnibus votis, etiam Episcopo reservatis, seu in quibus potest Episcopus dispensare*, à suis Superioribus communicari Nostris necessum est, ut illo uti valeant, sic *verb. dispensat.* §. 10. Sicut ab ipsis cõmunicari necessum est illud à Gregorio XIII. concessum in Bulla anni 1579. quod Nostri *Missas per horam ante Auroram, & infrà horam post meridiem, itineris, vel alterius legitimi impedimenti causa celebrare valeant.* Consule *Tract. 1. dub. 11. n. 3.* Alijs privilegijs anteponendi, vel postponẽdi divinum Officium, recitandi ante Solis accasum, vel mane totum usque ad Completorium, liberé uti possunt Nostri absque ulla Superiorum cõmunicatione: immo & si privilegia abessent, ob Missionis occupationes sine ullo scrupulo his uti valerent.

5 Animadvertunt nostri Confessarij 1. Facultates absolvendi ab hæresi extra Hispaniam, ac dispensandi in petitione debiti, à Provincialibus tantùm, seu Vice-Provincialibus, aut Visitatoribus communicari posse; non verò à Præpositis, Rectoribus, Vice-Præpositis, Rectoribus, & alijs Superioribus localibus, alias vero hîc assignatas ab his possunt communicari. Sic in nostro Cõpendio, ac in eius prologo dicitur; *Reliquis Residentiarum, & Missionum Superioribus eorum Superiores, à quibus uel mittuntur, vel sub quorum cura, & directione viunt, eas ex sibi concessis facultates iuxta Constitutiones communicare poterunt, quas pro ratione locorum, temporum, & personarum communicandas iudicabunt.* Sed nota, quod, quando Residentia est quasi in choatio collegij, ac perpetua Nostrorum habitatio, eius Superior habet, & communi-

 nicare

nicare poteſt eaſdem facultates, ac Rector Collegij, iuxta Sing. 19, Tract. 4.

6 Animadvertant II. quod harum facultum conceſſio, ſeu communicatio facta á Generali, vel â Provinciali, vel Superiore locali durat uſque ad revocationem factam à Succeſſore. Sic in 7. Congregatione Canone 10. ibi: *Demortui Generalis Ordinationes, reſponſa ad Provincias, privilegia, particulares conceſſiones, eiuſque generis alia, eandē vim habent, quā vivo Generali habebant, donec à Succeſſore revocentur.* Et *Can.* 11. Idem de alijs Superioribus ſtatuitur, ut vidimus Tract. 4. Sin. 21. num. 5.

7 Vſus Altaris portatilis aliquando mihi in Miſſionibus neceſſarius fuit ad Euchariſtiam præbendum pro Iubilæo iſto, tum Ægrotis in Xenodochijs, tum detentis in carceribus, tum pluribus commorantibus in territorio, ſeu pago, a quo longè diſtabat Eccleſia, vel capella. Huius privilegium Miſſionarijs noſtris ita conceſſum â Gregorio XIII. in Bulla, quę incipit; *Dilecte Fili*, edita anno 1579 ibi; *Vſum Altaris viatici Societati veſtræ á felic. rec. Paulo Papa III. conceſſum: deinde a Concilio Tridentino univerſē ſublatum, vobis eatenus reſtituimus, vt inter Miſſiones, quæ à Superioribus fiunt, Presbyteri veſtri ſervata aliàs forma dictæ conceſſionis Miſſæ ſacrificium licitè ualeant celebrare ſuper huiuſmodi Altare ubique gentium, etiam in Caſtris militum, modo loca & ſi communia, & prophana; tuta, & honeſta ſint, & Generalis, aut per eum Provincialis Præpoſitus eo tunc utendum iudicaverint: itidemque poſſint ibi Preſbyteri ipſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum miniſtrare Fidelibus.*

8 Circa hoc privilegium rectè Paſqualigius *deciſ.* 53. *num.* 2. ait: *Ex quo fit quod in ordine ad hoc ceſſet auctoritas Epiſcoporum, quam habent ex decreto Concil. Trid. ſeſſ.* 22. *quo tribuitur facultas impediendi Regulares, ne celebrent in Altari portatili: cum enim Pontifex tali decreto deroget in ordine ad Miſſionarios, ceſſat etiam auctoritas collata per decretum.* Poſtea *deciſ.* 54. probat poſſe, etiam poſt Tridentinum, quoſcumque Regulares uti Altari portatili in quolibét decenti loco, niſi ab Epiſcopis prohibeantur: affertque *num.* 3. pro hac ſententia utrumque Rodriguez, Ledeſmam, Ioannem à Cruce, Lugum, Portelum, & Marchinum contra alios num. 1. ab ipſo citatos. Nota tandem, quod facultas, ac approbatio Provincialis pro Altari portatili in Miſſionibus erigendo, commiſſa, ac conceſſa ſupponitur Miſſionario, iuxta dicta Tract. 7. Sing. 34. num. 4.

Dvbivm Vltimvm.

Quas facultates a locorum Ordinarijs expoſcent Miſſionarij pro Miſſionibus obeundis, præcipuè ad ratificādum matrimonia nulla: & quomodo hæc ratificanda?

1 IN primis poſtulare debēt á Diœceſum Prælatis litteras, ſeu epiſtolas ſuas ad Vicarios, aut Parochos oppidorum, (in quibus Miſſionem ſunt obituri) eos exhortātes, ut Patres miſſos benigné ſuſcipiant, foveant, atque in omnibus adiuvent, ut ſua miniſteria rectiùs & liberiùs exequantur. His litteris, & alijs ad Miſſiones neceſſarijs præveniri debere Operarios noſtros innuit Conſtitutio *p.* 7. *c.* 2. §. 2. ubi: *In hoc ergo, ſicut in aliijs ſuarū, Patentiuris, aut Sedis Apoſtolicæ Litterarum, & in alijs rebus, quæ poſſint eſſe neceſſaria, prouidebit Superior.*

2 Facultatem item concionandi, & audiē di confeſſiones virorum, & feminarum; ac ſimiliter abſolvendi ab omnibus caſibus Ordinario loci reſervatis, commutandique omnia vota, necnō in illis diſpēſandi, quæ ipſe Ordinarius commutare, ac in quibus diſpenſare valet, niſi aliunde habeant Miſſionarij ex ſuis privilegijs iuxta dicta *dub. anteced.* ab eo expoſcent & in ſcriptis accipient. Animadvertant veró privilegium, in quo conceſſit Gregorius XIII. Bulla quę incipit: *Exponi nobis* &c. anni 1575. *Omnibus, & ſingulis Societatis Prædicatoribus, ac Confeſſarijs ab aliquo Ordinario ſemèl approbatis & a ſuis Superioribus ad huiuſmodi munera deputatis, ut quandocumque ſive mari, ſive terra iter fecerint, populos [non repugnantibus tamen Curatis Parochialium Eccleſiarū] prædicatione verbi Dei inſtruere, & quorumcumque Chriſti Fidelium confeſſiones audire (dummodo id non faciant in ipſis locis, in quibus Ordinarij exiſtunt; niſi eorum licentia deſuper obtenta) liberè, & licite ualeant.*

3 Circa quod ſapienter in noſtris privilegijs verb. *Confeſſ.* §. 2. ita obſervatur: *Qui è Noſtris mittentur fructificaturi in aliqua Diœceſi, & ſi in itinere poterunt, ſicut & reliqui Societatis Operarij, uti hac facultate, etiam intra eandem Diœceſim, ad quam deſtinati ſunt, per eam tamen excurrere non debent, antequam rectà ad Epiſcopum, vel eo abſente ad eius Vicarium, tendant; ſeſe offerant, & facultatem fructificādi obtineant, quod ſi longè abſint, petant per litteras.*

5 Facultas diſpenſandi in irregularitatib⁹, in quibus Epiſcopi diſpenſare poſſunt, nec

ab

ab ipſis expoſci, nec communicari ſolet Miſſionarijs. Expoſcenda verò ab ipſis, & procuranda eſt facultas ad diſpenſandum pro foro interiori in impedimentis matrimonium dirimentibus, in quibus Epiſcopi diſpenſare poſſunt: cum ſcilicèt iam matrimonium publicè contractum eſt, impedimentum eſt occultum, in thori ſeparatione ſcandalum intervenit, aut periculum in continentiæ, difficiliſque aditus ad Pontificem, aut ad Nuntium Apoſtolicum habentem poteſtatem ad diſpenſandum, propter inopiam; alias verò cauſas, iuxta ea, quæ docet Thomas Sanchez *l.2.diſp.40.a n.2.ad.8.* Hoc frequentiùs contingit cum vir acceſſit ad Sororem, aut matrem uxoris ſuæ antequam nuberent, aut ad fratris ſui filiam: [uſque ad ſecundum gradum hoc affinitatis currit impedimentum] vel è contra & ſine diſpenſatione contraxerunt: tunc autē cum nullum ſit matrimonium illud ratificari, aut perfici curabit Miſſionarius, diſpenſatione ab eodem accedente ex poteſtate ſibi a Prælato Coniugatorum commiſſa, quam ab eo poſſe delegari probat Sanchez *a num.13.ad.17.*

5 Vt matrimonium hoc ratificetur non eſt neceſſarium, ut impedimentum illud dirimens, aut nullitatem matrimonij in generali coniugi ignoranti declaretur, etiā ſi fieri poſſet abſque gravi periculo, ſed ſat eſt, ſublato impedimento, uxorem eius ignaram ita conſentire, ut velit matrimonium deinceps eſſe validum. Poteſt enim vir ea occaſione expectata, cum ſibi invicem placent, & concupiſcunt ardentius, uxori hęc, vel ſimilia verba dicere: (idem eſt de uxore erga virum) *Si mihi non nupſiſſes, nonne modo nuberes?* vel, *Nonne me ut ſponſum diligis, accipis, ac habes?* vel dicat ei, ſe ſcrupulis angi de ſuo matrimonio, & roget, ut conſenſus renovēt. Sic Caietanus *opuſ.* Rebellus *l.q.9. art.4.* & Bonacina *q 8.p.9.n.7.* ac hæc ſufficiunt, præſertim ſi ſequatur affectu maritali copula, ut notat Enriquez *l.11.cap.3.num. 9.* Si autem videat vir uxorem reſilire velle, negando petitum aſſenſum, inſtruat eam, ſine magno ſecuturo ſcandalo reſilire non poſſe; quia res occulta eſt & matrimonium ſemel confectum publicum.

6 Præterea neceſſarium non eſt, ut ratificetur coram Parocho, & teſtibus, quia hi iam adfuerunt externo contractui, & horum præſentia requiritur quando matrimoniū contrahitur ſecundum omnes partes; non verò quando ſupletur aliquis defectus. Sic Enriquez *cap. 3. num. 6.* Rodriguez *cap. 208.* Riccius *deciſ. 246.* Reginaldus *l.31.num. 133.* & Bonazina *n.15.* contra Doctores alios. Idem dicendum eſt de Benedictionibus nuptialibus, & alijs ritibus, qui ſubſtantiam matrimonij non attingunt. Vnde rectè Moure *3 p. §.8.num.2.* ait: *Si ob impedimentum occultum nuptiæ inveniuntur nullæ, amoto impedimento domi cel brande ſunt ſecreto inter ipſos ſolos contrahentes.*

7 Idem obſervandum, cum nullum fuit matrimoniū ex defectu cōſenſus alterius, aut utriuſque coniugis, vel ex impedimento iam ſublato, quodque proinde nulla tūc indiget diſpenſatione: v.g. quia uir ſecundò nupſit prima ſuperſtitete uxore, quæ iā emortua eſt cum matrimonium perficere intendit; vel quia illud contraxit, cum vel dubius de valore, aut certus erat de nullitate ſui; vel uxoris ſuæ baptiſmi, & iam hic ſub conditione, vel abſoluté iteratus eſt, ut debet iterari, ac poſt iterationem revaldari matrimonium, adhibito, ſi certò conſtaret impedimētum ab initio extitiſſe, utriuſque coniugis conſenſu, ut docent Doctores apud Sanchez *diſp. 3.* Qui ſufficienter adhibetur modo dicto num. 5. Sed admoneat Confeſſor pænitentem, ne cum uxorem habeat, aut periculo habendi ſe exponat ante predictam ratificationem matrimonij. An poſſit uxor, aut uir reddere, vel petere debitum cum dubius eſt de impedimento ante; uel poſt factam diligentiam, ut ſe a dubio expediat, conſule Bonacinam *q.9.p.4.* & Sanchez *l.2.d.41.num.41. & 46.*

8 Tandem notanda eſt doctrina aliquorum Doctorum, quam pro Miſſionarijs P. Michael de S. Roman *l.2.Expedit. cap. 9.* ita animadvertit; *Ego* inquit, *crederem, ſi ambo ignorent impedimentum, ſatius eſſe cum ſua bona fide eos relinquere. Sæpe confiterentur inceſtum, aut alia narrant, quæ obſtans impedimentum indicant, non tamen eo fine, ut eo liberentur, quaſi cognoſcerent ſtatum ſuum. Tunc quidem nulla aperienda eſt eis via, ut a tali nodo eximantur, ne inde maiora inſurgant incommoda.* Hæc ille, quæ intelligēda ſunt iuxta doctrinam Thomę Sā chez *lib.2.de Mat.d.38.*

FINIS TRACTATVS VII.

AD IVBILÆVM ANNI SANCTI: APPENDICIS

TRACTATVS OCTAVVS.

DVBIVM I.

Quænam huius Iubilæi inſtitutio, & ad Annum quinquageſſimũ, trigeſſimum tertium, ac denique vigeſſimum quintum reductio?

1 PRIMVM huius Iubilęi Authorem Polydorus Virgilius *lib.* 8. *de rerum.invent.cap.* 1. Florentius 1.*p.tit.* 10. *cap.* 3.§. 36. Ioannes Andręas, quem citat, & ſequitur Cordova *de indulg l.* 5.*q.* 11. & alij aiunt fuiſſe Bonifacium VIII. qui anno VI. ſui Pontificatus illud celebrari mandavit centeſſimo quoque anno, ut conſtat ex eius Extravaganti, *Antiquorum. de pœnit. & remiſſ.* &c. Sed antiquiorem huius Iubilæi inſtitutionem eſſe teſtantur Martinus Alfonſus *in Candelab.num.* 20 *de indulg.* & Gloſſa *ibi.* ſeu Gloſſę Author Ioannes Monachus, qui tunc Cardinalis erat; cuius hęc ſunt verba: *Quod autem Summus Pontifex non in anno quinquageſſimo, ſed in centeſimo indulgentiam iſtã concedere, [ſicut ego ex ore ipſius audivi] duplex ratio movit: primo quia vulgatum eſt, quod talis indulgentia in annis cẽteſſimis à Nativitate Chriſti olim concedi ſolebat.* &c. Conſonat Iacobus Sancti Georgij, *in velabro Cardinalis*, qui in *lib de Iubilæo*, teſtatur ad hoc Iubilæum anno 1300. lucrandum plurimos ex longiſſimis etiã Regionibus Romam tunc adiſſe. *Cuius rei*, inquit, *cauſam eſſe dicebant centeſimi anni tempus; & tunc provectæ ætatis hominem fuiſſe qui recordaretur, patrem ſuum ſuperiore centeſimo veniſſe Romam ad conſequẽdas indulgentias*, Conſule Zerolam *verb. Annus Sanct.* & Ioannem Triburgenſem *q.* 6. *de indulg.*

2 Poſtea Clemens VI. in Extravaganti *Vnigenitus, eod.tit.* ob multas rationes, ibi expreſſas, hoc Iubilęum ad quinquageſſimũ quemque annum reduxit & anno 1350. primo ſui Pontificatus, celebrari, & obtineri Romæ promulgavit. Ad hunc annum quinquageſſimum ab initio ferme naſcentis Eccleſiæ reductum eſſe hoc Iubilæum, ſatis oſtendunt S. Nazianzenus *orat. in S. Pentecoſt.* S. Ambroſius *ſer.* 5. *in Pſal.* 185. S. Gregorius *lib.* 1. *moral. cap.* 11. *& lib.* 6. *cap.* 26. *& lib.* 15. *ca.* 7. S. Clemens 1. *lib.* 7. *conſt. Apoſt. cap.* 36. Refertur iuxta hos Sanctos, ac DD. ad Iubileum Hæbræorum, quinquageſſimo quoq; anno in Leviticо expreſſum, in quo ſecundum legis præceptum clangebant Sacerdotes tubis & remittebantur debita, ac peccata. De quo plura Marcus Antonius Sabellicus *lib.* 5. *Æneidos* 1.

3 Poſt Clementem VI. & alios ipſius Succeſſores, Vrbanus VI. *Prouidè conſiderans*, verbis utor Pauli II. in Bulla, quæ incipit: *Ineffabilis, &c. quod ætas hominũ amplius ſolito in dies laberetur pauciores, ac conſiderans quam plurimos eiuſdẽ indulgentiæ fieri participes, cum ad annum quinquageſimum propter brevitatem vitæ plurimi hominum min mẽ perveniant, & alijs non minoribus cauſis, annum quinquageſimum ad trigeſimum tertium reducens*, &c. Hoc indixit Iubilæum in anno 1390. & ſtatuit, ut deinceps de 33. annis in triginta tres annos Fideles illud conſequerentur. Secuti ſunt Vrbanum Martinus V. & Nicolaũ V.

4 Poſtea verò Paulus II. anno 1470. ad 25. illud reduxit, hocque innuit Bulla relata. *Nos igitur, &c. Ex præmiſſis & quibuſdam alijs non minoribus cauſis annum trigeſimum tertium huiuſmodi de venerabilium Fratrum eorundem conſilio, & ipſius poteſtatis plenitudine ad annum vigeſimum quintum reducentes, ſtatuimus, & ordinamus, quod perpetuis futuris temporibus annus Iubilæi de viginti quinque annis in 25. annos debeat ab omnibus Chriſti fidelibus frequentari, ac etiam celebrari.* Deinde Iubilæum indicit. Hanc Bullam edidit Paulus II. anno 1470. ſed morte præventus (nam obijt anno 1471) Iubilæum celebrare nequivit.

5 Pauli II. veſtigia ſectati ſunt alij Pontifices eius Succeſſores, uſque ad S.D.N. Vrbanum VIII. qui omnes Iubilæum hoc de viginti quinque annis in viginti quinque annos indixerunt. Et in primis Sixtus IV. Iubilæum iam indictum a Paulo II. innovavit, confirmavit, celebrarique iuſſit an-

no

no 1475. ut constat ex Extravaganti. *Quemadmodum*, edita anno 1473. Postea Alexander VI. Iubileum hoc publicavit pro anno 1500. Clemens VII. pro anno 1525. Julius III pro anno 1550. præcedētium Pontificū indulta pro hoc Iubileo memorans. Gregorius XIII. 1575. Horum diplomata invenies tom. 1. Bullarij Cherubini Laertij: Clemens VIII. pro anno 1600. & tandem SS. D.N. Vrbanus VIII. pro anno 1625.

DVBIVM III.

Huius Iubilæi formula edita à Sāctissimo D.N. Vrbano VIII. Quoad suspensionem Facultatum, & Indulgentiarum extra Romam.

1 QVM omnia huius Iubilei indulta a Sixto IV. & alijs Successoribus edita, similia feré sint, & molestum, ac inutile foret ea omnia húc transcriberé; formulam tātúm, postremo editam à SS. D.N. Vrbano VIII. proponendam, & explicandam eligam, utpote, quæ omnes clausulas contineat; quæ reperiri solēt in similibus Iubilæis, & reperien tur, ut existimo in proximè futuro, promulgando pro anno 1650. Si aliqua forsan in hac desiderētur, quæ in alijs inveniuntur, data occasione explanabūtur. Tenor igitur prędictę Bullæ sic se habet.

VRBANVS,

EPISCOPVS SERVVS Servorum Dei.

2 *QVM nuper Sancti Iubilæi celebrationem à vigilia Nativitatis D.N. Iesu Christi anni proximi vēturi inchoandam, & usque ad finem eiusdem anni duraturam universo populo Christiano de venerab. fratrum N.S.R.E. Cardinal. assensu indixerimus, ac omnibus utriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus & cōfessis qui B. Petri, & Pauli Basilicas, & S. Ioannis Lateranensis, ac B. Mariæ Maioris de urbe Ecclesias visitarent pleniss. mā omnium suorum peccatorum indulgentiam, remissionem, & veniam concesserimus, prout in nostris nuper desuper confectis litteris plenius continetur. Cupientes, ut Christianæ Nationes ex omnibus terrarum orbis locis in alma Vrbe nostra in fidei, ac Religionis unitate congregatæ, eodem pietatis, ac devotionis spiritu, Basilicas, & Ecclesias prędictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem Iubilęo, visitent, & frequentent. Multorum Romanorum Pontificum prędecessorum nostrorum exemplo adducti, omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones, ac facultates, & indulta absolvendi, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reservatis; etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, quibusvis Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, etiam S. Ioannis Hyerosolymitani, Domibus, Militijs, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, & Laicorum Vniversitatibus, & pijs locis, illorumq; Ordinibus, Capitulis, Conventibus; Magistris, Superioribus, quam quorumvis, etiam Mendicantium Ordinum Regularibus personis, coronisque, granis, imaginibus, & numismatibus ex metallo, seu quacumque alia materia confectis, tam singulariter, quam universaliter, per quoscumque Romanos Pōtifices prædecessores nostros, ac etiam Nos, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, aut aliàs etiam Imperatori, Ducibus, Regibus, & Principibus, vel alijs quacumq; alia mundana; vel Ecclesiastica dignitate, & speciali nota digna fulgentibus, etiam ad nostrum Iubilæi, aut alias quando, unque, & ex quibusvis causis, & occasionibus, sub quibuscumque tenoribus ac formis, ac quibuscumque clausulis, & decretis, etiā motu proprio, & ex certa scientia, ac aliàs quomodolibet concessis, Quorum omnium tenores, formas, de rogationes, & decreta præsentibus pro expressis haberi volumus, Apostolica auctoritate, & nostrorum Fratrum consilio, & assensu, ac Apostolicæ potestatis plenitudine suspendimus, & suspensas esse declaramus, easque, & ea eodem anno durante nulli prodesse, aut suffragari debere. Irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his à quoque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attētari. Quo circa per præsentes auctoritate Apostolica præcipimus, & mandamus ne interim aliæ, quam ut dicta a nobis prædicti Iubilæi indulgentiæ, sive publicè sive privatim quovis pretextu, ubivis locorum, & gentium sub excommunicationis eo ipso incurrendæ, aliisque ab arbitrio Ordinariorum infligendis panis publicentur, vel nuntientur, aut in usum demandentur. Non obstantibus &c. quibuscumque constitutionibus, indultis privilegijs, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac quibusque clausulis, & decretis, & ex quibusvis causis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & si in illis caveatur expressè quod sub similibus, vel dissimilibus suspensionibus, nequaquā comprehendatur, nisi de illis specialis, & individua mentio fiat; illis alias in suo robore permansuris, ad effectum præsentium hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceteraque contrarijs, &c. Datum Romæ, apud S. Petrum. Anno 1624. Sexto. Nonas May. Pontificatus nostri anno 1.*

DVBIVM. III.

Vtrum uxores abſque virorum ſuorum conſenſu poſſint Romam adire ad lucrandum Iubilæum hoc, vel an illos comitari teneantur, ſi ipſi adeant?

1 NEgatiuè quoad primum reſpondendum eſt: nullo enim modo hęc facultas conceditur vxoribus in hui⁹ Iubilęi indulto; licèt enim Pontifex teſtetur, ſe cupere, ut durante hoc Anno Iubilęi Baſilicas, & Eccleſias Romę pro illo aſſignatas Fideles viſitent, & frequentent; hoc intelligitur, ſalvo iure uniuſcuiuſque, & abſque præiudicio Tertij, & ſervato iuſtitiæ, ac debitæ obedientiæ ordine. Aliter Regulares, qui clauſuram profitentur, ut Carthuſſiani, & alij Monachales, ac Moniales ipſæ, immo & mancipia, & jj, qui in carceribus detinentur, ius ad eundum Romam allegarent, contra eos, quorum interſt, quod non eant. Tenentur ergo in his, & ſimilibus, & Religioſi ſuis Superioribus, & uxores viris ſuis obedientiam debitam præſtare; præſertim quoad cohabitationem & obſequium: nam ut ſtatuitur in *l. ſicut*, 48. *ff. de operis libert. Hæc cuius matrimonio conſenſit in officio mariti eſſe debet:* Ab hac autem cohabitatione, & obſequio, quæ iuris divini, & humani ſunt, ut probat Thomas Sanchez *lib.* 1. *de Matrimonio d.* 41. *à num.* 1. omnino deficeret uxor: & gravi ſe exponeret iacturę tum famæ, tum domeſticę gubernationis, quibus ex omni iure attendere debet.

2 Nec obſtat 1. quod viri abſquẽ uxorum conſenſu Romam adire poſſint in Anno Sancto, quia cum vir ſit caput feminæ iuxta Paulum *ad Epheſ.* 5. *& ad Corinth.* 11. ipſius eſt gubernare, & eligere domicilium, aut peregrinationem; non autem uxoris, quæ viri gubernationi ſubeſſe debet. Sic in ſimili Hoſtienſis, Abbas, Angelus, Sylveſter, Tabienà, & alij apud Sanchez *lib.* 1. *d.* 41. *num.* 5. & & ſi valde longa eſſet peregrinatio, & graviter nimis ferret uxor, ut vir eius Romam, v. g. iret ad lucrandum hoc Iubilæum, ſine ipſius licentia adire nequit ob cohabitationis obligationem, & alia incommoda non levia, quæ uxori ex longa viri abſentia oriri neceſſe eſt iuxta ea, quę Doctores apud Sanchez relatum docent.

3 Quoad ſecundum; utrum uxores teneantur Romam ire pro lucrando iſto Iubilæo, ſi viri eis præcipiant, ut eos comitentur? Ratio dubitandi eſt, quod ex una parte grauiſſimum onus ſit, adſtringi mulierem ad hoc iter; ex alia verò cauſa iuſta lucrationis Iubilæi cum obedientia coniugis eam adſtringere videtur: cum dicatur *in cap. una quæque* 13. *q.* 2. quod *Vnaquæq; mulier ſequatur virum ſuum, ſive in vita, ſive in morte.* Sed reſpondeo cum diſtinctione hac; ſi longum futurum ſit peregrinationis iter, & ex conſequenti aliquibus non levibus difficultatibus, & laboribus expoſitum, non tenebitur uxor virum ſuum comitari; ſecus ſi breve, & non adeo difficile. Sic in ſimili ex DD. Thomas Sanchez *l.* 1. *d.* 41. *num.* 8. Cui addo, quod etiam ſi brevis ſit peregrinatio, ſi adhuc eſt difficillima uxori, ob infirmitatem ſuam, ob prędones, quibus ſcatet iter, vel quia virum ſequi non valet ſine gravi detrimento, alias ve ob cauſas, non tenetur cum ſequi, ut ex ipſo Sanchez *n.* 3. colligitur, & ex Soto 4. *d.* 35. *q. unic. ar.* 1. *ad* 2.

4 Sed ſi roges, quantum debeat domicilio uxoris diſtare à Roma, ut dicatur longa eſſe peregrinatio, ad quam ipſa non teneatur? Reſpondeo, arbitrio prudentis relinquendum; nec ego dubitarem, quinquaginta, aut etiam quadraginta, vel triginta leucarum ſpatium longam conſtituere debili ſexvi femineo peregrinationẽ. Circa hoc conſule Iuriſperitos *in l. aut. longa peregrinatio, ff. de procuratoribus*: & animadvertas, quod ſi vir velit Romã ire, non ut ſtatim ad proprium domicilium redeat, ſed ut ibi ad tẽpus, v. g. ad tres, aut quatuor annos commoretur, tenetur uxor eum ſequi, etiamſi peregrinatio longa ſit, ut ex Abbate, Alexandro de Nevo, Henrico, & alijs docet Sanchez *ſup. num.* 10.

5 Idem proportione ſervata dicendum eſt de filijs qui ſub poteſtate patria degunt & præcipuè de filiabus, quibus ſine licentia parentum minimè licet, neque decens foret ſine illis Romam ire ad hoc Iubilæũ obtinendum; tum quia plurima, & graviſſima pericula honoris, & animæ ſeſe ſolent offerre in adeo longa peregrinatione; tum quia ſub mortali tenentur Parentibus obedire in rebus gravibus, ſpectantibus (talis hęc exiſtimabitur à Sapientibus) ad domus gubernationem, morum correctionem, famæque conſeruationem, & alia huiuſmodi, ut docent Toletus *lib.* 5. *ſummæ cap.* 1. *nu.* 6. Navarrus *man. cap.* 14. *num.* 12. Fagundéz *lib.* 4. *in cap.* 4. *præc. dec. c.* 4. *num.* 1. & omnes communiter.

SIN-

DVBIVM IV.

Vtrum Religiosi absque licentia suorum Superiorum possint Romam adire ad lucrandum Jubilæum hoc?

1 NEgativè omnino respondendum esse, satis constat tum ex ijs, quæ antecedēti Singulari dicta sunt, tum ex alijs fundamentis. Primū est: quia nullo modo conceditur hæc licentia Regularibus in Bulla huius Iubilæi, ut ex ipsa patet: ergo si ipsi illam non habent à Pontifice; debent habere a suis Superioribus; alioquin si sine illa decedāt, ut obedientię transgressores ita puniendi sunt, ac si aliud iter sine licentia aggrediantur. Cō firmatur ex Glossa *in Extrav. Antiquorum de pœnit. & remiss.* in qua Bonifacius VIII. Fidelium animos ad huiusmodi Iubilæum non minus, quàm D. N. Vrbanus VIII. solicitat: Glossa tamen supponit, non concedi Regularibus facultatem Romam ad eundi pro hoc Iubilæo obtinendo.

2 Fundamentum 2. Quia etiam si esset de hac Pontificis facultate dubium, cum Prælatus per votum obedientiæ voluntatem Subditi possideat, melior debet esse conditio Prælati, iuxta illud: *Melior est conditio possidensis, l. si debitor. ff. de pign. l. is qui destinavit. ff. de rei vend. c. pro possessore 36. de reg. iuris. l. 6.* ubi Tiraquellus *de iure primog. q. 17. opin. 11. num. 20.* Surdus *cons. 73 num. 36.* & alij. Ergo &c. Tertium: Quia si Regularibus liceret absque licentia suorum Superiorum desserere Monasteria, & Romam adire, magna fieret iactura Cultus Divini, minister iorum circa salutem animarum, & disciplinæ Religiosæ, ut ex se patet, quod omnino ingratum foret Pontifici, & Iubilæū potius in detrimentum, quàm in lucrum animarum verteretur.

3 Sed Rogabis 1. an sufficiat in præsenti licentiam peti, licèt non obtineatur? Respondeo, minimè sufficere; cum enim petita, iustè possit denegari, necesse est, ut concedatur: atque tunc sufficit licentia petita, & nō obtenta, quando secundum ius debet à Prælato concedi, & ille malitiosè, iniustè, & protervè eam semel, & iterum requisitus negat. Sic ex cap. *licet. de Regul.* docet Thomas Sanchez *tom. 3. sum. lib. 6. cap. 7. a num.* 32. Enim verò in præsenti licentia iustè denegabitur ob rationes allatas, & alias, quas in unoquoque Prælati considerabūt. Nec hic habet locū licentia præsumpta Pontificis, vel Generalis Religionum: nullo enim modo hæc prudenter præsumi potest: cum peregrinatio hæc tot spiritualibus incommodis pateat. Quando verò adesse intelligatur hæc tacita, seu præsumpta licentia, vide Sanchez *sup. lib. 7. cap. 19. a num.* 4.

4 Rogabis 2. An expediat: quod facultas prædicta concedatur? Affirmativè respondet Glossa *sup.* tum propter indulgentiam maximam, quam lucrabitur Religiosus: tum quia *Actus peregrinandi*, ut loquitur Glossa, *compatitur secum omnia illa, quę sunt de essentialia Religioni, & ideo cum utrumque, Religio & peregrinatio sint maius bonum, quàm alterum tantum, scilicet observantia Religionis tantùm, &c.* Sed absolutè, & generaliter loquēdo non expedit, ut hęc licentia cōcedatur propter rationes dictas: hæc enim peregrinatio potius in spirituale detrimentum, quàm emolumentum Religiosorum erit. Id circo rectè ait Hyeronimus *in Epis. Summa stultitię est renunciare sæculo, dimittere patriā, & Monachum profiteri, & inter maiores populos vivere peregre*. Nec indulgentię plures, etiam plenariæ Regularibus deerunt, cum concessę Religionibus non suspendantur, & has non vagantes, intra claustra poterūt lucrari. Si verò unus, vel alter Religiosus ætate maturus, & virtute conspicuus hanc licentiam ex magna devotione peteret, præsertim cum non longé distaret ab Vrbe monasterium, ipsi concedendum existima rem: nisi alij ex hoc ansam sumerent ad petendum, vel aliud singulare incommodum appareret, quod Superiorum prudentiæ relinquendum est.

DVBIVM V.

A qua die, & hora Romæ incipiat hoc Iubilæum, & quousque duret?

1 SIc tempus assignatur à D. N. Vrbano VIII. *Cum nuper Sācti Iubilæi celebrationem a vigilia Nativitatis Domini nostri Iesuchristi anni proximi venturi inchoandam, & usque ad finem eiusdem anni duraturā, universo populo Christiano indixerimus.* Circa quod dubitari meritò posset: an in ipso met pervigilio Nativitatis obtineri valeat, ita quod hic dies includatur intra Iubilæi tempus? Aliquis negativè respondendum existimabit: cum dictiones istæ *A*, vel *Ab* regulariter excludant, & denotent terminum *à quo*, utpotè suapte natura exclusivæ, & separativæ, ut docent Tiraquellus, Rebuffus, Gratianus, Vulpellus, Riccius, Sigismūdus,

dus, & alij, quos cum decisionibus etiam Rotæ citat Augustinus Barbosa *dict.1. num.* 1. Hinc statutum illud, ut â pulsu campanæ quietis, vulgo *de la Queda*, de nocte nullus incedat cum armis, vel vadat per vicos sub certa pœna, intelligitur exclusivè, ideſt; post pulsatam campanam, ut notavit Gratianus *March. decis. cap.* 161. *num.* 23. & exprimitur in lib. 6. novæ Recopilat. *lib. 6. tit. 6.* & apud Lusitanos *lib. 5. ordin. reg. tit.* 79. *ibi: Depois do ſino de recolher.*

2 Ast affirmativè respondeo, ipsum scilicèt vigiliæ Nativitatis diem includi intra Iubilæi tempus, & in illo fieri posse diligentias ad obtinendum illud: quia hæ etiã dictiones; *Si materia ſubiecta poſtulaverit, vel natura contractus, aut mens diſponentium, aut favor, ſeu odium perſuadeant, vel ut evitetur abſurdum, vel correctio, ſtabunt incluſivè*: sic loquitur Barbosa *sup. num.* 2. & docent Tuscus *tom. 2. lit. D. concluſ.* 238. *num.* 7. Riccius *collect. deciſ. p. 2. collect.* 389. Cenedus *pract. qq. Singul.* 1. *à num.* 1. Tiraquellus *de retract. lig* §. 1. *gloſſa.* 11. & Gratianus *num.* 21. Quod locum habet præcipuè in re favorabili, ut notat Vulpellus *de propoſit. dict. A. num. 6.* Vnde statutum, ut à pulsu cãpanæ de mane quilibet possit incedere cum armis: vel exire, intelligitur inclusivè, ideſt, eo etiam tempore, quo durat campanę pulsatio. Cum autem favor sit non exiguus huius Iubilęi concessio, *Ly: A vigilia Nativitatis*, intelligitur inclusivé; Sicut cũ dicitur in alijs Iubilæis: *A primis veſperis*, tempus vesperarum etiam includitur.

3 Sed dubium adhuc non leve restat, an iuxta formulam hanc, *A vigilia Nativitatis* quæ etiam invenitur in Iubilæis Sixti IV. & Clementis VIII. incipiat Anni Sancti Iubilæum ab integro die Vigiliæ, an à primis vesperis vigiliæ, & sententiæ asserenti, quod ab integro die incipiat, favet communis loquendi usus, iuxta quem, sub Vigiliæ Nativitatis nomine integer dies, ante Nativitatem immediatus, comprehenditur, tam quoad ieiunium, quam quoad Officium Ecclesiasticum, quod à Matutinis incipit, & in Missæ celebratione, reliquisque Horis, usque ad Nonam occupatur; ut videre licet apud Rabanum Maurum *lib. 2. de inſtitut. Clericorum cap. 9.* Amalarium Fortunatũ *de ordin. Antiph. cap.* 60. & Gavantum *in Rubric. offic. ſect. 4. cap. 7.* & *ſect. 6. cap. 4.* Tum, quia favorabilius erit, ut â dimidia nocte illius diei incipiat, quàm quod á vesperis Nativitatis, seu vespertina illius diei hora.

4 Sed pro sententia asserente, quod incipiat á vesperis, quæ decantantur in pervigilio militant omnium ferè huiusmodi Iubilæorum formulę, quæ hoc exprimunt. Sic Paulus II. *Omnibus utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus, qui anno Domini* 1455. *incipiendo á primis veſperis vigiliæ Nativitatis Domini noſtri Ieſu-chriſti* 1454. *& ut ſequitur finiendo &c.* Idem etiam exprimunt Alexander VI. pro Iubilæo anni 1500. Clemens VII. pro anno 1525. & Gregorius XIII. pro anno 1575. expressit his verbis Iubilæi celebrationem proximè sequenti anno 1575. *A primis veſperis, quæ vigilia eſt diei feſti proximè futuri Nativitatis Domini Noſtri incipiendam, & per totum annum ipſum finiendam.* Et hùc attendisse videtur Bonifacius VIII. dum dixit, Iubilęum hoc inchoari *A feſto Nativitatis*, vel ut ex Vrbano VI. & Clemente VI. refert Paulus II. celebrari in anno *A Nativitate Domini*, cum *Nativitas*, seu festum Nativitatis Ecclesiasticum à primis vesperis, quę in vigilia ipsius decantantur, incipiat, ut probavi Tract. 3. dub. 3. Huic ergo sententiæ abhęreo, ut potè à Pontificibus ipsis approbatæ, qui in hac vesperarum hora portam Basilicæ S. Petri solemniter aperiunt, ut infra videbimus & à tempore apertionis Iubilęum incipere nulli dubium est, ut videre licet apud Navarrum *notab. 24. num.* 2. & Zerolam *verb. Annus S.*

5 Sed si roges, cur incipiat ab hoc potius, Natiuitatis festo, & die 24. Decembris, quã á festo Circumcisionis, quod dies primus est totius anni? Respondeo, antiquum esse morem Romanę Ecclesiæ á die Nativitatis D. 25. Decembris, annum computare, & hunc eo die inchoari, secundum supputationem 72. Interpretum ex Eusebij Chronico probat Baronius *in martyrologio. 25. Decembris.* ex S. Augustino, Hyeronimo, & Iuliano; Origene, Iulio Africano, Epiphanio, Eusebio, Orosio Albino Flaco, & alijs: cum ergo festum hoc Nativitatis à vigilia quo ad Ecclesiasticos ritus computetur, ab hac inchoari debuit Iubilæum Anni Sancti, & finiri in sequenti vigilia, in primis ijsdem vesperis festi. *Ea tamen eſt diverſitas*, ut loquitur Filiucius *Tract. 8. de ſatisf. cap. 10. nu.* 250. *quod veſperæ initio anni dicuntur poſt apertionem portæ unde iam ab earum initio cepta eſt Iubilæus, at in fine dicuntur, antequam porta claudatur.* Vnde perdurat Annus usque ad finem vesperarum. Consonat Navarrus *notab.* 32 & 24. reputaturque pro uno, & eodem anno, quoad celebrationem huius Iubilæi à vigilia in vigiliam, ut ex verbis relatis Vrbani VIII. patet.

DVBIVM VI.

Quibus Ceremonijs hoc Iubilæum incipiat, Basilicarumque portæ pro illo obtinendo aperiantur?

1 EX sacris Ritibus, quibus Iubilæo huic initium datur, celeberrimi sunt ij, quibus Basilica S. Petri aperitur, Quam ceremoniam sic executurus testatur Alexander VI. pro hoc Iubilæo indicendo ad annum 1500. in Bulla, quæ incipit: *Inter curas*, edita anno 1499. *Omnibus, & singulis utriusque sexus Christi Fidelibus per universum Orbem constitutis nuntiamus, & declaramus ipsum Annum Iubilæi in vigilia & primis vesperis Nativitatis eiusdem D. N. Iesu Christi proximè venturæ inchoare; quo tempore portam dictam Basilicæ B. Petri, ceu tessimo quoque anno Iubilæi pro maiori Fidelium devotione aperiri solitam assistentibus venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio, ac maxima Prælatorum, Cleri & populi multitudine, propriis manibus aperiemus, faciemusque aperiri alias Basilicæ S. Pauli, ac Lateranensis, & B. Mariæ Maioris de dicta Vrbe Ecclesiarũ portas, etiam de more, Iubilæi Anno aperiri cõsuetas.* Eadem habet Clemens VII. in indictione Iubilæi huius ad annum 1525.

2 Porta hæc, quæ aperitur est Basilicæ S. Petri in Vaticano, quæ muro obstructa est, & adstantibus Pontifice induto cum suo pluviali, Cardinalibus, & Prælatis, qui in processione ex sacro Palatio cum candelis accensis venerant, post decantatos aliquos Psalmorum versiculos, ab Architectis in ictu oculi, murus diruitur, ablatisque lapidibus, ac ruinis, Pœnitentiarij induti presbiteralibus vestimentis, cum aqua benedicta Lauant postes portæ huius, & inter alias preces, dictas à Pontifice oratione illa: *Deus qui per Moysem famulum tuum*, &c. ponitur crux in manu ipsius, qui genu flexo ante portam sanctam intonat, *Te Deum laudamus*, & intrat, prosequentibus Cantoribus: *Te Dominum confitemur* &c. & post alias ceremonias incipiuntur per Pontificem vesperæ consuetæ Nativitatis.

3 Eadem die, & hora accedunt tres Cardinales ad alias tres portas Basilicarum, S. Pauli, S. Ioannis Lateranensis, & S. Mariæ Maioris, qui singuli singulas ceremonias exequendo, & preces decantando, ut præmittitur, singulas portas sanctas ipsarum Ecclesiarum aperiunt; sicque omnes per integrum Iubilæi Annum apertæ, & patefactæ reperiũtur, ut Christi Fideles eas visitent, in eisq; pro obtinendo Iubilæo orẽt.

DVBIVM VII.

Quæ, & quoties Ecclesiæ pro hoc Iubilæo obtinendo, Romæ sunt visitandæ?

DOmus amplę, causarum cognitioni destinatæ dicebantur olim Basilicę ut ex Plinio *in epistolis*, Cicerone *lib. 2. ad Atticum*, & Vitruvio *lib. 5.* constat; at pro domo, seu palatio Regio propriè usurpari, indeque ad Ecclesiam significandam transferri docent Doctores *ex cap. Non oportet. 43. q. 2. ap. omnes Basilicæ de Reb. dominis, 16. q. 7.* & Glossa *in Extravagante Antiquorum. de pœnit. & remiss.* ait; *Basilica propriè est Domus Regia, vel Palatium Regũ, sed modo per trãslationem dicitur Ecclesia, quia est Palatium Summi Regis.* Consule Eusebium *l. 2 hist.* & Baronium 18. *Novemb.* Hinc Pontifices sæpé in suis indultis & Iubilæis Ecclesias Basilicas appellant, ut appelare eas conspicimus in hoc SS.D. N. Vrbanum, *Qui B. Petri, & Pauli Basilicas, & S. Ioannis Lateranensis, ac B. Mariæ Maioris Ecclesias d. Vrbe visitarent*, &c. 1

2 Visitationis modum expressit ipse Pontifex dicens *§. 2. Quo ipso Iubilæi Anno durante omnibus utriusque sexus Christi Fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesiam Lateranensem, B. Petri, & Pauli Apostolorum, necnon S. Mariæ Maioris de Vrbe Basilicas semel saltem in die per triginta continuos, aut interpolatos dies, si Romani, vel incolæ Vrbis, si vero peregrini aut aliàs externi fuerint, per quindecim saltem dies devotè visitaverint, & pro ipsorum fidelium, ac totius Christiani populi salute pias ad Deum preces fuderint plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem, ac veniam concedimus.*

3 Huius explicationẽ vide apud Ioannẽ Monachum *in Glos. ad Extravag. Antiquorũ. de pœnit. & remiss.* & à num. 4. ad 49. notab. 33. apud Navarrum *de indul.* Iubilæum Gregorij XIII. exponentem: atque apud eundẽ invenies; Qui sub nomine *Romanorum, Incolarum, & Externorum, seu Peregrinorum* comprehendantur, necnon quomodo hæc dierum & visitationum continuatio, aut interpolatio sit intelligenda. Denique hic Doctor *num. 41.* circa ea verba *Semel saltem*, &c. ait: *At illa verba, qui quatuor Ecclesias semel saltem in die visitaverit, de proprio, & communi sensu eorum requirunt, ut visitatio earum semel in die fiat, tum quia dicitur in die, numero singulari, & non diebus in plurali; tũ quia adverbium semel adunctũ diei, significare videtur, ut uno, et eodem die fiat. Eadẽ ratione dicendum posse videtur, non posse quẽ duas visitationes eodem die facere ad effectum satisfaciendi duorum dierum visitationi.*

Hæc ille, aſſerens, ita declaraſſe Gregoriũ XIII. in ſuo Iubilęo, quod pro tutiori lucratione obſervandum cenſeo. Filiucius verò docet oppoſitum *trac.* 8. *p.* 3. *cap.* 10. *num.* 255: dicens; *Satisfacere eum, qui unam, atque alterã Eccleſiam viſitaret una die, & altera, vel tertia aliam, vel alias: ſic enim reſpondiſſe fertur Gregorium XIII.* Conſonat huic Ioannes Monachus *gloſ. ad cap. Antiquorum, de pœnit. & remiſſ.* ſubdens, ita declaraſſe Bonifaciũ VIII.

DVBIVM. VIII.

Quænam alia obſervanda pro hac Eccleſiarum viſitatione, alijſque diligentijs præſtandis, & an pluries hoc Iubilæum obtineatur?

1 CIrcunſtantiæ omnes, quibus viſitari Eccleſias has oporteat, videri poſſunt Tra. 1. dub. 14. & Trac. 6. dub. 4. 5. & 6. ac in libello noſtro de duarum hebdomadarũ Iubilęo *cap.* 6. & 7. Ex quibus colliges; quolibet huius Anni menſe, hebdomada, die, diù vèl noctù uiſitari poſſe has quatuor Eccleſias, ſive eadem die omnes quatuor, ſiue intermiſſis diebus, aut cõtinuatis. Viſitandæ tamen ſũt omnes Eccleſiæ à Pontifice aſſignatę; cum intentione ſaltem virtuali lucrandi Iubilęum; nec ſatis erit viſitare alias pro illis, niſi auctoritate Pontificis alicui in particulari aſſignentur, opuſque non eſt quod prę cedant confeſſio, & Communio, ait veró iuxta DD. in gratia ultima Iubilæi diligentia, vel ſaltem poſterior pars ultimæ in gratia fieri debet. Quod ſi concurſus viſitantium impediret ingreſſum, ſatis eſſet á porta vel cæmeterio uiſitare, ut tradidi Tract. 6. dub. 5. Hinc Bonifacius, VIII. ut *Ad Baſilicas accedant*, & Clemẽs VI, ut *Ad predictas Baſilicas, & Eccleſias accedere teneantur*, exigũt. Vnde rectè Filiucius *trac.* 8. *cap.* 10. *num.* 260. de hoc Iubilęo ait: *Quamvis pium ſit, & ſanctiſſimum ingredi eiuſmodi portas, tamen non eſt neceſſe ad Iubilæi conſecutionem, ſicut neque viſitatio ſeptem Altarium.* Adde etiam non eſſe neceſſariũ Eccleſias viſitare eo ordine, quo in Iubilæo aſſignantur, ſed primò viſitari valet Eccleſia S. Mariæ, & ultimò S. Petri, pro uniuſcuiuſque arbitrio.

2 In hac Eccleſiarum viſitatione preces fundendas exprimit Vrbanus, ac expreſſit etiam Gregorius XIII. Et licet alij Pontifices non ita declarent, innuunt tamen, dicẽtes, *Reverenter*, vel *Devotè viſitent:* nam *Devotio eſt*, ut inquit Ambroſius *lib.* 3. *de virg. noſtris conatibus excitanda in oratione*. Et de harum precum quantitate iam diximus *Tra.* 1. *dub.* 14. Navarrus *notab.* 32. *num.* 46. ait: *A fidedigno audiui, S. D. N. Gregorium XIII. cum prædictas viſitationes faceret, varijs, ijſque ſecretis precandi formulis uſum fuiſſe, quod ipſe quoque feci, & facio.* In qualibet Eccleſiæ parte, vel altari fundi hæ preces poſſunt, niſi aliud exprimatur, ut in Iubilæis Alexandri VI. & Clementis VI. ubi dicitur; *Eccleſias, earumque altaria maiora ſemel in die viſitari debere*; ideſt, altaria maiora Eccleſiarum: non enim exiguntur duæ viſitationes, altera Eccleſię, altera altarium, ſed dictio, *Què*, ponitur declarativè, ut de ſimili dictione, *Et*, docent Gõzalez *gloſſa* 3. *num.* 9. & 10. Surdus *deciſ.* 124. *num.* 9. Cenedus *ſingul.* 50. *num.* 12. Et ut ex Gutierrez *lib.* 3. *pract. q.* 13. *num.* 61. inquit Barboſa, *dict. Et. num.* 7. *Quando ponitur inter duo, quorum unum alteri ineſt, ambo in unum ſolvuntur*; Sic in præſenti.

3 Circa confeſſionem uerò nihil adendũ eſt ijs quæ diximus Tract. 1. dub. 13. à nu. 1. ad num. 4. Animadvertendũ verò eſt pro hoc Iubilæo, neceſſarium non eſſe, ut lucraturi illud, Romæ confiteantur: nam ubicumque ſufficiet, dummodò verificetur, quod Anno durante uerè pœnitentes, & confeſſi, Eccleſias viſitarunt. Communio denique non requiritur, quia non exigitur à Pontifice, ut nullus rationis capax quantumvis ad Communionem impeditus hoc Iubilęo privetur. Has denique diligentias, non poteſt Confeſſarius in alias etiam impeditis commutare, aut in eis diſpenſare: non enim hanc facultatem concedit Pontifex; ſicut in Iubilæo duarum hebdomadarum.

4 Non ſolùm ſemel, aut iterum, ſéd pluries, ſeu toties quoties viſitationes Eccleſiarum repetitæ fuerint durante Anno, obtineri poſſe Iubilæum hoc, ſentiunt Navarrus *notab.* 32. *num.* 46. Benzonius *dub.* 4. Naldus *verb indul. num.* 4. & Filiucius *ſup. num.* 261. Probatur: nam verba conceſſionis ſecundum propriam ſignificationem hanc interpretationem patiuntur, & Iubilæum, ut pote beneficiũ Principis, alteri nõ pręiudiciale, latiſſimé interpretándũ eſt: pręcipuè cũ iuxta Doctorum ſententiã indulgentia in tempus aliquod conceſſa viſitantibus aliquam Eccleſiam adquiri poſſit pluries ab eodem. Sic Paludanus *d.* 20. *q.* 4. *col.* 6. Angelus *indulg.* §. 4. Corduba *quæſt.* 33. *de indulg.* & plures alij. Conſule, quæ diximus Tractatu. 6. dubio. 6. & Tractatu. 7. dub. 8. Et hoc ęquè intellige de hijs, qui Romæ Iubilæum hoc lucrantur, ac de ijs qui extra Romam, ut Moniales, Eremitæ, Carcerati, & Infirmi; iuxta ea, quæ dubio ſequenti proponam.

DVBIVM IX.
Vtrum Romam adire impediti Iubilæum hoc lucrarentur?



1 IT prima concluſio: Omnes Moniales, Anachoretæ, Eremitæ, Carcerati, & Infirmi, etiam ſi Romã nõ adiſſent, lucrarentur Iubilæum editum pro anno 1625. S.D. N. Vrbani VIII. ut conſtat ex eius Bulla data Romę, 28. Ianuarij 2625. quæ incipit: *Pontificia ſollicitudo* & §. 4. ſic ſe habet: *Omnibus, & ſingulis Sãctimonialibus, necnon Anachoretis huiuſmodi, nec non utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus, tam Carceratis, quã Infirmis prędictis tantùm, & qui aliàs impedimentis longæ carcerationis, ac diuturnæ infirmitatis ceſſantibus ad hanc almam Vrbem pro theſauris ſpiritualibus huiuſmodi conſequendis venturi fuiſſent, verè pœnitentibus, & confeſſis, quod in eo is, ubi eos eſſe contigerit, pia Chriſtianæ pietatis, & charitatis opera iuxta formam ab Ordinarijs locorum, ſeu Sanctimonialium, & Anachoretarum, Eremitarumque huiuſmodi Superioribus, vel de eorum mandato à prudente Confeſſario, in alma verò Vrbe á dilecto filio noſtro Vicario ſeu eius Vice gerente tantùm præſcribenda, pro cuiuſlibet ſtatu, ac conditione, ac loci, & temporis ratione habita exercendo, & alia noſtris in literis indictionis Anni Iubilæi contenta adimplendo, omnes, & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones, etiam pleniſſimam conſequentur, ut conſequi poſſent, ſi in hoc præſenti Anno Iubilæi, diebus ad id ſtatutis, quatuor ad id deputatas Baſilicas, & Eccleſias almæ Vrbis, & extra illius muros, pro quibus viſitãdis Iubilæũ, & indulgẽtiæ prædictæ cõceſſæ ſunt, perſonaliter viſitarent, & eorum quilibet viſitaret.*

2 Circa quam conceſſionem notandum eſt I. hanc factam fuiſſe non pro Italiæ ſolùm, ſed pro totius Orbis Monialibus ſub quocumque regimine ſubiectis; pro Anachoretis, & Eremitis, Carceratis, & Infirmis ubique terrarum, ut §. 3. magis expreſſum fuit: *Vtriuſque ſexus Chriſti fideles* &c. *non ſolùm in alma Vrbe noſtra, & Italia, ſed alijs etiam Regionibus, Prouincijs, & locis reperiantur.* II. Sãctimonialium, & Eremitarũ, & Anachoretarum Novitios in hac conceſſione comprehendi, ſentio; cum in favorabilibus ſub nomine Religioſorum cõprehendantur. III. Non eſt neceſſarium, quod hi prædicti tunc, aliàs ituri eſſent Romam ad Iubilæum conſequendum.

Noto IV. Quod Eremitæ in præſenti intelliguntur, qui vitam religioſam profitentes in ordine vivendi à Papa, vel ab Epiſcopo approbato, ſub obedientia Prælati degentes, perſonæ Eccleſiaſticæ reputantur, foríque & Canonis privilegio gaudent, de quibus *in cap. unico de exceſſ. prælat. in 6. & in cap. qui vero 16. q. 1.* & ex ijs quidam ſunt Anachoretæ, ideſt: *Solitarij apud deſertum procul ab hominibus vitam degentes. Alij Cœnobitę in congregatione viventes.* Et vtriſque Eremitis concedit Pontifex hoc privilegiũ, non alijs, qui Eremitarum nomen ſibi arrogãt, & vel per mundum hinc, inde vagantur, vel qui in medijs populis habitant: nam cũ hi vitam hanc ſolitariam, vel contemplativam non profiteantur, ſed externis alijs miniſterijs in Vrbibus ſe occupent, eos Põtificis ratio non comprehendit, ob quam priores excuſat, nimirum, ut *Supernarum rerum*, ſic loquitur Pontifex §. 2. *contemplationi ſecuriùs vacent.* Et quia ut infra addit: *Tam ipſi quam prædictę Sanctimoniales perpetua vivunt clauſura manc pœnã.* Cõprehenduntur, ſeu exprimũtur in hac excuſatione Cartuxiani omnes, Benedictini, ac Baſiliani, & alij Religioſi, qui in deſertis vitam Eremiticam, ſolitariam, aut contemplativam in aliquibus Monaſterijs, vel Eremitorijs profitentur, & de quibus in Cõcilio Calchedonenſi *cap. 4.* dictum eſt *Qui verè, pureque ſolitariam eligunt vitam, digni ſunt convenienti honore*; igitur omnes pertingit huius Iubil. privil.

4 Secus eſt de alijs, qui Eremitæ Sæculares ſunt, ſive uxorati, ſive nõ uxorati ſint; etiã ſi votum caſtitatis emiſerint, & in Eremitorijs prõcul ab oppidis habitent: de his enim non loquitur Pontifex: cum nec clauſuram profiteantur, nec Superiorem abſolutè habeant, & hi potius ſint, & vocentur *Pœnitentes*, ſeu *Conuerſi ſæculares*, ut ex Emanuele Rodriguez, Zavarela, & Greg. Lopez docet Hyeronimus Rodriguez *reſol. 61. num. 1.* De Eremitarum, & Anachoretarũ ſtatu conſule Emanuelem *to. 3. q. 49. ar. 4.* Suarium *t. 4. de Reli. lib. 1. cap. 2.* Bellarm. *li. 2. de Monac. c. 39.* Boerium *de vita Erem. n. 3. 22. & 23* & Siculũ *in Clem. cupientes. de pœnit.*

5 Nota V. Quod ut Carcerati, & Infirmi, lucrentur hoc Iubilæum, neceſſe eſt, ipſos intentionem habituros, ut ſi impediti non forent, Romam ad illud lucrãdum adirẽt, Sic expreſſit Pontifex §. 3. *Qui* ait: *& quę reſpectivè impedimenti huiuſmodi remotis pro percipiendis præſentis Anni Iubilæi fructibus ad almã Vrbem noſtram omnino venirent.* VI. Addo, quod ſi initio Anni huius aliquis ex his Carceratis, aut infirmis ſemel, immo & plures iuxta dicta lucrat⁹ eſſet hoc Iubilęum; a carcere, vel infirmitate poſtea liber, non tenebatur Romam ire: at exiſtimo in libertate in reſiduo Anni iterum illud non poſſe conſequi extra Vrbem

VII. Tam hi, quam Monîales, & Eremitæ debebant præſtare diligentias à ſuo Superiore, vel de ipſius conſenſu à Suo Confeſſario aſſignatas: in quas commutabat Pontifex, & Romanam profectionem, & Baſilicarum viſitationem. VIII. Omnibus his tandem hoc modo impeditis facultatem concedebat Pontifex ad eligendum Confeſſorem approbatũ, qui eos abſolveret ab omnibus cẽſuris; & peccatis, iuxta formã, qua concedi ſolet in Iubileo duarum hebdomadarum, & ego meo libello *a cap. 19. ad 23.* explicui.

6 Secunda concluſio: Omnes alij, ſive Regulares, ſive Seculares, ſive viri, ſive feminæ præter expreſſos, quocumque eſſent impedimento, etiam involuntario, & iuſtiſſimo, ac Reipublicę utiliſſimo detenti, ſi Romam non accederent, vel ad ipſam iter nõ ſuſciperent, iuxta dicenda dubio ſequenti, Iubileum hoc nõn lucrarentur: tum quia hos ſolùm excipiebat Pontifex, & exceptio firmat regulam incontrarium, tum quia non ſufficit velle diligentias requiſitas ad indulgentiam facere, ut hę proſſint, ſed ne ceſſum eſt reipſa facere; & ſi unica tantúm omittitur, etiam ex naturali oblivione, ignorãtia vel invincibili, impediméto, aut impotentia, indulgentia non contingit, ut cõmuniter docent Theologi, S. Thomas, S. Antoninus, Paludanus, Corduva, Reginaldus, Viualdus, Toletus, Nunius, Graphis, Valentia, Suarius, Conich, Bonacina, Enriquez, Bellarminus, & alij, quos refero in meo libello relato *cap. 4. num.* 1. Nec ſatis eſt diligentias, v. g. viſitationem Baſilicarũ & ſimiles per Commiſſarium facere, quia ſunt perſonales lucrantis Iubileum, ut cum alijs notat doctiſſimus Lugo *d. 27. de pœnit. ſec. 6. num. 6.*

DVBIVM. X.

Vtrum, qui poſt ſuſceptum iter ad Vrbem Romanam accedere non valuerunt, lucrati ſint Iubilæum hoc?

1 QVoad huius dubij partem ſic conceſſit. S. D. N. Vrbanus VIII. *§. 3. Quoniã evenire poteſt, vt ex his, qui hac de cauſa iter aggreſſi fuerint, vel ad Vrbem ſe cõtulerint, aliqui in via, vel etiam in ipſa Vrbe morbo, vel alia legitima cauſa impediti, aut morte præventi, finito dierum numero non completo, ac nequidem fortaſſe inchoato, præmiſſa exequi, ac Eccleſiam, & Baſilicas huiuſmodi obire nequeant. Nos piæ, promptæque illorum voluntati, quantum in Domino poſſumus, benignè favere capientes, eoſdem verè pœnitentes, & confeſſos prædictæ indulgentiæ, & remiſſionis participes, perinde fieri volumus, ac ſi Eccleſiam, & Baſilicas prædictas diebus á Nobis præſcriptis re ipſa viſitaſſent.* Similem conceſſionem invenies in Iubileis Clementis VI. Gregorij XIII. Alexandri VI. & Clementis VII. Addunt tamen hi duo poſtremi; *Qui pro conſequenda indulgentia huiuſmodi poſt iter arreptum, vel poſt præparationem ad veniendum ad dictam vrbem per eos factam, impeditis legitimè fuerint, quominus ad eam ipſam Vrbem dicto Anno Iubilæi valeant pervenire, &c.*

2 Vbi notandum 1 quod etiam ſi quis unicam leucam, immo, & dimidiam, vel quartam partem illius ex itinere obijſſet, ſi inſtaret ibi impedimentum, vel mors ſuperveniret, Iubilæum lucraretur. II. Quod etiã illud lucraretur Romę degens, ſi in ea præpedit' iuxta dicta, Eccleſias, non viſitaſſet, dummodò intentionem habuiſſet illud lucrãdi. III. Nullam aliam pro ijs, & alijs, qui ut ſupra eſſent impediti diligentiã requiſitam fuiſſe, niſi quod pœniterent, & confitérẽtur, iuxtà dicta Dub. 8. & 9. quamvis etiã pteces fundere in Iubilæo aſſignatas tutũ conſilium foret; & ad has fundendas nec morbus, neque alia impedimenta obſtarẽt. IV. Quod ille, qui iter hoc non eſſet aggreſſus, haberet autem aggrediendi intentionem, ſi impediretur, non lucraretur Iubilæum, iuxta indultum SS. D. N. Vrbani: ſecus iuxta indulta relata Alexandri VI. & Clementis VII. & hoc ſatis conſtat ex huius Bullæ tenore, qui ſemper in legibus, & privilegijs eſt attendendus, ut probat Franciſcus Molina *de ritu nupti. lib. 1. cap. 2. num. 7.*

3 Rogabis, utrum pleniorem indulgentiã obtineant ij, qui ex remotiſſimis á Romana Vrbe Regionibus ad Iubilæum conſequendum, maximis cum laboribus, & expenſis accedunt, quàm ij, qui cum exiguis, & ex propinquis locis, vel qui ipſius Romæ ſunt Incolæ? Reſpondeo, quoad indulgentiam omnes eſſe æquales, ut docent Bonacina *d. 6. de indulg. q. 1. p. 5. num. 18.* & Filiucius *tom. 1. tra. 8. p. 3. cap. 6. num. 163.* cum omnes pleniſſimam conſequantur, eam ſcilicet, qua liberi omnino manent á quacumque, vel graviſſima pœna in purgatorio luenda; etiã ſi ſatisfactio nulla ex impoſitis à Cõfeſſore facta fuerit, nt cum DD. docet Suarius *de pœnit. ſect. 3. & 4.* Cum quo ſtat, quod eo plus gratię, & gloriæ quis mereatur, quo plus laboris, & expenſarum impenderit, ac plus devotionis habuerit. In quo ſenſu Bonifacius VIII. in ſuo Iubilæo dixit, *Vnuſquiſque*

que tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas amplius, & devotius frequentabit.

Sed si opponas Pōtificum stylū, hi enim
4 in Bullis concedunt ultra indulgentiam plenariam tot dies, vel quadragenas indulgentiæ: ergo illa non remittit totam pœnā. Verbis R. Corāubę *lib. 5. de indul. q 11. ar. 1. §. ult.* hoc ita fieri; *Tum vt sit abundans cautela propter opiniones supra positas, ideo manet stylus Curiæ, quando illæ opiniones vigebant; tum vt si causa indulgentiæ non sufficiens fuerit ad indulgentiam saltèm lucretur illos dies, vel quadragenas is, cui talis Bulla conceditur.*

DVBIVM XI.

Vtrum Romæ suspendantur omnes aliæ indulgentiæ durante Iubilæi Anno Sancto?

1 GEneralis indulgentiarum suspensionis clausulam dub. 2. posuimus, quę Romæ locum habere videtur ex §. 2. Bullæ Vrbani VIII. ubi præcipitur, ne, *Vbivis locorum, & gentium aliæ indulgentiæ, quam prædicti Iubilæi publicentur, aut in usum mādentur.* Dictio verō *Vbique locorum, & Gentiū*, cum idem sit, ac *Vbicumque, Vbique*; seu *Quilibet in loco* est universalis, & omnia loca cōprehendit, ut *in cap. ad honorem. de usu pallij.* notant Thuscus *tom. 2. lit. D. concl. 3. q. 1.* Vulpellus *dict. ubi, fol. 126.* ergo Romam non excludit: ergo in ea suspenduntur indulgentiæ.

2 Nihilominus has Romæ non suspendi sentio 1. Quia cum legis mens, & finis attendendi potiùs sint, quam verba, *ex l. scire. ff. de legibus l. nō aliter. de legat.* finis autem, & mens huius suspensionis sint, quod omnes extra Vrbem degentes omnibus indulgentijs privati, Romam confluant, minimè credendum est, Pontificem indulgentias obtinendas in Vrbe Romana suspendere hoc Annno; præsertim cū magis alliciantur Fideles Romam accedere pro his insuper cō sequendis simul cum Iubilæo.

3 II. Quia quidam Pontifices has non cessare expressērunt. Sic Gregorius XIII. *Indulgentijs Basilicarum; & aliarum Ecclesiarum Vrbis nihilominus in suo robore duraturis.* III. Quia cum tot laboribus, ac expensarum impendijs Peregrinis, & Externis stet Romæ accedere; par est, ut non solùm Iubilæi huius indulgētiam, sed etiam omnes alias, quas habent aliæ Basilicæ, & in stationibus alijsque vijs lucrari solent; & possint, si nō esset Annus Iubilæi, lucrentur: aliter deterioris esset conditionis hic Annus, etiam pro adeuntibus Romam, quam alij. Ita sentit Filiucius *Tract 8. c. 10. num. 251.* Quod intelligendum est; si Pontifex aliud non expresserit.

4 Nec obstat dictio, *Vbivis gentium*: nam hęc intelligitur de loco idoneo, sicut de dictionibus, *Vbique*, & *Quilibet loco*, observat Tiraquellus *de retract. cog. §. 1. glos. 7. num. 30.* & cū Tuscho *sup.* notat de dictione *Vbicūque* Barbosa. Hæc igitur limitatur, cum profertur, ex materia, quæ per alia iura est restricta ad quędam loca, ut in præsenti per rationē huiu indulti est restricta hæc suspensio ad omnia loca, scilicet, extra Romam; in qua solemnior fiet celebratio Iubilæi, si non solùm ipsum, sed aliæ omnes indulgentię ab Incolis, & Exteris obtineantur.

5 Animadvertas tamen, non solùm obtineri has indulgentias, quæ sunt concessæ in omnibus Ecclesijs, Basilicis, Oratorijs, & alijs locis pijs intra Romæ muros contentis: sed, ut innuit Navarrus *notab. 33. num. 4.* quæ in suburbijs, vicis, pagis, prædijs, & alijs Romæ subiacentibus, & quę sub Vrbis appellatione comprehenduntur, iuxta ea quæ diximus Tract. 8. dub. 5. num. 4. Quoad facultates absolvendi idem dicendum, ac de indulgentijs. non enim illas suspendi intra Romam hoc Anno præfactæ rationes æquè persuadent.

DVBIVM XII.

Quænam Iubilæa, & indulgentiæ extra Romam in hoc Anno Sācto suspendantur, & an etiam suspendantur quoad impeditos Romam adire?

1 IN clausula huius suspensionis dub. 2 apposita cognosces, omnes & singulas indulgentias suspendi á SS. Vrbano VIII. Sed pro eius mente expendenda aliqua singillatim expendere oportet his conclusionibus. Prima sit: Per hanc Bullam suspenduntur omnes indulgentiæ plenariæ Fidelibus viuis absolutè, sive ad tempus, sive in perpetuum, & sive singularibus personis, sive Communitatibus religiosis, vel non religiosis gratuitó concessæ. Suspenduntur similiter plenariæ concessæ Granis, Imaginibus, Crucibus, Numismatibus &c. etiā in honorem Sanctorum v.g. S. Caroli Borromæi, & S. Ignatij

tij de Loyola, Xaverij, Philippi Nerij, S. Iſidori Agricolæ, & Thereſiæ: & quę conceſſæ ſunt ad inſtantiam Principum, ut quę ſunt in cultum SS. Euchariſtię, ac immaculatę Cõceptionis: & eę pariter, quas ad Procuratorũ Societatis Ieſu inſtantiã conceſſerunt Pontifices; ſimiliterque plenariæ conceſſæ recitantibus circulum Virgineũ, Horas Canonicas, Chriſti Coronam, vulgô Camandulam; aut alias orationes. Conſtat que ex praxi, ac exipſis Bullæ verbis, *Et ubi verba ſunt clara, non eſt opus alia interpretatione. l. imperator. ff. deleg.* 1. Cardinalis Seraphinus *Rota Rom. deciſ. 762. n.* 1. & Tuſchus *t.* 8 *lit. V. concl.* 108.

2 Hoc intelligendum eſt, etiam ſi clauſulas habeant harum indulgentiarum conceſſiones, dicentes, non revocari, niſi de illis ſpecialis mentio fiat. Sicut in Sũmario pro indulgẽtijs S. Caroli Borromęi ſtatuitur *num.* 7. *Y ſe entienda no ſer revocadas, ſino es que en la revocacion ſe hizieſſe expreſſa mencion de todos los capitulos ſobre dichos.* Tum quia hęc non eſt revocatio obſoluta, ſed ſuſpenſio ad tempus: tum quia expreſſè in hac Bulla ſuſpenduntur quæcumque ſub quibuſcumque clauſulis, formis &c. & cum clauſula: *Quorum omnium tenores formas.* &c. *pro expreſſis haberi volumus*, quæ tantam vim habet, ac ſi tenor eſſet inſertus, ut probant Ioſeph Seſſe *deciſ. 92. nu.* 15. Tuſchus *lit. C. concl.* 350. *num.* 3. Leo *Theſaur. p.* 1. *cap.* 13. *num.* 21. Farinacius *deciſ. 666. num.* 7. *tom.* 1 *p.* 2. Martha *p.* 1. *clauſ.* 123. *num.* 1. & alij.

3 Secunda concluſio; Suſpenduntur etiam omnia Iubilęa pro vivis conceſſa Altarib⁹, vel Eccleſijs, nec non pro quibuſcumque feſtivitatibus Chriſti D. B. Virginis, & Sãctorum, etiam Titularium, ac Fundatorum Religionum, v. g. quæ conceſſa ſunt pro die b⁹ S. Dominici, S. Frãciſci, S. Ignatij, S. Frãciſci Xaverij, & cuiuſvis alterius Sancti, vel pro quacumque alia Religione, occaſione intuitu & cauſa éius. Necnon ſingularia Iubilæa, quæ expoſuimus, Religionum, Miſſionum Societatis Ieſu: Communionis generalis ſaltèm quoad vivos, Portiunculæ, Quadraginta Horarum, Doctrinę Chriſtianæ, & ſimilium, quæ comprehenduntur ijs verbis: *Etiam ad inſtar Iubilæi, aut alias quomodocumque.* Hanc enim vim affert dictio: *Ad inſtar*, ut docent Tuſchus *tom.* 2. *lit. D. concl.* 296. & Barboſa *dict.* 142. *inſtar.* Et ut in præſenti inquit Navarr. *notab.* 26. *de indulg. nu.* 2. *Quod habet inſtar rei iudicatæ, virtutem habet rei iudicatæ, ut innuit. l. inſtar. C. de iure fiſci. lib.* 10. *Et privilegia conceſſa uni Academiæ inſtar privilegiorum alterius perinde valent, ac illius privilegia, ſecundum Baldum. l. omnia C. de Epiſc. & Clericis.*

4 Tertia concluſio; Omnes plenariæ indulgentiæ ſingularibus perſonis quomodo cumque conceſſę, etiam ſuſpenduntur ijs verbis; *Et tam ſæcularibus quam quorumvis, etiã Mendicantium Ordinum perſonis.* Sic Navarrus *notabili* 32. *num.* 3. explicans ſimilem ſuſpenſionem á Gregorio XIII. ſic factam: *Et alijs cuiuſque dignitatis, gradus & conditionis perſonis Eccleſiaſticis, ac ſæcularibus per univerſũ Orbem conſtitutis, etiam per modum communicationis, extenſionis*, &c. Additque hanc ſuſpenſionem, quoad perſonas, factam non fuiſſe á Sixto IV. in ſuo Iubilæo.

5 Addo, quod non ſolùm quoad non impeditos Romam adire, ſi non adeant, ſed quoad impeditos etiam iuxta dicta dub. 9. ſuſpenſio hæc indulgentiarum procedit: cum univerſaliter in eo ſuſpendat Pontifex indulgentias conceſſas: *Imperatori, Ducibus, Regibus, & Principibus, & alijs quacumque alia mundana, vel Eccleſiaſtica dignitate, & ſpeciali nota digna fulgentibus.* Et certum eſt ex his vel omnes, vel ſaltèm plurimos iuſtiſſimè impeditos eſſe; immo & procedere quoad poſitos in mortis articulo expreſſit Sixtus IV. Iubilæo ſuo. Nec obſtat, quod hi nõ poſſint Romam ire; & videatur ceſſare ratio legis; hoc enim vim non habet quando Legislator ſuam explicat mentem, ut in præſenti, exprimendo perſonas impeditas. Tum quia huius legis, vel ſuſpenſionis finis eſt non ſolùm ut maiori cum frequentia celebretur hoc Iubileum, ſed etiam ut omnes admoneantur ſe pendere à Romana Eccleſia, ut conſtat ex Bulla indictionis Iubilęi. Vnde licèt prima ratio in impeditis deficiat, non verò ſecunda: lèx enim ſi duplici nititur ratione, quamvis una deficiat, ſuſtinètur tamen deciſio propter alteram, ut *ex l. Affinitatis. inſtitut. de nuptijs* probat Vallaſcus *conſ. 6. n. 6.*

DVBIVM XIII.

Vtrum indulgentiæ non plenariæ, & ab Eccleſiaſticis Prælatis conceſſæ, ſeu concedendæ ſuſpendantur hoc Anno durante?

1 EAs nõ ſuſpendi probabile exiſtimo, & probo 1. ex Navarro, qui *notab.* 25. explicans ſuſpenſionem ſimilem a Sixto IV. factam ijs verbis: *Suſpendimus indulgentias omnes, & ſingulas, plenarias, etiam ad inſtar Iubilæi* & á Gregorio *XIII.* illis; *Suſpendimus*

dimus omnes, & quaſcumque indulgentias, plenarias, etiam ad inſtar Iubilæi: & coniungendo illud verbum plenarias, cum ijs: *Etiã ad inſtar Iubilæi*: nullo apice interpoſito aſſerit n. 1. & 2. non plenarias in his Iubilæis non ſuſpendi, ſicque ex Gregorij XIII. mente ſibi declaraſſe Mathęum Cõtarellum Datarium, virum in ijs Romanæ Curiæ rebus peritiſſimum.

2 Dubium ergo, quod exiſtit ſimile huius in Bulla SS. D. N. Vrbani VIII. ſtatuenti ſuſpendi: *Omnes & ſingulas indulgentias etiam perpetuas*, eodem modo decidendum exiſtimo præſertim cum ipſe SS. Vrbanus dicat, ſe *Multorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum exemplo adductum*, hanc facere ſuſpẽſionem. Prædeceſſores autem; præcipue immediatè, Sixtus IV. & Gregorius XIII. indulgentias plenarias ſolùm ſuſpenderunt, & expreſſiùs Clemens VIII. in Iubilæo anni 1600. dicens, *Omnes & ſingulas indulgentias plenarias: etiam perpetuas, & peccatorum remiſſiones, & c. ſuſpendimus*. Hanc ſententiam ſuſtinent Zerola *prax. verb. Annus S.* § 30 & Filiucius *tract.* 8. *cap.* 10. *num.* 251, Neque verba adeó univerſaliter loquentia obſtant; quia hæc quamvis generalia reſtringuntur ad habilia, ut ex *l. ut gradatim ff. de muner. & honor. l.* 1. *C. de ſacros. Eccleſ.* docent Menochius *de adipiſc. poſſeſ. remed.* 4. *num.* 755. Surdus *deciſ.* 112. *num.* 2. Franciſcus Molina *de ritu nuptiarum lib.* 3. *q.* 85. *num* 61. Habiles autem, aut propriæ indulgentiæ, de quibus in præſenti, ſunt ſolùm plenariæ, ut pote quę ab alijs Põtificibus ſuſpenſæ; & quę ſi non ſuſpenderentur, profectionem ad Romam retardarent, ac Iubilæi frequentiam minuerent.

3 Quod attinet ad Prælatos, plures ſunt, qui poſſunt indulgentias tam ſibi, quam alijs Regularibus, & Sæcularibus concedere, facultate à Summo Pontifice dimanante. Nam Legati, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi poſſunt concedere 40. dies intra terminos ſuæ iuriſdictionis; in Dedicatione verò Eccleſiarum unum annum; ut *ex cap.* 2. *de conſt. lib.* 6. *cap. cum ex eo. & cap. cum noſtro, de pœnit. & remiſ.* docent Doctores videndi apud Bonacinã *d.* 6. *q.* 1. *p.* 3. *a num.* 2. & hoc etiam ſi ſolùm ſint electi, & confirmati: immo & poſſunt committere hanc facultatem non ſolùm ſuo Vicario, ſed etiam cuilibet Eccleſiaſti eam iuriſdictionem habenti. Non poſſunt autem concedere indulgentias Capitulum Sede Vacante, Abbates, & alij Prælati Religionum, etiam Generales, vel quaſi iura Epiſcopalia habentes: niſi illis hęc facultas, quæ actus eſt iuriſdictionis extraordinariè à Pontifice, vel ab Epiſcopis committatur. Centum dies poſſe Cardinales Epiſcopos concedere teſtatur Zerola *prax. verb. Indulg.* nullas verò poſſe Cardinales non Epiſcopos ex Graphio, Valentia, Suario, & Cordova docet Bonacina *num.* 22.

4 Dicendum ergo omnino eſt, omnes indulgentias conceſſas, vel concedendas ab his omnibus Pontifice inferioribus, nullo modó ſuſpendi per hoc Iubilæum: quod expreſſit SS. D. N. Vrbanus VIII. dicens: indulgentias ſuſpendere *Per ſe, ac per Romanos Pontifices, ſuos prædeceſſores conceſſas*; ſcilicet immediate; ergo non ſuſpenduntur conceſſæ per alios Prælatos. Hac ratione ducti Doctores apud Trullench *in Cruc. lib.* 1. *§.* 9. *dub. num.* 5. docent, per revocationem á Commiſſario Cruciatæ factam non auferri indulgentias conceſſas ab Epiſcopis.

DVBIVM XIV.

Utrum ſuſpendantur in hoc Anno Sancto indulgentiæ conceſſæ in Cruciata, & omnes aliæ directé, vel indirectè pro Defuntis conceſſæ: ubi de Iubilæo Cõmunionis generalis ſingulis menſibus occurrenti, quoad Defuntos?

SVſpendi has Cruciatæ indulgentias per hoc Iubilæum exiſtimarunt Navarrus *notab.* 33. *num.* 3 Ludovicus Lopez *to.* 2. *cap.* 10. Fabrinus *de Iub. cap.* 21: ducti, ex eo quod omnes generaliter indulgentias ſuſpendit, etiam conceſſas ſingularibus perſonis, prout ſunt quę conceduntur ijs, qui Bullam accipiunt. Sed has non ſuſpendi omnino tenendum eſt, ut communiter tenent Doctores Enriquez *lib.* 7. *cap.* 21. *num.* 3. Rodriguez *in Bulla §.* 12. *dub* 6. *num* 8. Thomas Sanchez *lib.* 8. *de matrim. d.* 33. *num.* 10. Fernandez *ex am. the. p.* 3. *cap.* 9 § 10. Bonacina *deleg. d.* 1. *q.* 3. *p.* 8. *§* 3. *num.* 13. Portel *dub. Regul. verb. Bull. Cruci. num.* 2. Villalobos *to.* 1. *tract.* 27. *clauſ.* 12. *num.* 8. Salas *de leg. d.* 20. *ſect.* 10. Leon *tract. de Iub. p.* 1. *q* 6. *num.* 229. Zerola *de anno Iubilæi. lib.* 19. *q.* 2. & alij. Ac ita declaraſſe Cl. mentẽ VIII. in ſuo Iubilæo anni 1600. in quo eam clauſulam ſuſpenſionis, tam quo ad omnes indulgentias, quàm reſpectu ſingularum perſonarum invenitur; teſtantur Rodriguez, & Sanchez *ſup.* Additq; Diana 1. *p. tract.* 11. *reſolut* 97. ſibi D. Franciſcum de la Riva, Vicarium generalem Eminentiſſ. Cardinalis ab Auria, aſſerviſſe SS. Dom. Noſtrum Vrbanum VIII. ita etiam decla-

dèclaraſſe Commiſſario Cruciatæ pro hoc Iubilæo anni 1625.

2 Ratio eſt, quia privilegia Bullæ concedũtur per modum contractus, ut ex ijs verbis patet: *Torque dais tanta limoſna os concedo*, &c in hac autem ſuſpenſione, nec Pontifex facultatum per modum contractus cõceſſarum mentionem facit, nec eleemoſynam contributam reddi iubet, & utrumq; neceſſarium erat ad revocationem privilegij per modum contractus conceſſi, ut ex Azevedo, Suario, Bologoneto, Matẽzo, & Gregorio Lopez probat Sanchez *ſupra. num.* 8. & 9. addens: *Nec poteſt dici modica elee moſyna, quæ pro Bulla contribuitur: nã licèt unuſquiſque modicam tribuat, at tota ſumma, quæ quotanis pro Bullæ eleemoſyna cõtribuitur, excedit octingenta aureorum millia*. Igitur contractus hic ſubſiſtere debet, quia *Licèt contractus ab initio ſit voluntarius, ex poſt facto neceſſitatis, ut ex l. ſicut ab initio, C. de act. & obligat. l. in commodato. § ſicut. ff. de commod.* ac ex alijs legibus, nec nõ Doctoribus Tiraquello, Flaminio, Cardoſo, Tuſch. & Rota probat Barboſa *de princip. lit. C. num.* 57. Quod obſerva pro alijs facultatibus, & privilegijs Cruciatę.

3 Præterea per hoc Iubilæum non ſuſpendi indulgẽtias ullas pro ſolis Defunctis directè, & abſolutè conceſſas, mihi certum eſt, & Tractatu 1. dub. 15. per errorem 14. num. 7. & 8. probavi ex Martino Carrillo, & Trulench; rationibuſque ibi videndis ſtabilivi, quibus addo aliam ſumptam ex fine huius ſuſpẽſionis, expreſſo in ipſa Bulla SS. D. N. Vrbani VIII. ut ſcilicet, *Baſilicas, & Eccleſias prædictas, quo maximo fieri poterit concurſu, durante eodem Iubilæo viſitent, & frequentent*: ergo cum hanc viſitationem exequendi omnino incapaces ſint Purgatorij Animæ, in illis ceſſat finis, ſeu ratio legis, ac proinde ipſa lex.

4 Hæc de indulgentijs pro Defunctis ſolùm conceſſis; maior difficultas eſt de ijs, quæ vivis conceduntur, cum facultate, ut eas applicare valeant pro Defunctis. Huiuſmodi ſunt indulgentiæ conceſſę Granis, Imaginibus, Coronis, Crucibus, Numiſmatibus benedictis, a Clemente VIII. ad inſtantiam Patrum Societatis Ieſu Peruanorum 30. Auguſti 1596. & à Paulo V. ad inſtantiam Patrum Societatis Ieſu in ſua Congregatione Generali 5. Novembris 1615. & ad inſtantiam Procuratorum Canonizationis S. Caroli Borromæi anno 1616. & à Gregorio XV. 12. menſis Martij anno 1622. ad inſtantiam Procuratorũ Canonizationis SS. Ignatij, Xaverij, Nerij, Iſidori, & Thereſiæ, & à S. D. N. Vrbano VIII. 3. Novẽbris 1623. necnon à Leone X. Gregorio XIII. & Sixto V. Coronę Chriſti D. vulgò *Camaldulæ*, & ſimiles, in quarum ſummario hęc verba habentur: *Las ſobredichas indulgencias ſe pueden tambien aplicar por las animas de los fieles Defuntos por modo de ſufragio.* Similiter applicari poſſe Iubilæum Communionis ſingulis menſibus occurrens cõſtat ex eius formula: ut iam vidimus Tract. 1. dub. 14. ſeu 15.

5 Igitur has omnes, & ſimiles indulgentias non ſuſpendi quoad Defunctos per hoc Anni Sancti Iubilæum, ſatis probatur ex rationibus, quibus oſtenditur, quod pro ſolis Defunctis conceſſæ non ſuſpendantur. In primis, quia eodem modo hæ conceduntur à Pontifice, & applicantur a Fidelibus, ſiue illis competant cum hac facultate eas applicandi pro Defunctis, ſive ſi pro Defunctis tantùm ſint conceſſę. Ratio eſt, quia de omnibus his indulgentijs *Per modum ſuffragij* [ideſt auxilij, & adiutorij Eccleſiaſtici applicati, ut explicant Vivaldus, Corduba, Coninc, Navarrus, Valentia, Reginaldus, & alij apud Bonacinam *de indulg. d. 6. q. 1. p. 6. num. 6.*] ſolùm Defuncto conceſſis, vel de applicandis illi, licèt vivo conceſſis ęquè verificatur quod, S. Thomas ait: 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *ar.* 3. *q.* 2. quod *Non directè, & principaliter, ſed tantùm ſecundariò, & indirectè Defunctis cõceduntur.* Idẽ docent Coninch *d.* 12. *dub.* 10. & Suarius *d.* 24. *ſect.* 3. *num.* 12. & *ſeq.* Nam Pontifex non abſolvit Defunctũ à pœna, utpote in eum non habens iuriſdictionem, ſed ſolùm ſoluit, offerendo ex Theſauro pretiũ æquivalens pro illo, vel ut alij aiunt apud noſtrum Lugum *d.* 27. *de pœnit. Dect.* 5. *num.* 66. hæ indulgentię concedũtur directè, & immediatè viuentibus; cum facultate, ut eas ſicut propriam ſatisfactionem transferant ad Defunctos; vel ut ipſe *num.* 70. explicat, nec viventi, nec Defuncto immediatè conceduntur, ſed ut addit *num.* 7. *Pontificem, quando concedit indulgentiam pro Defunctis, ita elevare ex Theſauro Eccleſiæ opus bonum, & ſatisfactorium, quod exigit ab aliquo vivente, ut poſſit habere effectum ſatisfactionis ultra condignum.* Ergo quoad hanc ſuſpenſionem eadem eſt utriuſque indulgentiæ ratio, non in quantum vivis conceſſa, ſed in quantum pro Defunctis applicanda. Præterea, quia applicatio *Per modum ſuffragij*, quam concedunt Pontifices in relatis indultis idem eſt, ac conceſſio pro Defunctis, quia ut ex Suario notat Eminentiſſ. Lugo *Nunquam conceditur indulgentia per modũ ſuffragij pro vivis, quia vivus eſt ſubditus, & capax abſolutionis, cui defunctus nõ eſt capax.*

Pro-

tius, & capax absolutionis, cuius defunctus non est capax.

5 Probatur denique ex Navarro ita sentienti: *Si concessione unius Papæ esset concessa indulgentia plenaria ob aliquod opus bonum, & ob idem concessione eiusdem, vel alterius dimidia, vel alia, aut aliquot pars eius, aliquorū dicrum, & annorum, iuste posset facere illud ad quærendam plenariam: licet non ad quærendam plenariam: publicare item non plenariam, tacendo plenariam, vel eam non quæri posse monendo;* Ergo similiter, si ob idem opus potest obtineri indulgentia pro vivis, & pro defunctis, pro illis poterit hæc obtineri, & publicari, licèt non possit pro illis. Denique ex his deducetur, quod non suspendantur, illidulgentiæ, quæ singulis Personis, & Altaribus conceduntur pro Missa, quia Animæ liberari â purgatorio valent, iuxta dicta *Tract.* 1. *dub.* 15. Hęc in Defunctorum fidelium gratiam probavimus; cavendum tamen est in usu eorum, quæ dicta sunt, ne Iubilæa, & Indulgentiæ prædictæ ita publicentur, & obtineantur, ut vel scandalum oriatur, vel offendantur Prælati, vel adhùc pro vivis non suspensæ intelligantur.

DVBIVM XV.

Quando incurratur excommunicatio lata in Bulla huius suspensionis contra publicantes hoc Anno alias indulgentias præter eas, quæ in ipso Iubilæo concedūtur?

1 Clausula huius prohibitionis sic se habet: *Præcipimus, & mandamus, ne interim aliæ, quam indicti a nobis prædicti Iubilæi Indulgentiæ, sive publicè, sive privatim, quovis pretextu, ubivis locorum, & gentium sub excommunicationis, eo ipso incurēdæ, aliisque arbitrio Ordinariorum infligendis pœnis, publicentur, vel nuntientur, aut in usum deman dentur.* Vbi notandum I: verbum *Præcipimus*, ibi præceptū ad mortale obligans importare, ut in Iubilæo Gregorij XIII. adnotavit Navarrus *notabili.* 33. *num.* 6. & probauerat *notabili.* 32. *num.* 51. Notandum est II. *Publicare* iuxta latinæ linguæ peritos, idem esse, ac *Publicum facere, Publicè manifestare, & divulgare. Nūtiare* verò strictiorē inducit obligationem; nam idem est ac *Proferre* etiam in parvis cōventibus. Vnde nec è suggestu nec in privatis colloquijs, nec coram multis, nec coram paucis, nec coram uno, nec scripto, nec verbo, nec domi, nec extra asserere, aut dicere licet; indulgentias alias hoc Anno extare, præter eas, quas affert hoc Iubilæum: Et qui aliter fecerit scienter in hanc excommunicationem ipso facto incurrerit. Constat ex dictione *Alia* quæ est indefinita, vel universalis, ut docent Mollo chius *cons.* 156. *num.* 1. seq. & Escobar *de ratione pijs cap.* 18. *n.* 2. Et tuo Gregorius XIII. dixit: *Nullæ aliæ, quam prædictæ a Nobis Iubilæi Indulgentiæ*, &c.

2 Idem dicendum est de illo, qui dubitās, an sit suspensa aliqua Indulgentia, illam temere, & absque fundamento rationabili publicat, aut enunciat. Est enim inobediēs Pontifici, & contumaciter illi resistit. Qui verò ex imputationis gratia de valore alicuius Indulgentiæ dubiæ differeret, non incurreret, vel si ipse ignoraret censuram; iuxta dicta Tract. 3. Sing. 11. n. 1. Incurreret verò ille, qui scienter diligentiam faceret ad lucrandum similes Indulgentias: Hæc enim sub eadem pœna prohibetur, sub illis verbis; *Aut in usum demandentur*: ubi prohibetur ius in illis indulgentijs, aut eas, earum ve lucrationem, seu diligentias, lucrationis gratia, executioni mandare. Hæc enim sub uerbo *Vsus*, cadunt iuxta ea, quæ docent Archidiaconus *de offic. del. gat. c. quamvis. lib.* 6. Rebufus *l.* 25. *de verb signif.* Alexander Scotus *vocab. utriusque iuris. verb. usus.*

3 Secunda conclusio: Qui probabiliter existimaret aliquas Indulgentias pro hoc Anno suspensas non esse: neq; graviter peccaret, nec ex communicationem incurreret eas manifestādo publicè, vel privatim: tum quia licet sequi, & ex qui opinionem probabilem: & ille probabiliter iudicat se non facere contra voluntatem Pontificis: tum quia in eo non datur contumacia quæ requiritur ad hanc censuram incurrendā: quia probabiliter iudicans posse, operatur: tum quia hæc, utpote pœna gravissima non est extendenda ad earum Indulgentiarum publicationem, quæ vero similiter, & probabiliter creduntur non suspendi à Pontifice, sed potius restringēda ad manifestationem earum, quas manifestè constat ab ipso suspensas, iuxta ea, quæ docet Burgos de Paz *cons.* 8. *n.* 2. Denique, quia in legum interpretatione molliendę sunt potius pœnę quā nimis exasperandæ, *ex cap. pœna de pœnit. dis.* 1. seu in pœnis benignior fieri debet interpretatio *l. pœnæ. de pœnis. c. in pœnis de reg. iuris. l.* 6. *c. ex litteris. de constit.* Et Tiraq. *in. l. si unquam n.* 246. *C. de revocand. donat.* Riccius *prax. resol.* 303. *n.* 3 *in* 2. *in* 2. *edit.* Thomas de Thomasiis *resol.* 158. Vgolinus *de offic. Episcopi. c.* 6. §. 1. *n.* 3. & alij. Hæ autem indulgentiæ, quæ possunt nuntiari, vel promulgari (attenta tē per Prælati debita veneratione, evitandi tcā

dali occaſione ac prudẽtia in his adhibẽda) ſunt, quas diximus d. 13. & 14. non ſuſpẽdi.

4 Tertia concluſio: Qui aſſereret per hanc Bullam non ſuſpendi facultatem abſolvendi in caſibus Sedi Apoſtolicę reſervatis iuxta dicenda dubijs ſequentibus, aut ab illis tentaret abſolvere; licèt iniquè ageret, & cõtra expreſſam voluntatem Pontificis facultatem hanc ſuſpendentis, non tamen incurreret excommunicationem latam in hac Bulla: neque ſimiliter illam incurreret, qui aſſereret non ſuſpendi facultatem diſpenſandi, & commutandi vota; & diſpenſandi, aut cõponendi ſe ſuper malé ablatis ac incertis; & eligendi Confeſſarium cum poteſtate abſolvendi á caſibus Pontifici reſervatis, etiam ſi hęc in hac Bulla ſuſpenderentur, ut ſuſpenſa fuiſſe â Sixto IV. pro ſuo Iubilæo conſtat ex eius indulto, quod affertur a Navarro *notabili* 28. & notatur â Filiucio *tract.* 8. *cap.* 10. *num.* 5. Ratio eſt quia excommunicatio tãtùm fertur in publicé, vel privatim publicantes; aut in uſum demandantes Indulgentias: ergo non eſt extendenda ad publicantes huiuſmodi facultates; quia pœnæ non ſunt extendendę ad alios caſus, vel perſonas, pręter expreſſas, etiam ſi extenſio fiat ex ſimilitudine rationis, ut probant Ioannes Andræas *reg. odia. l.* 6. Immola *in l. ſi vero. §. & viro. col.* 8. *ff. ſoluto. matr.* D. Antonius de Quintanaduenas *Eccleſiaſt. reg.* 287. Gironda *de privileg. explic. nu.* 540. & alij.

DVBIVM XVI.

V. Suſpendatur per hoc Iubilæum facultas, quam habent Epiſcopi, & Regulares Prælati ad abſolvendum à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis?

1 SVſpenſionis huiuis hæc ſunt verba; *Facultates, & indulta abſolvendi, etiã in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in litteris die Cœnę Domini legi ſolitis; ontentis, ſuſpendimus* &c. Circa quæ ſit prima concluſio: Facultas conceſsa Epiſcopis per Tridentinum *ſeſ.* 24. *ca.* 6. ad abſolvendum, & diſpenſandum cum ſuis Subditis in omnibus caſibus occultis, Sedi Apoſtolicę reſervatis, vel ordinaria facultas illorum ad commutandum, vel diſpenſandum in votis non reſervatis Papæ: & facultas diſpenſandi in irregularitatibus, & impedimentis matrimonij, aut petendi debitum, aliæ ve, quę ex iure communi, illis competunt, non ſuſpenduntur per hanc Bullam. Ita expreſſè docet Zerola *ver. Annus S.* §. 4.

2 Ratio eſt, quia hæc facultas per Tridentinum cõceſſa eſt ordinaria, ut docẽt Thomas Sanchez *lib.* 2. *ſum. cap.* 11. *num.* 23. ac latè *lib.* 4. *de mat. d.* 40. *num.* 14. Suarez *to.* 5. *de cens. d.* 41. Emmanuel *to.* 1. *q.* 61. *art.* 9. & plures alij. Per hanc autem Bullam ſuſpenduntur facultates ex privilegio conceſſæ: non autem ordinariæ quæ iure communi competunt: immo etiam ſi eſſent ex privilegio, in iure communi contento, quales ſunt, quę in Concilio generali conceduntur, non ſuſpẽderentur, ſi nulla fieret de illis, ſeu illarũ conceſſionis mentio, quod eſt neceſſarium ad hanc ſuſpenſionem, vel revocationem, ut bene Sanchez *lib.* 2. *ſum. cap.* 12. *num.* 17. Idẽ intelligitur de facultatibus his hoc modo cõceſſis Vicario Epiſcopi, Capitulo Sede Vacãte, & Superiori iuriſdictionẽ quaſi Epiſcopalem habenti, iuxta ea, quæ Barboſa cum pluribus DD. tradit *ad ſeſ.* 24. *cap.* 6. Tridentini.

3 Secunda concluſio: Facultates, quas iure communi, & ratione ſui officij habent Prę lati Regulares, Generales ſcilicet, Provinciales, & Superiores locales ad abſolvendũ ſuos Subditos à peccatis, & cenſuris Papæ, & Epiſcopis reſervatis: necnon ad diſpenſandum in irregularitatibus, & votis, ac ea commutandum, non ſuſpenduntur per Bullam huius Iubilæi. Ratio eſt eadem: cum facultates hæ ordinariæ ſint in his Prælatis, ut probant Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio d.* 3. *num.* 9. Navarrus *lib.* 1. *conſ. de temp. ordinat. conſ.* 62. *num.* 9. & alij. Hi ergo Superiores habent circa ſuos ſubditos hoc Anno omnes facultates abſoluendi, commutãdi, diſpẽſandiq. quas circa ſuos habent Epiſcopi, poſſuntque eas delegare. Et licét Sanchez *lib.* 8. *de matrim. d.* 1. *num.* 13. Suarius *tom.* 4. *in* 3. *p. d.* 30. *ſect.* 2. *num.* 7. & alij apud Barboſam *in Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 6. exiſtiment, hanc facultatem illis competere, ſaltèm Generalibus, & Provincialibus per communicationem privilegij conceſſi á Pio V. Patribus Dominicanis: probabilius eſt, facultatem, quam Tridentinum ibi concedit Epiſcopis, extendi etiam ad Prẹlatos Religionum exemptarum: ſunt enim hij reſpectu ſuorũ Subditorum Paſtores ordinarij, ſicut Epiſcopi reſpectu Sæcularium; habentque quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem. Ita Emmanuel *tom.* 1. *q.* 61. *art.* 9. Navarrus *lib.* 5. *conſ.* 23. *de privileg.* Beja 4. *p. caſ.* 37. ac alij.

4 Enim verò Pius V. non ideo his Prælatis hoc conceſſit, quia iam non eſſet conceſſum per Tridentinum, ſed ad tollendas opi-

nio-

niones, & ſcrupulos, & ad extendendũ hoc cum maiori certitudine ad Superiores locales. Si igitur ex iure communi Tridenti hanc facultatem habent, per hanc generalem ſuſpenſionem nec illa ſuſpenditur, nec revocatur, nec minuitur: Nam *verba generalia reſcriptorum, aut ſtatutorum reſtringuntur ſecundum ius commune*, ut probat Garcia Gironda *de privileg. explic. num.* 275. & 276. Circa alias facultates Prælatorum ad irritanda, & diſpenſanda vota ſuorum ſubditorum, atque etiam ad diſpenſandum cũ illis in irregularitatibus, & alijs inhabilitatibus, ſive hæ ex iure communi, ſive ex privilegio habeantur, dubium non eſt, quod in hoc Sanctiſ. D. N. Vrbani Iubilęo non ſuſpendebantur: cum ſolùm ſuſpenderetur facultas in ordine ad abſoluendum a caſibus prædictis.

DVBIVM. XVII.

Vtrum ſuſpendatur in hoc Iubilæo facultas, quam habent Regulares ex vi ſuorum privilegiorum ad abſolvendum Sæculares in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis?

1 AFfirmativam partem tenet Emmanuel Rodriguez *expoſit. Bullæ, §. 12. n. 2. edit. dub. 6.* Sed negativam tuentur Navarrus *notabi. 33.* Enriquez *lib. 5 cap. 28. num. 7. & cap. 31. num. 3.* Villalobos *tract. 27. clauſ. 12.* Filiucius *trac. 8. cap. 10.* Benzonius *lib. 4. de Iub. cap. 8. dub. 3.* Sanchez *lib. 4. ſum. cap. 54. num. 62.* Diana *1. p. tract. 11. reſol. 10.* citans Bartholomæum à S. Fauſto: Lugo *diſ. 20. ſect. 8. de pœnit. n. 145.* & Leander à Sanctiſſi. Sacramento *tom. 1. tract. 5. q. 56.* Ratio potiſſima eſt, quia cum in hac ſuſpenſione intentio Pontificis ſolùm ſit ſuſpendere facultates abſolvendi, indulgentiarum ſolùm cauſa conceſſas, quia aliæ non retardarent Fideles à Romana profectione, eiuſque Eccleſiarum frequentatione pro Iubilæo obtinendo; & facultates, quę Regularibus ad abſolvendum competunt, non ſint conceſſæ intuitu indulgentiarum, ſed ob alias cauſas; ne ſcilicet Religioſi conſtringerentur, vel Romanum Pontificem, vel Epiſcopos pro hac facultate conſequenda adire, eorumque palatia frequentare, & ne Fidelibus difficilis adeò foret hæc abſolutio, ut patet ex Sing. 4. Tract. 9. num. 6. non ſuſpenduntur.

Hanc fuiſſe ſuam mentem ſatis expreſſit Sixtus IV. in ſua Bulla, quæ incipit: *Quemadmodum. &c. Nos, ne propter aliarum indulgentiarum hactenus à Nobis, ſeu eodem Paulo, vel alijs Prædeceſſoribus noſtris conceſſarum, huiuſmodi conceſſionem hoc ſanctum opus, ac remiſſionis, & gratiæ Annus Iubilæus intermittatur, aut Fideles ipſi à tanto manere reddantur expertes, omnes, & ſingulas indulgentias &c. ac etiam commutandi vota, aut ſuper eis, & male ablatis incertis, aut per uſurariam prævitatem, vel alium illicitum modum extortis, diſpenſandi confeſſores, cum poteſtate abſolvendi etiam in caſibus à Sede Apoſtolica reſervatis, &c. Suſpendimus,* & Gregorij XIII. in ſua Bulla, quæ incipit; *Quoniam Sancti Iubilæi &c. Suſpendimus omnes, & quaſcumq; Indulgentias plenarias, etiam ad inſtar Iubilæi, & earum cauſa, facultates, conceſſiones, & indulta quæcumque.* Et infra. *Ex quibus cauſis conceſſas, &c.*

3 Hanc etiam fuiſſe huius Pontificis mentem, ſic teſtatus eſt Navarrus *notab. 33. nu. 3. Qua de re*, inquit, *conſului R. D. Datarium Matheum Contarellum, Romanę curiæ peritiſſimum, qui mentem SS. D. N. propriùs aliis novit: iſque reſpondit: Intentionis S. D. N. fuiſſe per prædictam clauſulam ſuſpendere ſolas, & omnes Indulgentias plenarias, & ſolas; & omnia earum quarendarum cauſa conceſſa & indulta: ita quod nulla indulgentia, quæ non eſſet plenaria, nec ulla facultas, quæ non eſſet cauſa Indulgentię plenariæ quarendę conceſſa, cenſeatur ſuſpenſa. Quod conſequitur quatuor facultates, ſcilicet eligendi Confeſſarios cũ poteſtate abſolvendi ipſos à cenſuris, & alijs pœnis, & commutandi votu, vel in eis, & ſuper rebus male à blatis, & incertis diſpenſandi, eaque certo modo remittendi, quo indulgentia plenaria commodiùs quæreretur.* Hac tenus ille.

4 Immò etiam ſi in ſuſpenſionibus Bullę non adderentur verba illa: *Indulgentiarum cauſa*; ſicut non ſunt addita in Bullis Clementis VIII. ac Vrbani VIII. adhuc eandem explicationem admitteret ſuſpenſio, eamdemque mentem his, & alijs Pontificibus fuiſſe exiſtimandum eſt. In quorum elucidationem verba ſapientiſſimi noſtri Lugo placet potiùs referre, quàm propria proloqui. Sic ille *diſp. 20. de pœnit. ſect. 8. num.* 145. *Magis*, inquit, *dubitari poterat, attenta Bulla Clementis VIII. Anno Sancto* 1600. *in qua illa verba: Indulgentiarum cauſa, omniſſa fuerant. Sed idem Pontifex interrogatus, dixit, eandem fuiſſe intentionem ſuam, & ad tollendum dubium edita fuit iterum eadem Bulla additis eiſdem verbis. Denique anno* 1625. *in Bulla SS. D. N. Vrbani VIII. omniſſa fuerunt eadem verba, fortè quia ex Bulla Clementis VIII. tranſcripta fuit illa clauſula; Quare cum iterum de hoc dubitaretur: ego dixi non fuiſſe revocatam Regularium facultatem: Primo quia, Vrbanus ibi dicit, ſe ſequi*

exemplũ Prædeceſſorum, in illa reuocatione: cũ ergo Prædeceſſores nõ reuocaſſent omnes facultates, ſed conceſſas cauſa indulgentiarum, de his ſolis intelligendum eſt. Secundo, quia poſtea non imponit præceptum, nec excommunicationem, niſi contra publicantes alias indulgentias; ergo de illis ſolis agebat. Denique poſtea idem Sanctiſſimus interrogatus hoc ipſum reſpondit, & dixit, hanc ſolam fuiſſe ſuam intentionem. Quare de hoc non fuit amplius dubitatum. Hæc Hiſpalenſis noſter Cardinalis.

DVBIVM XVIII.

Quouſque duret hæc Indultorum, & Indulgentiarum ſuſpenſio?

1 SVſpenſionem hanc, tam Indultorum circa abſolutiones quàm Indulgentiarum, tandiu ubique extra Romam durare, quandiu Iubilæũ ipſum; per integrum ſcilicet Annum, ſatis ſuperque expreſſerunt Pontifices: ac præſertim Vrbanus VIII. ut vidimus dub. 2. Durabit igitur hæc ſuſpẽſio in Iubilæo pro Anno 1650 promulgando à primis veſperis vigiliæ Nativitatis Anni 1649. ad ſecundas incluſivè Anni 1650. ſeu à portæ ſanctæ apertione [*Poſt hanc enim*, ut loquitur Navarrus *notab.* 32, *illico incipiunt, & ſatagunt eam intrare, & viſitare, & eſſe primi, vel cum primis,*] uſque ad occluſionem, ſeu poſt decãtatam à Pontifice orationem illam: *Deus, qui in omni loco Dominationis tuæ*, &c. qua actio claudendi ſolemniter portam S. Petri finitur.

2 Porro hæc ſuſpenſio aliquando fieri ſolet à Pontifice illis verbis: *Ad Noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum*; Quę. ſi ſtrictè interpretemur, faciunt ſuſpenſionem, vel conceſſionem tandiu durantem, donec revocetur: vel niſi ſit ſuſpenſio a Sede, uſque ad ſuſpendẽtium mortẽ. Sic docent Riccius *prax. deciſ.* 68. Martha *de clauſ. p.* 2. *clauſ.* 1. *n.* 1. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancel.* §. 1. *proem. num.* 9 Valaſcus *de iure emphith. q.* 34. *num.* 7. Gutierrez *lib.* 1 *q.* 11. *num.* 19. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 28. *num.* 51. Enriquez *lib.* 7. *cap.* 21. *n.* 5. & alij. Si verò fuerit alicuius dignitatis, vel officij, donec hoc, vel illa finiantur, ut probat Navarrus *de indulg. notab.* 28. *a n.* 28. *ad* 51.

3 Ego verò ſentiendum exiſtimo, hãc ſuſpenſionem ſolùm quoad Annum Iubilæi durare, hancque eſſe Pontificis mentem: etiam ſi prædictam clauſulam apponat: *Ad Noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitũ*. Quod ſatis indicant verba Sixti IV. & Gregorij XIII, ille enim ait; *Nos, ne propter aliarum indulgentiarum hactenus à Nobis, vel aljis Prædeceſſoribus noſtris conceſſarum, Annus Iubilęus intermittatur, aut Fideles ipſi reddãtur expertes: omnes, & ſingulas &c. indulgentias ſuſpendimus.* Hic verò: *Nos pro conſequenda eo Anno indulgentia, quę dictis litteris expreſſa eſt, ſuſpendimus ad Noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum*, &c.

5 Igitur, ſi ratio, ob quam indulgentiæ hæ ſuſpenduntur; eſt, ne illarum lucratio Anni Sancti celebritatem, Iubilæum ve minuat, concurſuſque ad Baſilicas Romæ viſitandas retardetur, cum tranſacto Anno huiuſmodi celebritas, Iubilęumque non dentur, ac pro inde concurſus hic non expoſcatur à Pontifice, ſuſpenſio earum, Anno tranſacto, ceſſabit: nam legis ratione ceſſante ceſſat ipſa lex, ut ſępe ex utriuſque iuris Doctoribus inculcavi. Quod axioma præcipuè locũ habet in odioſis: & oneroſis. Vnde iuxta Doctores, conceſſio tributi ceſſat ceſſante cauſa, ob quam fuit impoſitum.

5 Praxis denique hoc oſtendit: tranſactis enim Iubilæorum Annis, quæ a Sixto IV. & Gregorio XIII. promulgata fuere, omnes Chriſti Fideles indulgentias, & Iubilęa lucrati ſunt; ac ſi nulla antece ſſiſſet ſuſpenſio, nec nova illius revocatione expectata, quam uſque ad hodiernam diem nunquã, factam fuiſſe omnibus conſtat: at ſi revocatione opus eſſet iuxta ſententiam oppoſitam, nullæ indulgentię obtineri a prima Sixti ſuſpẽſione hactenus valide potuiſsẽt, quod eſt abſurdiſſimum. Igitur quęcumque clauſula ex prędictis, aut ſimilibus apponatur his Iubilæis; omnes indulgentiæ, & facultates per illam ſuſpenſæ, tranſacto eo Anno redeunt ad ſuum priſtinum vigorẽ abſque alia nova conceſſione. Et ſic Navarrus *notab.* 33 *num.* 7. in Iubilæis Sixti IV. & Gregorij XIII. Datarium declaraſſe teſtatur.

DVBIVM VLTIMVM.

Utrum hæc ſuſpenſio promulgetur, & æquè duret quoad omnes Chriſti Fideles, tam Romam adeuntes, quam non adeuntes, aut adire impeditos?

1 SIt prima concluſio: Hęc ſuſpenſio comprehendit per integrum hunc Annum omnes Chriſti Fideles, ubivis gentium exiſtentes, quicumque illi ſint, dum Iubilæum non lucrantur; etiam ſi Romæ degant. Patet ex clauſula ſuſpenſionis appoſita dubio 2. Sit ſecunda concluſio; Suſpenſio hæc etiam

for-

ſortitur effectum in impeditis Romam adire: dum in hac adeunda non diſpenſan tur. Probatur, quia lex, ſeu ſuſpenſio hęc generaliter loquitur, & ita omnes comprehendit, etiam impeditos: tum quia expreſſè SS. D. N. Vrbanus VIII. ſuſpendit omnes indulgentias conceſſas Principibus, Prælatis, Gubernatoribus, & alijs perſonis, quæ veré impeditæ ſunt, & Sixtus IV. etiam conceſſas exiſtentibus in mortis articulo. Conſule Dubium 12. num. 5.

2 Tertia concluſio: Qui ad finem intentum à Pontifice in Iubilæo hoc Romam ſe conferunt, poſtquam ad illam pervenerunt, & Baſilicas aſſignatas viſitarunt, poſſunt lucrari omnes indulgentias, quæ ſuſpenſæ erant per Iubilæi Bullam, & á peccatis, ac cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis abſolvi perinde poterant, ac ante quam hæc ſuſpenderentur. Et omnes iſti, non ſolùm cum Romę morantur, ſed etiam in itinere, dum ad ſuas patrias redeunt, & in illis habitant, his frui poſſunt: iam enim voluntati Pontificis ſatisfecerunt, Romam adeuntes, & ita ſignificantes ſe ab ea ſuprema Sede pendere: Vnde in illis ceſſat utraque ratio legis, ac proinde ipſa lex, ſeu ſuſpenſio.

3 Quarta concluſio, quoad Moniales, Anachoretas, Carceratos, infirmos, & eos, qui poſt iter arreptum Romam accedere non valuerant, iuxta dicta *dub. 9. & 10.* probabile exiſtimo, non ſuſpendi prędictas indulgentias. Ratio eſt, quia cum his diſpenſat Pontifex in adeunda Vrbe, Iubilæumque hoc concedit, & iam ſatisfactum eſt voluntati, & fini intento à Pontifice: ac proinde eadem regula regulandi ſunt, qua præcedentes, qui poſtquam Romę Iubilæum obtinuerunt, nullam habent, etiam eo Anno durante, ſive intra, ſive extra Romam, ſuſpenſionem Indultorum, ac Indulgentiarum.

4 Concludo igitur, Iubilęi huius explicationem ſententia, ac verbis Vincentij Candidi ex Illuſtriſſimo, ac Sapientiſſimo Prædicatorum Ordine; qui *diſquiſit. 25. dub. 26.* ait: *Qui tempore Iubilæi Anni Sancti, in peccato mortali impleret viſitationes Eccleſiarum, ſi poſtea Anno durante, qui incipit a primis veſperis Nativitatis Domini, & in eiſdem includitur reſoluto Anno finitur, confeſſus, in Dei gratiam redierit, quamvis etiam in patriam ſuiſſet reverſus, conſequeretur talis fructum Iubilæi Anni Sancti.*

Adderem ego, quod etiam Anno Iubilæi tranſacto, cum fructum conſequetur ubicumque ſit, qui ultimam diligentiam in hoc Anno v. g. Eccleſiæ viſitationem Romæ perfecit in peccato mortali, iuxta ſententiam Silveſtri *verbo indulgentia. num. 7.* Paludani *diſt. 20. q. 4* Enriquez *lib. 7. de indulg. cap. 9. num. 3.* Navarri *notab. 17. num. 2.* Granadi *in tertiam partem de ſacram. contro. 12. tract. 5. d. 2. num. 3.* & aliorum aſſerentium, Iubilæorum etiam tempore tranſacto, eorum fructum, & remiſſionem percipi ab eis iam ad gratiam reductis, qui tempore aſſignato non percęperunt, eo quod ultimam diligentiam in ſtatu peccati mortalis ſint executi: licèt oppoſitum doceant Suarius *diſp. 25. num. 13.* Coninch *diſ. 12. dub. 7. nam. 37.* Reginaldus *lib. 7. num. 169.* Sa *num. 2.* & alij.

6 Hæc ſunt, quæ pro caſibus in Anni Sancti Iubilæo ad annum 1650. divina gratia promulgando, occurent; forſan ſe offerre poterunt alia alijs Iubilæis communia, & hæc ex dictis in hac Apendice facillimè conſtabũt. Singularia etiam nonnulla v. g. quod ad illius lucrationem Bulla Cruciatæ non ſit neceſſaria, ſicut nec proceſſioni, aut ſanctarum portarum apertioni á Pontifice, ac Cardinalibus præſtandæ adeſſe, & ſimilia, ex his quæ edidi in meo libello de duarũ hębdomadarum Iubilæo colligẽtur.

FINIS TRACTATVS VIII.

AD IVBILÆA,
PRO MORTIS ARTICVLO
TAM SÆCVLARIBVS, QVAM
REGVLARIBVS CONCESSA:
TRACTATVS NONVS.

DVBIVM I.
Quænam communiter extent huiuſmodi Iubilæa?

1 EX plurimis; & varijs Iubilęis, ſeu plenarijs indulgentijs, quę pro univerſis Chriſti Fidelibus in mortis articulo conceſſæ ſunt, aliquas referam, quæ frequentiùs, & faciliùs obtineri valent, & ſolent. Primum locum obtinet Iubilęum conceſſum in Bulla Cruciatæ: cuius hæc ſunt verba: *Concedimus ut poſſit eligere Confeſſarium ab Ordinario approbatum* &c. *& ab eo quorumcumque peccatorum, & cenſurarum plenariam indulgentiam, & remiſſionem ſemel in vita, & iterum in articulo mortis obtinere.* Et infra: *Item ſi dicto Anno durante contingat vel ob repentinam mortem, vel Confeſſorum abſentiam ſine confeſſione decedere, modo contriti deceſſerint, & prius ſtatuto tempore confeſſi fuerint, nec huius conceſſionis fiducia negligentiores fuerint; plenariam, ut ſupra, remiſſionem conſequantur.*

2 Secundum locum obtinent indulgentiæ plenariæ, quæ ſunt conceſſæ Moribundis habentibus Grana benedicta, aut Imaginibus, vulgo *Quentas, o Medallas benditas*, quibus aplpicatæ ſunt huiuſmodi indulgentiæ. Quarum unum, vel alterum exemplum apponam, ſicut in hiſpanis harum Indulgentiarum catalogis impreſſis, vulgò inuenian tur. Sic in Indulgentijs conceſſis à Paulo V. Coronis, Crucibus, Imaginib⁹, &c. quas conceſſit ad inſtantiam Patrum Societatis Ieſu, qui ad Congregationem generalem Romæ convenerunt anno 1615. habetur n. 8. *Concede ſu Santidad à qualquiera perſona, que teniendo qualquiera de las coſas dichas, dixere en el articulo de la muerte, Ieſus, con la boca, o con el coracon gane indulgencia en forma de Iubileo.* Idem Pontifex eandem Indulgentiam conceſſerat Coronis, Roſarijs, Crucibus, & Imaginibus benedictis ad inſtantiam Procuratorum Canonizationis S. Caroli Boromęi. 3. Novembris 1610. & poſtea 1619. eaſdem cõfirmavit ad inſtantiam Patrum Societatis Ieſu ex Peru, his verbis; *Qualquiera que in articulo mortis dixere con devocion, y una ſola vez Ieſus con el coracon no pudiendo con la boca, y ſiendo ſiquiera contrito, no pudiendo confeſsar, y comulgar, gane indulgentia plenaria en forma de Iubileo.*

3 Idem Iubilæum Paulus V. conceſſit ad inſtantiam Philipi III. Regis Hiſpaniarum Imaginibus Sanctiſſimi Sacramenti, Bulla edita 17. Aprilis 1612. his verbis; num. ult. *Item concede ſu Santidad a todos los fieles Chriſtianos, que en el articulo de la muerte tubieren en la mano la inſignia del Santiſsimo Sacramento, y dixere con devocion: Alabado ſea el Santiſsimo Sacramento, y no pudiendo con la boca, con el coracon, indulgencia plenaria y remiſsion de ſus pecados.* Idem Iubilęum pro Immaculatę Conceptionis Imagine eſt conceſſum à Leone X. ſic: *Todas las perſonas, que tubieren conſigo eſta imagen, y en la hora de la muerte dixeren tres veces, Ieſus, Maria, ſi con la boca no pudieren con el corazon y aunque no lo puedan dezir, teniendola conſigo, alcançan indulgentia plenaria, y remiſsion de todos ſus pecados en forma de Iubileo.* Item Gregorius XV. idem conceſſit pro Coronis, Roſarijs, Crucibus, & Imaginib⁹ benedictis ad inſtantiam Procuratorum Canonizationis Sancti Iſidori, Ignatij, Xaverij, Thereſæ, & Philipi Nerij; his verbis n. 10. *Qualquiera q̃ en el articulo de la muerte tubiere conſigo una de las coſas ſobredichas, y dixere el nombre ſanctiſsimo de Ieſus con el coracon, no pudiendo con la boca, y ſe encomendare en la mexor manera que pudiere a Dios, gane indulgentia plenaria de todos ſus pecados en forma de Iubileo, eſtando confeſsado, y comulgado, y no pudiendo, a lo menos contrito.* Et in formula Idulgentiarũ, quas conceſſit D. N. Vrbanus VIII. 3. Novembris. 1623. Coronis, Roſarijs, Crucibus, & Imaginibus benedictis, ſic habetur *num.* 15. *Tambien a quil que eſtando en el articulo de la*

la

la muerte, tubiere alguna de las sobredichas cosas, y devotamente con la boca, o con el coraçon encomendare su anima a Christo N.S. configa indulgencia plenaria de todos sus pecados. Sic plures alias formulas refert Pot. tom.

4 Tertium locum obtinent Iubilæa plenissima concessa pro mortis articulo ijs, qui in Confraternitates, aut Congregationes SS. Eucharistiæ, aliorum ve mysteriorum Christi Domini, ac B. Virginis Mariæ præcipuè sub titulo *Psalterij*, aut *Rosary*, aut sub nomine aliquorum Sanctorum, ingressi sunt. Sic igitur incipit Summa Indulgentiarum, quas lucrantur, qui ad Congregationes in domibus Societatis nostræ auctoritate Apostolica sitas, admissi fuerit. *Primeramente todos los que el guinamente fueren recibidos el dia de la entrada comulgando en aquel dia ganan indulgencia plenaria, y remission de todos sus pecados. II. En el articulo de la muerte Indulgencia plenaria.* Eadem concedit Congregatio S. Augustini, & Ghodigeris S. Francisci invocato nomine Iesu ore, vel saltem corde, ut testatur Hyeronim. Rodrig. *resp.* 30. *num.* 1.

5 Quartum locum habet Iubilæum concessum omnibus Regularibus pro mortis articulo, quod in Bulla Pauli V. relata *Tract.* 3. *dub.* 1. sic se habet num. 4. *In cuiuslibet mortis articulo, si pariter vere pœnitens, & confessus, ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Iesu, ore si poterit, sin autem corde devotè invocaverit, etiam plenariam*, &c.

6 Quinto loco ponenda sunt Iubilæa concessa Sæcularibus moribundis intuitu Regularium, ex quibus in Compendio privilegiorum. *verbo indulg. quoad Sæcul.* 8. *num.* 1. unum sic habetur; *Calixtus. III. concessit plenariam indulgentiam pro Patribus, & Matribus omnium Fratrum Minorum præsentium, & futurorum defunctorum, etiam in purgatorio existentibus.* Circa quod consule Emmanuelem Rodriguez *tom.* 2. *q.* 91. & *tom.* 3. *q.* 171. *art.* 2. Nec silentio præteribo Iubilæum quod sic affertur in eodem Compendio. *V. indulg. quoad Sæcul. 7. num. 6. Leo X. concessit quood morientes in habitu fratrum Minorum consequantur Indulgentiam plenariam.* Et num. 13. *Leo X. & Adrianus VI. decedentibus in habitu SS. Trinitatis, aut Scapularium dicti Ordinis de manu alicuius Prælati, etiam absque alicuius voti emissione, suscipientibus, & deferentibus in Regnis Castellæ, Legionis, & Granatæ consistentibus concessorum omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones Fratribus prædicti Ordinis concessas.*

(***)

DVBIVM II.

An in vero, vel in præsumpto mortis articulo, aut illius periculo hæc Iubilæa concedantur?

RIculus mortis, dici solet, quando quis ita est proximus morti ut proximè, & sine ulla spe credatur futura. Sic ex S. Antonino, Navarro, Angles, Covarruvias, Corduba, Enriquez, Suario, & alijs Zambranus *de casib. occurrent. in artic. mortis prælud.* 1. *num.* 7. Definitur articulus mortis vetus ille erit, in quo quis verè moriturus est: & præsumptus, in quo quis moriturus præsumitur, sed verè non moritur. Igitur Indulgentiæ plenariæ concessæ pro mortis articulo independenter ab applicatione Confessoris, vel a ministerio alterius, per quem ea debeant in tali articulo concedi quales sunt omnes relatæ (præter concessam in Cruciata) pro vero mortis articulo concessæ tantùm intelligũtur. Sic Bonacina *de indulg. d.* 6. *q.* 2. *p.* 8 *num.* 10. Navarrus *miscel.* 18 *num.* 4. Trullench *in comp. lib.* 1. *§.* 7. *cap.* 2. *dub.* 29. Reginaldus *lib.* 7. *num.* 156. & est communior Doctorũ; quia finis, & intentio concedentis est, ut infirmus ab hac vita evadat absque onere luendi pœnas in purgatorio. Huic autem fini satisfit solùm in vero mortis articulo. Præterquam quod verba, quibus utitur Pontifex in omnibus fere huiusmodi concessionibus apertè ostendunt de vero articulo mortis ipsum loqui; nam in illis vel dicitur; *Cum decedant ex hac vita, vel ut corde si ore nequeunt nomen Iesu invocent.* Probabile tamen existimo pro omni articulo mortis concedi, iuxta ea, quę ex Suario statuimus *dub. ult. num.* 2, cum propositio indefinita æquivaleat universali, sicque articulus mortis indefinitus pro omni tam vero, quam præsumpto accipiendus videtur.

Si verò Indulgentiæ lucratio, aut concessio dependeat ab applicatione Confessoris, vel alterius ministerio, articulus mortis accipi potest non solùm pro vero, sed etiam pro præsumpto. Sic in Cruciatæ Indulgentia, à Confessore applicanda sentiũt communiter Doctores; ut testatur Trullench *lib.* 1. *§.* 7. *cap.* 2. *dub.* 9. *num.* 8. cui non assentior, dum addit; *Unde probabiliter moriturus potest uti hac indulgentia, atque postquam semel eam fuerit lucratus, vel tam semel sibi applicare fecerit, sive in primo, sive in secundo, aut alio mortis articulo præsumpto iam non poterit eam lucrari amplius, nec illa Bulla gaudere, aut uti ad idem, quia sortita est totum effectum.* Consonat

nat Reginaldus *cap. 7. n. 156.* dicens, quod hæc indulgentia *in articulo mortis præsumpto usurpata consumatur: nec ipsa remanebit pro vero mortis articulo.*

3 Hæc, inquam, non placet; quia cum contingere frequenter possit, quod quis per annum bis in articulo mortis præsumpto existat, & tertio incidat in verum, si in duobus primis mortis præsumptę articulis iam illi applicata, & concessa esset indulgentia virtute duplicis Bullę, quam accepit; cum tertia accipi nequeat, omnino defraudabitur ab illa indulgentia: frustrabiturque intentio Pontificis, quę est, ut virtute huius Indulgentiæ concessæ in mortis articulo accipiens semel in anno Bullam, ex hac vita decedat absque onere luendi pœnas in purgatorio. Quem finem à Pontifice intentum esse in alijs indulgentijs concessis pro mortis articulo docent Doctores. Vnde illa Indulgentia esset deterioris conditionis quam istæ; nec Pontifex in ista ita liberaliter se gereret.

4 Igitur dicendum omnino est, hanc indulgẽtiam Cruciatæ, & similem aliam pro mortis articulo concessam dependenter á ministerio Confessoris, aut alterius, suscipiendam esse pro vero mortis articulo tantùm, vel pro hoc, & pro quocumque alio præsumpto: ita ut in omnibus lucretur Morobundus Indulgentiam plenariam unica tantùm Bulla. Probatur, quoad primam partem: quia dictio illa: *Iterum semel in vita, & iterum in articulo mortis obtinere*: sonat unica tantũ vice concedi hanc indulgentiã Moribundis, seu in morte; sicut unica tantùm vice conceditur sanis, seu in vita. Sic Bartholus *in l. fideicom. com. num. 1. ff. de legatis. 2. l. fin. ad finem*. Glossa ibi: *verbo: Quamvis ff. de bonis authorit. iudicis possid.* Cenelus *prac. qq. Sing. 57. num.* Octavianus *de adverb. dict. item vers. iter.* Barbosa *dict. iterum. 160.* & alij ex l. *fideicommiss. §. siquis alicui.* docentes, quod hæc dictio, *Iterum est repetitiva ejusdem actus pro una vice tantùm*. Ita in præsenti. Vnde in Summario Hispano dicitur: *Vna vez en la vida, y otra en la muerte &c. ayan plenaria indulgencia dellos.* Si igitur una vice tantùm conceditur hæc Indulgentia pro mortis articulo; pro quo alio nisi pro vero, qui semel tantum contingit, concessam esse iudicandum erit, præsertim, cũ pro præsumpto inutilis sit concessio ad finem à Pontifice intentũ?

5 Probatur conclusio quoad secundam partem ex significatione etiam particulæ, *Iterum*, quæ, ut docet Alexander Scotus in *lexicon. Quandoque ex natura actus, cui adjicitur exponitur, idest, quoties opus fuerit, & Glossa, & ibi Doctores in cap. sua nobis de apellat. & Angel. Aretin. in præmio instit. verbo, quorum, & Doctores in l. veluti de Edn. & l. fideicom. §. siquis decem. ff. de legat. 3.* Cõsonant Octavianus, & Barbosa *sup.* addentes; *Ita præcipuè accipi quando iteratio non tendit in gravamen alterius.* in præsenti verò in maximum emolumentum Fidelium hęc acceptio tendit, ma

1 iorem que Pontificis largitatem ostendit, cuius ut pote supremi Principis favores, ut sunt Indulgentiarum concessiones largè sunt iuxta Doctores interpretandi. Præterea, quia praxis Sapiẽtium hoc docet, qui indulgentiam hanc applicant, in quocumque mortis articulo independenter ab eo; quod iam sit applicata aliquoties in illo anno. Vnde nihil circa hoc interrogant, cum eam applicare volũt: Et ita etiam periculo frustrationis defectu Confessarij applicãtis non ita facilè exposita erit hæc indulgentia, & sic Suarius *tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 19. num. 12.* Cordova *lib. 5. de indulg. q. 36.* & Gerson *2. p. to. de absol. §. quæris ulterius*, sentiunt de simili indulgentia Regularib⁹ pro mortis articulo concessa, de qua infra.

6 Huic sentẽtiæ adherent Sãctus Antoninus, Gerson, Gabriel, & alij Doctores, quos citat, & sequitur Emmanuel *§. 9. dub. 3.* asserentes; hanc Indulgentiam concedi absolutè pro articulo vero, & præsumpto, nec limitant ad unam, vel ad plures concessiones. Sed pro tutiori huius Indulgentię consecutione posset Confessarius ita conditionatè in articulo præsumpto eam applicare, ut si semel tantùm concedatur à Pontifice, concessio reservetur pro vero articulo iuxta ea, quæ docent Moure, Navarrus; Corduba, Vega, & Villalobos apud Dianã *tract. de Bulla: resol. 106.*

7 Porro ex hac sententia videtur sequi illa, quæ, ut refert Trulench *l. 1. §. 7. d. 19. num. 11.* docet, concedi etiam hoc Iubilęum, & applicandum esse in mortis periculo: quod tunc est, quando adest *casus, in quo frequenter, & ut in plurimum mors solet accidere*; ut ex Ioanne de Medina, Cobarrubia, Angelo, Victoria, Navarro, & alijs definitur a Zambrano *prælud. 1. num. 1.*

DVBIVM III.

V. Requiratur applicatio Confessoris, vel alterius ad hæc Jubilæa obtinenda?



It conclusio; Nullum ex Iubilæis pro mortis articulo assignatis dubio antecedenti prærequirit applicationem Confessoris, aut mi-

nis-

miſterium alterius, ut patet ex verbis conceſſionis ipſorum ibi relatis. Aſt Iubileum conceſſum moribundis in Cruciata hanc applicationem expoſcere communis eſt Theologorum ſenſus apud Trulench *l.1. §. 7. cap.2. dub.9.* Sed re attentè perpenſa probabile exiſtimo, nec in hoc applicationem per Confeſſorē faciendam requiri. Probo nam in Bulla hiſpana dicitur concedi accipientibus: *Que puedan elegir confeſſor, que los pueda abſolver una vez en la vida, y otra en el articulo de la muerte de qualquiera peccados* &c. *que conſigan, y ayan plenaria indulgencia dellos.* Vbi nota non dici, *Que les pueda conceder, o aplicar la indulgencia*; ſed quod ij eam conſequantur, & in latina eundem ſenſum efficit verbum, *Obtinere*, & ly *Ab eo*, cadit ſuper abſolutionē tantùm, nō ſuper lucrationem Indulgentiæ: Itē certum eſt in omni ſententia poſſe Moribundum ab uno abſolvi à peccatis, & ei ab alio applicari indulgentiam, qui poteſt non eſſe eius Confeſſarius: ergo ad conſecutionem applicatio Cōfeſſarij, minuſque eius, a quo abſolvitur, non requiritur.

2 Vnde meo iudicio duplex privilegium unum ab altero independens in prædictis verbis conceditur: alterum abſolutionis á peccatis & cenſuris, ad quam neceſſarium omnino eſt miniſterium Confeſſoris; alterum conceſſionis ſeu lucrationis Iubilęi in mortis articulo, ad quam non requiritur hvius, vel alterius miniſterium, ſicut etiam ut indulgentia proſit non requiritur quod præceſſerit, aut detur confeſſio in eo articulo, ſi lucraturus nullum pecatum in ſe cognoſcit mortale, & ita tunc nec cōfiteri vult nec indiget abſolutione á cenſuris, & peccatis. Atque quod ad lucrandum indulgentias Cruciatę non ſit opus confeſſione docent Suaaius, Zanardus, Lorichius, Reginaldus, Enriquez, Molfęſius, Bonacina, Grafis, & alij apud Dianam *1.p.trac.11.reſ,107.* Ex qua ſententia ſequitur, quod indulgentia Moribundo, qui confiteri nequit ob repentinum morbum, applicari poteſt, & debet, ut rectè Suarius *d.56 ſec.1.n.7.*

3 Præterea probatur, quia ſi abſq; applicatione non prodeſſet indulgentia hæc, ſæpe fruſtraretur, cum deficiat, vel qui applicet, vel memoria petendæ, aut faciendæ applicationis. Et durum ſanè eſt, lucrationem huius Iubilæi ita utilis, immo, & neceſſarij, utpote ultimi, quod in hac vita lucrari poterit Moribundus, pendere á memoria, voluntate, vel malitia, aut ignorantia alicuius. Hinc rectè Moure *3.p.exam.cap 9.§.10. num.4.* interrogans, *V. ſi Confeſſarius ex malitia non me abſolvit, lucror ne indulgentiā? Reſp. lucror. ita* Curiel de *Iubil.p 33 abſolutè de quā libet indulgentia, ac noſtræ Bullæ textus eſt clarus circa hunc eventum.* Idē docet Emmanuel de hac indulgentia *§.9d.8.n 43.* ergo ad valorem indulgentiæ non requiritur applicatio. Cum autē hanc requiri aſſerūt DD. aliqui, eam ſub nomine Abſolutionis forſam intelligunt: vel deberi indulgentiam applicari à Sacerdote tradunt, cum applicatur ſimul cum abſolutione peccatorum, vel ab eo, qui hanc concedit; & regulariter loquendo ea applicari ſolet intra Sacramentum pœnitentiæ vel immediatè poſt abſolutionis verba. Aſt ſi (iuxta aliquos) abſolutionis ſacramentalis ſit incapax Moribundus, poſt abſolutionem a cenſuris applicetur ei indulgentia, ut docēt Navar. Enriq. Villal. Diana, & alij apud Trul. *l.1, §.7.c 2.du. 9.*

4 Servandā autem neceſſariò non eſſe in hac applicatione, cum ſit, formam, quam ſummarium aſſignat, ſed quamlibet ſufficere, conveniunt Doctores. Quare ſufficiet, quod applicans dicat: *Concedo tibi indulgentiā prout in Bulla continetur* vel *concedo omnes indulgentias, quas virtute Bullæ concedere poſſunt.* Sic Diana *reſol.* 106. Emmanuel *num.* 4. Moure *num.2.* Reginaldus *num.157.* Trulēh *num.13.* Leander á SS. Sacramento *tom.1. de ſacram.tract.5.q.274* In aliquibus autem Ritualibus hæc Forma præſcribitur: *Concedo tibi, & applico indulgentiam plenariam virtute Bullæ Cruciatæ facultate mihi commiſſa, & tibi conceſſa.*

5 Addo cum Diana, Reginaldo, & Trullench quod Infirmi iam iam morituri his verbis, *Abſoluo te:* poſſunt abſolvi à cenſuris, & peccatis, & eis applicari indulgentia; ſi abſolvens intendat: ſed hoc fieri nequit niſi in confeſſione ſacramentali: non autē ſufficiet actus interior Sacerdotis (ſi applicatio neceſſaria eſt, aut facienda) quia hæc poteſtas exterior eſt, utpote Eccleſię viſibili conceſſa: ſufficerent verò nutus, vel ſigna, ut ſi pœnitens terrogaret Sacerdotē, nū ſibi applicaret indulgentiam? ipſeque capite, vel alio ſigno annueret. Poſſe verò hanc indulgentiam [ſine abſolutione peccatorū] applicari Moribundo abſenti, affirmant Trulench *ſup.d.19.num.7.* & Diana *5.p.tr.3. reſol.134.* quibus adhæret Leander *ſup.q.173.* addens: *Non ſolum in articulo mortis, ſed etiam extra illum poſſe abſolutè, & per ſe indulgentiam applicari abſenti.*

Notanda tamen eſt hîc ſententia Abbatis, Sylveſtri, Avilæ, Armillæ, Ledeſmæ utriuſq; Ioannis de la Cruz, Ragucij, & Valerij, quos noviſſimè edit Thomas del Bene

citat *l. de comitijs dub. 4. ſubſec: 32. num.1.* qui que aſſerunt quod in defectum Sacerdotis alius inferior, Clericus, ſcilicet primæ tonræ, immo & Laicus à cenſura excõmunicationis in mortis articulo abſolvere poteſt, & indulgentias applicare, ad hoc, ut Defũctus poſſit ſepeliri in loco ſacro, & pro ipſo Miſſa celebrari. Oppoſitum docent Paludanus, Sotus, Navarrus, Covarruvias, Suarez, Garcia, Villalobos, & Coninch apud eundem num. 2.

DVBIVM VI.

Vtrum Moribundi lucrentur omnia Iubilæa pro mortis articulo conceſsa: etiam ſi eorum non recordentur, aut illa ignorent: vel ſenſibus ſint deſtituti, aut ſine intentione opera iniuncta exequantur?

1 COntingit ſæpe ſæpius, plurimas indulgentias plenarias ob plures titulos poſſe ſimul lucrari Moribundum, vel quia habet plura Grana, Cruces, Imaginesue, quib⁹ illę ſunt applicatæ; uel titulo ſuæ Religionis, Confraternitatis, & ſimilium. Has autem, vel earũ aliquas ille ignorat: aut non recordatur in eo articulo, pro quo ſunt conceſſæ. Has autem non poſſe obtineri a Moribundo, nec ab aliquo alio cum hac ignorantia, aut oblivione, docent Rodriguez, Trulenc; Leo, Corduba, Vega, & Boſius apud Leandrum *ſup. tract. 5. d. 14. q. 37.* qui oppoſitam ſententiam probabiliorem iudicat, pro eaque affert Portelum. Ludovicum de Molina, Dianam, Sanctarelum, Laymanum, & Villalobos. Huic aſſentior cum limitatione, quam Lugo *d. 27. ſect. 6. num. 82.* ita addit; *Dummodò non exigantur certa opera pro aliqua ſpeciali neceſsitate applicanda, v. g. orationes pro auxilio divino implorando contra talia pericula imminentia: non poteſt enim opus fieri cum tali intentione, ſine aliqua illius notitia.*

Igitur, qui haberet Grana, & Imagines
2 prędictas, ſimulque eſſet Religioſus, aut Cõfrater alicuius Congregationis, vel decederet cum habitu Religionis, exequens diligentias requiſitas ad obtinendum iubilæa ob hos titulos pro mortis articulo conceſſa; v.g. invocaret nomen Ieſu, &c. omnia tunc obtineret, etiam ſi omnino ignoraret, aut non recordaretur, ea fuiſſe ſibi conceſſa. Ratio eſt, quia cum ſine dubio Pontifex indulgentias concedere poſſit, quas lucrentur, etiam earum ignorantes, veriſimile eſt eam intentionem habuiſſe, precipuè pro mortis articulo, in quo tot defectus adverrentiæ, & memoriæ evenire inculpabiliter ſolent; & pro quo, cum ita liberaliter ſe gerant Pontifices, quoad abſolutionem à peccatis, & cenſuris: liberaliſſimè etiam ſe gerere quoad conceſſionem indulgentiarum credẽdum eſt; præſertim cum iam ad alias obtinendas aliqua opera ſatisfactoria exhibenda vix tempus, & occaſio ulterior illis detur.

3 Confirmat hanc ſententiam Suarius *d. 56. ſect. num. 7.* dicens: *Vlterius infero, non eſſe neceſsarium vt is, cui talis indulgentia conceditur, percipiat, & intelligat ſibi concedi; quia neque hoc eſt neceſsarium ad efficacem actum abſolutionis: abſolvitur enim a peccato, & a cenſura, is qui nihil intelligit: ita etiam abſolvi poteſt, etiam quoad indulgentiam. Satiſque eſt quod verba, vel ſigna de ſe ſufficienter ſignificent.* Et *num. 8.* Idem de concedente, ſeu aplicante ſtatuit. Vnde obiter patet ratio, cur non ſit neceſſarium, quod Moribundus petat ſibi Bullæ indulgentiam applicari: ſemper enim ſupponere in eo debemus voluntatem interpretativam, ut notat Suarius *ſup.*

4 Hinc deducitur, & ſentiũt plurimi, quod Moribundo ſenſibus deſtituto, vel amenti poſt rationis uſum facto, poſſunt applicari indulgentię Cruciatæ pro vita, vel mortis articulo conceſſę. Ita DD. videndi apud Dianam *1. p. tract. 11. reſol. 108.* Conſulam ve 16, quod Confeſſores indulgentiam applicent cum mentis compos exiſtit infirmus. Emmanuel *§. 9. n. 39.* Moure *3. p. cap. 9. §. 10. n. 3.* & alij notant, ſalubre conſilium eſſe, eam applicare, cum Moribundus peccare nequeat moraliter, iuxta Prudentis iudiciũ ut ita abſque pæna purgatorij in cęlum ad volare valeat. Ad lucrationem verò aliarũ indulgentiarum, quæ pro mortis articulo conceſſæ requirunt aliquem actum ex parte Moribundi, v.g. ut invocet nomen Ieſu, vel Mariæ, ore, aut corde, ut dicat: *Alabado ſea el Sanctiſsimo Sacramento*, & ſimilia, certius eſt uſum rationis requiri, cum actum rationalem, & humanum exigant pro Iubilęi lucratione exequendum. Quod ſatis innuunt verba illa conceſſionis; *Qualquiera que en el articulo de la muerte dixere con devocion y una ſola vez Ieſus &c. y devotamente con la voca, o con el coraçon encomendare ſu anima a Chriſto.*

5 Vnde ſolerter attendant Confeſſores, vel qui Moribundos adiuvant, in mortis articulo, ut eos intra illum (qui per unum, immo & duos, & tres aliquando dies durare ſolet) ad invocationẽ nominis Ieſu, &

Ma-

Mariæ,ac Sanctiſſimi ſacramenti laudem verbis relatis ſæpiſſimè excitẽt, intentionẽ lucrandi hæc Iubilæa illis in memoriam re vocantes. Et cum probabile ſit, quod pro periculo mortis probabili, & articulo præſumpto concedatur etiam Cruciatæ Indulgentia,ut diximus, non multum erit retardanda applicatio;ſed applicari poterit quãdo infirmus iudicio Medicorum confiteri 1
debet ad ſuſcipiendum viaticum, vel paulo poſt, ne interdum conceſſio morte ſuperveniente,fruſtretur.Sic ex Navarro, Reginaldo, & Nugnio notat Bonacina *d.6.q.1.p.1. p.8.num.* 12, Cui ego adderem quod etiam ſi tunc applicata fuerit Indulgentia:iterum in adminiſtratione Extremæ Vnctionis,ut ſtatuitur in Ordinario Romano, & in vero, & proximiori mortis articulo applicẽtur: etiam ſi ſenſibus deſtitutus ſit Ægrotus, vel ut loquitur Compilator Privilegiorum *uerbo. indulg.fol.*319. concedant: *Quando iam vult exhalare ſpiritum, ſeu reſervent uſque ad ultimũ punctum, vel propè.*

6 Intentionem virtualem ad lucranda hęc Iubilæa ſufficere communis eſt. DD. Hanc autem inveniri ſemper in præſenti nullus dubitabit:tum quia intentio cuiuslibet Moribundi Chriſtiani præſumitur eſſe lucrari omnes indulgentias conceſſas pro mortis articulo, quarum eſt capax:tum,quia eo ipſo,quod quis,ſcienter,& mentis compos accepit Bullam,vel Confraternitatem ingreſus eſt, aut Religionem profeſſus, nec non Grana, Cruces,& Imagines benedictas,accepit,habitum ve alicuius Religionis, ut eo ſepeliretur,petijt,intentionem habuiſſe creditur lucrandi omnes indulgentias intuitu harum rerum conceſſas. Quare eas conſequetur,licèt novam,formalem,& actualem intentionem in eo articulo non habeat,nec illarum recordetur: nec diligentias faciat, v. g. invocet nomen Ieſu formali,& actuali intentione lucrandi Iubilęa explicata; Pontifex enim ad illa lucranda non intentionem formalem,immo nec notitiam iuxta dicta, ſed opera in eo articulo facta exigit, & ſicut applicatur ſatisfactio Chriſti per ſacrificium Miſſæ, & etiam nõ intendenti, nec ſcienti prodeſt; ſic applicata hæc per Indulgentias proderit non intendenti,ac neſcienti,ut argumentatur Doctiſſimus Lugo *ſup.num.* 81. additque *num.* 82: quod *Aliquando Pontifex omnibus præſentibus in Baſilica poſt Miſſam à ſe celebratam Indulgentias concedit, licèt non omnes ibi præſentes id audiant, vel ſciant.* 3

DVBIVM V.

Quid circa diligentias requiſitas ad lucrandum hæc Iubilæa ſentiendum & executioni mandandum eſt?

CONfeſſionem, & Communionẽ, aut Contritionem expoſci in aliquibus ex huiuſcemodi Iubilæis, ipſorum conceſſiones,dubio 1.relãtæ,oſtendunt.Sic Indulgentiæ pro ſancti Caroli canonizatione, ibi: *Y ſiendo ſiquiera cõtrito no pudiendo confeſſar, y comulgar.* Et pro Regularibus; *Si pariter verè pœnitens, & confeſſus,ac ſacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit,nomen Ieſu* &c. In alijs nulla mentio Confeſſionis fit. Circa quæ breviter notandum eſt,eum qui non habet cõ ſcientiam peccati mortalis, non indigere cõfeſſione ad hæc, & ſimilia Iubilæa, confeſſionẽ non pro conditione, ſeu diligẽtia, ſed pro diſpoſitione,ut hęc,& fere omnia, petentia. Sic Suarius, Zanardus, Comitolus, Lorchius, Enriquez, Molfeſius Benzonius, Ægidius, Filiucius, Lugo, Lublinus Navarrus, Layman, Sanctarelus, & innumeri alij videndi apud Leandrum *ſup.d.* 14 *q.* 79 qui pro oppoſita alios affert.

2 Immo etiam ſi quis incidat in peccatũ mortale non tenebitur ad confeſſionem ad lucranda Iubilæa conceſſa omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, vel contritis, & confeſſis,ſed ſufficeret vera, & perfecta contritio cum confeſſione in voto, aut cum propoſito confitendi tempore debito iuxta Eccleſiæ præceptũ ita docent Suarez Enriquez, Filiucius, & Ludovicus a Cruce,quos citat,& ſequitur Diana *p.5.trc.12. reſol.*30. probabileque putat Lugo *diſp.* 27. *num* 94.licèt oppoſitum plures alij tueantur. Ego verò faciendam confeſſionem in hoc caſu ſemper ſanis lucraturis has Indulgentias conſulerem, & in articulo mortis Moribundum ad eam obligarem pro lucranda Indulgentia tunc conceſſa,quia ad eam aliàs tenetur tam ratione ſtatus infirmitatis,& periculi,quãm præcepto in articulo illo. Conſule Tract. 1. dub. 12. Ad lucrandum verò alia Iubilæa prædictam claſulam nõ habẽtia, ſive cum confeſſione, ſive cum contritione quis decedat, neceſſum non erit præceſſiſſe confeſſionem.

Circa Cõmunionem, quæ in aliquo ex his Iubilæis requiritur, idem dicendum videtur, quod in alijs exigentibus Communionem;videlicet non ut diligentiam, ſed ut diſpoſitionem iuxta dubium 13. Trac. 1. Aſt Communio,de qua hic igitur illa eſt,

quæ pro Viatico fit. Hæc enim præſupo-
ni ad invoca ionem nominis Ieſu deno
tatur. Sed ſi Moribundus Euchariſtiam ne-
quit accipere, vel ob vomitus, quos patitur,
vel quia nondum ad ſufficientem maturita
tem pervenit, vel ob defectum Miniſtri, in-
dulgentiam nihilominus conſequetur: hæc
enim non negatur communicare nequeun
tibus, ut conſtat ex indultis relatis. Sic in ſi-
mili Enriquez *lib. 7. cap. 10 num. 8.* Sanctare-
lus, & Grafis, quos citat, & ſequitur Diana
tom. 2. tract. 4. reſ. 152.

4 Circa invocationem nominis Ieſu, vel
Mariæ, quæ requiritur in omnibus ferè Iu-
bilæis pro mortis articulo conceſſis, notan
dum eſt, quod ore in primis, ſi Ægrotus poſ
ſit, invocare debet Ieſu, vel Mariæ nomen 6
ad has indulgentias lucrandum: ſi verò præ
ægritudinis moleſtia, aut impotentia ad
loquendum, vocem etiam quantumuis te-
nuem, aut ſubmiſſam eformare nequit; cor-
de invocet hęc ſacratiſſima nomina, hoc eſt
mente, aut cogitatione, voluntate, aut affec-
tu: Sic enim corde credimus in Deum, ipſi
loquimur, ac eius auxilium implorámus.
Hinc David *pſal. 118. Clamavi in toto corde meo
exaudi me Domine* & ad Roman. 10. dicitur:
*Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio
fit ad ſalutem.* Vbi interpretes; *Corde* idest,
mente & voluntate, ut cum alijs exponit Lori
nº. Sicqúe invocatio iſta licet non petat ac-
tum fidei, ſupponit tamen illum, iuxta id
Pauli: *Quomodo ergo invocabunt, in quem non
crediderunt?* Nec neceſſe eſt, ut oratio perfec
ta efficiatur dicendo: *Ieſu adiuva me*, vel *Ieſu
miſerere mei*: cum ſolùm invocatio ſeu nomi
nis Ieſu prolatio à Pontifice exigatur. Quā-
do autem in formula dicitur: *Ore, vel ſaltem
corde*: ſufficiet corde invocare, etiam ſi ore
poſſit fieri invocatio: nam dictio *Saltem* eſt
ſubſidiaria, & diminutiva, ut ex cap. *ſtatutum
§. cum verò de reſcriptis. lib. 6.* docent Cor-
nelius *conſ. 190. vol. 1.* Octavianus Vulpellus
de præpoſit. 21. adverb. dict. ſaltem. pag. 104. Surdº
conſ. 447. num. 27. Tuſchus *tom. 2. lit. D. concluſ.
367 num. 4.* & alij.

5 Sed notandum 1. Quod ſi Moribundus
pro nomine *Ieſu, aut Marię* poneret, aut
invocaret nomē *Chriſti*, aut *Virginis*, aut *Ma-
tris Dei*, fruſtrationis periculo Indulgentiā
exponeret: cum ſint, & ſonent quid diver-
ſum, ut pote nomina propria illa; non hæc,
& formalis horum devotio, ac invocatio
eſt diligentia petita ob peculiares titulos, ac
præcipuè ob ſingularia beneficia, quæ Mo-
ribundis communicat, ut de Nomine Ieſu
videre licet apud Carolum Stengelium. &
de Nomine Marię apud me ipſum in libro,
quem anno 1640; edidi. Secus exiſtimarem
ſi quoad ſubſtantiam, & ſenſum verba mu-
tarentur: ut ſi loco; *Alabada ſea el Santiſſimo
Sacramento*, diceretur: *Enſalzadd ſea la ſagrada
Euchariſtia*: nec enim hac locutione, diverſa
excellentia, aut beneficium explicatur. Nec
obſtat vulgatum axioma: *Indulgentiæ tantum
valent, quantum ſonant*: quia hoc ſolùm ſig-
nificatur, tantam pęnam remitti, quantam
ſonat conceſſio; ſeu quod ad id valent, ad
quod ſunt conceſſę: Sic Graphis, Coninch,
Suarez, Nugnius, Corduba, Vivaldus, & alij
apud Bonacinam *d. 6. q. 1. p. 7. num. 1.* Adhuc
ſemper conſulam, ut vel in minimo phra-
ſis, aut verba à Pontifice aſſignata, non mu-
tentur.

Notandum. 2. In quocumque temporis 6
ſpatio, in quo verificetur, infirmum in mor
tis articulo exiſtere, etiam ſi ab animæ ex
halatione, per tres, aut quatuor dies diſtet,
poterit diligentias præſtare, v. g. Nominis Ie
ſu invocationem, ad lucrandum Iubilęa præ
dicta. Vnde, ut quis obtineat Indulgentiam
illam, in qua Paulus V. conceſſit; *A todos los
fieles Chriſtianos, que confeſados, y comulgados dixe
ren Alabado ſea el Santiſſimo Sacramento, por
cada vez que lo dixeren ganen Indulgencia plena-
ria, y por las cinco primeras vezes pueda ſacar cin
co Almas de purgatorio*; non eſt neceſſum, ut
immediatè poſt Communionem, aut Miſſæ
celebrationem hæc dicat, ſed poſt aliquot
horas a communione ſufficiet. Immo ſi in-
terpoſito die, in quo quis communicavit
pronuntiet verba, ſive diviſim, ſive coniūc
tim per quinque vices, Indulgentiam con
ſequetur, Animaſque à Purgatorio libera-
bit: cum veré tunc dicat: *Confeſado y comulga-
do*: nec immediatè ad Communionem dici
petatur, ſed à Confeſſis; & Euchariſtia re-
fectis, iuxta dicta Tract. 1. dub. 13.

DVBIVM VI.

Practicæ obſervationes circa Iubi-
læa, & Indulgētias conceſſas in-
tra, & extra mortis articulum
Granis, Crucibus, Imaginibus,
Roſarijs, & Coronis benedictis.

1 PRima obſervatio eſt ea, quam à
viro docto aliquādo audivi, ſci
licet, non requiri Cruciatam ad
lucrandum Iubilæa, & Indul-
gentias prædictas; cum Bulla ſo
lùm ſuſpendat Indulgentias locales, & per
ſonales; conceſſas, ſcilicet locis communita
tibus, aut perſonis ſingularibus, ut conſtat
ex eius verbis: *Itē prædicto Cōmiſſario, & Recep
tori*

tori Generali datur facultas, ut ſuſpendere poſſit, dicto anno durante omnes ſimiles, vel diſsimiles Indulgentias, & facultates ab eiſdem, & Sede Apoſtolica, vel eius auctoritate, quibuſvis Monaſteriis, Hoſpitalibus, pijs Locis, Vniverſitatibus, Confraternitatibus, & ſingularibus Perſonis, in Regnis, Inſulis, locis, & dominijs præfatis conceſſas. Et in hiſpana ſic eas ſuſpendit Commiſſarius: *Yos el dicho Comiſſario &c. Suſpendemos durante el año de la publicacion, y predicacion della todas, y qualeſquiera gracias, Indulgencias, y facultades, ſemejantes, o diferentes concedidas por ſu Sãtidad, o por otros Summos Pontifices, &c. a todas y qualeſquiera Igleſias, y monaſterios, hoſpitales, y otros lugares pios, univerſidades, y cofradias, y ſingulares perſonas.* Indulgẽtię vero, Crucibus, Imaginibus, & Granis conceſſę, nec locis, nec communitatibus, nec perſonis ſingulàribus conceduntur: ergo non ſuspenduntur.

2 Confirmatur, quia in pluribus harum Indulgentiarum Summarijs, ait Pontifex eas non revocari, niſi earum expreſſa mentio fiat; cum igitur, nec in generali, nec in particulari ſint in Cruciata revocatæ, per ipſã non ſuſpenduntur. Præterea, quia alienum omnino ab intentione, liberalitate, & pietate Pontificis videtur, ut homo pauperrimus, qui pecuniam non habuit ad Bullam accipiendam, ſi habeat [ut habere facillimum eſt] aliquod granum, vel imaginunculam benedictam, privetur his indulgentijs, præſertim in mortis articulo, in quo illis ita indiget, & adeo pius, & liberalis oſtenditur Pontifex.

3 Hanc ſententiam expendant viri docti, ego enim illi aſſentiri vix auderem, cum praxis oppoſitum doceat, & in ſummarijs in Regno Hiſpaniæ impreſſis frequenter addatur: *An de tener la Bulla de la ſancta Cruzada*: licet in exemplaribus aliquibus id non inveniatur, & in Cruciata Indulgentiæ ſuſpendi dicantur, etiam ſi clauſulas aliquas contra ſuſpenſionem facientes continerent. Quod ad naturàm harum Indulgentiarum attinet, nec locales, nec perſonales abſolutè eſſe, ſed reales tantùm recte docet noſter Lugo *de pœnit. d. 27. ſect. 8. num. 130.* ut pote illis Granis, Imaginibus, & Coronis annexas, & non conceſſas ſolũ intuitu illius Grani, ſed principaliter in cultum alicuius Sancti, vel ob aliquam neceſſitatem, vel ob merita egregia alicuius Principis Chriſtiani erga Eccleſiam Dei. Addit que: *Ipſum granum multum cõducere ad pietatem quia in ipſo profitemur & veneramur auctoritatẽ Summi Pontificis, à quo mediate fuit benedictum.*

4 Secunda obſervatio eſt, quod Granum, Imaginem, aut Crucem benedictam ſecũ habere debet Moribundus in articulo mortis, ut ratione illius Iubilæum lucretur. Sic in cõceſſionibus dicitur; *Concede ſu Santidad a qualquiera perſona, que teniendo qualquiera de las coſas dichas &c. todas las perſonas, que tuvieren conſigo eſta imagen &c.* Circa quod notanda eſt ſignificatio verbi: *Habere*, quod eſt generale, & comprehendit tam dominiũ, quàm poſſeſſionem, & de facto detentionem; *l. ſtipulatio §. hi. qui. ff. de verb. obligat. l habere, duobus modis ff. de verb. ſign. l. 2. §. 1. ff. de relig. & ſumptib. funer.* Rebuffus *ad l. 113. ff. de verb. ſignif. p. 523.* Bertazol *de clauſ. 26. gloſ. 4. num. 2. & 3. & clauſ. 35 gloſ. 3 num. 1.* Barboſa *dict. n 10.*

5 Igitur, ut tutius Indulgentia obtineatur, Imaginis dominium, poſſeſſionẽ, ac apud ſe, ſeu iuxta ſe retentionem habeat Moribundus, non tamẽ neceſſarium eſt, ut collo appẽſa, brachiò obvoluta, manuve apprehenſa, aut corpori ligata exiſtat imago, aut granum [licet aliquem ex his modis habendi ego ſemper conſulerem] ſed ſufficiet, ut in lecto, vel ita iuxta Moribundũ ſit, ut morali, ſeu vulgari loquendi modo verificetur, *Que tiene conſigo la Cuenta, Roſario, o Medalla*, licét. nec uideat, nec targat, immo iuxta dicta antecedenti Dubio, vel obliviſcatur, vel ignoret eam apud ſe retinere. Quod intelligendum eſt, niſi aliud exprimatur in conceſſione, ut in Iubilæo pro Euchariſtiæ veneratione exprimitur, ibi: *Que en el articulo de la muerte tubieren en la mano la inſignia del Sanctiſsimo Sacramẽto.*

6 Sed rogabis, an ſufficiat, quod commodatam habeat Moribundus imaginem, in mortis articulo, ut Iubilæum lucretur, ſeu quod non dominium, ſed uſus tantùm pro illa hora Moribundo detur? Reſpondeo ſufficere, ſic enim verificatur, *Que tiene conſigo en el articulo de la muerte aquella Medalla, o Cuenta*; Et verbum *Habere*, ſine dominio rei, ſi uſus adſit illius, propriſſime ſalvatur. Sic Rebuffus *in l. 143. de verb. ſignif. fol. mihi. 723.* ait, *Verbum habere non ſolum dicitur de Dominio ſed de detentione, & poſſeſſione, etiam propriè. Hoc ſenatus conſultum non ſolùm adeõ pertinet, qui pecuniã uſum fructum, vel aliarũ rerũ quas habuit, legavit, verũ etiam ſi fuerint alienæ. ff. de uſu fructu earum rerum l. 1. §. quod autẽ.*

7 Nec neceſſum eſt, quod illam Imaginem apud ſe Moribũdus retineat uſque dũ ultimum ſpiritum exhalet: ſufficiet, enim eam habere in aliquo articuli mortis ſpatio, & in ipſo nomen Ieſu invocare. Conſulam nihilominus, ut omnes imagines, uſque ad animæ effationẽ retineat, & quod non commodatam, ſed [illegible]

infirmus, quod ſi quis donaverit ad vitam, poterit Imaginẽ a defuncto repetere, ut liberalis eſſe videatur. Quod autem de cõmodato dictum eſt, intelligitur, niſi in conceſſione exprimatur non ſufficere imaginem commodatam habere. Ex adverſo autem certius erit commodatam habere, ſatis eſſe, ſi id exprimatur, ut exprimitur in Indulto indulgẽtiarum pro S. Carolo Bórromęo, & pro quinque Sanctorum Canonizatione, his verbis *num.* 17. *Y para Ganar las dichas Indulgencias baſta tener qualquiera de las dichas coſas, ó ſuya propria, o preſtada.* Et additur. *Y ſi alguna ſe perdieſſe, o quebraſſe ſe podra poner otra no bendita en ſu lugar* (& pro una ſcilicet vice) *y terna las miſmas Indulgencias las quales ualgan por todo el mundo.* Eadẽ clauſula habetur in indulto indulgentiarum, quæ pro Canonizatione quinque Sanctorum ad inſtantiam Patrum Societatis Ieſu del Peru, Anno 1596. & Patrum Procuratorum Congregationis 1615. & 1622. ſunt conceſſæ.

8 Tertia obſervatio: Si infirmus plures imagines, cruces, aut grana benedicta habeat, quibus applicatæ ſint plenariæ indulgentię, ſive intuitu eiuſdem, ſive diuerſarum conceſſionum: toties plenariam conſequetur in articulo mortis (idem in decurſu vitæ) quoties in eo invocationem nominis Ieſu repetierit, aut diligentiam exequatur requiſitam. Sic Suarez *d.* 52. *ſec.* 8. *num.* 19. & Granado *cont.* 12 *de indulg. tract.* 6. *d.* 2 *num.* 8. Omnes autem comparari non poſſe unico actu; ſed ſingulis ſingulas, quia unaquęque poſtulat actum ad talem finem, aſſerunt Filiucius, Ægidius, Layman, Bonacina, Villalobos, & Diana apud Leandrũ á SS. Sacramento *to.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 14. *q.* 176. Sed oppoſitum affirmant Corduba *q.* 35. & Enriquez *cap.* 17 §. 5. Aſtenſis, & Hoſtienſis apud ipſum, Fauſtus *de Iubil. lib.* 2. *queſt.* 30. Sanctarelus *cap.* 5. *dub.* 1. ac innuit Granadus *ſup.* dicens: *Quando opus pro pluribus indulgentijs requiſitum determinato loco, & tempore adſtrictum fuerit, ita quod ſemel tantum fieri poſſit, illud ſufficiet ad omnes indulgentias, dummodo aliunde ſit cauſa ſufficiens tantæ conceſſionis.* Et licèt unica tantum plenaria Indulgentia tunc verè obtenta ſufficiat, ut efflato ſpiritu ſtatim hic evolet in cælum, adhuc Moribundum hortetur Confeſſarius, ut indulgentias omnes lucretur, quæ omnibus vijs & varijs indultis ſibi ſunt pro illo articulo; immo & pro decurſu vitæ conceſſæ, ut ſi forſan unam nõ fuerit lucratus ob defectum aliquem, aliam lucretur, certiuſque purgatorij pœnas evadat.

9 Vltimò notandum; quod licèt neceſſum ſit, ut Imaginib⁹, Crucib⁹, Reliquijs, & Granis applicatæ ſint benedictiones, ſeu indulgentiæ, quas Pontifex unicuique conceſſit, ſemel applicatę removeri non poſſunt ab his rebus. Et uni, eidemque imagini plures & diverſæ benedictiones, aut indulgentiæ applicari valent: attamen indulgentiæ conceſſę Imaginibus Conceptionis, aut SS. Sacramenti his benedictionibus non indigent, ſed ſola effigie, aut figura Conceptionis, aut Euchariſtiæ impreſſa, cenſetur benedictio, ſeu indulgentia adhęrere, ut conſtat ex indulto hiſpanè vulgato, in cuius titulo dicitur: *Indulgencias concedidas por el Papa Leon X, a las Imagines de la limpiſsima Concepcion de Nueſtra Señora*, & Imaginis huius materia, & forma poſtea a Pontifice in hunc modum declaratur; *La imagen de la Cõcepcion de Nueſtra Señora ſe à de traer en un circulo redõdo de metal qualquiera q̃ ſea, veſtida de los rayos del ſol, coronada de eſtrellas, con la luna a los pies, y el cordon de ſan Franciſco al rededor.* Et in SS. Euchariſtiæ indulto â Paulo V. anno 1614. ad inſtantiam Philipi III. ita cõceditur: *Item concede ſu Sanctidad indulgencia plenaria y cien dias de perdon, à qualquiera perſona, que trujere en medalla, o en eſtampa la inſignia del Sanctiſsimo Sacramento, y eſcrito en ella: Alabado ſea el Sanctiſsimo Sacramento.* Ad alias vero indulgentias conceſſas, ijs, qui protulerint: *Alabado ſea el Sanctiſsimo Sacramento*, vel ijs, qui hęc verba domi ſcripta habuerint, aut prolata, fuerint venerati, neceſſe non eſt effigiem Euchariſtiæ habere.

Dvbivm Vltim.

Quæ ſint notanda circa Iubilæa cõceſsa pro mortis articulo Confratribus, Religioſis, eorum Parentibus, aut Sæcularibus cum Religioſo habitu decedentibus.

1 CIrca indulgentias, quas Confratres cuiuſvis Confraternitatis, aut Sodales Congregationum noſtrarum lucrari poſſunt intra, & extra mortis articulum: notandum eſt I. Has non lucrari niſi eos, qui legitimè iuxta regulas cuiusvis Cõgregationis, aut Confraternitatis, de facto admiſſi fuerint; quantumvis eas frequentent. II. Hac admiſſione facta licét ſæpiſſime á ſuis Congregationibus, earumque conventibus, & Capitulis abſint, nullumque opus pium ſui inſtituti exerceant: immò etiam ſi degant, aut moriantur in locis, ubi eiuſmodi Congregationes, nec ſimiles exiſtunt, earum indulgen-

gentias lucrabuntur; cum hæ ratione totius Congregationis, aut erectionis eius, cuius mẽbra sunt, cõcedantur; sicut de Regularibus dicebamus Tract. 3. dub. 4 & 6. num. 3. & in Sũmario Indulgentiarum pro nostris Congregationibus edito, dicitur: *Item que todas las dichas indulgencias las puedan ganar en qualquiera parte del mundo, que estubieren.*

2 III. Si iustè quis dimissus fuerit à Confraternitate, cum iam illius membrum nõ sit, indulgentias non lucrabitur; secus si iniustè. Privatio enim harum, ut pote pœna dari nequit si non præcessit culpa: quemadmodum de Regularibus iustè, vel iniuste expulsis probavimus Tract. 3. dub. 6. IV. Ad hoc ut Cordigeri S. Francisci, & Corrigiati S. Augustini lucrentur hãc, pro mortis articulo, & alias indulgentias sibi concessas, requiritur, ut illi Chordam deferant ac hi corrigiã benedictas ab aliquo Prælato. Sic Hyeronim⁹ Rodrig. *resõ. 31. n. 2. & 3.*

3 Circa indulgentias Regularibus concessas nihil occurrit addendum ijs, quæ diximus Tractatu 3. Pro mortis vero articulo, notandum, quod licèt in Compendio Mendicantium; *verb. indulg. quoad frat. num.* 1. dicatur quod *Martinus V. Eugenius IV. Nicolaꝰ V. Calixtus III. Pius. II. ac Sixtus VI. concesserunt omnibus Fratribus Minorum de observantia, quod possint eligere Confessorem, qui ipsis possit concedere indulgentiam plenariam in articulo mortis:* hanc tamen applicationem per Confessarium electum, aut non electum &c. iam nõ requiri certum est: eo quod postea Paulus V. sine illa, hãc indulgentiam concesserit. Obtineri autem hanc á Novitijs non dubito iuxta dicta *Tract. 3. dub. 3.* Mirorque Suarium *tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 19.* de hoc, ut in Donatis, seu Oblatis, ita in Novitijs dubitare; cum magnũ sit inter hos discrimen. Illi tamẽ assentior dum asserit, hanc indulgentiam Regularibus concedi pro quocúque mortis articulo, sive vero, sive præsumpto, ac quod in quocumque; etiam si multiplex sit, suum sortietur effectum. Cui consonant Gerson 2. *p. trac. de abs. Alph.* 33. *lit. K. &* Corduba *lib. 5. de indulg. q. 39.*

4 Circa indulgentias verò concessas Patribus, & Matribus Regularium consule quæ diximus Tract. 3. dub. 2 & concessas ante Paulum V. cognosces perseverare: necnon & concessas Sæcularibus, qui cum habitu Regularium moriuntur, vel in Ecclesijs, aut cœmeterijs illorum sepeliuntur: quas videre licet in compendio Mendicantium, *verbo. indulgentia quoad Seculares* 6. in quo hęc habentur. num. 7. *Idem Leo iterum confirmavit concessiones supra dictas, & addit, quod moriẽtes, & sepeliendi in habitu Fratrũ, ac Sororũ tertiæ Regulæ eiusdem S. Francisci sub obedientia Ministrorum Generalium, & Provincialium degentium consequantur indulgentiam plenariam.* Et num. 8. *Idem Leo declaravit, sufficere habitum prædictum petere, ac super se usque ad mortem habere, ac in eo sepeliri, etiam si ante mortem non induantur.*

5 Circa hæc notandum est I. in his indulgentijs dari communicationem inter omnes Ordines Religiosos esse satis probabile, iuxta dicta Tract. 3. dub 89. & 10. Ita quod Sæcularis qui moreretur in habitu cuiuslibet Religionis ex approbatis cõmunicatione privilegiorum gaudentis, cõsequeretur indulgentias plenarias, & non plenarias concessas morientibus in habitu S. Francisci, etiam si prædicti habitus aliorum Ordinum benedici non soleant: non enim petitur à Pontifice ista benedictio. II. Idem dicendum est de indulgentia, quam Ioannes XXIII, osculantibus habitum Fratrum Minorum & Prędicatorum concessit: quinque nempe annorum & totidem quadragenarum de iniunctis pœnitentijs, scilicet duo millia, & 75. dies, ut habetur in Compendio relato *num.* ubi dicitur: *Lucrantur hęc osculantes habitum Fratrum Minorum, & aliorum Mendicantium ratione communicationis.*

6 Notandum est III. non esse necessariũ, quod in ipso mortis articulo habitus á Moribundo petatur: Sufficiet enim si antea vel intra, vel extram infirmitatem id faciat; immo, & quod aliquando hoc significarit, licèt semper consulendum sit Moribundo ut habitum petat. IV. Nota, non esse necessarium ita supra se habitum habere, dum in mortis articulo perseverat, aut ultimum spiritum exhalat, quod totum corpus tegat aut lectulũ cooperiat, sed sufficiet si supra lectulum sit, aut Moribundo aliquomodo adhęreat, ita ut illum habere dicatur, iuxta dicta Trac. 8. dub. 6. Non enim credibile est Pontificem ab adeo levi circunstantia indulgentiam ita fructiferam pendere voluisse. V. Advertè quod si contingat, quod post quam Ægrotus petijt habitum, cum illoq; moriuus. & post mortem indutus est, spolietur postea illo, etiam antequam sepeliatur, adhuc lucrabitur indulgentiam, tum quia, in concessione prima Leonis relata *dub. 1. num. ult. Morientibus in habitu Francisci, & decedentibus in habitu Sanctissimę Trinitatis* conceditur ingentias: tum quia iam ea lucratus est Moribundus, cum spiritum exhalavit.

COROLLARIVM

An prædicta obſervanda ſint in omnibus alijs Jubilæis? Ubi ſpeciale Jubilæi quod Hiſpali lucratur, exemplar proponitur: & breviſſimé expenditur.

1 HÆC omnia in his Iubilęis expoſitis tradita, in habentibus eaſdem, vel ſimiles formulas obſervanda eſſe non eſt dubiũ: *Ratio* enim *legis ubi militat, ibi lex loquitur, & idem diſponit, ac regulat ipſam legem*, ut probat Tuſchus *to. 6. lit. R. cons. 31. & 32.* ac Barboſa *de princ. lit. R. n. 4.* Aſt ſi Iubilæi indultum ſingulare ſit, his regulis non eſt metiendum: quia ut in lege *Quod verum ff. de legib.* ſtatuitur: *Ius ſingulare non trahitur in conſequentiam.* Pro cuius veritatis ellucidatione, fineque huic Appendici imponendo placet proponere ſpecialiſſimum exemplar Iubilęi, quod in Hiſpalenſi Monaſterio Monialium B. Mariæ de Gratia, Ordinis Prędicatorũ pro Dominica in Albis conceſſit Pius IV. acſic ſe habet.

2 *Omnibus, & ſingulis, utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, ſeu ſtatutis à iure temporibus firmum confitendi propoſitum habentibus, qui Eccleſiam Monaſterij huiuſmodi die Dominico in octava Paſchæ Reſurrectionis D. N. Ieſu Chriſti a primis veſperis uſque ad occaſum Solis, eiuſdem diei incluſive; devotè viſitaverint, & qui ſenes aut valetudinarij, ſeu aliquo alio impedimento detenti fuerint per alios viſitari fecerint, ac Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro exaltatione fidei Catholicæ, ac pacis inter Principes Chriſtianos conſervatione recitaverint, quoties id fecerint, toties plenariam Indulgentiam, & remiſſionem omnium peccatorum ſuorum in forma Iubilęi prout in anno eiuſdem Eccleſiarum almæ Vrbis concedi ſolet, concedimus, & elargimur. Præſentibus, quas ſub quibuſvis ſuſpenſionibus, revocationibus, limitationibus, & derogationibus ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum, etiam in favorem Baſilicæ Principis Apoſtolorũ, de dicta urbe, & Cruciatæ S. ac S. ſpiritꝰ in Saxia de eadem urbe, & quorumcumque aliorum piorũ locorum conceſſarum, pro tempore factis nullatenꝰ comprehenſas eſſe, & cenſeri debere decernimus, perpetuus futuris tẽporibus duraturis. Datum Romæ anno 1561. ſept. 4.*

3 Ecce in pluribus differt ab explicatis Iubilęis Iubilęũ hoc. Nam conceditur, ut Senes, Valetudinarij, & Impediti illud lucrẽtur, ſi alij pro ipſis Eccleſiam hanc viſitẽt. *Senes* autem ſexagenarios intelligo, etiam ſi viribus ita polleant, ut ſine difficultate ulla Eccleſiam viſitandam adire valeant, iuxta ea, quæ Sanctius *l. 7. de mat. d. 52. n. 17.* Sa *ieiun. n. 9.* Angles *q. 6. diſt. 6* & Fagun *4. præc. l. 1. c. 8. n. 9* docent hos, ſcilicet, omnes quantumvis robuſtos à lege ieiunij excuſari. Et ſiquidem indultum hoc abſque limitatione, & diſtinctione loquitur, ad omnes illos, qui iuxta DD. *in l. ſi pater. §. 2. de teſt.* C. *de ſuis qui non imple. ſtipen. l. 2.* & Felinum, & Panormitanum *c. Quoniam. vi lite.* ſub *Senum* nomine comprehenduntur, extenditur.

4 *Valetudinarij*, inquiũt Albericus de Roſate, & Alexãder Scotus *in lexic. Infirmi ſunt, qui frequenter ægrotant, vel qui laborant per lucida intervalla, vt qui modo ſani ſunt, poſt horam Infirmi.* Vnde indultum hoc non ſolũm ægrotos, qui in lecto decumbunt, ſed omnes eos qui ea adverſa valetudine laborant, ut ſine aliquali detrimento, aut difficultate, Eccleſiã adiri nequeãt pro Iubilæo iſto cõprehẽdit, iuxta, ea [& forſan non ita ſtrictè] quæ Doctores tradunt apud Fagundez *cap. 9. num. 2.* cum ægritudinem à præcepto audiendi ſacrum excuſare docent. Et hic *Valetudinariorum* nomine propriè ij, quos hiſpané *Convalecientes* nominamus intelliguntur, ſeu qui convaleſcere incipiunt.

5 *Impedimento aliquo detenti* ij erunt, qui propter aliquam rationalem cauſam, aut incommodum é domo egredi, vel ad Eccleſiam, in qua Iubilæum obtinetur, accedere non valent, ſeu eam perſonaliter viſitare impediti ſunt. Impedimenta autem hæc ſine dubio omnia ea erunt, quæ apud DD. in Fagũdez *ſup. cap. 9.* videndos, à præcepto audiendi ſacrum excuſant; qualia ſunt, veſtitus cõpetentis carentia, viduitas intra annum iuxta patriæ morem: incarceratio; diſtantia loci; bonorum ſpiritualium, aut temporalium iactura, ſeu eius timor, & ſimilia, & neq; adeò rigidé de his, quoad præſens inſtitutum iudicandum. Hinc ſcies, quod pro quocumque, in alia etiam regione cõmoranti, poteſt qui Hiſpali adeſt Eccleſiã hanc viſitare. Et licèt neceſſum ſit quod ille, pro quo viſitatio fit, tunc ſit in gratia; nõ verò, quod in ea ſit viſitans, cum non huic ſed illi applicetur Iubilęum; ſicut non eſt neceſſe, ut ſit in gratia famulus, qui pro Domino eleemoſynam porrigit in Iubilæo duarũ hæbdom. ut docet Reginaldus *l. 7. n. 13.* Circa Viſitationes conſule Card. Lugũ *d. 27. ſect. 6. n. 95. de pœn.*

FINIS TOMI PRIMI.

Omnia S. R. E. ac S. Inquiſitionis Tribunali ſubmittim'.

Omiſſa ex Originali ob incuriam Amanuenſis, vel Typographi: addendaque ſignatis ſuis quibusq; locis.

In Tractatu 1. Sing. 4. poſt numerum 6. adde:

1 Hãc ſuſpicionem ſatis innuit Archiepiſcopus Toletanus Siliceus in Tractatu pro Toletano, ſtatuto, ubi inter alia, de infectis hoc ſanguine circa hanc ſuſpicionem, ita ſentiebat, ut ex ipſo refert M. Auguſtinus Salucius ſuo Tractatu hiſpano iamdiu excuſſo c. 10. f. 21. in hunc modum: *Tres, o quatro vezes repite Siliceo, que cada dia ſe uian re cõciliar y quemar muchos por Iudayzantes, en Cordova y en Cuenca, donde dize, que cada año ſe quemaba un gran numero, y añade, que de los Sacerdotes confeſos avia rezelo, y ſoſpecha, que no conſagravan en la Miſſa, y que era neceſſario en razõ tener por ſoſpechoſos de la fe a todos los Confeſos de la meſma manera que a los Moriſcos.* Hæc ille.

Tractatu 3. Sing. 23. poſt n. 12. f 86. adde:

2 Nec hæc decreta, & reſolutio opponuntur doctrinæ traditæ n. 4. Poſſe, ſcilicet, Superiorem Societatis eligere Confeſſarium, qui eum abſolvat à reſervatis, quæ ut peculiaris perſona commiſit, nam tunc, iuxta duplicem caſum, quem committere valet, & ut Superior, & ut particularis, duplicem induit perſonam, & particularis, & Superioris, & in quantum talis ſibi ut particulari eligit, aut concedit Confeſſarium pro reſervatis, quę ut particularis commiſit, ſicut cõcedit cuilibet particulari ſuæ domus; pro illis ueró, quæ ut Superior commiſit, indiget licentia Superioris, reſpectu cuius, ipſe etiã pro ut Superior, eſt particularis, aut Subditus. Vnde ſemper habet ſpecialem facultatem Superioris ad abſolutionem cuiuslibet reſervati, vel à ſe ipſo ut Superiore ſibi cõceſſam, vel ab alio ſibi Superiore. Ac ità decreto Gregorij XIII. ſatisfieri ſenſit, ac decrevit N. P. G. Mutius epiſtola relata, poſt hoc decretũ miſſa, ut ex ea conſtat. Sic qui libet Prælatus cũ ſe ipſo in ieiunio, aut Horis diſpenſat, & Põtifex cum Indulgentias ſibi cõcedit, hanc duplicẽ perſonã induũt.

Tractatu VII. Sing. 10. poſt. num. 6. p. 171. adde:

3 Et de omnibus feré his non extat, licét de uno, vel altero extet, ut de S. Ioanne de Sahagun, & ſi quis eſt alius.

Sing. 25. poſt n. ult. p. 193. adde:

4 Licet alij has tres Diœceſes ſub Régno Caſtellæ non comprehendant: aut ſaltém quoad ſimilia indulta.

Sing. 29 poſt n. 7. p. 197. adde:

5 Sed animadverte, omnes Sanctos, quorũ Reliquiæ inſignes poſſidentur, ac ſimiliter Naturales, celebrandos ſub ritu duplici Maiori in ſuis Eccleſijs iuxta dicta Sing. 20. n. 4. Quod ſi ſub altiori in aliquibus celebrãtur, v. g. 1. vel 2. claſſis, hoc proveniet ex alio titulo, uel ex ſingulari indulto, vel ex vetuſtiſſima conſuetudine Eccleſiæ alicui⁹, ut contingit in Hiſpalenſi. Vnde non duplex 2. claſſis (ut n. 2. inadvertenter excuſſum) ſed duplex Maius eſt feſtum undecim milleV. & M & Nobis dignius feſtum noſtrę domus, tum ob ſublimiorem poſſeſſionem, tum ob inſignores Reliquas: poſſidet enim quatuor earum capita cum pluribus oſſibus ex grandioribus.

Sing. 36 poſt n. 1. p. 206. adde;

6 Sed immeritó, cum extet privilegium; nã ut Gavantus *in Miſſ. p. 2. tit. 8. n. 2.* ait: *Pro Regibus orandum hoc loco,* Canonis ſcil. *ſcribit Innocentius III. l. 3. de cel. Miſſ. in eorum locis, ac provincijs inquit, Azorius l. 10. c. 36 q. 13. & verè habetur hic ritus in prædicto c. 12. S. Clementis, & Liturgijs S. Baſilij, & Chryſoſtomi. Pius tamẽ V. qui nil addi voluit, cõceſſit nominari in Hiſpanijs.*

7 Nota tandẽ, quod aliquando in hoc opere *ſaltim* pro *ſaltem* inadvertenter excuſſum

INDEX COPIOSISSIMVS RERVM, QVÆ IN HOC I. VOLVMINE CONTINENTVR.

Littera T. Tractatum, S. Singulare, D. Dubium [hoc ſolum in Appendice invenitur] N. Numerum Singularis vel Dubij. P. Paginam ſignificant. Cum autem T. S. D. aut P. non reperitur, immediatè præcedentia intelliguntur.

A

Abbates
An valeant Ordines minores conferre: T. 2. S. 5. n. 6. & 7. p. 46. An concedere Reverendas poſt Tridentinum: T. 6. S. 5. n. 4. p. 134.

Ablutio ſolemnis pedum
In Feria V. hebdomadæ S. an omittenda in Cathedrali,

dralí, nollente, abſente, vel mortuo Epiſcopo, T. 7. S. 41. n. 2. p. 211. Ad quem tunc ſpectet, n. 3. & ſeq. p. 212. Si Decanus nõ præſtet quibus hęc & ſimiles functiones competant: S. 42. & 43. p. 212. ad 214. V. Decanus.

Ætas

An plenè probetur ex baptiſmi libro: T. 2. n. 2. p. 52. Quæ requiratur pro Ordinibus minoribus, T. 6. S. 20. n. 7 p. 155. n. 10 159. Pro prima Tonſura n. 10. p. 156. & S. 21. a n. 1.

Æthiopes Quoad Baptiſmum;

Quando rebaptizandi ſive pueri, ſive adulti, T. 1. S. 2. n. 6. & 7. p. 5. S. 7. n. 6. p. 14. Quã intentionem ac fidei cognitionem habere debeãt ad baptiſmum, S. 15. n. 4. p. 27. Quomodo in fide inſtruẽdi n. 5. p. 28. In dolore, S. 16. n. 3. p. 28. Quomodo ſub conditione baptizandi ac confitebuntur: T. 3. S. 2. S. n. 3. & 4. p. 91. Vi Baptiſmus.

B. Aloyſius Gonzaga;

Beatificationis eius indultum: T. 7. S. 6. n. 3. p. 164 Quomodo de eo celebrandum, & recitandum: S. 7. n. 1. & ſeq. p. 165. Alienigena

An fruatur privilegijs Cruciatæ. V. Bulla. num. 1.

Altare

Quid ſit, & quale pro indulgentijs aliiſque indultis, T. 6. d. 3. à n. 1. p. 328. V. Iubilæum. 11.

Apoſtata

An gaudeãt privilegijs, & indulgẽtijs ſui Ordinis; T. 4. d. 7. à n. 1. p. 312. An illius oneribus ſubtrahãtur, n. 5. Aqua benedicta.

An ſine illa baptizare ſit lethale; T. 1. S. 12. an 1. p. 34. & 35. Eius uſus ab Apoſtolis, n. 1. & 5. Quomodo ea addenda non benedicta, vt benedicta maneant: T. 5. S. 1. n. 1 p. 119. & n. 11. p. 120.

Archiepiſcopus

An valeat in Dioeceſi ſuffraganei Confirmare: T. 2. S. 13. num. 4. p. 54.

Arnatores Navium

An teneãtur procurare baptiſmum abſolutum, & cõditionatum ſuis mancipijs, aut Nigris: T. 1. S. 14. num. 5. p. 26.

Articulus mortis,

Verus, & præſumptus qui ſint, T. 9. d. 2. n. 1. p. 397 An in eo valeat Laicus abſolutionem à cenſuris & Indulgentiarum applicationem conferre, d. 5. n. 6. p. 369. Quid ſit mortis periculum: d. 2. num. 7. p. 368. Vide Bulla. 2. Iubilæum.

Atrium Religionis, vel Eccleſiæ,

An ſub illius nomine intelligatur, immunitateque gaudeat: T. 7. d. 6. n. 4. p. 275.

B

1 Baptiſmus Quoad iterationem,

An iterare liceat: T. 1. S. 1. n. 2. & 3. p. 1. Quas pœnas & quando incurrat rebaptizans, ibi, & S. 8. n. 5. p. 15. An ſemper peccet lethaliter n. 7.

2 Conditionalis quibus miniſtrandus,

An ijs, de quorum baptiſmo certitudo non habetur, & qualis hæc, aut dubijs illius: T. 1. S. 1. a n. 1. p. 2. 3. & 4. An ijs, quibus intentionem applicuiſſe dubitat baptizans, ibi, an eius in ſententia eam à Deo ſuppleri aſſerente: S. 2. n. 1. & ſeq. à p. 4. ad 6. An ijs, quibus adminiſtratus cum opinione probabili, ibidem. An baptizatis à Paganis, Iudęis Sarracenis, aut Hęreticis: S. 3. à n. 1. p. 6. An baptizatis à Parocho, vel Obſtetrice ex Hebręorum, aut Sarracenorum ſanguine ortis: S. 4. n. 1. & ſeq. p. 8. & 9. An baptizatis ab Obſtetricibus, vel alijs Laicis; S. 5. a n. 1. ad 13. p. 9. ad 13 An ſcrupulum de ſuo baptiſmo patientibus, S. 4. à n. 1. p. 14. ad 16. Quando Moribundis n. 14. An Expoſitis vide Expoſiti. An Æthiopibus, v. Æthiopes.

3 Quoad diſpoſitionẽ recepturi Bapt. Cõd.

Quomodo Adultus diſponendus ad hunc [necnon ad abſolutum] T. 1. S. 15. a n. 1. p. 27. & 28. Quæ intentio notitia, & fides, requirantur in eo, a n. 3 ad 6 Quis dolor, S. 16. n. 1. & 2. p. 28. An confeſſio num. 4.

4 Quoad Tempus recipiendi, & illius adminiſtrationem, & a quo procuranda,

An graviter teneatur Adultus a dubio ſui baptiſmi ſe expedire, ac conditionatum recipere ſi tum ne, de dubio vero ei conſtet: S. 13. a n. 1. p. 24 & 25. Quando recipiendus ab Adulto capite Damnato, V. Damnatus. An in dilatione ſit parvitas materiæ, n. 4. 5. & 6. Quæ præxis ſervanda in adminiſtratione eius circa tempus, locum & Miniſtrum in pueris, & Adultis; S. 17. n. 1. & ſeq. p. 29. Quæ circa Patrinum Ritus, & conditionem; S. 18. à n. 1. p. 30. An à Parochis Dominis, Parentibus, Tutoribus, Regularibus, & alijs debeat procurari, S. 14. à n. 21. & 26.

5 Abſolutus Bapt. Quoad locum, Ritus, & Patrinum;

An ſit lethale extra Eccleſiam ſine neceſſitate baptizare T. 1. S. 20. n. 1. p. 32. & 33. Quæ cauſa ſufficiat, n. 3. An Regum, & Principum Liberos ſine illa domi baptizare liceat, & qui hi ſint, S. 21. n. 1. & ſeq. p. 33. & 34. An tunc baptizandi Ritibus nu. 5. An hos omittere ſit lethale. S. 22. n. 23. & 24. An baptiſmus conſtituat naturalem loci, T. 7. S. 13. n. 1. & 2. p. 174. V. Nomen, Patrinus, Liber.

Baſilica

Quid ſit, T. 8. d. 7. n. 1. p. 353. S. Petri quibus indulgentijs ditetur, T. 6. d. 7. n. 2. & 3. p. 331. & 333. Eius Stationes & Altaria, n. 4. & 5.

Beatificati,

Quando liceat de illis Miſſa votiva, T. 7. S. 5. n. 1. & ſeq. p. 163. & 163. An Pontificia, & proceſſio n. 4. Vide Naturalis.

Bætica

Quas Provintias contineat, & an in ea celebrari poſſint de Feſto pro Regno Caſtellæ ſolum cõceſſo, T. 7. S. 26. n. 1. & ſeq. p. 192.

Beneficium, Beneficiarij:
V. Capellania, Capellani, Horæ Can. num. 1. & 4.
Breviaria.
Quam authoritatem, & fidem faciant: T. 7. S. 14. n. 2. cap. 176. Quo utendum Capellanis, & alijs; V. Horæ n. 1.
1 Bulla Cruciatæ, Quoad abſolutionem, & alia privilegia.
An virtute illius poſſint Regulares abſolvi à mortalibus non reſervatis: T. 3. S. 18. num. 1. & ſeq. à p. 75. An à cenſuris: n. 14. p. 78. An quilibet excommunicatus nominatim; S. 20. n. 1. & 2. p. 80. An erigi oratorium, & quæ in ea liceant; T. 7. S. 33. n. 5. 6. & 7. p. 202. An Alienigenæ, & extra Hiſpaniam commorantes, vel omnes pro quibus in Hiſpania Bulla accipitur eius privilegijs præcipue quoad compoſitionem gaudeant: T. 8. S. 4. & 5. p. 219. ad 233. An eius privilegia late interpretanda; n. 11. p. 22. Quomodo eius annus computetur; T. 1. d. 2. num. 5. p. 262. V. Oratorium: Horæ. 1. 4. Compoſitio, Regularis. 6.
2 Quoad Indulgentias:
Quas ſine Bulla poſſint Regulares lucrari: T. 4. d. 11. & 12. p. 316. ad 320. Quas Sæculares; d. 12. à n. 2. ad 8. An requiratur ad indulgentias pro Defunctis; T. 1. d. 14. n. 4. p. 282. Quid de indulgentijs Quinque Altarium; T. 6. d. ult. á num. 1. p. 333. Quid de conceſſa pro articulo mortis; T. 9. 2 p. 366. ad 373. An tunc requiratur applicatio eius. d. 3. a n. 2 p. 369. Quomodo facienda; n. 4. & 5. An ſuſpendantur indulgentiæ, & privilegia Cruciatæ in Anno Sancto; T. 8. d. 14. nu. 1. & 2. p. 359. & 360 V. Jubilæum 1. 4. 14. Indulgentia, 1.

C

Canon:
AN in Miſſa aliquid in eo omittere, vel addere ſit lethale: T. 7. S. 36. n. 4. p. 206. & S. 39 num. 5. p. 209. An in eo Rex nominandus in Ommiſſis: p. 377 num. 6.
SS. Canonizati:
Quando de illis etiam ſi non ſint in Kalendario Diœceſes celebrare poſſunt ſi adſit indultum; T. 7. S. 1. & 2 p. 157. ad 159. An quicumque in particulari: n. 7. An Miſſa votiva: nu. 9 p. 16. Etiã ſi non ſit indultum, ſi ſint in Martyrologio, S. 3 à num. 1: p. 160. & S. 4. num. 1. p. 161. An in ipſorũ Natali. n. 4. an Conventualis. n. 9 p. 162. Qui ſint Canonizati: S. 3. n. 1. & ſeq. p. 160. Qui eorum cultus; num. 3. & 4. Quid de Canonizatis ab Epiſcopis, S. 4. n. 6. 7. & 8. p. 161. & 162. An poſſint de his recitari: n. 9. Quo Canonizationis gradu poteſt de illis vt Naturalibus celebrari, cum non ſint in Martyrologio: S. 11. á num. 10. p. 171. & 172. V. Reliquę SS. Naturales.
Capellania, ſeu Beneficium Eccleſiaſticum
Quid ſit: T. 9. S. 19 num. 4. 5. & 6. p. 243. Quas conditione afferat, n. 7. & 8. Arctatum quod dicatur, T. 6 S. 5. n. 2 & 3. p. 133. & 134. An & quando poſſit obtineri à non attingente 14. annum, S. 20. á n. 1. à p. 154. An inchoatus ſufficiat: n. 4. Quæ Capellania non ſit Beneficium Eccleſiaſt. & hæc a quo obtineri poteſt, n. 1. & 2. An Beneficium ſeu Capellania conſtituat Subditum loci, ubi eſt: T. 8. S. 8. num. 3. & 5. p. 227 & 228. An inſtitui valeat ſine obligatione recitandi: S. 19. n. 1. & ſeq. p. 242. 243. & 244. An ſemper hoc afferatur in Capellania n. 1 Quæ lis debet eſſe, ut obliget ad recitandum. n. 12. p. 344. An tenuis obliget ad officiũ paruum. n. 14. An Epiſcopus teneatur Capellaniam ſine obligatione recitandi fundatam admittere, S. 20. à n. 1. p. 245. Vide Fundator, Epiſcopus 3. Horæ 1. & 4.
Capellanus quoad recitationem V. Horæ num. 1. & 4. Moniales 4.
Capitulum intra annum Sedis Vacantis.
An poſſit concedere dimiſſorias ad primam Tõſuram, etiam ſi Capellania non ſit conferenda, T. 6. S. 4. à n. 1. p. 132. & 133. Quid ſi ea ſit arctata, n. 2. An poſſit concedere licentiam Epiſcopo Titulari, vel alterius Diœceſis, vt ordines celebret, S. 6. à n. 1. p. 134. & 135. Qui Sæculares tunc Ordinari poterunt, S. 5 p. 133. & 134 Qui cum feria 6. ante Ordines mortuus eſt Epiſcopus, S. 8. à n. 1. p. 136. & 137. An tunc omnes Regulares etiam non examinati ante mortem Epiſcopi, S. 8. á n. 1. p. 138. ad 149. An litteras teſtimoniales idoneitatis poſſit concedere, S. 5. n. 6. p. 34. An licentiam ad examen pro Ordinibus. & diſpenſationes in interſtitijs, illigitimitate, & alijs, S. 8. rep. num. 12. p. 149. V. Ordo, Ordinarius.
2 Quoad poteſtatem ad alia:
An poſſit feſta inſtituere in Diœceſi, T. 7. S. 2. num. 6. p. 159. An Sanctos admittere vt celebrentur V. SS. Naturales. An ei competant omnia quæ Epiſcopis ibi. V. Ordinarius, Epiſcopus.
Cardinalis;
An miniſtrans Pontifici in Miſſa Nativitatis D. & in ea communicans aliam celebrare poſſit, T. 4. S. 9. num. 3. p. 106. An Reus ad eum confugiens immunitate gaudeat, S. ult. n. 5. p. 107. & num. 6. p. 118. Quas indulgentias ualeat concedere, T. 8. d. 13. num. 3. p. 359.
Caſus Reſervati,
Qui ſint in Hiſpalenſi Diœceſi, T. 3. S. 1. n. 3. p. 55. Qui in ea ac in alijs explanantur à S. 1. ad S. 7. a P. 55. ad 62. Vide eos in ſuis verbis, Excommunicatio, Iuramentum, &c. Omnes reſervati

vati Papæ sunt sub excommunicatione, & hæc ablata tollitur reservatio S. 1. num. 4. p. 55. An quodcumque mortale externum circa materiam reservatam cadat sub reservatione in Diœcesibus. S. 8. a n. 1. p. 63. & 64. an in Religionibus num. 8. Quæ excusent à reservatione S. 11. à. num. 1. p. 66. & 67. Vide Episcopus. 2. Parochus 3. Monialis 4. Regularis à n. 3. ad 6. Societas 7. & 8.

Castitatis votum, V. vota Castit.

Certitudo

Moralis quæ sit, T. 1, S. 1. à n. 7. p. 2. & 3. Quæ requiratur, vt baptismus non iteretur, à n. 4. p. 2 Quæ sufficiat, n iteretur, a n. 10. p. 3

Communes clausvlæ Iubilæorum; *Vide Iubilæum n. 1. & in Indice Clausularum.*

Clausura Monialium:

Quando violetur, T. 4. S. 3. n 4. p. 95. Quomodo eã ingredi liceat pro Sacramentorum administratione, a 11. ad 16. p. 96. & 97. V. Monialis, 2

Clerici Regulares Teatinorum.

An eorum superiores possint eligere Confessarium pro reservatis, T. 3 S. 23, n. 8. p. 85.

Coadiutores

Dignitatum, Canonicorum, & Portionariorum an eisdem gaudeant prerogatiuis, & functionibus, quas Proprietary T. 7. S. 4. n. 1. & seq. p. 213. Vide Decanus, Ablutio.

Cognomina;

An, & quando addenda Nominibus Sanctorum in Missæ sacrificio, T. 7. S. 38, n. 1. & seq. p. 208.

Collecta

Et famulos tuos *an in Hispania ex obligatione dicenda, & an extra illam liceat, T. 7. S. 3. n. 1. p. 204. & 205. Quæ personæ, & quibus circunstantijs in ea nominandæ, S. 36. n 1. ad 4. p. 206. An addi aliquid liceat, n. 5. & 6.*

Commissarius Cruciatæ:

An posit concedere Oratoria, T. 7. S. 33. n. 7. p. 202. An dispensare in affinitate, T. 9. S. 1. n. 7. p. 247. An in cognatione spirituali, S. 9. n. 3. p. 255.

Communio

An vespere liceat fieri à sanis, T. 1. d. 11. n. 3. p. 279. Quando requiratur pro iubilæis, d. 13. n. 4. & 5. p. 279. & 280. V. Euch. Iubilæum n. 2. Parochus 4. Regularis 7

Compositio ex Cruciata:

Quomodo, & in qua quantitate facienda, T. 8. S. 4. n. 1. & 2. p. 219. An liceat in distributionibus aut in alijs n. 3. Quid si ex eius confidetia Horæ omissæ, S. 5. n. 12. p. 222. Vide Bulla, 2. Horæ 4.

Conceptio B; V. Mariæ.

Quæ indulgentiæ pro eius solemnitate, T. 2. d. 2. n. 2. & 3. p. 295. & 296. d. 5. n. 2. p. 300. Pro eius imagine, T 9. d. 1. n. 3. p. 366. Qualis hæc T. 9. d. 6. n. 9. p. 374. An de ea recitandum Sabbatis etiam quadragesimæ. V. Regulares, 9. Tertiarij.

Concilium generale.

Quando revocantur eius decreta, T. 2. S. 5. n. 7. p. 46.

Concionator,

An si sit publicus peccator, licite concionetur. T. 4. S. 4. n 8. p. 99.

1. Confessor quoad Baptismum,

De suo dubius quid faciet, T. 1. S. 10. a n. 1. p. 19 n. 10. p. 21. An teneatur manifestare hunc defectum ijs, quorum confessiones audivit, S. 11, n. 7. & 8. p. 22.

2 Quoad Dispensationes, & Commutationes.

An in Eccles. præceptis possit dispensare, T. 3. S. 22. n. 7. p. 84. An in petitione debiti cum impeditis ob votum, incestum, aut cognationem spiritualem, T. 9 S. 11. a n. 1. p. 257, & 258. Quid præstabit cum huiusmodi impeditis, n. 4, Quæ vota castitatis commutare valet ex Cruciata, vel Iubilæo, n 2. & 3. V. Parochus 6. Regularis 11. Societas 11

Confessor Monialiũ. V. Moniales n. 4.

Confessio:

Ad eam quod examen sufficiat, T. 1. S. 7. n. 1. & 2. p. 13. Computatio Annualis conf. & Cõmunionis, T. 1. d. 2. n. 5. p. 267. Quę, & quando illa requiritur pro Iubilæis, d 8, n. 1. 2, & 3 p. 279. Parochus n. 3. Regularis, a n. 3

2. Quoad revalidationem.

An iteranda confessiones factæ cum confessore dubio de suo baptismo, T. 1. S. 11. a n. 2. ad 5. p. 21. & 22. An factæ cum alijs, titulo colorati iurisdictionem habentibus, n. 6. Quę peccata confiteri debet adultus qui sub conditione baptizatus, & quomodo absolvendus, T. 3. S. 28. a n. 1. p. 9.

1 Confirmationis Sacramentum Quoad materiam:

Quæ hæc sit, & an oleo infirmorum quis validè confirmaretur, T. 2. S. 3. a n. 1. p. 43. An è cõtra, n. 4. Quãdo sub conditione iteranda Confirmatio, n. 5. p. 44. An Chrismate utendũ contra Dæmones, ac morbos, S. 9 a n. 1. p. 53. Quæ quantitas Olei non benedicti addenda Chrismati, seu Oleo benedicto, T. 5. S. 1. & 2. a p. 119. ad 122.

2. Quoad Recipientem, & Ministrantem.

An Confirmationem recipiens doctrinam Christianam, scire, aut usum rationis habere debeat, T. 2. S. 1. à n. 1. p. 4. Quę dispositio in Adulto, n. 3. An capite plectendus, & moribundis ministranda, S. 2 à num. 24. p. 42. An sine ea recipienda Eucharistia, Confessio, & matrimonium,

nium, aut facienda profeſſio Regul. S. 4. à n. 1. p. 44. Quando in ea nomina mutanda. S. 10. à num. 1. p. 51. An in aliena paracia, oppido, vel Diœceſi poſſit quis Confirmari: S. 13. n. 2. & 3. p. 53. & 54. V. Parochus 2. Regularis 12. Liber, Patrinus.

Confratres:

An gaudeant privilegijs, & indulgentijs Regularium: T. 5. d. 2. á num. 1. p. 323. T. 8. S. 17. à n. 1. p. 241. & 242. Vbi an de eorum feſtis recitare valeant; ibi; Quomodo fruantur Indulgentijs. V. Indulg. 3. Tertiarij.

Cordigeri, Vide Confratres.

Cordubenſis Eccleſia, & Diœceſis:

An debeat duplici ritu ſuos Sanctos celebrare: T. 7. S. 20. num. 3. p. 184. Eius caſus reſervati; V. Excommunicatio, iuramentum, &c.

Corrigiati S. Auguſtini, Vide Confratres.

Conſervatores Iudices:

Qui eſſe poſſunt, quæ in dignitate Eccleſ. conſtituti T. 3. num. 1. & ſeq. p. 302. & 303.

D

Damnatus capite, quoad receptionem Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ:

AN ſi ad fidem convertatur, ſit baptizandus ad patibuli pedem an antea, T. 1. S. 23. n. 1. & ſeq. p. 35. 36. & 37. Quando hic teneatur ad Euchariſtiæ ſuſceptionem n. 13. An Confirmandus, T. 2. S. 2. à n. 2. p. 42. An ipſo ſupplicij die poſſit communicare, T. 4. S. 13. n. 3. & ſeq. p. 111. & 112. An una hora, aut immediate ante mortem, n. 9. 10. & 11. & S. 14. n. 2. p. 113. An omnibus diebus à notificatione ſententiæ ad illius executionem S. 14. n. 1. & ſeq. p. 114. An etiam ſi interdictum aut ceſſatio adſint, num. 6. Quid ſi nollet confiteri. V. Iudex; Euchariſtia 3. Sarracenus, Epiſcopus 1.

Decanus in Cathedralibus;

An, & quando ad ipſum ſpectet ablutio ſolemnis pedum in hebdomada S. & aliæ functiones, quæ Epiſcopo competunt. T. 7. S. 14. num. 1. & ſeq. p. 211. & 212. An prima poſt Pontificalem Dignitas, ac Prælatus n. 6. Quid in Hiſpalenſi Eccleſia: ibi. Quid de ipſius Coadiutore ad ablutionem, & ſimiles functiones. S. 42. à n. 1. p. 213. V. Coadiutor.

Declarationes Cardinalium;

An, & quando ſint obligatoriæ, vel doctrinales. T. 4. S. 5. n. 4. p. 99. T. 8. S. 15. num. 4. p. 236. An maior authoritas circa Ritus, S. 14. num. 6. & 7. p. 235.

Decimę

Quid ſint, & quæ earum retentio reſervetur in Diœceſibus, T. 3. S. 7. à n. 1. p. 62.

Dedicatio Eccleſiæ

Cuiuslibet Sæcularis, vel Regularis quotannis celebranda: T. 7. S. 8 à n. 1. ad 5p. 168. Non eſt neceſſe, vt ſit conſecrata, n. 7. & 8. p. 168. Quo die num. 11. Declarationes circa hanc ſolemnitatem, num. 12.

Diaconus

An graviter peccet exercendo actus ſui ordinis in mortali; T. 4. S. 4. n. 6. p. 98. & n. 9. p. 99. Quando ſibi, & alijs, poterit Euchariſtiam miniſtrare, S 8. num. 4. p. 104.

Dies

Quotupliciter accipiatur: T. 1. d. 3. à num. 1. p. 268. Quę acceptio pro præceptis, feſtis, votis, contractibus &c. num. 3. & an pro his mathematice á media nocte ad aliam, n. 7. p. 269. Pro Iubilæis. V. Iubilęum, 2.

Dignitas Eccleſiaſtica

Quæ ſit, T. 3. d. 7. num. 1. p. 302. Quæ perſonæ dicantur in illa conſtitutæ, á n. 2. p. 303. & 304. An ſit in Collegiatis Eccleſijs n. 3. An ſint Canonici vel Capitulum, n. 4. An hæc, & Sæcularis conſtituat Naturalem loci, vbi habetur: T. 7. S. 12. à n. 6. ad 10. p. 173. & 174.

Dimiſſoriæ

Quid ſint, T. 6. S. 8. n. 10. & 11. p. 149. S. 8. n. 2. & 6. p. 136. An expirent morte concedentis, n. 3. An conceſſæ á Capitulo expirent adventu Epiſcopi n. 4. Quomodo à Nuntio, & ab Ordinario obtinendæ: S. 18. à n. 1. p. 152. An liceat ordinari ab alio Epiſcopo ab aſſignato in eis: S. 19 à n. 1. p. 153. Vide Capitulum, n. 1. Ordo 1. Regulares 8. Epiſcopus 3.

Diœceſanus,

Et Subditus quibus titulis quis conſtituitur, T. 8. S. 5. num. 3. & 4 p. 221. V. Naturalitas.

Diſpenſatio in votis, & debiti petitione, V. Epiſcopus 5. Matrimoniũ 3. Regularis. 11. Domicilium.

Quando conſtituit Naturalem, Civem, Subditum Diœceſanũ, T. 7. S. 13 a n. 4. ad 6. p. 175. An adquiratur per beneficium Eccleſ. T. 3. S. 5. n. 3. p. 221.

Domini

Tenentur procurare baptiſmum abſolutum, & conditionatum ſervis; T. 1. S. 14. n. 4. p. 26.

Dubium morale

Quotuplex, & quale de collatione baptiſmi: T. 1. S. 1. a num. 10. ad 13. p. 3. & 4. In dubijs ſemper inclinandum in favorem animę, S. 8. num. 4. p. 14. V. Certitudo, Baptiſmus 2.

E

Eccleſia:

QVÆ ſub eius nomine cadant, T. 6. d. 1. à num. 1. p. 327. Quæ ſunt ſeptem Romę viſi-

visitandæ pro Iubilæis, d. 7. num. 7. p. 332. Quæ sint & dicantur Regulares, Quę Sæculares, T. 1. d. 5. à n. 1. p. 271. & d. 8. à p. 274. ad 276.

2 Ecclesiæ Hispanæ

Quos Santos, vt Naturales celebrant, T. 7. S. 12. & 13. à p. 173. ad 176. & S. 16. num. 1. p. 179. Quos, etiam si patria sit controversia, S: 17. n. 3. & 4. p. 181. Quas Provincias contineat, S. 25 p. 190. & 191. An celebrentur in Insularum, & Indiarum Provinciis, num. 12. Vide SS. Naturales.

1 Episcopus quoad proprium Baptismum.

De illo dubius quid faciet quoad suos Ordines iterandos, T. 1. S. 10. à num. 1. p. 19. T. 6. S. 2. à num. 2. p. 130. Quid quoad Ordines, quod alijs contulit, T. 1. S. 10. n 6. p. 20. & S. 11. num. 1. p. 21. Quid circa eos, quibus Ordines, Pœnitentiam, & Confirmationem, T. 6. S. 3. a num. 1. p 131. An raviter teneatur ad confirmandum petentes, T. 2. S. 2. n. 5. p. 43. An peccet si non Confirmatus Confirmet. S. 4 num. 4 p. 45 An. Si non provideat materiam certam pro Extrema unctione, & alijs Sacram. T. 5. S. 2. num. 1. p. 21. V. Extrema unctio, num. 1. & 2. Confirmatio 1.

2 Quoad Casus Reservatos;

Quos reservabit ne sit reservatio in destructionem T. 3 S. 1. num. 1. p. 55. S. 2. num. 2. p. 57. S. 3. n. 1. & 2. p. 58. S. 8. num. 3. & 5. p. 63 An generaliter concedat aliquibus in Diœcesi, ut ab eis absoluant, S. 10. num. 3. p. 66 Debet obligare censuris Iudices ut tempus capite damnatis cõcedant ad confitendum & communicandum. S. 27. num. 20. p. 90. V. Casus.

3 Quoad Ordines, & Capellani as;

An graviter teneatur ad eos admittere Regulares habentes dimissorias à suis Prælatis, T. 6. S. 8. repetito n. 2 ad 5. 137. & 138. An possit dispensare in defectu gramaticæ, seu scientiæ S. 12. num. 5. 6. & 7. p. 144. & 145. An cum, omnino illiterato, Ordinum functiones rectè exequenti, S. 13. a num. 1. p. 145. Quæ. observare debet in examine Ordinandorum V's Ordo Regularis 8. dimissoriæ; An Capellania iam fundatas possit alterare, T. 6. S. 20. num. 9. p. 156 & T 8. S. 20. num. 4. p. 245. An teneatur admittere fundatam sine obligatione recitandi, ibi à num. 1.

4 Quoad Celebrationem Festorum, & Missarum:

An sine novo Papæ decreto possit in Diœcesi celebrare de Sanctis, quos in eorum Canonizationis Indultis Pontifex celebrandos concedit, T. 7 S. 5. num. 1. & seq. p. 157. & 158. Quem potestatem habeat festa instituendi num. 4. & 5. An possit declarare, & admittere, vt Naturales, vt de illis celebretur, T. 7. S. 19. a num. 1. p. 183 an Reliquias, num. 3. An debeat eorum celebrationem procurare, S. 21. num 8. & 9. p. 186. Quid circa concessionem, aut mutationem Ritus, aut extensionem festivitatum, à num. 5. ad 7. Quid circa celebrationem, num. 5. p. 186. An possit Officia SS. condere, T. 8. S. 1. nnm. 1. & seq. p. 215. an concedere Oratorium, T. 7. S. 32. num. 7. p. 201. & S. 33. num. 9. p. 202. V. Naturalis, Canonizati, Beatificati, Ecclesiæ. 2.

5 Quoad Dispensationes

An possit dispensare in primo gradu affinitatis, T. 9. S. 1. num. 2. & 4. p. 246. An in petitione debiti cum uxoratis ligatis castitatis voto, S. 2 à num 1 ad 4. p. 247. & 248. An cum incestuosis, S. 4 num. 8 p. 251. An cum contrahentib⁹ spiritualem cognationem, S 8. num. 3. p. 255. An hanc potestatem possit delegare, S. 1. n. 8. p. 258 An dispenset in lege Concilij generalis, T. 6. S. 13. num. 3. p. 145 Vi. Matrimonium 3.

6 Quoad indulgentias etiam in Anno Sancto;

Quas potest concedere; T, 7, d. 11. num. 3. p, 317, T 8. d. 13. An suspendantur in Anno S. ibi: An in eo alia cuius facultates, ad absolvendum, commutandum, dispensandum &c. suspendantur: d, 16, num. 1, & 2, p. 362. V, Iubilæi 14,

7 Episcopus Religiosus

An fruatur indulgentijs, & privilegijs sui Ordinis, T. 4, 4. d, 5 à num, 1 p. 310, An illi, vel suæ Ecclesiæ teneatur se accomodare in celebratione, & recitatione, T, 7 S, 22, num, 7 p. 178, An è Societate assumptus adstringatur 4 Professorum voto circa Missiones, T. 7 d. 1 n, 2, p, 334,

Epitaphia,

Et Inscriptiones quam fidem faciant, T, 7 S, 14, num, 3 p, 177,

Eremitæ,

Qui sint qui fori privilegio, Iubilæoque Anni S, extra Romam potiuntur; T, 8, d, 9 num, 3 & 4 p, 354,

1 Eucharistia Quoad uenerationem, & immunitatem:

An sit lethale coram eius Tabernaculo lampadem accensam non conservari: T. 4, S, 1, à nu, 1 p, 93 Cui hæc cura incumbit ibi. An requiratur gratia in eo, qui Eucharistiam manifestat, publice defert, aut eius species tangit, S, 4, à nu. 1, p 97, & 98 An in ministrante n, 3. An Reus confugiens ad Sacerdotem eam portantem, etiam secretò, immunitate gaudeat, S, ult. n, 1 &, seq, p, 117,

2 Quoad susceptionem in communi, ac pro præcepto, & in triduo hebdomadæ S,

An ad eam non baptizatus obligetur: T, 1, S, 23, num, 8, 9, & 10, An sub mortali communica-

re teneantur Sacerdotes Regulares, & Seculares Feria V. in Cœna D. T.4.S.3.n.1.& ſeq. p.99.& 100. An omnibus liceat in venere, & ſabbato Sancto; T.6.a n.1.p.110.& 111. Quando eodem die communicare, & celebrare, vel bis celebrare, aut communicare: S.9.n.6. & 7. p.106. An facinoroſis, aut in hæreſim relapſis danda Euch. S.15.n.7.p.116. An qui pro viatico communicat intra 15. dies Paſchatis teneatur pro præcepto annuo iterum communicare; S.11.n.1.& ſeq.p.107.108. & 109. Quomodo, & quando hæc præcepta obligẽt, n.11. An nualis communio. Quomodo obligẽt quoad tempus & locum; T.12.a n.3 p.109. & 110. An impleatur in Eccleſijs Mendicantium, n.6.

3 Quoad Moribundos:

An hora una, aut immediate mortem illis poſſit Euchariſtia miniſtrari: T.4 S.13. n. 9.10. & 11.p.117 Qua frequentia non ieiunis: S.14.n.3. p.113. An ſi ieiunij valeant eam accipere, ita teneantur, n.3.9.& 10.p.144. & 115. Quo in periculo, aut morbo miniſtranda non ieiunis; T. 5.S.7.n.3 p.126 V. Parochus 4. Damnatus, Regularis 7.

4 Quoad tẽpus interdicti, & indulgentiã:

Quomodo tunc manifeſtanda Euchariſtia, recludenda, ac ad infirmos deferenda, & an cum campanarum ſonu; T.1.d.16.a n.5.p.284. An miniſtranda coram interdictis, d.17. n. 5.p. 286. vide Iubilæum n.6. Quæ indulgentiæ in eius honorem, T.9.d.5.n 6 p.372.d.7.n 9.p.34. pro mortis articulo, d.1 n.3.p.366.

Examinatores pro Ordinibus;

Adnotationes utiles pro illis, T.6.S.14. à n.1.p. 146.& 147. Quos libros ad examen tradent, n.3.4.& 5. Quomodo hoc faciendum de fidei myſterijs, & Ordinum notitia n.7. An peccent graviter ineptos approbando, n.9. p.148. an ſimoniam comittant ſi ob pecunias, aut munera approbent, S.15 n.1.& ſeq p.149. V.2 Ordo 2. Epiſcopus 3. Simonia.

Excommunicatio,

Quæ ſit Hiſpalenſi, ac alijs Diœceſibus reſervata, T.3.S.1.a n.4.p.55. Quot, & Quales Hiſpali, n.4.p.56. Quis ab ea poſſit Regulares abſolvere, S.19. & 20.a p.78.ad 81. Quis ſit excommunicatus nominatim, quis generaliter ab homine, S.20.n.3.& 3.p.30. A quo hic abſolvendus; ſi excom. non reſervetur, S.21.n.1.p.81. V. Regularis a n.4. Societas a n.7.

Expoſiti Infantes

Inter Infideles an rebaptizandi, etiam ſi baptiſmi teſtimonium in cartha afferant T.1.S.3.n.8. p.7. An ſi inter Fideles cum hoc teſtimonio exponantur S.19.n.1.& ſeq.p.16.ad 19. V. Baptiſmus 2.

1 Extrema unctio Quoad materiam,

V. ad illam ſufficiat olei non benedicti additio, quæ in aliquibus Diœceſibus ſit: T.5.S.1.n.1. & ſeq.p.119.& 120. Quomodo addenda eſt benedicto quantitas non benedicti, n.5.& ſeq. An graviter obligentur Ordinarij ad materiam certam pro hoc & alijs ſacram. providendum, S.2.a n.1.p.121.& 122. An Olei conſecratio ſit de neceſſitate Sacram. n.1.p 121.

2 Quoad adminiſtrationem,

An a non Sacerdote, vel ab illo ſine licentia Parochi poſſit extrema unctio miniſtrari, T.5.S.3. n.1.& 2.p.122. An ſi miniſtret excommunicetur n.3. An lethale ſit ſine lumine eam ad agros deferre, aut ſine eo aut veſtibus, & ſolemnitate miniſtrare, S.5.a n.1.p.124.& 125. An eam conferenti femina reſpondere valeat, a nu. 1.p. 125.& 126. Quibus infirmis miniſtranda & in quo periculo, S.7.a n.1.p.127. V. Parochus 5 Regularis 12. Ordinarij.

F

Feminæ

An eis abſtinendum ab adminiſtratione baptiſmi S.5.n.7.p.11. In ea pluries errarunt n.5.& 6. p.10. An miniſtrare, aut reſpondere poſſint in Miſſa, & Extrema unctione, T.5.S.6.a n.1.p. 125.& 126.

S. Franciſcus Xaverius,

Eius Canonizationis indultum, T.7.S.1.n.3.p.157 Quomodo celebrandum, & recitandum de eo, S.4.n.2.p.164.& S.7.n.2.& ſeq.p.165. Pro eius feſtivitate Iubilæum, T.3.d.1.n.4.p. 296. Vbi lucretur, d.6.n.3.& 4.p.297. An transferatur, d.5.n.5 p.300. Innumeros ad fidem reduxit, T.7.d.1.num.5.p.335.

B. Franciſcus de Borgia:

Beatificationis eius indultum, T.7.S.6.n.4.& 5. p.164. Quomodo de eo celebrandum, & recitandum, S.7.n.1.& ſeq.p.165.

Fugitivi, V. Apoſtata.

Fundator Capellaniæ

An poſſit eam inſtituere ſine obligatione recitandi, T.8.S.19.a n.2.p.242.ad 244. Quas conditiones apponere valet, num.10, T.6.S.20.n. 5.p.155.& an circa ætatem ibi. An poſſit conditam alterare, num.8. T.8.S.20.num.4. V. Capellania.

Furtum

Quodnam reſervetur in Diœceſibus: T. 3. S.13. num.6.& 7.

G

Generales Religionum

An poſſint reſervare caſus, aut cenſuras, T.3. S.13.num.1.p.69.& S.21.num.3.p.81. V. Regularis 5.& 6. Societas 8.

Gien-

Giennenſis, & Granatenſis Diœceſis
Caſus reſervati V. in ſuis verbis, excommun. Iuram, &c.

H

Hebdomada Sancta, V. Miſſa 2. Euchariſtia 2.
Hebræi,
An ab illis baptizati rebaptizandi: T. 1. S. 3. à num. 2. p. 6. An etiam ab infectis eorum ſanguine, S. 4. à num. 1. p. 8. Suſpitionem in fide an generent: num. 4. & in omiſſis num. 1. p. 377.
Hæretici,
An ab illis baptizati rebaptizandi conditionate, T. 1. S. 3 à 2. p. 6. errant in eſſentialibus baptiſmi, num. 4. & 5.
Hiſpalenſis Diœceſis
Caſus reſervati; V. Caſus, & in ſuis verbis. Quos SS. vt Naturales celebret. T. 7. S. 12. num. 5. p. 173. S. 16. n. 1. p. 179.
Hiſpania:
Quæ Regna, vel Provinciæ ſub eius nomine comprehenduntur, vt de SS. illius celebrent, T. 7. S. 25. à n. 1. p. 190. & 191. An Luſitania, à num. 4. Metropoles eius antiquæ, num. 6. & 7. V. SS. Naturales, V. Eccleſiç, num. 2.
Hiſpanus,
Vel Regis Hiſpani ſubditus an Cruciatæ privilegijs ubicumque degat, fruatur, T. 8. S. 4. à num. 1. p. 220. Quis Hiſpaniæ Naturalis V. Naturalis, Bulla 1. Horæ 4.
Hiſtoriographi:
Præſertim de Rebus Hiſpaniæ, ac ſigillatim Dexter, Iulianus Petrus, Maximus; & Luitprandus quam fidem faciunt ad probandas SS. patrias, T. 7. S 18 à n. 1. 182.
Homicidium
Quid & quotuplex ſit reſervatum in Diœceſibus, T. 3. S. 2. num. 5. p. 57. Voluntarium quotuplex; num. 6.
1 Horç Canonicæ quoad Qualitatem Officij:
An ab Epiſcopis, & Prælatis conditum liceat recitare: T. 8. S. 1. à n. 1. p. 12. 15. & 216. Cui Eccleſiæ in eo ſe accomodabunt Parochus, Capellanus aut Beneficiarius, T. 8. S. 71. num. 7. & 8. Quid ſi Capellaniam habeant in Eccleſia regulari; S. 8. num. 1. & ſeq. p. 227. & 228. Quid ſi aliud pinguius, aut æquale in alia, & quo Breviario tunc utendum num. 6. Quid de Saecularibus habitantibus cum Regularibus, & an de Euch. & Concept. ferijs V. & Sabbatis, num. 8. & 9. An qui de Sancto non recitavit poſſit die primo non impedito, S. 9. à num. 1. p. 229. & 230. Quid ſi recitavit de feſto, de quo diebus ſequentibus recitaturus, S. 5. à num. 1. p. 230. An Regulares de Euch. & Concep. V. Regularis 9. An de quibuſvis Canonizatis, vel Beatificatis recitandum V. Canonizati, Beatificati, Societas 12. Moniales.
2 Quoad recitationem de SS. Naturalibus:
An de illa extet indultum, T. 7. S. 3. a num 1. & 2. p. 169 Quos Sęculares Hiſpaniæ Incolas obliget, S 21. a num. 1. p. 185. & 186. An graviter, n. 6. & 7. An Regulares, S. 22 a p. 186. ad 188. An Hiſpanos extra Hiſpaniam viventes, à num. 1. p. 189. An Alienigenas in Hiſpania habentes beneficium, num. 4. 6. & 7. V. Naturalis, Regularis 9. Reliquiç, Canonizati.
3 Quoad interruptionem;
A qua hora licet Matutinum recitare, T. 8. S. 2. num. 1. p. 216. An eius Nocturna dividere pluſquam per triginta horas ſine cauſa ſit lethale à n. 1. p. 217. Quid de interruptione Matutinorum à Laudibus, & Palmorum inter ſe n. 6. 7. & 8. An Pſalmodia diſvidi poſſit à Lectionibus per quodcumque tempus, S. 3. à num. 1. p. 218. vbi alia de Nocturnis; Lectionibus, & Pſalmis.
4 Quoad Reſtitutionem per Cruciatæ compoſitionem;
An ea uti valeãt Alienigenæ, aut Hiſpani extra Hiſpaniam commorantes, T. 8. S. 4 num. 4. & ſeq. p. 219. & 220. An habentes beneficium in Hiſpania, S. 5. à num. 1. p. 221. & 222. An reſtituere teneatur Capellanus non recitans ſi alius pro ipſo recitet, S. 6. num. 1. & 2. p. 223. An ſi ex patrimonio Capellaniam erexit, n. 3. Quando hic, & alij à reſtitutione excuſabuntur, nn. 4 & ſeq. p. 224. Quomodo poſſit ſibi reſtitutionem applicare, n. 6. Quid ſi alio die recitet prætermiſſum, n. 10. & 11, V. Bulla 1. Compoſitio Capellania.

I

S. Ignatius de Loyola
Canonizationis eius indultum; T. 7. S. 1. num. 2. p. 157. Quomodo de eo celebrandũ. & recitandũ: S 6. num. 2. p. 164. & S. 7 à num 1. p. 165. & 166. A quibus Hiſpaniæ Eccleſijs celebratur. S. 2. num. 4. p. 159. Pro eius feſto Iubilæum; T. 3. d. 1. num. 4. p. 296. ubi lucretur, d. 2. num. 3. & 4. p. 297. Exercitiorum ſpiritualium librum à Deo, ac B. V. didicit, T. 4. d. ult. n. 5. p. 321.
Ignorantia
Iuris an, & Quæ excuſet à pœna impoſita, T. 9. S. 6. a num. 3. ad 5. p. 253.
Immunitas:
Quę eius violatio ſit reſervata in Diœceſibus, T. 3 S. 3. n. 5. p. 58. Cur Eccleſiæ concedatur, T. 4. S. ult. n. 4. p. 117. An ea gauderet, qui aram ſecum adſportaret, num. 7. & 8. p. 113. Quæ loca immunitate gaudeant. T. 6. d. 2. num 5. p. 327. V. Atrium, Euchariſtia, Prædium, Cardinalis.

Copioſſimus.

1 Indulgentia in communi

Quid ſit & Plenaria quid remittat. Proemio Append. num. 1. & 2. p. 265. Quis poſit eam concedere: T. 4. d. 11. num. 3. p. 317. & T. 8. d. 13. nu. 3. p. 359. Eius gratia late interpretanda: T. 2. d. 4. num. 4. p. 293. Indulgentiæ Baſilicæ S. Petri, & ſtationum Romæ, T. 6. d. 6. & 7. à p. 331. ad 333. Quę ſuſpendantur, & quæ non in Anno Sancto, T. 8. à d. 11. ad 14. p. 357. ad 361. An ad earum lucrationem intentio, & notitia requirantur: T. 9. d. 4. n. 1. & ſeq. f. 370. & 371. V. Iubilæum, num. 1. Bulla 2.

2 Pro Granis, Imaginibus, Crucibus, &c.

An ad has Indulgentias requiratur Cruciata, T. 9. d. 6. a n. 2. ad 3. p. 373. Quomodo imagines habendæ aut poſſidendæ: a num. 4. ad 7. An ſi plures quis habeat tot Indulg. conſequatur, nu 8. p. 374. Quomodo eis applicanda benedictiones, num. 9.

3 Pro Confratribus:

An eis fruantur ſi confraternitates non frequentent, aut in earum loco dicant, T. 9. d. ult. n. 1. p. 375. An ſi dimittantur, num. 2. Quid de Corrigiatis & Cordigeris ibi.

4 Pro Animabus Purgatorij:

Quæ, & Quomodo indulgentię poſſint pro illis applicari: T. 1, d. 14, his repet. a num. 1. ad 3. p. 281. & 282. An in applicante requiratur ſtatus gratiæ, num. 4. An Cruciata, num. 7. An ſtatim anima è Purgatorio exeat, num. 5. V. Iubilæum 14. & 15.

Infantes

Recenter nati quando ita periclitantur, ut liceat eos domi à quocumque baptizari, T. 1. S. 22. nu. 5. & 6. p. 35. V. Expoſit.

Interdictum, præcipuè quoad Euchariſtiã, & Iubilæa,

Quæ prohibeantur in eo præcipue quoad Sacramentorum adminiſtrationem, divina officia, & campanarum pulſationem. T. 1. a d. 16. ad 19. a p. 283. ad 289. Hæc ad quæ liceat, d. 16. nu. 3. p. 283. An in eo liceat manifeſtatio, & Recluſio ſolemnis Euchariſtiæ cum campanarum pulſatione: a num. 4. ad 8. An ſolum pro Horis Canonicis hæc prohibeatur; d. 17. nu. a. 2. & ſeq. p. 285. & 286. Quę porta ſunt claudendæ; d. 18. num. 1. p. 287. An interdictus adeſſe liceat manifeſtationi, & recluſioni Euchar. d. 16. a num. 5. ad 7. p. 284. & d. ult. num. 1. p. 288. A quo tempore ſuſpendatur in feſtis exemptis, T. 3. d. 2. num. 2. & 4. p. 294. d. 4. num. 8. p. 299. V. Iubilæum 5. Euch. 4.

Ioachimus Abbas

Flura de Societate predixit; T. 7. d. 1, num. 3, p. 334.

S. Ioannes de Sahagun (377.

Habet indultũ Apoſt. ut celebretur: in omiſſis: p.

Irregularitas

Quando incurratur in rebaptizatione, T. 1. S. 8. num. 5. & 6. p. 15.

1 Iubilęum in communi, & quoad eius clauſulas communes;

Quid ſit & quam pœnam remittat, Præm. Append. nu. 1. & 3, p. 265. Clauſulæ frequentes, aut communes eius. Vide in indice clauſularum. Quando anni conceſſionis incipiant & finiantur, & quomodo computandi: T. 2. d. 3. a num. 1. p. 291. & 292. Quando annulletur, quia aliud pro eodem tempore, & loco conceſſum, d. 4. a num. 1. p. 292. & 293. Quando, quia pro eius expeditione aliquid datur vel accipitur, d. 5. a n. 1. p. 293. & 294. Quomodo hoc intelligendum ibi. Quibus titulis liceat pro hac dare vel accipere a num. 3. Quæ ſubſcriptio requiratur, T. 3. d. 6. a num. 1. p. 301. An ſufficiat Notarij Sęcularis, num. 3. & 4. An Regni diverſi, nu. 5 p. 302. An Secretarij Religionis num. 8. Quæ ſigillatio perſonæ in dignitate conſtitutæ, & quæ hæc ſit, d. 7. a num. 1. ad p. 104. An omnes Iubilæi diligentia præſtandæ, T. 3. d. 9. num. 6. p. 356. Vide Indulgentia, interdictum, & Iubilæa ſequentia præſertim, num. 4. & 7.

2 Iubilęum Communionis generalis Append, T, I.

Quoad Tempus;

Eius nomen, T. 1. d. 1. num. 1. p. 266. Exordium n. 2. Formula num. 3. Quæ pro eo Menſium computatio, d. 2, a num. 1. p. 267. Quæ Dominica a num. 4. An eadem ſemper, num 5. Dies quomodo accipiendus: An 24. horarum a media nocte ad aliam, d. 3. a num. 4. p. 69. An feſtivus, qui non ſit Dominicus eligi valeat, a n. 8. p. 269.

3 Quoad locum:

An ubi ſunt plures domus Societatis, vel alterius Religionis in omnibus lucretur Iubilęum hoc, T. 1; d. 4: a num. 1. p. 269. 270. & 271. An in eadẽ Eccl. faciẽda ſit viſitatio, & communio, num. 10. An in eadem Dominica in omnibus ibi: An in Eccleſijs ſeminariorum lucretur, d. 5. a num. 1. p. 271. & 272. V. in capellis domorum, d. 6. a num. 1. ad p. 273. an illarum atrio, aut valetudinario, vel Eccleſię ambitu, num. 4. 5. & 6. An in oratorijs prædiorum, d. 7. a n. 1. ad p. 275. An in Eccleſijs Sęcularibus, & quæ hæ ſint, a num. 1. ad p. 276. Quomodo hæ aſſignandæ, d. 9. a num. 1. a quo d. 10. num. 1. 2. & 3. p. 277. Quorum, & quæ licentia, ac conſenſus requirantur, a num. 4. ad 10. p. 278. An communicantes, vel celebrantes, etiam Religio ſi extra noſtras vel aſſignatas Eccleſias, vel nõ communicantes Iubilęum hoc lucrentur, d. 11. a num. 1. p. 278.

4 Quoad diligentias,& applicationem pro Animabus:

An confessio requiratur; T 1.d.13.n. 1. 2.& 3. p. 279. *An communio num.*4.& 5, *An hæc de manu Nostrorum,n.*6.p.280. *Quæ preces, & in qua quantitate,d,*14.*a n.*1.p.280.& 281. *An & quando applicari possit pro Animabus: d.* 14.*bis rep. a n.*1.p.281,& 282. *An sine Cruciata n* 4.*V. Indulgentia* 1.& 4, *Iubil.*1,

5 Quoad celebrationem tempore Interdicti.& Anni Sancti,

*An tunc pro Iubileo hoc pulsari possint campanæ, d.*16.& 17.*a p,*285 *ad* 287. *Praxis pro celebrando tunc hoc,& similibus Iubilæis quoad ea panarum pulsationem: Eucharistiæ manifestationem;& alias solemnitates,d.*18 *a n.*1.p. 287 *Praxis pro Eucharistia tunc solemniter recludenda,d.ult.a n.* 1.p. 88. *An suspendatur quoad defunctos in Anno Sancto*; T.4.*d.*14.*nu.* 45. & 46.p 360.& 361.*V. Interdictum Euch.*4.

6 Iubilæum 40 Horarum T.11.

*Eius formula,T.*2.*nu.*2,*p,*289. *Locus d.*2.*nu.* 1. *Tempus n,*2. *An* 40. *Horæ continuatæ, nu.* 5. *p.*290 *an in eis oratio continua n.*4.5.& 6 *an Eucharistiæ manifestatio n.*7.& 8. *Quid circa preces,confessionē,communionē.& licentiā n.*1.

7 Iubilæa pro festivitatibus Christi D. B. Virginis & Sanctorum, T. III.

*Quæ illorum formula,in quibus Ecclesijs obtinenda,*T.3.*d.*2.*p,*296. *A qua hora incipiant cū dicitur*; A primis vesperis *d.*3.*n.*1.& *seq p.* 297. *in qua terminentur cum dicitur*, Vsque ad occasum Solis, *vel in festo die aut festivitate,d.*4.*a n.*1 *p.*298 & 299. *An transferenda;si festivitas transferatur d.*5.*a n.*1.*p.*300.

8 Iubilæa,ac Indulgentiæ pro Regularibus,eorumque Ecclesijs T.IV.

*Quæ revocatæ,& quæ concessæ a Paulo V.T.*4.*d.* 1 *a n.*2 *p.*305.& 306. *An aliæ non revocatæ.d.*2.*n.*1.*p.*306. *Quæ non sint revocatæ,a nu.* 2.*ad* 9 *p.*307 & 308. *Plures pro Religiosis,eorum Patrib⁹ Benefactoribus &c. ibi & in seq. V. his indulg.fruantur Novitij, & Iesuitæ post vota biennij, d.*3 *a nu.*1.*p.* 308,& 309. *An itinerantes,aut extra claustra degentes,etiam conscssis pro suis Ecclesijs,d.*4.*a nu.*1.*ad* 5. *p.* 309. *An Religiosi facti Episcopi.d.*5.*a num.*1 *p.*310, *An a Religione expulsi,d.*6.*a num* 1. *p.*311. *An Apostatæ, & Fugitivi,d,*7.*a num.*1. *p.*312.

9 Quoad communicationem,& alia circa indulgentias privilegia:

Quomodo detur cōmunicatio in indulgentijs,& Iubilæis inter Regulares, eorumque Ecclesias eusdem,vel diversi Ordinis ac etiam inter visitantes eas, T.3.*d.*8.*num.*9 & 10.*a p.* 313. *ad* 316. *Quas indulgentias lucrentur Regulares sine Cruciata d.*11.& 12.*a p.*316.*ad* 320, *An omnia Iubilæa lucrentur in suis Ecclesijs,d.*13. *a num.* 1.*p,*320. *An indulgentias stationum d.ult.num.*4. *p.*321, *An Exercitiorum spiritualium num.*5 *Quas pro mortis articulo:* T. 9. *d,ult.num.* 3 *p.*375. *Quas decedentes in habitu Regularium num.*4.& 5. & *illum osculantes ibi V. Regularis* 11.

10. Iubilæum de Portiuncula T.V.

*Quis concessit,T.*5.*d.*1.*num* 1.*p.*322. *Quas diligentias requirat num.*3. *In quibus Ecclesijs lucretur,num.*4.5. & 6 *in quibus Tertiarij, Corrigeri Corrigiati & similes:d.*2. *num.* 1. & 2. *p.*323. *Quoties lucretur num.* 3. & 4. *an pro Animabus num.* 5. *an in Ecclesijs Monialium S.Francisci Ordinario subiectis, d.* 3. *a num.*1.*p.*324.*V. Moniales* 3.

11. Iubilæum pro visitantibus septem vel quinque Altaria,aut Ecclesias. T.VI.

*Quæ eorum formulæ,T.*6.*d,* 1. *a num.*1, *p.* 326. *Quæ hic sub Ecclesiæ nomine intelligantur,d.*2. *a num*1.*p.*327 *an Oratoria num.*2. & 3.& *d.* 3,*num.*1.*p.*358. *Quæ Altaria. d.*3. *a num.* 1. *p.*3 9. *An in eis Ara requiratur num.*3. *Quæ, quot,& quomodo visitanda:d.*4.*a nu* 1.*p.*329. *An requiratur corporeus motus in visitatione, d.*5.*num.*1.2 & 3, *An hæc fieri possit ab ostio num.*3.4 & 5. An *interrumpi: num.* 6. *Quo tempore,& precibus visitanda: d.*6 *num.* 1. *ad* 3 *p.* 350. *Quoties lucrantur indulgentiæ hæ: a num.*4.*ad* 6, *Quæ & quantæ sint:d.* 7.*a num.* 1.*ad* 4 *p.*331.& 332.*d ult. a num,* 1,*p,* 333, *Vbi de stationum indulg.an pro Animabus applicandæ num.*6.*p.*333.*V. Ecclesia, Altare, Oratorium,*

12 Iubilæum Missionis Societatis IESV: T.VIII.

*Eius initium S.*7.*d.*2.*num,*1.*p.*336. *Formula num.*2, *Subscriptio nu.* 3. *p.*337. *promulgatio a num.*4.*ad* 8 *Quibus è Societate concedatur, d.* 3.& 4 *a p.*338 *ad* 340 An *Religiosi, etiam Moniales, & omnes Advenæ, Peregrini, & commorantes in suburbibus, & alijs locis oppido Missionis adiacentibus lucrentur;d.*5.*a num* 1.*p.*340 & 341. *An intra civitates, in quibus domos habet Societas:d.*6.*a num.*1.*p.*342. *Quæ diligentiæ,& quo loco faciendæ;d.*7.*a nu:* 1.*p.*343 *Quando incipiat, & finiatur, & quoties lucretur:d* 8.*a num.*1.*p.* 344. *Quibus facultatibus ad Missiones prouentendi Missionarij:d.*9.& 10 *p.*345.*ad* 347. *De usu Altaris portalis in eis:d,*9.*num.*7 & 8.*p:* 348. *De revalidandis matrimonijs:ult.a num* 4 *p.* 347 *De Dispensatione in petitioae debiti, p.* 348. *Vide Regularis* 4. *Societas* 2. *Matrimonium.*1.

13 Iubilæum Anni Sancti T, VIII.
Quoad eius celebrationem, & diligentias;
Eius inſtitutio, & ad 25 annum reductio: d. 1, a num. 1. p. 348. Formula quoad ſuſpenſionem Indulg. & facultatum, d. 2. num. 2. p. 349. An ad illud uxores valeant adire ſine conſenſu virorum, vel illos comitari teneantur: d. 3. a n. 1. p. 350. An Religioſi ſine licentia Superiorum, d. 4. a num. 1. p. 351. A qua die, & hora incipiat, & ad quam duret, d. 5. a num. 1. p. 351 & 352. Quibus ceremonijs incipiat, & Baſilicæ aperiantur, d. 6. a num. 1. p. 356. Quæ & quo ties ſunt viſitandæ, d. 7. a num. 1. Quibus circunſtantijs, d. 8. num. 1. p. 354 Quibus precibus num; 2. An confeſſio & communio requirantur num. 3. Quoties lucretur, num. 4. An impediti Romam adire: d. 9. a num. 1. p. 355. & 356. An incipientes ſi non accedãt, d. 10. a n. 10. p. 356.

14 Quoad ſuſpenſionem Indulgentiarum, & Facultatum;
An Indulgentiæ Romæ ſuſpendantur: d. 11. a num. 1. p. 357. Quæ, & circa quos extra eam, d. 12. num. 1. & ſeq. p. 358. An non plenariæ, d. 13. num. 1. & 2. p. 359. An à Prælatis conceſſæ: num. 3. & 4. an Cruciatæ d. 14. num. 1. & 2. p. 359 an pro defunctis a num. 3. ad 5. p. 360. Quando incurratur excommunicatio contra publicantes eas, d. 15. a num. 1. p. 362. & 362. Quæ facultates Ordinariorum, & Regularium ſuſpendantur: d 16. & 17. a p. 362. ad 364. Quo uſque duret ſuſpenſio, d. 1. a num. 1. p. 364. An quoad omnes æqualiter, d. ult. num. 1. 2. & 3. p. 635. Cui fructus Iubilæi poſt annum applicabitur; num. 4.

15 Iubilæa pro Mortis articulo
Quæ communiter extent, d. 1. a num. 1. p. 366. & 367. An pro vero, aut præſumpto articulo, aut periculo concedantur, d. 2. a num. 1. p. 362. An applicatio Confeſſoris requiratur, d. 3. a num. 1, p. 369. V. Moribundi lucrentur ea etiam ſi ignorent, aut earum non recordentur, vel opera iniuncta ſine intentione faciant, d. 4. a num. 1. p. 370. & 371. An confeſſio & communio tũc requirantur, d. 5. num. 1. 3. & 3. Quomodo tunc invocanda nomina Ieſu, & Mariæ a num. 4. ad 6 p. 372. Circa indulgentias pro imaginibus V, Indulgentia Circa conceſſas decedentibus cum habitu Regulari in d. ult. num. 4. 5. & 6. p. 375.

16 Singularia Iubilæa, eorum ve Formulæ pro Societate & Domo Profeſſa Hiſpalenſi:
Iubilæum Circumciſſionis, T. 1. d. 4. nu. 9. p. 271. Aliud pro die à N. P. Generali aſsignanda; d. 14. num. 6. p. 281. Pro SS. Ignatio, & Xaverio, d. 3. d. 1. num. 4. p. 296. Pro Domo profeſſa Iubilæum 40. Horarum T, 2. d. 1. num. 2. p. 259. Conceptionis B. V. T. 3. d. 1. num. 2. p. 295 Septem Altarium, T. 6. d. 1. num. 2. p. 326.

Pro alijs Religionibus:
Aliqua pro Conceptione, T. 3. d. 2. num. 1. & 2. p. 290. Indulgentia pro feſtivitatibus B. V, ac pro Sanctis Ordinis Minorum; d. 2. a num. 5. p. 298. & 299. T. 4. d. 9. num. 4. p. 315. Iubilæum ſingulare pro Monaſterio Hiſpalenſi B. Mariæ de Gratia in Dominica in Albis. Corolaria num 3. p. 376, breviſsimè expenditur, num. 3. 4 & 5.

Iudex Quoad Sacramenta morte punitorum;
An hic teneatur de Confeſſore providere, T. 3. S. 27 num. 1. & 2. p. 189. & 190. Quid exequi teneatur ſi ſacramentaliter confiteri renuit Rex à num. 3. ad 12. p. 89. & 90. Quid ſi ſit infidelis, & ad fidem tunc ſe convertat, T. 3. S. 27. num 8. p. 90. An teneatur tempus concedere, ut plectendus Euchariſtiam ſuſcipiat, T. 4. S. 13. a num. 1. p. 111. An ſi ille ſuſceptionem ad ſupplicij diem differat, eius executionem differre teneatur, num. 3. & ſeq. p. 111. & 112. Quibus in caſibus ad hanc non teneatur tempus illi cõcedere; S. 15. a nu. 1. p. 115. & 116. V. Damnatus, Euchariſtia 3.

Iuramentum
In Hiſpalenſi, ac alijs Diœceſibus reſervatur quæ ſit, T. 3. S. 2. a num. 1. p. 56. & 57.

Ius Canonicum:
Eius decreta eandem vim habent illi inſerta, ac extra illud, T. 1. S. ult. num. 2. p. 39. Quando eius privilegia revocantur, T. 2. S. 9. num. 7. p. 46. T. 3. S. 16. num. 5. p. 7.

L

Laicus
Quando poteſt Euchariſtiam tangere, T. 4. S. 8. p. 104. An ad infirmos deferre, vel miniſtrare, T. 3. S. 8. num. 3 p. 105.

Lex
Pontificia ut obliget promulganda, T. 3. S. 15. nu 3. p. 73. Eccleſiaſtica quando obliget, T. 9. S. 12 num. 2. p. 259. An ſub veniali ſi dubitetur: an ſub mortali, S. 15. num. 5. p. 264 In legis præmio animus legislatoris noſcitur, T. 3. S. 18. nu. 3. p. 77. V. in indice Principiorum. V. Lex.

Libri, Quam fidem faciant,
An plenam Baptiſmi, & Confirmationis in utroque foro, T. 2. S. 12. p. 52, An libri defunctorum. vel xenodochij num. 3. cenſuales num. 4. p. 53. Camaræ Apoſtolicæ, Matricula, Parentum de Natalibus ſuorum filiorum: Antiqui præcipuè Chronicorum & in Archivis reperti, T. 7. S. 14 num. 6. & 7. p. 177. & S. 15. num, & 7. p. 178. An memoriale Patruus, num. 7.

Licentia
Iniustè negata habetur pro concessa: T.3.S.11.n.6. & 7 p.67. Quando adsit præsumpta, T.8.d.4. num.3.p.351.

Lusitania
An sub Hispaniæ nomine, seu eius Regno intelligatur quoad Ecclesiastica præcepta. T.7.S.25. a num.4.p.90.

Luxuria
Quæ peccata eius in Diœcesibus reserventur, T. 3.S.3.num.2.3.& 4.p.58.

M

Malacitana Diœcesis;
Eius casus Reservati V. Casus, & in suis verbis, ut Excommunicatio, Iuramentum, &c.

Martyrologia
Quam authoritatē habeant, & fidem faciant, T. 7.S.14.num.1.p.176.& S.16.num.20.p.180.

1 Matrimonium nullum, & clandestinū;
An sit si dubitatur de baptismi valore, aut de alio impedimento, & an tunc sit necessaria dispensatio, T.1.S.12.n 4.p.23. Quomodo revalidabitur, T.7.d.ult à nu.5.p.347. Clandestini quæ species, & quando reservetur in Diœcesibus, T.3.S.5 à n.1 p.60. An possit recipi ante Confirmationem, T.2.S.4.num.1 p.44.

2 Quoad debiti petendi impedimentū:
An illud impediat cognatio spiritualis, T.9.S.8. num.4.p.255. An illud petere valeat dubitans de valore matrimonij, vel an cum hoc dubio possit contrahi n. 5. An impediat votum de illo non petendo, S 11.num.9.p.259.& S.12.num. 12 p.261. & an irritari ab uxore valeat; ibi; An cum illo tottes peccetur quoties petitur n. 10. An peccaret impeditus ob votum, aut interesse, si petat, ne in alia peccata labatur, S,12.à num.1 p.259 & 260.

3 Quoad dispensationem in petitione debiti;
Quæ conditiones concurrent, ut qui consanguineam uxoris cognovit indigeat dispensatione ad hanc petitionem, T.9.S.5.a num.1.a p.251.& 252. Qui affinitatis gradus n.1. Quæ fornicatio, & copula, a n.2 ad 4. An voluntaria, S,6. num. 1.p.252. Quæ notitiæ cognationis nu.2. Quę prohibitionis, a n.4 ad 5.p.153. An necessaria publicitas n.7 an peccet lethaliter impeditus si sine dispensatione debitum petat, S.7 num.1. p. 254. Quibus in casibus hoc liceat, a num.2. ad 4. An ad hanc dispensationem specialis causa requiratur, S.9 a num.1.p.256. An dispensatus maneat omnino liber ab hoc impedimento: S.9.num.3.& 4 p.256.a S.10.n.m.2.p.257. Quis possit dispensare in petitione debiti, ac in aliis impedimentis. V. Episcopus 5. Regularis 11 Parochus 6.

4 Quoad eius divortium ob adulterium;
Quid sentiendum de eo qui ob falsam veri adulterij probationem sacerdotio initiatus, & in Religione professus est, T.9.S.13.a num. 1.p.161. An graviter peccavit n.4. An valida hæc professio num.5. An censuram incurrerit, num. 6. & 7.p 262. Quid si ipse etiam Adulter, n.5. Quid si Bigamus, n. 10.& 11. An huic liceat ad uxorem redire, & debitum reddere, aut petere, S.14.a n,1.p.263.

5 Quoad eius solemnitates, seu velaciones
An has in Hispalensi Diœcesi omittere, vel differre ultra terminum præfixum sit lethale, S.15.a num,1.p. 264.

Mensis
Eius cōputatio quotuplex, T,1.d.2.n.1.& 2 p.267 Quæ pro contractibus votis, præceptis, Iubilęis, &c. à num.7.p.267.

1 Missa quod celebrationem, & eius circunstantias
An sine lumine eam dicere, vel prosequi liceat, T. 4.S.1.num.2.p 93 Quando bis eodem die celebrare vel communicare, vel semel utrumque, liceat, S.9.num.6.& 7 p.60. Quam Missam dicturus qui diei propriam in Missali non invenit, T.7.S.37.n.1.ad 3 p,207 An cognomina SS. in Missa apponenda, S.38 a nu.1.p.207. & 208. An in festis duplicibus liceant Missæ votivæ, S.39 num.p 209. Alia de harum commutatione, num.6.& seq. A qua hora incipi. & in qua finiri valeat, T.1.d.11.num. 3 p. 278 & 279. V. Canonizati, Beatificati, Naturalis, Regularis 9, Societas 12.

2 Quoad celebrationam in triduo hebdomadæ Sanctæ
An in Feria V. in Cœna D. omnibus liceat Missas dicere T.4 S.5.num 6 p.10. An in Parasceve, S.6.n.2.3.& 6.p.101. An in Sabbato Sancto, num. 8.p.102. An Missas Passionis pro alijs commutare, vel Passionem committere sit lethale, T.5.S.4.a num.1.p.10 An celebrare liceat sine Ministro, vel cum femina ministrāte, S.6, num.3.p.126,

Missiones Societatis Iesu
Vide Iubilæum Missionum: Societas Iesu, n.4.

Moniales
1 Quoad Baptismum, & Confirmationem
An possint esse Matrinæ in Baptismo, T. 1. S. ult.p. 39.& 40. An in Confirmatione, T. 2. S.8.num.2.p.50.

2 Quoad Eucharistiam, & Oratoria
An Eucharistia intra earum chorum, vel clausuram conservari, aut per diem collocari liceat, T.4.S.2.p.94. An in fenestella Communionis, num.7.p.95. Quoties ægrotanti concedenda, a num.4.p.95.& 96. An quotidie n.8. An possint erigi oratoria in suis cellis aut valetudinarijs, T.7.S.34.num.8.p.204.

Quoad

3 Quoad communicationem privilegio rum, & Recitationem Horarum, ac Indulgentias:

An omnes, etiam Epiſcopo ſubiectæ fruantur privilegijs, Regularium, T. 8. S. 16. a num. 1. p. 238 & 239. An quoad recitationem de Euch. Feriis V. & de Conceptione Sabbatis, ac de feſtis ſui Ordinis, a num. 3. An quoad Iubilæa, & alia indulta, T. 5. d. 3. & 4 p. 324. & 325. An indulgentijs fruantur ſine Cruciata, T. 4. d. 12. num. 9. p. 319. An omnibus, quibus ſui Regulares, d. ult. num. 3. p. 321. An Iubilæo Anni S. etiam ſi Romam non adeant T. 8. d. 9. num. 1. & 2. V. Regularis 9. Iubilæum 8. & 9.

4 Quoad earum Confeſſores; & abſolutionem;

An pro ipſis debeant ſpecialem habere ab Epiſcopo licentiam, T. 3. S. 25. n. 1. p. 87. Etiam ſi Regularibus ſint illæ ſubiectæ, n. 2. 3. & 4. Quid in hoc de earum Prælatis, num. 5. 6. & 7. An approbati pro una vice, vel monaſterio poſſint ſemper. & pro omnibus, num. 8. p. 88. & 89. An Confeſſarij Proprij poſſint eas abſoluere a reſervatis Pontifici Ordinario, vel in ſua Religione, aut monaſterio, S. 25. à n. 1. ex Cruciata p. 88. an Extraordinarij, num. 7. p. 89. Quid de his decrevit S. Congregatio num. 8. & 9. Quando Confeſſori, vel Capellano, vel alijs liceat clauſuram ingredi pro ſacramentorum adminiſtratione, S. 3. a num. 1. p. 95. ad 97. an intra eam celebrare valeant, num. 4. p. 95. Vide Regularis a num. 3. ad 7.

5 Monialium Capellanus quoad recitationem Horarum

An, etiam ſi ſit Sæcularis, poſſitſe accommodare cum illis recitans de feſtis, & SS. de quibus ipſæ ob ſpecialem profeſſionem recitant, T. 8. S. 7. a num. 1. à p. 224 ad 227. Iuxta quod Breviarium, aut Ritum tunc recitabunt, num. 11. an Feriis V. de Euch. & Sabbatis de Concep. num. 12. Horæ 1.

Moribundus

De Indulgentijs pro eo conceſſis, vide Articul. mortis Bulla 2. Iubilæum, 15. Euch. 3.

Moriſcæ, *Vide obſtetrix.*

N

Natalitia.

Qui dies dicebantur, l. 7. S. 12. num. 2. & 3. p. 173.

Nativitas Domini:

An in ea liceat Sacerdoti ſemel communicare & bis celebrare, vel è contra, T. 4. S. 9. a n. p. 105. Eius vigilia quando incipiat, T. 8. d. 5. n. 3. & 4. p. 354.

Sancti Naturales

Eorum celebratio in Eccleſijs Hiſpaniæ, T. 5. S. 9. a num. 1. p. 169. & 170. Quid ſi hi non ſint in Breviario, nec in Martyrologio, nec extet indultum de illis, S. 10. a num. 1. p. 170. & 171. Tituli, ob quos conſtituentur Sancti Naturales, S. 12. & 13. a p. 173. ad 176. Ex quibus teſtimonijs probatur naturalitas Sanctorum, S. 14. p. 176. & 177. An ſufficiat unus Scriptor eam aſſerens, S. 15. a num. 1. p. 178. & 179. An ad eam neceſſaria ſit authoritas Martyrologij Rom. S. 16. num. 179. & 180. An obſtet quod alij negent, S. 17. p. 180. & 181. Quid quando de patria dubitatur, à num. 3. ad 6. Quam fidem faciant Hiſtoriographi, ex quibus hæc Naturalitas probatur, S. 18. p. 182. Cui competat hos SS. Naturales declarare ac admittere, S. 19. p. 183. An ante hanc admiſsionem de illis liceat recitare, num. 5. & 7. Qui Ritus eis concedatur, & an mutari valeat ab Epiſcopo S. 20. p. 184. & 185. Quid ſi cum alijs Breviarij concurrant, num. 4. V. Beatificati, Canonizati, Hiſpania Eccleſiæ 2. Regularis 9.

Naturalitatis Tituli

Quot ſint, T. 7. S. 12. & 13. à p. 176.

Nomina

Quæ imponenda in Baptiſmo, T. 1. S. 24. p. 38. Quæ do mutanda, T. 2. S. 10 à num. 1. p. 51.

Notarius

Publicus quis ſit, T. 3. d. 6. num. 1. p. 301. An Sæcularis in Eccleſiaſticis, vel è contra ſubſcribere valeat, n. 2. 3. & 4. An diverſi Regni n. 5.

Novitij

An ſub nomine Religioſorum intelligantur, & eorum privilegijs, ac indulgentijs fruantur, T. 3. d. 3. num. 3. p. 338. & T. 4. d. 3. a num. 1. p. 308. An ad hoc Cruciata indigeant, d. 12. num. 9. p. 319.

O

Obſtetrix

Quid faciet ſi non habuit intentionem baptizandi aliquos ſibi ignotos, vel ſi in alio eſſentiali defecit, T. 1. S. 1. & 2. a num. 4. p. 5. An baptiſmus ab obſtetrice ex Hebræis, aut Sarracenis orta, iterandus, S. 4. a num. 1. p. 8. & p. 377. An Moriſcæ filios ſuos baptizent, num. 7. p. 9. An obſtetrices debeant eſſe approbatæ, S. 5. num. 3. p. 10.

Opinio

Probabilior an ex maiori DD. numero, T. 1. S. 9. num. 9. & 10. p. 18. An minus probabilem ſequi poſſit tuto Confeſſarius, T. 3. S. 18. num. 13. p. 78. Quando Theologorum præferenda eſt opinioni Canoniſtarum, T. 6. S. 4. n. 7. p. 133. Quando contra communem unus Auctor probabilem opinionem efficiat, T. 7. S. 17. num. 2. p. 181.

Oraculâ,

Omnia ſunt iam revocata, T. 9. S. 3. à num. 2. p. 249. Etiam ſi bullæ confirmatoriæ generaliter dentur, num. 4. An Revocationes privilegiorum

rum ſint revocatæ; T.3.S.17.num.2.p.72. An Declarationes, T.9.S,4.num.5.p.250. An Indulgentiæ, T.4.d.2.num.9.p.308. & d. 12. num.8.p.319. vel circa eas indultas, d.17.nu. 4.p. 310.

Oratorium quoad celebrationem, & Indulgentias;

An ſi illius indulto aſſignetur civitas, extra illam eo utendum, T.7.S. 31.a num.1.p.198 & 199. Quas conditiones afferat, num.6. An a quocumque Ordinario poſſit approbari, S.32.num. 1. & 2. p.200. Quid ſi iniuſte non approbet, num. 3. Quid ſi privilegiatus alio ſe transferat num. 4. An in eo pluries Miſſæ celebrande, num. 6. p.201. An coram Domino, vel familia nu. 7. & 8. Quibus diebus non celebrandum, S.33. num.1. & 2.p.202 Quæ ex his liceant illi Cruciatæ, num.5. & 6. An Euchariſtia in eo adminiſtranda etiam pro annua communione, num. 4. & 8. An in eo obtineantur indulgentiæ Cruciatæ pro viſitantib⁹ Eccleſias aut altaria conceſſæ, T.6.d.2.num 2 & 3.p.327. & num.6. p. 328. & d.3.n.1. V. Societas. 11. Regularis 10.

Ordinarij

An teneantur materiam certam providere Extremæ unctioni. & alijs Sacram. T.5.S.2.a num. 1.p.121. Quid poſſint circa celebrationem feſtorum & declarationem, ac admiſſionem SS. Naturalium, T. 7,S. 19. a num.1. p, 183. Vide Epiſcopus.

1 Ordo quoad receptionem, & examen

An liceat Ordinari ante confirmationem T. 2. S.4.num.3.p.44. An minoribus, vel ſacris initiandis confiteri, ac communicare teneatur, T. 6.S.17.a num.1.p.151. Quis cum Bigamo diſpẽſet, T 9.S,13.num.10. & 11 p. 263. An & quando approbans ob pecunias ſit Simoniacus. T.6 S.16.r num.1.p.148. & 149. Quid præſtandum cum eo, qui in examine alium pro ſe ſubrogavit, S.16.a num 1.p.150. An graviter peccent illiteratum approbantes, S.9.num 5. p. 140. V. Examinatores, Capitulum, Regularis 8. Dimiſſoriæ. Epiſcopus num.3. Societas 10.

2 Quoad ſcientiam requiſitam;

Quæ ſcire debet Ordinandus, T.6.S,9.num.3.& 4.p.140. An gramaticæ ignarus, ſi Ordinum functiones exercere ſciat, ad eos ſit approbandus à num.4.& ad 7 p.141. An in hoc minor ſcientia quàm in alio ſufficiat, a num.7.ad 10. Quæ grammaticę intelligentia ſufficiat, ut quis ſacris initietur, S 9.a nu 1.p.142. An inferior in Regulari, quam in Seculari S.11.a num.1. p.142 & 143. Vbi de diſpenſatione in ſcientiæ defectu. An Gradus diviſim concedendi S. 14 num.1.p.245. Quos libros intelligere debent Ordinandi num 3 & 4.p 147. Quid de Sacerdotis ſcientia, num.8.p.148.

3. Quoad Ordinum iterationem

Quomodo hæc fiat dubijs de ſuo baptiſmo, aut de ſuorũ Ordinum valore. T.6.S.1.a nu.1.p. 129. & 130. Quo tempore, loco, & ritu ibi: An ac tum Ordinis liceat exercere ante iterationem, num.4. Epiſcopatus quomodo iterandus, S.2. a num.9.p.130. Vide Epiſcopus num.1.

P

Pacenſis Diœceſis

Caſus Reſervati, Vide Excommunic, Iuramentum, &c.

Parentes

Tenentur procurare baptiſmum conditionatum filijs, ſi eo indigent, T.1.S.14. num.3.p.26. idem de Tutoribus: Curatoribus &c.

1 Parochus Quoad adminiſtrationem Baptiſmi;

Quid faciet ſi circa aliquos ſibi ignotos, vel notos intentionem baptizandi non habuit, vel in alio eſſentiali defecit, T.1.S.2.a num.4.p.5. An ſi is ex Hebræis, aut Sarracenis, eius baptiſmi iterandi. S.4.a num.1.p.8. & in omiſſis, n.1.p. 377. An inquirere teneatur de valore baptiſmi eorum qui domi baptizantur. S.6. à num. 1.p.12. Qualis hęc inquiſitio, S,7,a num. 1.p. 13. Quid exequetur cum Expoſitis, S 9.num. 15.p.19. Tenetur procurare baptiſmum conditionatum dubijs de primo, ac Nigris ex ſuis provincijs venientibus: S,14,a num.1.p,25, & 26, Tenetur uti materia, & forma certis, num. 2.p.26. An ſi invalide baptizet teneatur cum gravi detrimento hoc propalare, S.19.a num.1. p.31, An ſit abſolvendus ſi nollit, num.5 6. An pecet lethaliter admitendo puerum in Patrinum, S.24.num.5.p.38. V. Baptiſmus.

2 Quoad Confirmationis Sacramentum

An teneatur ſcribere eos, qui in ſua Parochia Confirmantur, & ſuſcipiunt, T.S.11.a num 1,p,51 An ad id graviter teneatur circa Baptizatos, Patrinos à num.3.& 4. Quomodo ſcribendi, num.5,& 6,p.52,

3 Quoad Pœnitentiæ adminiſtrationem;

An poſſit ſuos abſolvere a reſervatis in Diœceſi, T.3, S.9.a num.1.p, 64. & 65. An expediat ut ei detur hæc facultas, S, 10.a num, 1, p.55.& 56. Quoties teneatur confeſſiones ſuorũ audire, ſi ipſi petant, T,4.S.7.num.8 p.130 V, Confeſſio, caſus reſervati.

4 Quoad Euchariſtiæ adminiſtrationem:

An, & quoties teneatur eam miniſtrare ſanis, aut infirmis pro ſua devotione illam petentibus, T. 4.S,7,a unm,11,p.102,& 103. Quando excuſabitur ab hac adminiſtratione: num, 11, p,104, An cum magna feſtinatione teneatur, eas mi-

miniſtrare infirmo, S. 8. a num. 1. p. 104. An ſi hic diſtet, poſsit vehi equo; S. 8. a num. 10. p. 105 Quomodo tunc deferenda num. 4. An poſsit concedere ſibi ſubdito, ut in Paſchate communicet in alia Eccleſia: S. 12. a num. 1. p. 109. & 110 Quid circa hoc in Hiſpalenſi Diœceſi num. 8. Quæ frequentia poſsit Euchariſtiam pro viatico miniſtrare: S. 14. n. 2. p. 113 V. Euchariſtia.

5 Quoad Extremæ Vnctionis admi niſtrationem

An in hac teneatur materiam, & formam indubitatam applicare; T. 5. S. 2. a num. 2. p. 121. & 122. An graviter teneatur eam miniſtrare petentibus, num. 4. & 5. S. 9. num. 4. p. 128. An femina ipſi in adminiſtratione, reſpondere valeat S. 6. n. 2. p. 125. An licitè, aut validè eam miniſtrabit infirmo non periclitanti ſeu initio morbi S. 7. a num. 1. p. 126. & 127. An tunc ſi miniſtret ſit repetenda, num. 5. & 6. An ſit lethale ſi eam adminiſtrare nollit niſi deſperata ſalute, S. 8 a num. 1. p. 127. & 128. An ſi ob negligentiam hoc faciat num. 2. An liceat unctionis S. Oleum domi cuſtodire. S. 9. a nu. 1. p. 28. Quomodo deferendum extra civitatem num. 3. An infirmis mittendum ad ſanitatem recuperandam S. ult. nu. 1. & 2. V. Extrema unctio.

6 Quoad Matrimonij Sacramentum:

An ſi dubius de ſuo baptiſmo illi adſſet, eſſet validum, T. 1. S. 11. num. 6 p. 22. An incurrat excommunicationem ſi adſit clandeſtino, T. 3. S. 5. num 4. p. 60. An diſpenſare valeat in petitione debiti impeditis ob votum, inceſtum, aut cognationem, T. 9. S. 11. a nu. 1. p. 257. & 258 Quid cum his præſtabit a num. 4. an in ſeruato, T. 3. S. 22. num 7. p. 84. V. Matrimonium

Patrinus Baptiſmi & Confirmationis;

Eius munus: T. 1. S. ult. num 6. & T. 2 S. 7. num. 2. p. 48. An ſit adhibendus in conditionato bap. T. 1 p. 4. S. 18 num 1. p. 30. An tunc contraheret cognationem num. 2. An poſsit eſſe rationis impos, vel puer. S. 24. a num. 1. p. 37. & 38. An hic cognationem contraheret num. 3. An in Patrino certa ætas requiratur nu. 4. An non Confirmato liceat in Confirmatione ſuſcipere; T. 2. S. 7. a num. 1. p. 48. An tunc contraheret cognationem, & quid de non baptizato. num. 5. p 49. An in utroque ſacram. idem poſsit eſſe eiuſdem Patrinus, vel ſimul plurium num. 6. & S. ult. a num 1. p. 55. An ſi plures Patrini quam duo adhibeãtur, cognationem contrahant, num. 3. V. Bapt. 5, Regularis 1. Monialis 1.

Pontifex:

An & quando diſpenſare valeat in omnimoda ignorantia ad Ordines ſuſcipiendos, T. 6. S. 12. a num. 1. p. 144.

Pontificale Romanum:

An eius regula ſub mortali obligent, T. 2. S. 1. n. 3. p. 41. & S. 7. num. 3. p. 48.

Præcepta:

An, & quando etiam diverſa unico actu adimplentur, T. 4. S. 11. a num. 1. p. 107. & 108.

Piędia Religionum:

An ſub Monaſterio comprehendantur, immunitateque gaudeant: T. 1. d. 7. a num. 1. p. 273. & 274.

Prælatus *V. Regularis n. 5. Societas 8. & 9.*

Preces pro Iubilæis,

Quæ, & in qua quantitate fundenda, T. 1. d. 14. num. 1. p. 280, & 281.

Primitiæ

Quid: & an earum retentio reſervetur in Diœceſibus: T. 3. S. 7. a num. 2. p. 62.

Principia iuris illuſtrata,

Vide ſequentem indicem.

Prior in Cathedrali

Hiſpalenſi, quam dignitatem, & poteſtatem habeat T. 7. S. ult. n. 4. & 5. p. 214.

Privilegium

Iuri inſertum quando revocatur. T. 6. S. 16. a nu. 5 p. 74. Regularia confirmantur a Papa, S. 17. a num 2 p. 74. & 75 Perſonale quid, T. 7. S. 31. n. 3. & 4. p. 199 An Communitati cõceſſo uendum neceſsario, T. 7. S. 35. num. 4. & 5. p. 205. An latè interpretandum conceſſum contra ius T. 8. S. 15. num. 6. p. 237. An per non uſum perdatur, num. 7. & 9. An, conceſſum viris concedatur feminis, S. 16. num. 6. p. 239. V. Societas 11. Regularis 11.

Probatio plena,

Quando fiat unico teſte, ſcriptore, aut coniecturis, T. 7. S. 14. & 15. p. 176. V. Teſtis.

Proceſſus,

Seu ſcripta iuridica quando plenè probẽt, T. 7. S. 14 num. 4. & 5 p. 177.

Prophetiæ;

An eas in Miſſa omittere, vel pro earum Miſſis alias dicere ſit lethale, T. 7. S. 29. a n. 1. p. 206

R

Rectores Eccleſiarum,

Qui dicantur T. 1. d. 10. n. 1. p. 277.

1 Regularis quoad Baptiſmum

An ſi de ſuo ſit dubius, poſsit Religionem deſerere T. 1. S. 12. a n. 1. p. 23. An tunc poſt iteratum teneatur profeſsionem ratificare, n. 5. p. 24. An valida eius acta, ut Prælati, & ſubditi n. 7. An poſsit eſſe Patrinus. S. ult. a n. 1 p. 39. & 40 An tũc contraheret cognationem n. 7. Quando ei liceat baptizare S. ult, n. 7. p. 4.

2 Quoad Confirmationem:

An ante eã poſsit profiteri, T. 2 S. 4 n. 2 p. 44. An valeat Confirmare, S. 5. a num. 1. p. 45. & 46. Cui hoc privilegium competat, S. 6. num. 1 p. 47 Quibus in Provincijs, num. 2. & 3. Carta quos num. 2. An ſi adſit Epiſcopus, nu. 5. & 6, An

alius actus Episcopalis ei competat, ibi. An possit esse Patrinus, S. 8. a num. 1, p. 49 & 50. V. Confirmatio.

3 Confessor quoad Pœnitentiam in Ordine ad Sæculares:

Quam potestatem habeat absolvendi seculares a casibus, & censuris reservatis; Episcopo, T. 3. S. 4. a num. 1. p. 71. An hæc modo ablata per S. Congregationem, num. 4. & 5. p. 72. An per D. N. Vrbanum VIII, S. 15. a num. 1. p. 72. & 73. Stabilitur eadem potestas indultis Pontificijs, S. 17. a num. 1, p. 74. A quibus excommunicationibus possit absolvere, S. 20. num. 3. & 4. p. 80.

4 Confessor quoad absolutionem suorum Regularium á peccatis, censuris, & casibus reservatis, precipué in Societate Iesu:

Confessor Ordinarius Regularium quam potestatem habeat circa absolutionem eorum à peccatis & censuris, T. 3. S. 19. a num. 1. p. 78 & n. 11, & 12. p. 80. Vbi circa commutationem votorum. A quibus excommunicationibus potest eos absolvere, S. 20. num. 3. p. 80. Quid si hæc cadant super peccata reservata num. 4. An a reservatis in sua Religione: S. 9 num. 4. & 5. p. 65. Quando expediat vt ei hæc potestas generaliter concedatur, S. 10. a num. 2. p. 65. & 66. An si hoc illi aliquando denegetur, possit suos a reservatis absolvere: S. 11. num. 4. p. 67. Quid si alteri denegetur num. 6. Quid si concedatur cum onere comparendi: num. 7 Quam cautelam servabit in petenda facultate, ne indicet casum vel Auctorem: S. 12. num. 4. & 5. d. 65 Vide Societas 7. & 10.

5 Prælatus quoad casus Reservatos, & alia;

Quando, & quibus generalem licentiam concedet, vt absolvant a reservatis T. 3. S. 10. num. 4. & 5. p. 66. An possit casus, vel censuras sibi reservare, S. 13 num. 1, p. 69. An Vicarius Prælati in eius absentia possit concedere facultatem ad reservata: num. 2. & 3. p. 70. Impius est Prælatus, qui vult vt subditus sibi confiteatur: n. 4. An peccet mortaliter, si facilis non sit in licentia cõcedenda ad reservata; num. 5. Non licet ei quid interrogare tunc, vt peccatum, vel complicem detegat num. 7. nec notitia confessionis ad gubernationem uti: num. 8. & 10. An possit eligere Confessarium, qui eum absolvat à reservatis: S. 25. num. 6 & 7. p. 65. & in omissis p. 377. Quid possit circa absolutionem suorum commutationem &c. S. 19. num. 12 p. 8. An possit dispensare in præceptis Ecclesiæ: S. 24. a num. 1. p. 86. Sit in hoc benignus num. 5. An eius facultates suspendantur in Anno Sancto: T. 8. d. 16. num 3. & 4. p. 362. An sit constitutus in dignitate Ecclesiastica; T. 3. d. 7, num. 5. p. 303. Vide Societas num. 8. & 9.

6 Quoad receptionem Pœnitentiæ, & absolutionem passivam a Reservatis;

Quid præstabit si hæc commisit, & Superior adiri nequit; T. 3. S. 11, num. 7. p. 68. An absolvi possit a commissis post licentiam datam, num. 8. & 9. Iter agens à quo absolvendus: S. 12. num. 1. p. 58. An petens facultatem ad absolvendum possit pro se ea uti: num. 3. p. 69. An ex Cruciata possit quilibet Regularis a mortalibus non reservatis absolvi: S. 18. a num. 1. a p. 75. ad 78. An alijs eius privilegijs uti, n. 9. p. 77, V. Societas, a num. 8. ad, 11.

7 Quoad Eucharistiam

An eam teneatur accipere de manu Prælati Feria V. hebdomadæ S, T. 4. S. 5. a num. 1. p. 99. Quibus Sæcularibus eam possit ministrare, S. 6. num. 5 p. 111 Quando pro viatico, T. 5. S. 3. num. 8. & 9. p. 123. & S 4. a num. 1. p. 124.

8 Quoad Ordines:

An minores, & primam Tonsuram valeat, si sit Prælatus, modo conferre, T. 2. S. 5, num. 5 p. 46 An afferentem dimissorias á suo Prælato tenea tur Episcopus admittere: T. 6. S. 8 a num. 1. p. 137. & 138. An Ordinari valeat in Sede vacante a num. 6. Vide Ordo, Capitulum, Societas 12,

9 Quoad celebrationem festorum, & Recitationem Horarum;

An teneatur in Hispania recitare de SS, Naturalibus, & festis suæ diœcesis: T. 7. S. 22. a num. 1, p. 187. An possit; S. 23. num. 1. & 2. p. 188. Etiã si suus Prælatus contradicat: num 3. An de alys Hispaniæ festis teneatur. num. 4. & 5 Quomodo obseruabit festa ab Episcopis instituta: S. 22 a num. 3, p. 187. Quid si sit Ecclesiarum Regularium Prælatus num. 7. Quid si Hispanus, & extra Hispaniam, S. 23. a num. 1. p. 189. Quid tunc de celebratione Reliquiarum, S. 24. num. 6. & 7 An Prælatus possit officia pro suis condere: T. 8 S, 1, a num. 1. p. 215. An se accomodabit Ecclesiæ, cui præest etiam Sæculari, S. 7 num 6 p. 225. An possit in quintis feriis recitare de Eucharis. S. 11. a num. 1. p. 231. & 232. An etiam in Adventu, & Quadragesima S. 12. a num. 1 p, 232. An de Conceptione in Sabbatis non impeditis S. 13. a num. 1 p, 233. & 234, An in Adventu, & quadragesima, S, 14. & 15. a p. 234. ad 239 Adnotantur aliqua circa hanc recitationem, a num. 3. p. 234. Horæ 1. Societas 13.

Quoad Oratoria;

An in ijs, etiam si Sæcularium, possit sine licentia sui Superioris celebrare. T. 7. S. 32, num. 5. p. 201. An Euch. ministrare, S. 33. num. 8. p. 202. An possint erigi in domibus, & prædijs

Regul. S. 34 *a num.* 1. *p.* 203. *A quo hæc viſitanda, num.* 3. & 4. *An in eis, & in altari portatili liceat Sæcularibus celebrare num.* 5. *An in cellis, & valetudinarijs poſſint erigi: num.* 7. *p.* 204. *An in eis lucrentur Iubilæa: S.* 1. *d* 6 *a num.* 1. *p.* 273. *V. Oratorium.*

11 Quoad privilegia, præſertim in diſpenſatione ad prandum dibitum:

Eorum communicatio T. 7 *S.* 13. *num* 3. & 4. *p.* 233. *Quomodo datur, T.* 6. *S.* 15. *num.* 2. & 3. *p.* 236. & *S.* 16. *n.* 1. & 2. *p.* 238. *T.* 5. *d.* 1. *n.* 4. & 5. *p.* 322 *An eis gaudeant Tertiarij Regulares, S.* 17. *n.* 1. *p.* 240. *An revocentur generalibus revocationibus T.* 5 *d.* 4. *num.* 3. *p.* 325. *An per non uſum pereantur, n.* 4. *Quæ quoad altaria erigenda, T.* 6. *d.* 3 *An ex privilegio valeat in impedimento affinitatis diſpenſare: T.* 9. *S.* 1. *a num.* 1. *p.* 246. *An in aliis pro infidelibus n.* 5. *p.* 247 *An in eorum terris in irregularitatibus: S.* 13. *n.* 11. *p.* 262. *An cum ſuis ſubditis n.* 10. *p.* 262. *An in petitione debiti cum conjugatis voto caſtitatis ligatis; S.* 2. *a num.* 4. *p.* 248. *An in votis, & caſibus Epiſcopo reſervatis: num.* 7. & 8. *In quibus S.* 1 *num* 6. *p.* 247. & *S.* 10. *n.* 5. *p.* 257. *An in petitione debiti cũ eo, qui conſanguineam uxoris cognovit, S.* 3. & 4. *a p.* 249. *ad* 251. *Bullæ huius privilegij ibi An poſſit diſpenſare in petitione debiti cum iis, qui ſpiritualem cognationem contraxerunt. S* 8. *a num.* 1. *p.* 254. & 255. *An hæc poteſtas omnibus competat, S.* 10 *a num.* 1. *p.* 256. & 257. *Quomodo facienda hæc diſpenſatio num.* 3. & *ante conſumationem matrimonij, vel ſi adiri poſſit Pontifex num* 6. & 7. *An poſſit aliis cõmitti, S.* 11 *a n.* 6 *p.* 258. *An Regularium privilegia & indulgentiæ ſuſpendantur in Anno Sãcto, T.* 8 *d.* 16. & 17. *a p.* 362. *ad* 364. *V. Societas* 11. *Matrimonium* 3.

12 Quoad extremam unctionem,

Quibus Sæcularibus, & quando eam valeat adminiſtrare, T. 5 *S.* 3. *a num.* 1. *p.* 122. & 123. & *S.* 4. *a num.* 1. *p.* 224. *An ſi miniſtret, abſque Parochi licentia excommunicetur num.* 3. *p.* 122.

Quoad indulgentias V. Iubilæum 8. & 9. Religiones Mendicantes:

Quæ ſint T. 4. *d.* 10. *n.* 10 *p.* 320. *An teneantur procurare baptiſmum conditionatum dubijs de illo T.* 1. *S.* 14. *num.* 6. *p.* 26.

Reliquiæ Sanctorum quoad celebrationem.

An de inſignibus celebrandum in Hiſpania T. 7. *S.* 27. *a num.* 1. *p.* 193. *An extra illam nu.* 7. *Quibus in Eccleſijs num.* 2. 3. & 4. *Quæ ſint inſignes, num.* 5. & 6. *An Canonizatis Martyrologij num* 8 *p.* 194. *An de Beatificatis num.* 9. *Qualis earum approbatio num.* 10. & 11. *An de Reliquia Cathedralis celebrandum in alijs Eccleſijs, S.* 28. *num.* 1. & 2. *p.* 195 *Quo ritu, & quomodo celebrandus eius Sanctus ſi ſit cum ſocijs, vel ſine illis in Breviario a num.* 3. *Alia circa hanc celebrationem n.* 6. 7. & 8. *An diverſis diebus celebrandæ Reliquæ, quæ eodem die, & ritu in Breviario aſſignantur, S.* 29. *a num.* 1. *p.* 196. & 197. *An ſi ſint eiuſdem vel diverſi Sancti, S.* 30. *a num.* 1. *p.* 197. & 198. *Quid ſi dubitetur num.* 8. *Quo ritu in ommiſſis p.* 377

Renuevos

Quid ſub illis reſervetur in Diœceſibus, & quid liceat, T. 3. *S.* 6. *a num.* 3. *ad* 7. *p.* 61. & 62.

Reſervatio *Vide caſus*

Reſtitutio

An facienda cum dubitatur de debito etiam ſi ad illud magis inclinetur debitor; T. 1. *S.* 12. *nu.* 3, 4. & 6. *p.* 26.

Reus, *V.* Damnatus. Sarracenus, Iudex.

Rex Hiſpanię

Nominandus in Canonæ Miſſæ pro eoque orandum. T. 7. *S.* 36. *num* 1, & *in ommiſſis p* 377.

Ritus

Quorum omiſsio vel additio eſſet lethalis in bapt: & Miſſa T. 1. *S.* 22. *a num.* 2. *p.* 35 *T.* 7. *S.* 36. *n.* 5. & 6. *p.* 207. *S.* 38. *num.* 7 *p.* 208. *S.* 39. *num.* 2. & 3. *p.* 209.

Rubricæ

Rituales, aut Miſſalis quando graviter obligẽt, T. 1 *S. ult. n.* 3. *p.* 40. *V. Pontificale.*

S

Sacerdos

De ſuo baptiſmo dubius quid faciet quoad Ordines iterandos: T. 1. *S.* 10. *a num.* 5. *p.* 19.

Sacrilegium.

Quid ſit, Quot eius ſpecies, & quod reſervetur in Diœceſibus, T. 3. *S.* 3. *a num.* 1. *p* 57. & 58.

Sarracenus

An ſi capite damnatus convertatur ſit baptizandus iuxta patibulum, vel antea, T. 1. *S.* 23. *a n.* 1. *p.* 35. & 36. *V. Bapt. a num.* 3. *Damnatus, Æt, opes.*

Schedula,

Seu ſcriptura ſine ſigillo, & ſubſcriptione, quam fidem faciat T. 1. *S.* 9 *n.* 4. & 5. *p.* 17. & *S.* 2. *a num.* 11. *p.* 18. & 19. *Cui & quando liceat ſubſcribere ſchedulam confeſſionis, quam non audivit: T.* 3 *S. ult. a n.* 1. *p.* 92.

Scrupulus

Quotuplex, & qualis ad rebaptizationem ſufficiat. T. 1. *S.* 8. *a n.* 9. *p.* 15.

Sequentiæ,

An eas omittere in Miſſis ſit lethale, T. 7. *S.* 39. *a num.* 1. *p.* 209.

Simonia

Quid ſit T.6.S,15.a num.2.p.148.Quando Examinatores, & approbati ad ordines eam incurrunt: a num p.149. & 150.ubi plura de Simonia, ac de iis, quę ab ea excuſant. Quando hac intervenit in expeditione indulgentiarum: T.2. d.5.a num.3.p.293.& 294.V.Examinator;

1 Societas Iesv Quoad eius inſtitutum, & vota:

In Apoſtolis adumbrata ac multò ante prænuntiata: T.7.d.1.num.1.p.334.Noſtri poſt vota biennij ſunt veri Religioſi, & ſub Profeſſorum nomine ſæpe intelliguntur, T.4.d.3.a num.2.p. 108 Oppoſitum aſſerere eſt temerarium, T.2.d. 3.num.2.p 338.Expulſi liberi manent a votis: ac privilegijs, & indulgentijs ſpoliantur: T.4. d.6.num.1.p.311. Apoſtatæ excommunicantur, d.7.num.1.p.312.An ſi profeſſio fiat in 1. die Nativitatis poſſit profitens ſemel celebrare, & bis communicare, vel è contra: T.4.S.9.a num.1.p.150 & 106. Eius votum de non ambienda Prælatione, vel Dignitate: T.3.d.7.nu. 7.p.404.

2 Societatis miniſteria, & miſſiones

Dignitas, & fructus miniſteriorum, T.7.d.1.a n. 5.ad 10.p.336.Miſſionum Origo, & progreſſus; a num.2.334.& 335.Miniſteria n.7.& d.3.num.5.p.339.Fructus, d.1.a num.5.8.9. & 10.Promulgatio, ac introductio, a nu.4.ad 10.p.337. Qui ad eas mitti poſſunt, & a quibus: d.3.& 4.a p.338.ad 340. Quibus in locis faciendæ: d.4.n.5.& 6.340.Quibus privilegijs in eis utantur Operarij noſtri, d.9.& 12.a p. 345.ad 347.V.Iubilæum.

3 Coadiutores Spirituales,

Quem gradum habeant, T.7.d.3.num.2.p.338;

4 Coadiutores Temp. & ſcholaſtici,

An ad Miſſiones mitti poſſunt, in eiſque concionari; T.7.d.3.n.4.& 5.p.338;

5 Congregationes

Generales quam poteſtatem habeant; T.7.d.4.n. 3.p.333. Provinciales an valeant caſus reſervare; T.3.S.12.num.2.p.68.

6 Seminaria

An Regularia, T.1.d.5.n.1.p.271. Quæ admittenda: nu. 2.p.272.An eorum Rectores admittendi ad Congregationem Provincialem, n. 3. & 4.

7 Confeſſores Noſtrorum, Quoad Noſtros

Quam poteſtatem habeant quoad abſolutionem eorum a peccatis, & cenſuris: T.3.S.19.a n.1.p. 78.& 79. Æqualis eſt in omnibus deputatis, n.6 nec maior in aſſignatis pro renovatione n. 8.Eſt delegata n 11.Quæ aſſignandi pro una quaque domo, n.6.& 7.Quid hi poſſint circa votorum commutationes, diſpenſationes & c.n.9 Quando Noſtros ab excommunicatione abſolvere.S.21.num.2.& 3.Quandiu durat eorum miſſio, n.4.p.82.Quid poſſint circa abſolutionem a ſuſpenſione, & interdicto, ac diſpenſationem in irregularitate S.22.a n.1.p.82, & 83.vel in ieiunio & alijs Eccl.præcep.a nu.4. V.Regularis, a n.4.Caſus, Bulla 1.

8 Superiores & eorum Confeſſores, præſertim quoad reſeruata;

Qui ſint in Societate Superiores; T.3.S.19.n.3.p. 78. Nullus nec Generalis caſus, aut cenſuras reſervare poteſt, S.21.n.3.p. 81. An diſpenſare valeant in irregularitatibus, & Eccl.præceptis; S.29.a n.3 p.83.An valeant abſolvi a reſervatis per ſuos Confeſſores: S.23.a n.1.p.84.Quæ ſint quoad ipſos reſervata, n.4.& 5.& in omniſſis p.377.An Confeſſ. poſſint cum ipſis diſpenſare in ieiunijs, ac alijs legibus Eccl. S.24.a n.1.p. 86.An ipſi poſſint ſecum, & cum ſuis ſubditis, S.24.a n.1.p.86.Qui ex eis poſſint ad Miſſiones mutere: T.7.d.4.a n.1.p.339 & 340.Facultates ab ipſis conceſſæ quando expirent: T.3 S.21.a n.5.p. 81.& T.7.d.9.n.6.p.346.Quando decreta, vel præcepta a Provinciali: vel Generali d.manantia, T.3.S.11.n. 2. p. 67.Provinciales, & vice Rectores quam poteſtatem habeant: T.7.d.4.n.4.V.Regularis 5.& 6.

9 Superiores Reſidentiarum

An vere tales ſint, T.3.S.19.n.3.p.78.An veri Prælati T.4.S.19.n.19.p.78. An in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, T.7.d.2.n.3.p.337. An eorum munus ambire ſit contra votum Profeſſorum, ibi.

10 Caſus Reſervati in Societate,

Quando eorum abſolutionem concedere valet Miniſter; T.3.S.12.n.2.p.70.Iter agentes cui cõfiteri debent: S.12.n.2.p.68.V. Societas 7, & 8, Regularis a n.4.

11 Privilegia, præſertim quoad adminiſtrationem Sacramentorum:

Confirmantur a Pontificibus, T.3.S.17.n.3.& 4. p.74.& 75.Privilegium Confirmandi in terris infidelium: T.2.S,6.n.2.p.47.Diſpenſandi cum iis, qui contraxerunt cum aliquo impedimẽto n 4.Abſolvendi Sæculares ab hæreſi, T.7.d. 9 n.2.& 5.p.345.A reſervatis ac cenſuris, & vota commutandi: T.3.S.10.n.2.p.73.& S.19 n.1.& 2.p.78. Circa abſolutionem a ſuſpenſione, & interdicto, S.21.n.1.p.82.Circa diſpenſationem in irregularitate: n.3.p.183 ac in præceptis Eccleſiæ, S.24.a n.1.p.86.Circa adminiſtrationem Euch. T.4.S.6.n.5.p. 12. Quoad Ordines ſuſcipiendos, T.6 S.8.n.4.p.138.Etiam extra Tempora: T.7.S.34.n.6.p.204.Quoad Oratoria, erigenda, n.2.& 3.p.203.Quoad Altaria T.6.d.3.n.2.p.328. Quoad reconciliationem de Euch.& Concept. T.8.S.15.num.11.p.238. Quoad communicationem privilegiorum, ibi, & S.13.n.3.p.233. Ad aperiendum litteras Pœ

ni teneatur: T.7.d.9.n.3.p.345. *Ad celebrandū ante Auroram. & post meridiem*, n.4. *Ad Altare portatile*; n.7. & 8. p.346. *Quoad dispensationem in petitione debiti*: T.9.S.2.n.5.p.248. & S.10.n.1.p.257. *Quoad lucrandum Iubilæa in suis Ecclesijs*: T.4.d.3.p.302. *Ad Confessiones audiendas in itinere*, T.7.d ult n.3. & 4.p.346. *V. Regularis* 11. *Iubilæum* 8. & 9.

12 Societas Iesu quoad celebrationem suorum Sanctorum:

Quomodo celebrandum de SS. Ignatio, & Xaverio, T.7.S.1.n.2. & 3.p.157. & S.6.n.1. & 2. p.163. & 164. *De B. Gonzaga*, n.3. *de B. Borja*, n.4. & 5. *de Tribus B. Martyribus* n.6. & 7. *Quo ritu, loco, die, & Quibus celebrare, & recitare liceat de his SS.* S.7.a n.1.p.165. & 166. *An horum festa transferri possint* n.8. *Quando alij præter Nostros de his recitare valeant* a n.9.p.167. *V. S. Naturalis, Regul.* 9. *Reliquæ.*

Sortes

Quę liceāt, & quæ reservētur; T.3.S.4.n.4.p.59.

Sortilegium

Quid quot eius species, & quę reserventur in Diœcesibus, T.3.S.4.a n.1 p.59.

Stationes Romanę

Quæ, & quot indulgentiæ in eis, T.6.d.ult.a n.1. p.333.

Subdiaconus V. Diaconus

Superior V. Regularis 5 Societas 8 & 9.

Suspicio, aut indicia

De nullitate baptismi quæ sufficiant, vt iteretur; T.1.S.4.n.6.p.9. *V. Baptismus* 2.

Synodus Diœcesana:

Eius decreta quando graviter obligant, T.1.S. ult. num.5 p.40.

T

Tempus immemoriale

Quod sit vt vim legis, aut consuetudinis habeat: T.7.S.11.n.2. & 4.p.171. & 172.

Tertiarij Sæculares

S. *Francisci, & aliorum Ordinum sacris initiati an recitare valeant de Euch. feriis V, & Concep. Sabbatis: aliis ve privilegijs Regularium gaudeant*, T.8.S.17.a n.4.p.241. *Quem habitum portare debent*, n.8. *An indulgentijs fruantur*: T.5.d.2.a n.1, p.323. *An ad has egeant Cruciata*: T.4.d.12.n.9.p.319. *Quid de Beatis Tertiarijs*; T.8.S.17.n.2. & 3. p.240.

Testis

Qualis de baptismo, vt non iteretur, T.1. S. 1. n.5 p.2. S.3.n.6. & 7.p.7. S.9.n 11 p.18. *Quis plene probet, contradicente alio*, T.2.2 S.12.n. 5.p.53. & T.7.S.17 n.1.p.180. & S.15.n.6. & 8.p.178 & 179. *An qui adest matrimonio clandestino ex ōmanicetur*. T.3.S.5.n.4.p.60.

Titulus Coloratus

Quos defectus suppleat, T.1.S.11.n.4. & 5.p.22.

Tonsura Prima

An a iuris peritis omnibus Ordo existimetur, T.6.S.4.n.5 & 6.p.133. *Quæ ad eam ætas*, S.20 n.10 p.156. *An septennium sufficiat*. S.21, a n.1. *V. Catalogus, Ordo.*

Traditio,

Quæ sufficiat ad celebrationem de aliquo Sancto, T.7.S.11 num.5 p.172.

Tribunal SS Inquisitionis,

De quibus causis in Sacramentorum abusu: aut præceptorum observatione cognoscat: T.4.S.10 n.1. & 2.p.107. *de quibus scandalis* n.3.

V

Vicarij Episcoporum:

Quæ ijs competant, T.5.n.6.p.156. *An functiones divinorum officiorum*, T.7.S.41.n.8.p.212. *Pontificij quam potestatem habeant in Regulares*, T.7.d.4.n.2.p.339. *V. Ordinarius, Episcopus.*

Vicarij Regulares; *V. Regularis* 3 Societas 8.

Voti Castitatis, & aliorum commutatio vel dispensatio

Coniugatorum quæ commutare Confessores, vel in quibus dispensare valent Episcop. vel Regularis T.9.S.2.a n.1.p.247. & 248. S.11.n.5 p.258. *Quæ dispensatione non egent*, n.9.p.259. *An observatio voti futura de re meliori*, S.12.n.4. p.260. *An qui castitatem, vel Religionem vouit tentatur adimplere si maximè in luxuriam sit proclivis*, n.6. *V. Episcopus* 5. *Matrimonium* 2. & 3. *Regularis* 11. *Societas* 11.

Vsura

Quid sit, & quis usurarius manifestus, T.3.S.6.n. 1, & 2.p.61. *Quæ reservetur in Diœc.* a n.3.

Vxor

Quando teneatur virum sequi, T.8.d.3. a num. 1.p.350. *An gaudeat mariti privilegijs*, T. 8.S.16.n.6.p.239.

FINIS.

Iuris utriuſq; quæ in hoc primo volumine proponũtur, & ellucidantur.

A

Accęſſorium ſequitur naturam ſui principalis, T. 6. S. 8. n. 11. p. 149. T. 8. S. 7. n. 11. p. 227.

Actus ſimpliciter geſtus, cenſetur factus eo modo, quo debuit, T. 1. d. 16. n. 10. p. 285.

Actus indiferens in meliorem partem accipi debet, T. 1. d. 16. n. 10. p. 285.

Actus diſpoſitio interpretari debet, ut videatur proviſum cauſę magis neceſſarię, T. 7. d. 6. n. 2. p. 342.

B.

Beneficium Principis latiſſimè interpretandum eſt, T. 7. S. 13. n. 10. p. 176.

Beneficium alicui conceſſum, in eundem minimè retorquendum eſt, T. 6. S. 19. n. 2 p. 153.

Beneficium datur propter officium, T. 8 S. 19. n. 4. p. 243.

Beneficium Principis ſine cuiuſq; iniuria interpretari oportet, T. 4. d. 12. n. 3. p. 318.

C

Caſum, quinullum excipit, omnes, quos poteſt, cõprehendit. T. 3. S. 9. n. 6. p. 65.

Cauſa ex aliqua de novo ſuperveniente, licet ab omni diſpoſitione decedere, T. 1. d. 16. n. 8. p. 280.

Cauſa ceſſante privilegij, vel legis ipſa ceſſat, T. 7. S. 31. n. 5. p. 199. T. 8. S. 4. n. 10. & 11. p. 220.

Conceſſa ſunt Epiſc opo in ſua Diœceſi, quæ Pontifici in univerſali Eccleſia, demptis quæ ſibi Pontifex ſpecialiter reſervarit, T. 7. S. 19. n. 1 p. 183.

Conceſſio unius, alterius videtur excluſio, T. 6. S. 19. p. 153.

Conceſſum dicitur, quidquid expreſſe prohibitum non reperitur, T. 4. S. 12. n. 2 p. 109. T. 6. S. 8. n. 6. p. 138. T. 7. S. 7. n. 9. p. 166.

Conditio inducit formã, qua omiſſa diſpoſitio non ſortitur effectum, T. 1. d. 10. n. 4 p. 277.

Conditio impleri debet in forma ſpecifica, ut actus vel contractus valeant, T. 1. d. 11. n. 1. p. 278.

Connexa dicuntur individua, ſeu reputantur unũ, T. 8. S. 7. n. 5. p. 225.

Correllativorum, ſeu Connexorum idem eſt iudicium, T. 8. S. 7. n. 5. p. 225.

Contractus licèt ab initio ſit voluntarius, ex poſt facto neceſſitatis, T. 8. d. 14. n. 1. p. 360.

Contrariorum eadem eſt diſciplina, T. 8. S. 7. n. 5, pag. 215.

Culpa ubi non eſt, nec pœna eſſe poteſt, T. 4. d. 6. n. 4. p. 311.

D

Damnum pati videtur, qui commodum amittit, T. 4. d. 12. n. 3. p. 318.

Decretum innovans intelligitur iuxta tenorem decreti innovati, T. 4. d. 2. n. 1. p. 306.

Delictum non præſumitur in facto alterius, dum non probatur, T. 6. S. 14. n. 11. p. 190.

Dignius trahit ad ſe minus dignum, T. 5. S. 1. n. 12. p. 120.

Dubijs in rebus benignior pars interpretanda, & eligenda eſt, T. 3. S. 18. n. 12. p. 77.

E

Exceptio firmat regulam in contrarium, T. 6. S. 20. n. 8. p. 155. T. 7. 54. n. 2. p. 161. T. 8. S. 4. n. 8. p. 220.

Exceptio repellit coſdem, quos de iure tenebat actio, T. 7. S. 9. n. 5. p. 169.

Exempla regulas, & leges declarant, T. 7. S. 16. n. 10. p. 18.

F

Facere per ſe dicitur, qui per alium facit, T. 7. S. 7. n. 10. p. 166. & S. 34. n. 4. p. 203. T. 8. S. 5. n. 10. p. 222.

Facere per ſe, aut per interpoſitam perſonam paria ſunt. ibi.

G

Generalis diſpoſitio, aut conceſſio omnes caſus cõprehendit, T. 3. S. 21. n. 2 p. 81. T. 7. S. 8 n. 3. p. 167

Generalis diſpoſitio, generaliter eſt intelligẽda ibi.

Gratia facta non expirat morte concedentis, T. 6. S. 5. n. 3. p. 136.

H

Habitus non facit Monachum, ſed Monachus facit habitum, T. 4. d. 6 n. 5. p. 322.

I

Ignoranti non currit tempus, T. 9. S. 9. n. 2. p. 229. T. 2. d. 3. n. 1 p. 291.

Indulgentiæ tantum valẽt, quantum ſonant, T. 9. d. 5. n. 5 p. 372.

Inferior non poteſt diſpẽſare in lege ſuperioris, T. 4 S. 12. n. 1. p. 109.

Iudicium idem eſt de tacitis, ac de expreſſis, T. 3. S. 17. n. 6. p. 75.

Iure ſuo nemo abſque culpa privandus, T. 7. S. 29. n. 3 p. 197.

Iuriſdictio delegata re integra perit morte concedẽtis, T. 6. S. 6. n. 2. p. 135.

Ius uniuſcuiuſque Provinciæ, ex facto oritur, T. 5 S. 7. n. 3. p. 62.

Ius ſingulare non trahitur in conſequentiam, Corollar. n. 1. p. 376.

L

Legis ratione ceſſante, ceſſat eius diſpoſitio, T. 1. S. ult. n. 4. p. 39.

Legis verba in potiori ſignificatu, & ſecundum ſenſum grammaticalem ſunt accipienda. T. 3. S. 4. n. 7 p. 59.

Legislatoris voluntas eſt anima legis, T. 8. S. 14. n. 7 p. 235.

Lex quando reſpicit factum non curat de iuris effectu, T. 3. S. 5 n. 3. p. 60.

Lex ubi non exprimit, nec diſtinguit; nec nos debemus, T. 3. S. 7. n. 1 p. 62. T. 8 S. 14. n. 7. p. 235.

Lex generaliter loquens, generaliter eſt intelligẽda. T. 3. S. 9. n. 6. p. 65 T. 3. d. 6. n 3. p. 301.

Lex non ad verborum formulam, & ritum, ſed ad effectum ſolum attendit, T. 6. S. 9. n. 8 p. 141.

Lex ſi aliud voluiſſet expreſiſſet, T. 6. S. 20. n. 3. p. 154. T. 1. d. 4. n. 9. p. 271.

Lex ex mente, ſeu intentione legislatoris eſt intelligenda, T. 6. S. 20. n 6. p. 155. T. 9 S. 5. n. 9. p. 222.

Lex non debet eſſe iniquitatis vinculum, T. 9. S. 12. n. 3. p. 259.

Lex ſi duplici nititur ratione, ſi una deficiat, ſuſtinetur propter aliam, T 8. d. 12. n. 5. p. 358.

M

Maius cum licet, non debet quod minus eſt non licere, T. 7. S. 7. n. 9. p. 166. & S. 19. n. 3. p. 183.

Melior eſt conditio poſſidentis, T. 8. d. 4. n. 2. p. 351.

Om-

O.
Omnia qui dicit, nullũ excipit, T.3.S.17.n 6.p.75.
P
Pęna debet tenere ſolos Auctores, & delinquentes, T.6.S.19.n.5.
Pæna non irrogatur niſi expreſſe à iure caveatur, ibi.
Pænarum benignior fieri debet interpretatio, T. 8. S.15.n.3. p.61.
Pænæ non extendẽdæ niſi ad caſus, & perſonas expreſſas, T.4.d.5.n.3.p.310. T.8.d.15.n.4.p.362.
Periculum ubi maius intenditur, ibi plenius conſulendum, T.9.S.12.n.3.p.259.
R.
Ratio legis eſt anima legis, T.3.S. ult. n 3.p.92.
Ratio legis ubi militat, ibi lex loquitur, & idem diſponit, ac regulat ipſam, T.9.corol.n.1. p.376.
Ratio eadem ubi eſt, eadem debet eſſe iuris diſpoſitio, T.8.S.8 n.4 p.128.
Ratio generalis legis reſtringitur ex mente, & fine legis, T.6.S.9.n.8.p.141.
S.
Subrogatum ſapit naturã eius, in cuius locum ſubrogatur, T.3.d.6.n.6.p.302.
T.
Taciti, & expreſſi idem eſt iudicium; T.6. S.20.n. 7. p.155.
Tempus legis, qui non obſervat, non dicitur formam legis obſervare, T.1.d.3.n.8.p.269.
V.
Verba debent intelligi cum effectu, T. 3. S. 5.n. 7, p. 61.
Verba legis tantum valent, quantũ ſonãt, ſeu oſtendunt voluntatẽ legislatoris, T.3.S.7.n.1.p. 62.
Verba quæ quis non expreſſit, mente non videtur comprehendiſſe, ibi, n.3.
Verba intelligenda non ſecundum quod ſonant, ſed ſecundum mentem, & intentionem proferentis, T. 3.S. 12.n.3.p.69.
Verba ubi ſunt clara, nõ eſt opus alia interpretatione, T.8.d.12.n.1.p.358.
Vtile per inutile non vitiatur, T.2.S.3.n.4.p.44.

CLAVSVLÆ IN BVLLIS, AC PRÆCIPVE IN IVBILæis Pontificijs communes, ſeu obviæ, quæ in hoc primo volumine explanantur.

A
A primis veſperis uſque ad occaſum Solis: T.3.d. d.3.& 4.a p.297.ad 299.
Ad noſtrum, & Sedis Apoſtolicę beneplacitum, T.8.d.16.n 2.p.264.
C
Communione ſacra refectis, T.1.num. 4. & 5. p. 279.& 280.
D
De novo concedimus, T.3.S.17.n.2.p.74.
De plenitudine poteſtatis, ibi n.5.
E
Ex certa ſcientia, T.3.S.17.n.1.p.75.& S.23.n. 11.& 12.p. 85.& 86.
I
In omnibus, & per omnia, T.3.S.17.n.5.p.75.
N
Nihil penitus omiſſo, T.3.S.17.n.5.p.74.
O
Omnia, & ſingula, T.6.d.ult.n.5.p. 333.T.8. d. 13.n.2.p. 359.
P
Panitentibus, & Confeſſis, T.1.d.13.a n.1.p.279.
Per modum ſuffragij, T.6.d.ult.n.6.p. 333.T. 8. d.17.n.5.p. 360.
Præmiſſa, aut facta cõfeſſione, T.1.d.13.n.3.p.279
Præſentibus ad ſeptennium valituris, T.2.d.3.a n. 1 p.291.
Preces ad Deum fuderint; T.1. d.14.a n.1.
Q
Quorum omnium tenores, formas &c. pro expreſſis haberi volumus, T.8.d.12 n.2 p.358.T.3.S.7. n.5.p.75.
S
Salvo iure Parochiali ſeu ſine præiudicio Iurium Parochialium; T.7.S.35.n.3.p.202. T.1.d 8 n.8. p.275.
V
Volumus quod ſi aliàs Chriſti Fidelibus in dicta Eccleſia præmiſſa peragenti aliquam aliam indulgentiam perpetuo vel ad tempus nondum elapſum duraturam conceſſerimus, præſentes nullæ ſint, T.2.d.14.a n.1.p.292.& 293
Volumus, quod ſi pro præſentatione, admiſſione, vel publicatione, præſentium aliquid vel minimum detur, vel ſponte oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint: T.2.d.5.a num.1.p.293.& 294.
Volumus; quod præſentium tranſumptis, et iam imꝓreſſis, & manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonę in dignitate Eccleſiaſtica munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quę præſentibus adhiberetur: T.3.d.6.a n.1 p.361.

FINIS.

DICTIONES

in communi Iure, Legibus, ac Statutis, tam Pontificijs, quam Cæsarijs prævia, quæ in hoc primo volumine iuxta utriusque iuris Doctores explicantur.

A

A, & Ab. T. 8. d. 4. n. 1. & 2. p. 352. & 353.
Ac, T. 7. S. 6. n. 1. & 7. p. 135. & 136.
Accedere, T. 7. d. 6. n. 6 p. 302.
Accessorium, T. d 7. n. 4. p. 274.
Ad, T. 3. d. 4. n. 4. p. 298.
Ad instar, T. 8. d. 12. n. 3 p. 358.
Adultus, T. 1. S. 15. n. 1. p. 27.
Aliquis, T. 1. d. 4. n. 5. & 6 p. 270. & T. 2. d. 4. n. 4 p. 292. T. 3. d. 6. n. 3. p. 301.
Alius, T. 2. d. 4. n. 4. p. 293. T. 8. d. 15 n. 1. p. 361.
Altare, T. 6. d. 3. n. 1. p. 328.
Aut, T. 6. S. 6. n. 1. & 7. p. 135. & 156

B

Basilica T. 8. d. 7. n. 1. p. 353.

C

Cleros, T. 6. S. 11. n. 4. p. 143.
Commensales, T. 5. S. 4. n. 2. p. 123.
Confirmare, T. 3. S. 17. n. 2. p. 74. & S. 23. n. 12. p. 8. T. 8. S. 12. n. 3. p. 232.
Conservare, T. 4. S. 2. n 6. p. 94.
Constat, T. 1. S. 9. n. 4. p. 17.

D

Debere, T. 6. S. 8. n. 3. p. 138.
Decimæ, T. 3. S. 7. n. 2. p. 62.
Declinare, T. 8. S. 4. n. 6. p. 219.
Dedicare, T. 7. S. 8. n. 7. p. 168.
Diæta, T. 2. S. 6. n. 5. p. 48.
Dies, T. 1. d. 3. a n. 1. p. 269.

E

Eisdem, T. 7. d. 7. n 4. p. 343.
Eiusmodi, T. 3. S. 16. n. 4. p. 74.
Et, T. 3. S. 18. n 5. & 6. p. 76. T. 4. S. 2. n. 2. & 3. p. 94. T. 7. S. 1. n. 8. p. 158. T. 8. d. 8 n. 2 p. 354.
Etiam, T. 3. S. 25. n. 4. p. 87.
Exigere, T. 2. d. 5. n. 4. p. 295.

F.

Familia, T. 7. S. 32. n. 8 p. 201.
Familiares, T. 5. S. 4. n. 2. & 3. p. 223
Famuli, ibidem.
Fastos, T. 7. S. 3. n. 2. p. 160.
Festum, T. 7 S. 2. n. 8. p. 160.
Frater, T. 8. S. 16. n. 6. p. 239.

H

Habere, T. 9. d. 6 n. 4. & 7. p. 373.
Hanc, T. 3. S. 38. n. 4. p. 76.
Hortamur, T. 3. S. 27. n. 5. p. 90.
Huiusmodi, T. 3. S. 16. n. 4. p. 74.

I

Illiterati, 8. T. 6. S. 9. n. 7. p. 141.
Indulgētiæ. Prœem. App. n. 2. p. 265
Indultum, T. 9. S. 4. n. 1. p. 250.
Innovamus, T. 3. S. 17. n. 4. p. 75.
Institutio, T. 2. d. 2. n. 4 p. 292
Intelligere, T. 6 S. 9. n. 6. p. 141.
Iterum, T. 9. d. n. 4, & 5. p. 368.
Iubemus, T. 4. S. 25 n. 1. p. 99.
Iubilæum, Proæm. App. n. 3. 263.

L

Liberi, T. 1. S. 21. n. 4. 34.

M

Mandamus, T. 9 S. 15. n. 5 p. 264.
Maximè, T. 3. S 21. n. 6. p. 82
Mittere, T. 7. d. 5. n. 3 p. 342.
Monachus, T. 1. S. ult. n. 4. p. 39.

N

Natalitia, T. 7. S. 12. n. 2 & 3. p. 137.
Necnon, T. 7. d. 7. n. 4. p. 343.
Non licet, T. 1. S. ult. n. 2 p. 39.
Non potest, T. 2. S. 7. n. 1. & 4. p. 48. & 49.
Nullus, T. 3. S. 23. n. 11. p. 81.
Nuntiare, T. 8. d. 15. n. 1. p. 361.

O

Obsecramus, T. 3. S. 27. n. 5. p. 90.
Ordinario, T. 6. S. 4. n. 6. p. 133.

P

Persona, T. 1. d. 14. n. 8. p. 283.
Placuit, T. 8. S 15. n. 2. & 3. p. 236,
Possum, T. 7. S. 9. n. 3. p. 169. & 21. num. 1. p. 185.
Præcipimus, T. 8. d. 15. n. 1. p. 361.
Primitiæ, T. 3. S. 7. n. 2. p. 62.
Princeps, T. 1. S 21. n. 2. & 3. p. 34.
Prout, T. 8. S. 14. n. 10 & 11. p. 235.
Publicare, T. 8. d. 15. n. 1. p. 361.

Q

Quantum, T. 3. S. 18 n. 4. p. 76.
Quecumque, T. 7. S 29. n. 5. p. 197.
Qué, T. 8. d. 8. n. 2. p. 354.
Quoad, T. 3. S. 18. n. 4 p. 76.
Quoties, T. 6. d. 6. n. 4. p. 331.

R

Reges, T. 1. S. 21. n. 2. p. 34.
Rogo, T. 9. S. 15. n. 3. p. 264.

S

Saltêm, T. 9. d. 5. n. 4. p. 327.
Senes, corol. n. 3. p. 376.
Seu, T. 3, S. 20. n. 4. p. 80. &, S. 8. n. 7. p. 168.
Sigillum, T. 3. d. ult. n. 1. p. 304.
Sollicitudo, T. 1. d. 9. n. 4. p. 276. & d. 13. n. 6. p. 280.
Solutio, T. 2. d. 5. n. 4 p 293,
Sortilegium, T. 3. S. 4. n. 3. p. 59.
Sortilegi, ibi.
Stationes, T. 6, d. ult. n. 1. p. 304.
Stationarij, ibi.
Suadeo, T. 9. S 15. n. 3. p. 264.
Subscriptio, T. 3. d. 6. n. 7. p. 302.
Subsignatio, ibi,
Supra dicta, T. 1. d. 17. n. 3. p. 285.

V

Valetudinarij, corol. n. 4. p. 376.
Vbicumque, T. 1. d. 9. n. 2. p. 276, T. 8 d. 11. n. 1, & 4. p. 357.
Vbique, ubivis locorum, & gentium, ibi, vel T. 3. d. 7. n. 9. p. 304.
Vesper, vesperum, T. 3. d. 3 n. 1, & 2 p. 297.
Vnaquæque, T. 7. S. 29. n. 5. p. 197.
Volumus, T. 3. S. 17. n. 5. p. 75.
Vrbs, T. 7. d. 5. n. 4. 5. & 7. p. 341.
Vsus, T. 8. d. 15. num. 2. p. 361.

Este libro está tassado por los señores del Real Consejo a mrs. cada pliego: el qual tiene ciento y seis pliegos.

Signat. Tab.
Est. 29
Tab. 2a
Num. 11

2224
2.793